ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN III
PERIODUS TERTIA

PARS VII

CONGREGATIONES GENERALES CXIX-CXXII



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXV

CONGREGATIONES GENERALES

CONGREGATIO GENERALIS CXIX

10 novembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CXIX

10 novembris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens moderabitur hodiernam congregationem generalem, quae est 119.

Distribuentur, Patres venerabiles, vobis, hodie, duo fasciculi, quorum alter continet relationem super schema voti « De matrimonii sacramento » cum textu emendato, et de hoc schemate suo tempore disceptabitur; alter vero continet modos circa cap. II schematis *de Oecumenismo,* quod inscribitur *de Oecumenismi exercitio.* Circa hos modos fiet suffragatio crastina. Hodie fiet suffragatio circa modos respicientes cap. I. Crastina fiet suffragatio circa modos respicientes caput alterum.

Et nunc, Patres venerabiles, habeo duas communicationes faciendas, alteram laetam, minus laetam alteram.

Prima est haec: Initio omnium congregationum generalium, post Sanctam Missam, fit inthronizatio Sancti Evangelii. Porro circa hanc caeremoniam, quae solemnis et gratissima est, Bibliotheca Vaticana curavit aliquod opus cui titulus: *Il libro del Vangelo nei Concili Ecumenici.* Hoc opus refertur ad caeremoniam inthronizationis Evangeliorum et in hoc opere expenditur sensus huius inthronizationis, scil. praesidentia Christi in Conciliis, per historiam et iconographiam Conciliorum Oecumenicorum, quae solet vocari « etimasia conciliaris »; est verbum difficile, sed explicatur in opere. Et attentio fertur praesertim circa Codicem Urbinatem Latinum decimum Bibliothecae Vaticanae, qui inthronizatur in praesenti Concilio. Reproducuntur colore pulcherrimo omnes miniaturae horum Evangeliorum. Hoc opus stricte et critice et ad amussim confectum offertur Patribus ab em.mo ac rev.mo D. card. Eugenio Tisserant, Bibliothecario Sanctae Romanae Ecclesiae [*plausus*] et a Bibliotheca Vaticana. Opus confectum est ab egregio et cultissimo viro eiusdem Bibliothecae Vaticanae. Haec est communicatio laeta.

Communicatio minus laeta est haec: sabbato proximo erit congregatio generalis. Id factum est ut detur pluribus possibilitas loquendi circa schemata quae adhuc discutienda sunt. Ergo non est culpa moderatorum si hoc statuerunt, est beneficium erga Patres.

Iam dixi vobis, Patres venerabiles, hodie, nempe die 10 novembris, admissum iri coram Summo Pontifice episcopatum Africae linguae anglicae, et quidem hora 19. Episcopi sic disponentur in conclavibus pontificiis — audiant hi quorum interest —:

— in conclavi thronuli — nescio quomodo dicam — « del tronetto », consistent et exspectabunt Summum Pontificem episcopatus ex Sierra Leone, Etiopia, Gambia, Ghana;

— in conclavi participantis, vulgo « del partecipante »: episcopatus ex Isola Maurizio, Isole Seychelles, Kenya;

— in conclavi Nostrae Dominae, « della Madonna »: episcopi ex Liberia et episcopatus — idem est — ex Liberia et Nigeria;

— in conclavi throni: episcopatus ex Malawi, Sudan, Uganda;

— in conclavi « dei Papi » — vulgo dicto « dei Papi » —: episcopatus ex Tanzania, Repubblica Sud-Africana, Beciuania, Swaziland, Basutoland, Africa Sud-Ovest et Rhodesia, scil. ex Rhodesia del Sud.

Conclavia indicabuntur ab illis assignatoribus loci — non sunt nostri assignatores loci — sed assignatores loci qui erunt in loco.

Nunc lego nomina eorum qui verbum facere petierunt circa n. 25 cap. IV *De Ecclesia in mundo huius temporis*: Beat.mus D. Maximus IV, patr. Antiochenus et Totius Orientis Alexandr. et Hierosol. Melchitarum; exc.mi DD. Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis in Germania; Philippus Hannan, ep. aux. Vashingtonensis in Statibus Foed. Americae Septemtrionalis.

Deinde loquentur nomine 70 Patrum, exc.mi DD. Romanus Arrieta, ep. Tilaranensis in Costa Rica; Georgius Beck, arch. Liverpolitanus in Anglia; Candidus Rada, ep. Guarandensis in Aequatore; Ioannes Gay, ep. Imae Telluris in Antillis Gallicis; Georgius Hakim, ep. Ptolemaidensis Melchitarum in Israël; Mauritius Rigaud, ep. Apamiensis in Gallia; Ioannes-Baptista da Mota, arch. Victoriensis Spiritus Sancti in Brasilia; Aloisius Yáñez, ep. S. Mariae Angelorum in Chilia; Marcus McGrath, ep. S. Iacobi Varagüensis in Panama; Gregorius Thangalathil, arch. Trivandrensis in India.

Postea transitus fiet ad aliud schema: *de accommodata renovatione vitae religiosae.*

SCHEMA DECRETI DE OECUMENISMO * [3]

1 – RELATIO GENERALIS

De singulis partibus Capitis I Schematis Decreti *De Oecumenismo* die 5 octobris huius anni factae sunt suffragationes, cum sequenti *exitu.*

Prima suffragatio, de numero 1 (prooemium)

Praesentes votantes	2111
Placet	2094
Non placet	16
Votum nullum	1

Secunda suffragatio, de numero 2

Praesentes votantes	2112
Placet	2081
Non placet	30
Votum nullum	1

Tertia suffragatio, de numero 3

Praesentes votantes	2110
Placet	2051
Non placet	57
Vota nulla	2

Quarta suffragatio, de numero 4

Praesentes votantes	2107
Placet	2056
Non placet	50
Votum nullum	1

De integro capite I facta est suffragatio die 6 octobris, cum sequenti exitu:

Praesentes votantes	2166
Placet	1926
Non placet	30
Votum nullum	1
Placet iuxta modum	209

Integrum ergo caput cum omnibus suis partibus a Concilio est approbatum.

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus est in congregatione generali 118, die 9 novembris 1964.

[4]

2 – MODI

A Patribus Conciliaribus propositi circa Prooemium et Caput I Decreti de Oecumenismo

Omnes et singuli modi a Patribus propositi omni qua par est diligentia examinati sunt a subcommissione quae ad hoc a Patribus Secretariatus in sessione plenaria congregatis constituta est et cui praesidebant Exc.mi Jaeger et Martin. Relatione scripta circa omnes modos Patribus Secretariatus tradita et ab ipsis examinata, ampla praesertim de modis maioris momenti discussio in sessionibus plenariis Secretariatus facta est. Aliquae mutationes, breviores additiones, transpositiones propositae, quibus sensus textus clarius et melius exprimitur, admissae sunt.

In sequenti relatione modi per ordinem recensentur et responsa proponuntur. Non omnis modus separatim indicatur, cum nonnulli ob materiae affinitatem in unum coadunati et simul considerati sint.

[5]

Prooemium

1 — Pag. 5, lin. 1-3 immerito dicitur unitatis redintegrationem esse unum ex praecipuis Concilii propositis.*

R. — In textu non affirmatur ipsam redintegrationem unitatis esse propositum Concilii, sed promotionem unitatis, quae ad redintegrationem ducat (« Unitatis redintegratio... promovenda »). Ceteroquin unitatis redintegrationem Paulus VI explicite unum e finibus Concilii nominavit (cf. notam 1, pag. 5).

2 — Pag. 5, lin. 3-6: Videtur etiam Ecclesiam catholicam inter illas Communiones comprehendi, quod falsum esset.

R. — Hic tantum factum, prout ab omnibus conspicitur, describendum est. Postea clare affirmatur solam Ecclesiam catholicam esse veram Ecclesiam Christi.

3 — Pag. 5, lin. 4 post verba « condita est Ecclesia » addatur « ab omnibus quidem cognoscibilis ».

R. — Talis affirmatio in apto loco, ubi cognoscibilitas sufficienter explicari potest, necessaria est, non vero in textu Prooemii. Cete-

* Ubi non indicatur numerus Patrum qui modum proposuerunt, intelligitur modum illum ab uno tantum Patre propositum esse.

roquin pag. 7, lin. 5-6, Ecclesia explicite vocatur « signum levatum in nationes »; quod cognoscibilitatem eius implicat. [5]

4 — Pag. 5, lin. 5 ante « discipuli » dicatur « multi », secus etiam catholici ad Christum dividendum concurrere dicerentur.

R. — In lin. 4-7 nominatur tantum factum divisionis et nihil catholicis obiicitur.

5 — Pag. 5, lin. 6 post « Domini » dicatur « in rebus essentialibus », [6] quia in multis rebus sensus diversi Christum non dividunt.

R. — In Prooemio exacta distinctio nondum facienda videtur; hoc in sequenti expositione fit.

6 — Pag. 5, lin. 10-23 auferantur et lin. 24 deleantur verba « ea omnia laeto animo considerans ».

Ratio: *a*) Motus unionis apud non-catholicos, utpote generatim tendens ad vagum christianismum, nequit tribui gratiae.

b) Ne credatur Ecclesia solum de unitate curare.

R. — Cum textus a Concilio approbatus sit, auferri nequit. Ceteroquin ipsi Summi Pontifices et S. Officium motum oecumenicum noncatholicorum gratiae Spiritus Sancti tribuunt.

7 — Pag. 5, lin. 13-16 proponitur haec nova formula « Qua divina benedictione permulti ubique homines permoti sunt atque mirabiliter inter fratres a nobis seiunctos amplior in dies natus... ».

Rationes: *a*) Sic evitatur repetitio vocis « gratia » (lin. 13 et 15).

b) Omissio vocis « quoque » vitat comparationem inopportunam.

c) Accuratius dicitur « fratres a nobis seiunctos » (*2 Patres*).

R. — Melior visa est Secretariatui formula textus approbati.

8 — Pag. 5, lin. 13-15 proponitur haec nova formula « Qua gratia permulti ubique homines acti sunt atque tam inter fratres a nobis seiunctos quam inter nos sub influxu Spiritus Sancti amplior in dies motus exortus est ... ».

Ratio: Stylus est veritas historica.

R. — Neque stylus neque historica veritas formula a Concilio approbata offenduntur. Conatus unionis iam ante motum oecumenicum a catholicis facti sunt.

9 — Pag. 5, lin. 14-16 dicatur « ... motus, non sine Spiritu afflante, exortus est ad unitatem Fidei, cultus, regiminis christianorum restaurandam ».

Ratio: Ante schisma saeculi XI unitas christianorum iam existebat.

[6] R. — Ratio indicata valet pro mutatione verbi « assequendam ». Cf. emendationem 1, pag. 45.

[7] 10 — Pag. 5, lin. 17, post « Deum » addatur « Unum et » (*2 Patres*).

R. — Textus approbatus reddit formulam Consilii mundialis Ecclesiarum (Genevensis); ergo retinendus est.

11 — Pag. 5, lin. 18 ante « Dominum » addatur « Deum ac ».

R. — Cf. responsum ad 10.

12 — Pag. 5, lin. 19 non intelligitur sententia « ... in quibus Evangelium audierunt quosque singuli Ecclesiam dicunt esse suam et Dei ».

R. — Secretariatui videtur sententiam, quae factum notum describit, non difficulter intelligi.

13 — Pag. 5, lin. 19 loco « quosque » dicatur « quique ».

R. — Verbum « quosque », cum referatur ad « coetibus », omnino retinendum est.

14 — Pag. 5, lin. 19 non intelligitur expressio « ... quosque singuli Ecclesiam ... » (*3 Patres*).

R. — Sensus enuntiationis sat clarus videtur.

15 — Pag. 5, lin. 20-23 proponitur novus textus « Omnes tamen, etsi diverso modo Christifideles congreget, ita ut per efficaciorem praedicationem Evangelii totus mundus salvus fiat ».

Ratio: Maior claritas et vitanda aequivocatio.

R. — Textus approbatus satis clarus censetur.

16 — Pag. 5, lin. 21 loco « sit » dicatur « est ».

Ratio: Universalitas Ecclesiae, praesertim eius missionis, est factum.

R. — Verbum « sit » retinendum est, cum agatur de motu inter noncatholicos tendente ad universalitatem, non vero de universalitate Ecclesiae catholicae enuntianda.

17 — Pag. 5, lin. 21 omittatur « quae sit » et dicatur « ... adspirant vere universalem missam ».

R. — Cf. responsum ad 16.

18 — Pag. 5, lin. 21 displicent voces « universalis. ... ad universum missa sit ».

Ratio: Suggeritur dubitatio de nota catholicitatis iam data.

[8] R. — Cf. responsum ad 16 datum.

19 — Pag. 5, lin. 22-23 loco « ad universum ... gloriam Dei » dicatur: « ad omnes homines missa ut ad Evangelium convertantur et salvi fiant ».

Ratio: Vitanda repetitio et dissonantia (*2 Patres*).

R. — Hic praecise agitur de missione Ecclesiae ad universum mundum. [8]

20 — Pag. 5, lin. 24 dicatur « Sacrosancta igitur Synodus ».
Ratio: « Haec » non bene sonat cum « ea » (2 *Patres*).

R. — Textus approbatus offendere latinitatem non videtur.

21 — Pag. 5, lin. 26 omittatur verbum « Catholicis ».
Ratio: Decretum saltem indirecte etiam ad alios christianos dirigitur.

R. — Explicite nominandi sunt tantum ii — scil. Catholici — quibus Concilium directe adiumenta proponit.

Caput I [9]

IN GENERE

1 — Evitentur omnes locutiones faventes interconfessionalismum et indifferentismum circa omnes religiones.

R. — Consensus quasi unanimis Concilii de primo capite ostendit talia pericula in eo non contineri.

2 — Latine dicendi modus fiat magis rectus, « linearis », expolitus.

R. — Latinitas textus a multis Patribus explicitis verbis laudata est.

3 — Cum vox « Ecclesia » applicatur Ecclesiae catholicae, dicatur « Ecclesia catholica ».
Ratio: Aliquando vox « Ecclesia » usurpatur ad alias etiam Confessiones christianas designandas.

R. — Sensus vocis « Ecclesia » ex contextu semper sufficienter elucet.

4 — Expressius dicatur unam solam esse veram Ecclesiam Christi; hanc esse Catholicam Apostolicam Romanam; omnes debere inquirere, ut eam cognoscant et ingrediantur ad salutem obtinendam (*idem Pater*).
Ratio: Periculum indifferentismi pro multis catholicis.

R. — In toto textu sufficienter effertur, quod postulatur. Ex altera parte non est tacendum etiam in aliis communitatibus christianis inveniri veritates revelatas et elementa ecclesialia.

5 — Clarius dicendum esset veram Ecclesiam esse solam Ecclesiam catholicam romanam et Summum Pontificem gaudere suprema auctoritate in omnes fideles et episcopos et personali infallibilitate (5 *Patres*).

R. — Textus supponit doctrinam in constitutione « De Ecclesia » expositam, ut pag. 5, lin. 24-25 affirmatur.

[9] 6 — Nimis lato sensu conceptus unitatis et catholicitatis adhibentur (*iidem Patres*).

R. — Sensus ex contextu non est ambiguus.

7 — Christus eo sensu caput Ecclesiae affirmandus esset, quo non est caput aliarum communitatum religiosarum.

[10] R. — Textus servatur, nam hic caute procedendum est, ne insinuetur Christum non esse fontem gratiae quae etiam fratribus separatis donatur (cf. S. C. S. Officii, *Epist.* ad R. I. Cushing, Archiepiscopum Bostoniensem, 8 aug. 1949).

8 — Spiritus Sanctus ut anima solius Ecclesiae verae exhibeatur (*iidem Patres*).

R. — Ut quaestio de anima corporis Christi mystici sufficienter tractetur, longioris explanationis opus esset, quae hic fieri nequit.

9 — Falso asseritur in textu fratres separatos nobiscum quadam communione coniungi (*iidem Patres*).

Ratio: « Ecclesiae communio » non admittit gradus.

R. — Communio inter christifideles perfecta vel minus perfecta esse potest.

10 — Confusio in textu habetur inter mysticam cum Christo unionem et Corpus Christi Mysticum (*iidem Patres*).

R. — Unio mystica cum Christo necessario infert unionem cum Corpore Christi Mystico, variis utique modis.

11 — Unicitas verae Ecclesiae explicitius et in recto exhibenda esset (*iidem Patres*).

R. — Ex toto textu et ex singulis quoque affirmationibus (cf. pag. 7, lin. 5 et lin. 8; pag. 8, lin. 10 et 12) unicitas Ecclesiae satis apparet; refertur etiam ad constitutionem « De Ecclesia ».

12 — Textus non distinguit, uti oportet, inter fidem subiectivam fratrum seiunctorum et fidem obiectivam; simile valet de spe et caritate eorum (*iidem Patres*).

R. — In fratribus seiunctis non tantum subiectivae fides, spes, caritas adesse possunt, sed etiam obiectivae. Ulterior explicatio tractatus theologicos spectat.

13 — Immerito communitates fratrum separatorum « ecclesiae » vocantur (*iidem Patres*).

R. — Etiam in documentis Summorum Pontificum quaedam communitates non-catholicae vocantur Ecclesiae.

14 — Proponitur textus brevior prooemii.

R. — Textus, prout iacet, Concilio quasi unanimi consensu placuit.

15 — Numerus 2 ante numerum 4 ponendus esset. [11]
Ratio: Incipiendum est a facto motus oecumenici, postea exponenda principia catholica motus.

R. — Actio oecumenica catholica describenda (n. 4) supponit expositionem principiorum catholicorum (num. 2 et 3).

16 — Melior titulus decreti esset « De christianorum unitate fovenda ».

R. — Quamvis titulus propositus aptus esset, Secretariatus propter placita multorum Patrum titulum « De Oecumenismo » retinuit. Qui in secunda Sessione Concilii approbatus est.

AD NUMERUM 2

1 — Pag. 6, titulus capitis sic mutetur « De catholici oecumenismi principiis », quia tot species oecumenismi dantur quot sunt communitates separatae.

R. — Unus est oecumenismus, sed diversa sunt principia, secundum quae singulae communitates motui oecumenico participant. Titulus, interea a Concilio approbatus, a pluribus Patribus in secunda Sessione postulatus est.

2 — Pag. 6, lin. 1-24: Clarius exprimatur unicitas Ecclesiae. Non sufficit inculcare, ut in textu fit, unitatem Ecclesiae.

R. — *a*) Ex toto textu clare apparet identificatio Ecclesiae Christi cum Ecclesia catholica, quamvis, ut oportet, efferantur elementa ecclesialia aliarum communitatum.
b) Pag. 7, lin. 5 Ecclesia a successoribus Apostolorum cum Petri successore capite gubernata (cf. novum textum ad pag. 6, lin. 33-34) explicite dicitur « unicus Dei grex » et lin. 13, « una et unica Dei Ecclesia ».

3 — Pag. 6, lin. 1-24 ita reformentur, ut in primo inciso tantum id dicatur, quod nunc habetur lin. 1-4, in secundo inciso haec exponantur: Iesus oravit pro unitate — instituit Eucharistiam, sacramentum unitatis — mandatum novum fraternae caritatis promulgavit — promisit Spiritum Sanctum, unicae Ecclesiae vivificatorem. Propter maiorem claritatem.

R. — Claritas in textu a Concilio approbato sufficiens habetur.

4 — Pag. 6, lin. 3 ad « homo factus » addatur « ex Maria Virgine ».
Ratio: Matri unitatis suus locus tribuatur in negotio Oecumenismi.

R. — Intentum tali insertione non videtur obtineri. [12]

5 — Pag. 6, lin. 5 loco « fidelibus » dicatur « credentibus ». Ita habet Evangelium.

[12] R. — Animadversio iusta. Textus secundum textum graecum Io. 17, 20 mutatur.

6 — Pag. 6, lin. 7 loco « (Io. 17, 21), et in Ecclesia » dicatur « (Io. 17, 21). Christus Dominus non solum unitatis desiderium manifestavit, sed in Ecclesia... », propter maiorem claritatem.

R. — Textus approbatus satis clarus videtur.

7 — Pag. 6, lin. 7 loco « mirabile sacramentum... efficitur » dicatur « mirabile sacramentum quo unitas Ecclesiae, in fide, cultu, regimine facta, et significatur et perficitur ».

Ratio: Eucharistia complet tantum unitatem, quae fide, liturgia, regimine iam effecta est.

R. — Textus approbatus non excludit alia elementa unitatem efficientia, quae in reliquo textu pluries explicite nominantur.

8 — Pag. 6, lin. 8-9 dicatur « quo mirabiliter unitas... perficitur ».

Ratio: Unitas Ecclesiae iam per baptismum et Spiritum Sanctum efficitur, ut lin. 17-18 et 18-21 affirmatur.

R. — Unitas per Eucharistiam non tantum perficitur, sed etiam efficitur, secundum axioma « Sacramenta efficiunt quod significant ».

9 — Pag. 6, lin. 10 loco « qui, Dominus et vivificans » dicatur « Dominum et vivificantem, qui... ».

Ratio: Clarior allusio ad symbolum fidei.

R. — Allusio in formula praeiacente cognoscentes symbolum latere vix potest.

10 — Pag. 6, lin. 9 ante « efficitur » dicatur « primario ».

Ratio: Accedunt alia vincula unitatis.

R. — Cf. responsum ad 7.

11 — Pag. 6, lin. 13 loco « quo » dicatur « per quem », ne Spiritus Sanctus appareat ut medium, cum sit in ordine causae efficientis.

R. — Propositio accipitur. Cf. emendationem 3, pag. 45.

[13] 12 — Pag. 6, lin. 18 loco « unum » dicatur « unus ». Ita habetur in textu graeco Gal. 3, 28 et in constitutione « De Ecclesia », n. 32, p. 119, lin. 10 (*4 Patres*).

R. — Accipitur propter rationem allatam. Cf. emendationem 4, pag. 45.

13 — Pag. 6, lin. 19 omittantur verba « credentes inhabitat » quia Spiritus Sanctus inhabitat tantum animam caritate vivificatam (*2 Patres*).

R. — Eph. 3, 17 dicitur: « ... Christum habitare per fidem in cordibus vestris ». Si Christus, tunc etiam Spiritus. Theologiae est explicare quod agitur de fide viva, i. e. caritate formata.

14 — Pag. 6, lin. 19 loco « credentes » dicatur « iustos ».

Ratio: Spiritus Sanctus tantum existentes in statu gratiae inhabitat. [13]

R. — Cf. responsum ad 13.

15 — Pag. 6, lin. 19 post « credentes » addatur « et in caritate viventes »; vel dicatur « in fide et caritate viventes ».

Ratio: In adultis inhabitatio Spiritus Sancti non per solam fidem habetur (2 *Patres*).

R. — Cf. responsum ad 13.

16 — Pag. 6, lin. 21 loco « divisionem » dicatur « distributionem ». « Divisio » potest etiam significare separationem.

R. — 1 Cor. habet « divisiones (in plurali) gratiarum ». Proponitur ergo, ut loco « divisionem » dicatur « divisiones ».

17 — Pag. 6, lin. 25 dicatur « Ad hanc unam et sanctam suam Ecclesiam », propter perfectionem lineae conceptualis.

R. — Unitas et unicitas Ecclesiae pag. 7, lin. 13 explicite nominantur.

18 — Pag. 6, lin. 26-27 removeantur et secundum constitutionem « De Ecclesia » melius componantur.

R. — Cum ratio omissionis non indicetur et expressio concordet cum dictis in constitutione « De Ecclesia », textus approbatus mutari nequit.

19 — Pag. 6, lin. 25-27 loco « Ad hanc autem sanctam suam Ecclesiam... stabiliendam... Duodecim concredidit. » dicatur: « Ad hanc... propagandam munera Evangelii nuntiandi, sanctificandi, regendi Apostolis concredidit ».

Ratio: Ne fiat confusio subiectorum iuridicorum trium munerum, quorum unum (scil. docendi) commissum est collegio Apostolorum, aliud (scil. sanctificandi) singulis Apostolis, aliud (scil. regendi) uni Petro et per Petrum Apostolorum universalitati. [14]

R. — Textus approbatus correspondet Mt. 18, 18-20. Non est ratio agendi hic de subiectis iuridicis singulorum munerum. Ceteroquin, quae obiiciens exponit de munere regendi per Petrum in ceteros Apostolos derivato, non concordant cum doctrina constitutionis « De Ecclesia ».

20 — Pag. 6, lin. 26-27 loco « munus docendi, regendi et sanctificandi Collegio Duodecim concredidit » dicatur « munus docendi, sanctificandi et regendi Apostolis concredidit » (2 *Patres*). « Duodecim Apostolis » (5 *Patres*). « Apostolis eorumque successoribus ».

R. — Mentio Collegii Duodecim correspondet doctrinae constitutio-

[14] nis « De Ecclesia » circa collegialitatem Apostolorum et successorum eorum.

21 — Pag. 6, lin. 27-30 loco « inter eos Petrum... et in perfecta » dicatur « Inter eos Beatum Petrum elegit, super quem Ecclesiam suam aedificare decrevit, eidem claves regni caelorum promittens, cui etiam fratres suos in fide confirmandos commendavit atque universas oves in perfecta ».

Ratio: « Beatus » alludit ad Mt. 16, 18. Verba « Confirma fratres tuos » (Lc. 22, 32) non diriguntur ad Petrum post professionem dilectionis (Io. 21).

R. — Textus approbatus iam brevitatis causa praeferendus videtur. Notetur verba Lc. 22, 32 non citari, quo evitatur quaestio disputata, utrum apud Lc. 22, 32 « fratres » sint omnes fideles an tantum Apostoli. Forma « confirmandas » admittit mandatum confirmandi fratres iam antea a Christo enuntiatum esse.

22 — Pag. 6, lin. 26-29 loco « regendi et sanctificandi Collegio... confessionem Ecclesiam » dicatur « docendi, sanctificandi, regendi Apostolis, cum Petro capite, concredidit. Super Petro, post fidei confessionem, Ecclesiam » (*2 Patres*).

R. — Cf. responsum ad 20. Petrus caput nominatur in textu emendato ad pag. 6, lin. 33-34.

[15] 23 — Pag. 6, lin. 26-28 loco « munus docendi ... super quem » dicatur « munus docendi, regendi et sanctificandi concredidit Petro, atque cum eo et sub eo aliis Apostolis ».

Rationes: Hoc correspondet doctrinae Patrum, Summorum Pontificum, Commissionis Biblicae (resp. 31 maii 1964). Mt. 28, 18-20 agit de Missione universali secundum potestatem iam antea collatam.

R. — Textus approbatus correspondet doctrinae Conc. Vaticani II (const. « De Ecclesia »); nihil dicit de momento praeciso, quo Christus potestatem Apostolis contulit.

24 — Pag. 6, lin. 27 post verba « Collegio Duodecim » addatur « cui Collegio episcopi succedunt », ut extollatur episcoporum coetus, qui apud Orthodoxos subsistit.

R. — Mentio episcoporum, pag. 6, lin. 33-34 textus emendati statim sequitur.

25 — Pag. 6, lin. 27-28 loco « Inter eos Petrum elegit » dicatur « Eis autem Petrum praefecit », ut servetur idem modus propositus in suffragatione 2ª schematis « de Ecclesia », n. 19, p. 60, lin. 10-11: « ad modum Collegii... instituit cui Petrum praefecit » (*2 Patres*).

R. — Textus approbatus sequitur ordinem factorum, ita ut primo electio Petri, deinde promissio et tandem collatio potestatis commemorandae sint. [15]

26 — Pag. 6, lin. 28 loco « elegit » dicatur « elegerat ». Electio Petri praecessit.

R. — Adhibetur perfectum historicum ad describenda facta, quibus Petrus a Domino ad summum munus evectus est.

27 — Pag. 6, lin. 28 loco « aedificare decrevit » dicatur « aedificavit », ut ostendatur Christum de facto Ecclesiam suam aedificavisse.

R. — Textus, ordinem historicum sequens, primo loco alludit ad Mt. 16, 18, ubi Christus voluntatem aedificandi manifestat, nondum vero aedificat. Nullum dubium, quin postea quod decrevit etiam fecerit.

28 — Pag. 6, lin. 28-29 loco « aedificare decrevit » dicatur « aedificare promisit ». Christus aedificare decrevit ante confessionem Petri. Post confessionem promisit (*6 Patres*).

R. — Dici potest « decrevit », quia in hoc momento temporis voluntatem suam manifestavit. Similiter v. gr. rex dicit decernere aliquid eo momento, quo voluntatem suam externe manifestat, quamvis iam prius internam volitionem habuerit. [16]

29 — Pag. 6, lin. 29 loco « maioris dilectionis » dicatur « dilectionis » aut « suae dilectionis ». Petrus simpliciter dixit: « Tu scis quia amo te » (*6 Patres*).

R. — Mutatio « suae dilectionis » accipitur. Cf. emendationem 6, pag. 45.

30 — Pag. 6, lin. 30 loco « universos oves » dicatur « universum suum gregem ». Non solum oves, sed etiam agnos pascendos dedit Christus Petro.

R. — Textus graecus Io. 21, 15 ss. clare ostendit « oves meas » et « agnos meos » hic idem significare, scil. universum gregem.

31 — Pag. 6, lin. 29-31 falso dicitur « post maioris dilectionis professionem, universas oves in fide confirmandas ... commisit ». Verba a Lc. 22, 32 tradita (de fratribus in fide confirmandis) Christus ante mortem pronuntiavit, non post resurrectionem, ut textus schematis innuit. Formula textus insuper minuit testimonium Lc. 22, 32 pro Petri primatu.

R. — Forma grammaticalis « confirmandas » admittit verba Iesu de confirmatione fratrum pronuntiata esse antequam oves pascendas commisit. Quia Petri primatus sufficienter effertur, et ne textus nimis longus fiat, sicut verba Mt. 16 et Io. 21 ita etiam verba Lc. 22, 32 non citantur, sed sensus eorum redditur.

[16] 32 — Pag. 6, lin. 29-31 verba « oves confirmandas » et « pascendas » deberent disponi secundum locum suum in evangelio (*2 Patres*).

R. — Cf. responsum ad 31. « Fratres » et « oves » idem significant; contractio textus ergo est legitima.

33 — Pag. 6, lin. 30-31 loco « universas oves... commisit » dicatur « universos fratres in fide confirmandos atque universas oves... pascendas commisit ».

R. — Cf. responsa ad 31 et 32.

34 — Pag. 6, lin. 33 ad pag. 7, lin. 4 dispositio membrorum mutanda est, quia seriei « praedicationem — sacramentorum administrationem — gubernationem » in describenda unitate populi Dei
[17] haec series correspondet: unitas fidei — unitas cultus — unitas fraternitatis. « Fraterna concordia » ergo non secundo, sed tertio loco ponenda est.

R. — Recte observatur. Itaque proponimus textum mutatum, in quo insuper desideriis aliorum Patrum satisfit. Cf. 35 ss.

35 — Pag. 7, lin. 1, loco « populum » dicatur « familiam » propter vocabuli consonantiam religiosam peculiarem, quodque gentibus Africanis multum placet.

R. — Cum conceptus familiae Novo Testamento, quod omnes fideles fratres vocat, optime correspondeat et in Liturgia frequenter adhibeatur, eum in novo textu proponendo inseruimus; maluimus vero eum coniungere cum « fraterna concordia ». Cf. etiam responsum ad 36.

36 — Pag. 7, lin. 3 post verbum « concordia » addantur verba « cum successore Petri et inter se ». Praeter elementa interna unitatis Ecclesiae, quae in textu extolluntur, aequilibrii causa efferenda sunt etiam elementa externa, inter quae omitti nequit Romanus Pontifex.

R. — Animadversio iusta est. Quapropter mentionem successoris Petri in textum introduximus, in loco tamen aptiore, scil., in initio totius incisi. Cf. novum textum sub 39.

37 — Pag. 7, lin. 3 post verba « fraterna concordia » addatur « sub vicario Christi boni supremique Pastoris », « una cum summo pastore », « sub Petri successore », « sub auctoritate Petri successoris usque ad Domini adventum ».

R. — Cf. responsum ad 36.

38 — Pag. 7, lin. 3, loco « in regiminis pastorum fraterna concordia » dicatur « in apta cohaerentia unici ecclesiastici regiminis » vel « in adhaesione in pastorum regimine » (*5 Patres*).

R. — Cum in textu revera non satis clare appareat, utrum verbis « in

regiminis pastorum fraterna concordia » intelligenda sit concordia pastorum inter se aut concordia fidelium sub regimine pastorum, proponimus textum emendatum, in quo in primo membro explicite nominantur successores Apostolorum et in specie successor Petri et gubernatio eorum atque in secundo membro describitur triplex unitas populi seu familiae Dei, quae fideles et pastores includit. Cf. textum novum propositum ad « Modum » 39. [17]

39 — Pag. 7, lin. 3 loco « regiminis pastorum » dicatur « sub legitimorum pastorum regimine ». In textu schematis potius significari videtur concordia a pastoribus servanda quam debita subiectio fidelium pastoribus suis. [18]

R. — Cf. responsum ad 38. Ut simul legitimis desideriis in « Modis » 34, 35, 36, 37, 38, 39 satisfiat, sequens textus emendatus proponitur; pag. 6, lin. 33 ad pag. 7, lin. 4 dicatur:

« Iesus Christus per Apostolorum eorumque successorum, *nempe episcoporum cum Petri successore capite,* fidelem Evangelii praedicationem sacramentorumque administrationem, et per gubernationem in dilectione, Spiritu Sancto operante, populum suum crescere vult eiusque communionem perficit in unitate: in confessione unius fidei, *in divini cultus communi celebratione, necnon in familiae Dei fraterna concordia* ».

40 — Pag. 7, lin. 3 post « fidei » dicatur « in vita abundantiore sanctificantis gratiae, in directione amante eiusdem visibilis Pastoris, in regiminis... ». Enumeratio in textu est nimis sicca et incompleta.

R. — Novus textus a Secretariatu propositus (cf. sub n. 39) magis placet quam hic propositus, qui terminum scholasticum gratiae sanctificantis adhibet et Summum Pontificem nimis separat a ceteris pastoribus. Notandum praeterea hic non agi directe de elementis internis unitatis, sed de elementis visibilibus.

41 — Pag. 7, lin. 3-4, loco « divini cultus communi celebratione » dicatur « eiusdem divini cultus participatione » vel « in participatione eorundem sacramentorum », quia « Communis celebratio » est locutio antiqua (*2 Patres*).

R. — « Communis celebratio » correspondet modo loquendi constitutionis « De sacra Liturgia » et hodie usitatum est. Sacramenta iam pag. 6, lin. 34 in eodem inciso nominantur.

42 — Pag. 7, lin. 4 post « communi celebratione » addatur « eorumdem Sacramentorum participatione », ut unitatis christianae signa plenius recolantur atque natura communis celebrationis cultus fidelium significetur.

R. — Sacramenta antea in eodem inciso iam nominantur, et sensus com-

[18] munis celebrationis cultus ex constitutione « De Sacra Liturgia » iam notus est.

43 — Pag. 7, lin. 5 loco « unicus Dei grex » dicatur « unicum ovile Christi gregis » vel « unicum Christi ovile ». Omnes qui sunt extra
[19] Ecclesiae sepes caritate sanctificati, pertinent ad gregem Dei et Christi (*3 Patres*).

R. — Non apparet, cur ratio indicata mutationem textus approbati postulet.

44 — Pag. 7, lin. 5-6 ad « in nationes » addatur « ab omnibus certo cognoscibile », ut saltem in uno loco schematis sermo fiat de cognoscibilitate unius verae Ecclesiae Christi.

R. — « Signum levatum » nequit non intelligi ab omnibus cognoscibile.

45 — Pag. 7, lin. 6 loco « Evangelium pacis ministrans toti generi humano » dicatur « Evangelium veritatis et pacis omnibus necessario ministrans ». Clarius exprimendum est ministerium praedicandi Evangelium toti generi humano obligatorium esse.

R. — Non apparet ratio sufficiens, ut ea, quae ex alibi in textu dictis clara sunt, hic addantur. Cf. v. gr. pag. 6, lin. 25 ss.

46 — Pag. 7, lin. 7 loco « metam » dicatur « bravium », loco « caelestem » dicatur « manentem ». Imago specifice romana substituatur imagine « oecumenica » et biblica (cf. 1 Cor. 9, 24; Phil. 3, 14).

R. — Imago metae neque Sacrae Scripturae neque oecumenismo aliena est et omnino correspondet imagini peregrinationis Ecclesiae (lin. 6).

47 — Pag. 7, lin. 8 loco « Hoc est unitatis Ecclesiae mysterium » dicatur « Hoc est unicitatis et unitatis Ecclesiae mysterium » ut unicitas etiam in textu nominetur, non tantum in titulo inter uncos (pag. 6, lin. 1), qui in redactione definitiva tolletur.

R. — Unicitas in textu iam nominatur pag. 7, lin. 5 et iterum pag. 7, lin. 13. Ceteroquin ex toto textu num. 2 elucet.

48 — Pag. 7, lin. 10-11 loco « in Trinitate ... in Spiritu Sancto » dicatur « in Trinitate divinae essentiae unicitas atque personarum unitas Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

R. — Non apparet ratio sufficiens mutandi textum fere unanimi consensu Concilii approbatum.

49 — Pag. 7, lin. 11 loco « in Spiritu Sancto » dicatur « et Spiritus Sancti ». Formula textus haeresim sapit.

R. — Formula schematis correspondet doctrinae Patrum et theologorum, qui Spiritum Sanctum vinculum caritatis inter Patrem et Filium vocant.

50 — Pag. 7, lin. 11 loco « in Spiritu Sancto » dicatur « et Spiritus Sancti in una eademque natura divina ». In Trinitate Increata principium unitatis est natura divina et non una ex tribus divinis personis. [20]

R. — Cf. responsum ad 49.

AD NUMERUM 3

1 — Pag. 7, n. 3. Quae in hoc numero dicuntur, conveniunt quidem pro orthodoxis, non vero pro protestantibus. Inter illos et hos clarior distinctio facienda est.

R. — Quae in Capite I exponuntur, ita dicenda sunt et dicuntur, ut tum de Orthodoxis tum de Protestantibus valeant. Distinctio fit in Capite III.

2 — Pag. 7, lin. 13 post « Dei Ecclesia » inseratur « pro dolor ».

R. — Talem insertionem Secretariatus non duxit necessariam.

3 — Pag. 7, lin. 13 post « quaedam » addatur « quoad fidem ». Auferatur citatio 1 Cor. 11, 18-19, quia textus citatus respicit caritatem.

R. — Scissurae illae in Ecclesia primitiva simul caritatem et fidem (falsa intellectione nuntii apostolici) respiciebant sicut generatim posteriores scissurae.

4 — Pag. 7, lin. 15 loco « Communitates » dicatur « Ecclesiae Communitatesque ». Postea semper de Ecclesiis et Communitatibus seiunctis sermo fit. Cf. pag. 7, lin. 38 etc. (2 *Patres*).

R. — Duplex expressio illa in hoc loco nondum videtur necessaria.

5 — Pag. 7, lin. 16 omittatur « plena », quia « Communio » est vel non est.

R. — Cum « Communio » non tantum iuridice concipienda sit, sed contineat diversa elementa ordinis spiritualis et sacramentalis, quae non necessario omnia in omnibus Communitatibus verificantur, Secretariatus legitimos considerat conceptus plenae et non plenae communionis.

6 — Pag. 7, lin. 14 post « exortae sunt » addatur « quoad fidem », lin. 19 post « argui nequeunt » addatur « cum in bona fide versari censendi sint ».

Ratio: *a*) In hoc capite agitur de scissuris quoad fidem, non quoad caritatem. [21]

b) Principium « bonae fidei » nequit sileri, quin putida praesentetur doctrina Ecclesiae (2 *Patres*).

R. — Ad *a*) cf. responsum ad 3.

[21] Ad *b*) Principia christiana et psychologica postulant, ut bona fides inter fratres christianos supponatur, nisi contrarium evidenter probetur.

7 — Pag. 7, lin. 15-19 omittatur tota pericopa, quia haec pericopa fini ipsa intento, scil. excludendi periculum falsi irenismi, non respondet.

R. — Finis huius pericopae non est exclusio falsi irenismi, sed manifestatio veritatis historicae. Falsus irenismus explicite excluditur pag. 16, lin. 24-26.

8 — Pag. 7, lin. 17 omittantur verba « quandoque non sine hominum utriusque partis culpa » (*6 Patres,* quorum unus addit: Nulla culpa Ecclesiae catholicae adscribi potest).

R. — *a*) Culpa in textu non adscribitur Ecclesiae ut tali, sed hominibus in Ecclesia.

b) Culpam hominum Ecclesiae catholicae iam tempore Reformationis Papa Adrianus VI, Card. Reginaldus Pole (in ipso Concilio Tridentino) et alii confitebantur, nostris diebus Paulus VI, plures Patres Conciliares et multi homines catholici. Ex historia haec culpa evidenter constat, etiam quoad schisma inter Orientem et Occidentem (cf. modum agendi a. 1054 Constantinopoli, descriptum in pag. 11 Relationis super Caput III, partem primam, ab Excellentissimo Maximo Hermaniuk in Aula praelectae).

9 — Pag. 7, lin. 17 omittantur verba « quandoque non sine hominum utriusque partis culpa ». Mentio culpae non est necessaria. Culpabilitas non facile dignosci potest; iudicium Deo relinquendum est.

R. — Cf. responsum ad 8, sub *b*). Professio culpae confert ad unitatem fovendam.

10 — Pag. 7, lin. 17 omittantur verba « quandoque non sine hominum utriusque partis culpa ». Concilium vix potest intrare in iudicium ferendum circa rem historicam complexam. Peccatum schismatis ipsum certe non est Ecclesiae Occidentalis adhaerentis Romano Pontifici.

[22] R. — Cf. responsum ad 8, sub *b*). In textu non fit iudicium particulare de culpabilitate.

11 — Pag. 7, lin. 17 omittantur verba « quandoque non sine hominum utriusque partis culpa ».

Rationes: *a*) Haec verba sunt non necessaria et parum oecumenica.

b) Apta sunt ad provocandas disputationes historicas de culpabilitate partium. [22]

c) Erroneum est, quod vocabulum « quandoque » in textu respicit promiscue et ex aequo homines utriusque partis et quod textus culpam non videt, nisi cum eadem est communis omnibus (*3 Patres*).

Si talis idea retinenda est, melius sequenti vel simili modo exprimatur: « Sancti Patres seiunctiones quaslibet vehementer deplorarunt nosque cum eis deploramus similiter. Attamen eorundem Patrum nostrorum monita venerantes fatemur atque dolemus calamitates illas contigisse non sine hominum catholicorum culpa; quae tamen, etiamsi fuisset multo gravior, non excusat recedentes ab unitate ».

R. — Cf. responsum ad 8, sub *b*). Formula textus secundum veritatem historicam affirmat scissuris quandoque culpam hominum utriusque partis originem dedisse, quo implicite dicitur quandoque unam tantum partem causam fuisse. Notandum est hic non agi de actu ipso separationis, sed de causis, quae separationi originem dederunt.

12 — Pag. 7, lin. 19 verbis « argui nequeunt » addatur « dummodo sincere veram Ecclesiam invenire tentaverint ».

R. — Talis additio superflua videtur, cum dubium suggerat de aliorum christianorum sinceritate et cum in aliis locis textus omnes christiani pleniorem cognitionem veritatis quaerere debere dicantur.

13 — Pag. 7, lin. 18 post « imbuuntur » addatur « in genere » vel similis expressio. Possunt esse casus, in quibus peccatum adest.

R. — Separatio, de qua hic sermo est, intelligitur seiunctio communitatum saeculis praeteritis facta, pro qua hodierni fratres seiuncti omnes certe non habent culpam. Formula generalis textus praeterea non excludit exceptiones, in quibus aliquis culpabiliter statum separationis retinet.

14 — Pag. 7, lin. 18 post « nascuntur » addatur « et in eis iuxta rectam suae conscientiae normam vivunt » (*4 Patres*).

R. — Talis additio inconveniens est, cum dubium suggerat de bona [23]
fide fratrum separatorum. Obligatio vivendi iuxta dictamen conscientiae non valet tantum de non-catholicis, sed etiam de catholicis.

15 — Pag. 7, lin. 19 loco « fraterna » dicatur « materna ».

Ratio: Ecclesia est Mater, non soror fidelium. Separati in n. 4, pag. 10, lin. 10 dicuntur « filii » (*6 Patres*).

[23] R. — Mutatio textus non commendatur, cum Ecclesia hic sensu concreto ut congregatio fidelium intelligitur, quibus non-catholici fratres sunt.

16 — Pag. 7, lin. 19 ante « separationis » dicatur « primitivae ».

R. — Sic implicite affirmaretur fratres seiunctos pro hodierno statu separationis habere culpam.

17 — Pag. 7, lin. 19 post « eosque » addatur « bona fide in propria confessione viventes et, quantum possibile ipsis sit, pro veritate agnoscenda laborantes ».

R. — Cf. responsum ad 12 et 14.

18 — Pag. 7, lin. 22 loco « communione, etsi non perfecta » dicatur « affinitate, quamvis imperfecta ».

R. — Inter fratres seiunctos et Ecclesiam catholicam non tantum affinitas, sed vera communio, etsi non perfecta, existit, ut in textu sequenti exponitur.

19 — Pag. 7, lin. 21 loco « rite » dicatur « valide » vel « vere » vel etiam nihil. Verbum « rite » in Codice Iuris Canonici et in Theologia Morali significat « iuxta leges Ecclesiae Catholicae ».

R. — In textu nostro non est adhibenda terminologia iuridica-scholastica, sed ea, quae dialogo oecumenico inservit.

20 — Pag. 7, lin. 22 omittantur verba « etsi non perfecta ». In lin. 21 iam dicitur « in quadam... communione » (*3 Patres*).

R. — Verba allata retinenda censemus, cum per ea illud « quadam » magis determinetur.

21 — Pag. 7, lin. 20-23 tota phrasis « Hi enim qui... constituuntur » transferatur in lin. 27, ubi dicatur « Nihilominus, hi qui in Christum credunt et baptismum rite receperunt, in quadam cum Ecclesia catholica communione, etsi non perfecta, constituuntur, quia iustificati per fidem in baptismate, Christo incorporantur... ».

[24] *Ratio*: Phrasis lin. 20-23 in falso loco posita est ut plus asserere videatur quam quod intenditur.

R. — Ratio translationis Secretariatui non elucet; quapropter ordinem propositionum retinendum censet.

22 — Pag. 7, lin. 21 omittatur « etsi non perfecta »;

lin. 23 loco « variis modis » dicatur « in fidei integritate atque in oboedientia Petri Successoribus debita »;

lin. 23-24 omittantur verba « tum in re doctrinali et quandoque etiam disciplinari tum circa structuram Ecclesiae »;

lin. 25 loco « plenae » dicatur « verae ».

Ratio: Vox « communio » reservanda est ad propriam communionem ecclesiasticam designandam, a qua proprie et vere

separati sunt, qui non sunt sub oboedientia Summi Pontificis (*2 Patres*). [24]

R. — Mutatio textus proposita a Secretariatu non admittenda censetur, quia

1) falso supponit conceptum mere canonicum communionis,

2) suggerit accusationem inoboedientiae non-catholicorum erga successores Petri quod contradicit modo agendi et loquendi ipsius Summi Pontificis cum fratribus seiunctis.

23 — Pag. 7, lin. 23 loco « Ecclesiae catholicae fideles » dicatur « Matrem Ecclesiam ». Discrepantiae non tantum respiciunt singulos fideles, sed etiam hierarchiam, sacramenta, structuram Ecclesiae (*7 Patres*).

R. — Secundum iustam hanc animadversionem proponimus, ut loco « Ecclesiae Catholicae fideles » dicatur « Ecclesiam catholicam ». Conceptum Matris introducendi vero non apparet sufficiens ratio.

24 — Pag. 7, lin. 23-24 loco verborum « fideles tum in re doctrinali et quandoque etiam disciplinari tum circa structuram Ecclesiae » dicatur « fideles in re doctrinali et quandoque etiam disciplinari, maxime circa ea, quae structuram Ecclesiae respiciunt ». Nequit dici « tum — tum », quia structura Ecclesiae iam continetur in re doctrinali et disciplinari.

R. — Maior pars membrorum Secretariatus textum iam approbatum retinendum esse censuit. Structura nempe Ecclesiae non resultat tantum ex re doctrinali et disciplinari, sed etiam ex aliis rationibus.

25 — Pag. 7, lin. 24 omittatur « quandoque ».

Ratio: Non apparet ratio ponendi hoc verbum tantum ad modificandum expressionem « in re disciplinari ».

R. — « Quandoque » ponitur ut indicetur divergentias in re disciplinari (nempe in vita practica) saepe non ita fundamentales esse ac in re doctrinali. [25]

26 — Pag. 7, lin. 28 post « incorporantur » addatur « nisi tamen schismatis causas libere acceptent ». Pro adultis non sufficit fides et baptisma, ut fiant membra Ecclesiae, sed requiritur quoque oboedientia erga pastores Ecclesiae.

R. — Talis additio inconveniens est propter rationes in responso ad 14 indicatas.

27 — Pag. 7, lin. 27 clarius indicandum est subiectum sententiae incipientis verbis « Nihilominus, iustificati... ».

R. — Subiectum sententiae patet ex textu: « iustificati » hic significat « ii, qui iustificati sunt ».

[25] 28 — Pag. 7, lin. 27-28 loco « Christo incorporantur » dicatur « Christo uniuntur », ne videatur contradici doctrinae Encyclicae « Mystici corporis » Pii XII et theologorum, secundum quam etiam professio verae fidei requiritur, ut quis fiat reapse membrum Corporis Christi mystici, quod est Ecclesia. Appellatio ad Decretum pro Armenis (Denz. 696) dubia est (*6 Patres*).

Propter easdem rationes, 22 Patres proponunt ut omittatur « Christo incorporantur ».

R. — In textu dicitur tantum « Christo », non vero « Corpori Christi Mystico », quod est Ecclesia, quo evitatur quaestio controversa de membris Ecclesiae.

29 — Pag. 7, lin. 27-28 loco « Christo incorporantur » dicatur « ad populum Dei iam aliquo modo pertinent ».

R. — Non apparet ratio mutandi textum, quia nullum dubium, quin secundum S. Paulum iustificati ex fide in baptismate sunt in Christo.

30 — Pag. 7, lin. 27 loco « per fidem » dicatur « ex fide ». S. Paulus utitur verbis « ex fide »; « per fidem » interpretationi protestanticae exponitur.

R. — Cum in epistolis S. Pauli frequentior sit formula proposita « ex fide », quamvis apud S. Paulum etiam « per fidem » inveniatur (cf. Rom. 3, 30), mutatio proposita accipitur.

31 — Pag. 7, lin. 27-29 inseratur mentio bonae fidei et rectae intentionis, quae non praesumuntur.

R. — Cf. dicta in responso ad 14.

[26] 32 — Pag. 7, lin. 27 loco « in baptismate » dicatur « et validum baptisma ». Formula textus non est clara.

R. — Sensus textus non est dubius. Iam lin. 21 dicitur « baptismum rite receperunt ».

33 — Pag. 7, lin. 30-35 restrictione seu distinctione indigent. Ansam confusioni et scandalo populi praebetur, si affirmatur plurima et eximia illa elementa exstare posse extra Ecclesiae catholicae saepta (*2 Patres*).

R. — Affirmationes textus, quae verae sunt, correspondent doctrinae fere unanimiter a Concilio approbatae constitutionis « De Ecclesia » et decreti « De Oecumenismo ».

34 — Pag. 7, lin. 31 omittatur « immo plurima »,
lin. 34 loco « visibilia elementa » dicatur « opera » vel « rerum adiuncta ».

Ratio: Ut evitentur redundantiae et repetitiones verborum.

R. — Res complexa nequit styli causa simplicior reddi quam revera

est. Sunt Ecclesiae seiunctae, praesertim Orientales, in quibus plurima et eximia elementa ecclesialia exstant. — Verbum « elementa » lin. 34 valde distat ab eodem verbo lin. 30 adhibito et verbo « opera » vel « rerum adiuncta » minime sunt aequivalentia. [26]

35 — Pag. 7, lin. 30 pro verbis « quibus simul sumptis ipsa Ecclesia aedificatur et vivificatur » melior expressio quaerenda est.

Rationes: *a*) Elementa seu bona omnia non hic recoluntur.

b) Non recte intelligitur quomodo Ecclesia aedificetur et vivificetur his elementis.

R. — Sensus affirmationis in textu factae Secretariatui satis clarus videtur.

36 — Pag. 7, lin. 30 omittantur verba « simul sumptis », secus videtur Ecclesia mera additio numerica ex bonis, ergo summa aliqua, cum potius unum sit et bona ad invicem connectantur.

R. — Omissio proposita difficultatem non solvit. Textus, qui brevis sit oportet, interpretatione indiget, qua dicendum erit non agi de mera additione elementorum, sed de toto organico.

37 — Pag. 7, lin. 30 post « ipsa » addatur « una et unica Christi »;
lin. 32 post « possunt » addatur « etiam ».

Ratio: Secus Ecclesia catholica videretur hoc vel illo ex his elementis carere.

R. — Eo quod extra saepta Ecclesiae catholicae elementa ecclesialia [27] exstare dicuntur, nullatenus affirmatur non omnia elementa in Ecclesia catholica inveniri. Plenitudo mediorum salutis pag. 8, lin. 10 ss. explicite soli Ecclesiae catholicae adscribitur.

38 — Pag. 7, lin. 32 loco verborum « extra visibilia Ecclesiae catholicae saepta » dicatur « et de facto dantur etiam iis, qui extra Catholicae Ecclesiae communionem versantur ».

Rationes: *a*) Non est mera possibilitas affirmanda.

b) Additur « etiam », ne bona aliqua Ecclesiae Catholicae deesse videantur.

c) Evitandum est verbum « saepta » tum quia universalitas Ecclesiae non habet saepta tum quia aliqui theologi Orientis dissidentes « saepta » falso adhibent ad dissimulandas divisiones Ecclesiarum suarum. (« Saepta Ecclesiarum caelum non attingunt ») (*8 Patres*).

R. — Ad *a*) Explicationibus sequentibus textus nostri luculenter apparet nos affirmare etiam ipsum factum existentiae elementorum dictorum in aliis communitatibus.

Ad *b*) Cf. responsum ad 37.

[27] Ad *c*) Ex contextu satis elucet verus sensus vocis « saepta ».

39 — Pag. 7, lin. 32 loco « extra visibilia Ecclesiae catholicae saepta » dicatur « extra Ecclesiam catholicam ».

Ratio: cohaerentia cum textu sequenti (cf. lin. 33 et Caput III, n. 14, pag. 19; n. 22, pag. 23-24).

R. — Incohaerentiam inter singulas partes textus non possumus detegere.

40 — Pag. 7, lin. 32 post « saepta » addatur « scilicet apud fratres, qui bona fide sunt extra veram Ecclesiam » vel simile quid.

Ratio: Indicanda est ratio, qua media sanctificationis inveniuntur in communitatibus seiunctis, ne Spiritus S. videatur convalidator ipsius separationis.

R. — Cf. responsum ad 14.

41 — Pag. 7, lin. 32 loco « extra visibilia Ecclesiae catholicae saepta » dicatur « quatenus ex Ecclesiae catholicae communione, etsi non plena, profluunt ».

Id quod fratres separati habent, habent quatenus in communione non plena sunt seu quatenus intra saepta, etsi non plene, Ecclesiae sunt (*4 Patres*).

R. — Realitas complexa in textu nostro satis clare describitur eo quod ex una parte communitates seiunctae et elementa ecclesialia earum
[28] dicuntur extra saepta Ecclesiae catholicae, ex altera parte affirmatur fratres seiunctos in quadam unione cum Ecclesia catholica constitui (lin. 20 ss.) et elementa ecclesialia eorum omnia ad unicam Christi Ecclesiam pertinere (lin. 34 s.). Veritas ergo axiomate « Extra Ecclesiam nulla salus » expressa nullatenus tangitur.

42 — Pag. 7, lin. 32 omittatur « scriptum » vel dicatur « scriptum et traditum ».

Ratio: Inter elementa a fratribus separatis, maxime orthodoxis, aestimata numeranda est traditio. Quae aut explicite nominanda est aut, omisso « scriptum », implicite in « verbum Dei » continetur.

R. — Cum hic non tantum de Orthodoxis est sermo et propter problemata gravia quae mentio traditionis suscitare potest, Secretariatui verbum « traditum » omittendum esse melius visum est. Ex altera parte S. Scriptura, utpote elementum commune omnibus christianis, omnino commemoranda videtur. Ceteroquin in hoc loco danda non est completa enumeratio; plura exponuntur in Capite III.

43 — Pag. 7, lin. 32 post « scriptum » addatur « Sacramenta et sacrificium, etsi non omnia sacramenta et sacrificium apud omnes ».

Inter elementa maxime commemoranda sunt sacramenta et sacrificium (*2 Patres*). [28]

R. — In hoc loco non intenditur enumeratio completa elementorum ecclesialium. Particularia in Capite III exponuntur.

44 — Pag. 7, lin. 33 addatur « character » (sacramentalis).

Ratio: Multi fratres seiuncti habent characterem baptismalem et chrismalem.

R. — Cf. responsum ad 43. Praeterea conceptus « characteris » a pluribus fratribus seiunctis non intelligitur.

45 — Pag. 7, lin. 34-35 loco « haec omnia ... pertinent » dicatur (utendo idea cara Sancto Augustino) « haec omnia sunt dona quibus Christus unicam Sponsam (vel: Uxorem) Suam ditat ».

Ratio: Vocabulum « pertinent » possessionem indicat; praeterea ideam suggerit haec bona a fratribus separatis furto sublata esse.

R. — Mutatio, in se speciosa, Secretariatui non videtur necessaria.

46 — Pag. 7, lin. 35 post « pertinent » addatur « et per illam ad alios bona fide errantes derivantur ».

Ratio: Hac additione patefiat Ecclesiae catholicae magnanimitas et efficacia, quia donis salutis in integrum ei commissis privare non intendit nisi illos, qui semetipsos mala sua voluntate eisdem privant (*6 Patres*). [29]

R. — Additio proposita a Secretariatu non admittitur, quia

1° bona fides apud catholicos non minus quam apud alios christianos requiritur (cf. etiam responsum ad 12 et 14);

2° bona enumerata ab ipso Christo in fratres separatos derivantur;

3° ratio allata non valet, quia validitas et efficacia plurium sacramentorum et aliorum mediorum salutis ab Ecclesia impediri nequeunt, cum non a voluntate et iurisdictione Ecclesiae, sed a voluntate salvifica Christi pendeant.

47 — Pag. 7, lin. 36-39 omittatur tota phrasis a verbis « Non paucae » usque ad « generare possunt ». Si agitur de illis actionibus, quibus sacramentum ipsum completur (applicatio formae et materiae), formula est nimis generica. Si vero de aliis, scil. de actibus ex opere operantis, agitur, formula est falsa, quia tales actus tantum a Pelagianis vitam gratiae generare dici possunt.

R. — Contextus et ipsa expressio « christianae religionis actiones sacrae... peraguntur » ostendunt agi hic de actibus cultus in communi peractis. Cf. etiam n. 51.

48 — Pag. 7, lin. 36-40 omittatur tota pericopa. Expressiones sunt

[29] nimis genericae et ansam praebent scandalo populi catholici (*2 Patres*).

R. — Formula necessario hic generica est, quia tum Orthodoxos tum Protestantes includere debet; de quibus singulis in Capite III in particulari sermo fit. Scandalum instructione fidelium averti potest.

49 — Pag. 7, lin. 38 loco « condicionem » dicatur « nobiscum communionem ». Sic clarius apparet, separatos bonum, quod habent, ex communione cum Ecclesia catholica haurire.

R. — Quod hic desideratur, ex textu praecedenti (pag. 7, lin. 34-35) et sequenti (pag. 8, lin. 10 ss.) satis elucet.

50 — Pag. 7, lin. 38 post « procul dubio » addatur « ratione habita ad bonam fidem », ut appareat, qua ratione media sanctificationis inveniantur apud communitates seiunctas.

R. — Cf. responsum ad 14.

[30] 51 — Pag. 7, lin. 39 loco « vitam gratiae reapse generare possunt » dicatur « ad vitam gratiae disponere possunt ». Illae actiones sacrae non semper ad modum sacramentorum intelligendae sunt.

R. — Contextus ostendit hic tractari tantum de actionibus sacris ad modum sacramentorum agentibus.

52 — Pag. 7, lin. 39 omittantur verba « vitam gratiae reapse generare possunt » vel potius deleatur tota pericopa lin. 36-40.

Ratio: Verba sunt nimis emphatica et falsis interpretationibus subiecta.

R. — Expositio correspondet rei veritati et ex contextu recte intelligi potest.

53 — Pag. 7, lin. 39-40 deleantur verba « atque aptae... pandant ». Verba illa, in se vera, ut approbatio intelligi possunt eorum, quae, obiective, non licite habentur.

R. — Verba illa legitima sunt, cum bona fides fratrum seiunctorum supponenda sit.

54 — Pag. 7, lin. 40 loco « ingressum » dicatur « aditum ». Illa elementa non sufficiunt ad ingressum in salutis communionem, sed tantum viam parant vel accessum, pandendo aditum ad eam (*3 Patres*).

R. — Notandum est in textu non dici « perficiant », sed « pandant », neque affirmari plenam communionem cum Ecclesia catholica.

55 — Pag. 8, lin. 1-5 sensus affirmationis « nequaquam... exutae sunt » non liquet, et affirmatio Communitates separatas esse « media salutis » dubia est (*2 Patres*).

R. — De sensus veritate illarum affirmationum nequit dubitari, si textus praecedens et subsequens bene perspicitur. [30]

56 — Pag. 8, lin. 3-5 loco phraseos « Iis enim... concredita est » dicatur « Spiritus enim Christi salutis mediis, quae apud illas inveniuntur, uti non renuit, cum eorum virtus derivetur ab ipsa plenitudine gratiae et veritatis, quae Ecclesiae concredita est, quaeque in bona fide versantibus prodest ».

Ratio: Communitates separatae, ut sic, non possunt theologice vocari « media salutis ». Ratio bonae fidei non est silenda (*3 Patres*).

R. — Textus fere unanimiter a Concilio approbatus non indiget mutatione. Deus procul dubio utitur ipsis Communitatibus seiunctis, non quidem qua seiunctis, sed qua informatis praedictis ele- [31] mentis ecclesialibus, ad conferendam credentibus gratiam salutarem. Quoad bonam fidem cf. responsum ad 14.

57 — Pag. 8, lin. 1 omittatur « Ecclesiae et ».

Ratio: Ecclesia non datur nisi una, nempe Catholica; Communitates non-catholicae proprio sensu nequeunt vocari Ecclesiae.

R. — Duplex expressio « Ecclesiae et Communitates ecclesiales seu seiunctae » a Concilio approbata legitime omnino adhibentur. Una quidem est Ecclesia universalis, plures vero Ecclesiae locales et particulares. Sollemne est in Traditione catholica Communitates Orientales seiunctas vocare Ecclesias — locales sive particulares utique — et quidem sensu proprio. Concilii non est investigare et determinare, quaenam inter alias Communitates vocandae sint Ecclesiae sensu theologico.

58 — Pag. 8, lin. 1-2 « etsi defectus illas pati credimus » dicatur « etsi illas carere credimus quibusdam mediis de se ad salutem necessariis ».

Rationes: *a*) Ut textus melius concordet dictis lin. 10-13.

b) Ne erronea et nociva innuatur idea, quod extra Catholicam Ecclesiam versantes per se salvi fieri valeant, quin communio cum ipsa Catholica Ecclesia ut quid per se necessarium appareat (*4 Patres*).

R. — Cum neque discrepantia cum contextu neque error in textu nostro detegi queat, non est ratio mutandi eum. Necessitas communionis cum Ecclesia catholica ad gratiam Christi et salutem obtinendam sufficienter indicatur in toto contextu.

59 — Pag. 8, lin. 2 post « credimus » addatur « in quarum membra sua in quodam periculo quoad salutem aeternam ponuntur ».

[31] Clarius ostendendum est non-catholicos in tali periculo poni propter falsas doctrinas « sectarum acatholicarum ».

R. — In hac pericopa agitur de mediis, quae aliis nobiscum communia sunt et ad salutem conducunt, non de defectibus aliarum communitatum describendis. Ceteroquin catholici quoque non eximuntur ab omni periculo, praesertim quia ab iis plus exigitur, quibus plus datum est.

60 — Pag. 8, lin. 3 loco « uti non renuit » dicatur « utitur ».

Ratio: Melius est actionem Spiritus Sancti positive exprimere.

[32] R. — In hac quaestione potius stylistica visum est Secretariatui standum esse textui iam approbato.

61 — Pag. 8, lin. 3 loco « non renuit » dicatur « non renuere videtur ».

R. — Ubi media salutis valida adhibentur, Spiritus Sanctus iis certe utitur.

62 — Pag. 8, lin. 3-4 loco verborum « Iis enim... salutis mediis » dicatur « In his enim media salutis servantur, quibus Spiritus Sanctus uti non renuit et ». Quaestio non est decisa, quomodo communitates esse possint « media salutis ».

R. — Ubi media salutis, quae ut actiones sociales ipsas communitates informant, valida adhibentur, certum est Spiritum Sanctum uti ipsis communitatibus tamquam mediis salutis.

63 — Pag. 8, lin. 5 loco « quae Ecclesiae concredita est » dicatur « quae uni Ecclesiae Christi concredita est ».

Ratio: Cum lin. 1 « Ecclesiae » seiunctae nominentur, hic clare una Ecclesia Christi efferrenda est.

R. — Ex contextu nequit esse dubium, quin intelligenda sit una Christi Ecclesia. Quod insuper explicite affirmatur lin. 10 ss.

64 — Pag. 8, lin. 7 ante « unitate » addatur « plena ».

Ratio: Consonantia cum dictis de communione non plena seu non perfecta seiunctorum (*2 Patres*).

R. — Verba « plena », « plene » in contextu saepius iam inveniuntur. Hic evidens est Christum voluisse plenam unitatem.

65 — Pag. 8, lin. 8 post « omnibus » addatur « in Se per verbum Apostolorum credentibus (Io. 17, 20-21) ».

Ratio: Sic efficaciter ostenditur ratio fundamentalis, cur unitas a Christo volita tantum in Ecclesia Catholica inveniatur, cum in ea sola integritas fidei in Christum ab Apostolis praedicatae habeatur (*3 Patres*).

R. — Affirmatio desiderata, ex toto contextu elucens, explicite invenitur in lin. 10 ss. Praeterea additio proposita scopum non

attingit, quia etiam membra aliarum communitatum credunt in Christum per verbum Apostolorum, praesertim ubi vera successio apostolica habetur. [32]

66 — Pag. 8, lin. 11 post « quae » addatur « necessarium atque »;
lin. 12 loco « Collegio apostolico cui Petrus praeest » dicatur « Ecclesiae catholicae supra Petrum fundatae ».

Ratio: *a*) Saltem in uno loco necessitas Ecclesiae commemoretur; [33]

b) Non Collegio qua tali, sed Ecclesiae Dominus omnia bona commisit, quaedam soli Petro (*3 Patres*).

R. — Ad *a*) Veritas conceptu necessitatis expressa ex toto textu sufficienter elucet. Ab ipso conceptu adhibendo melius abstinetur, cum fusa explicatione indiget, ne male intelligatur.

Ad *b*) In Collegio apostolico, quod est fundamentum Ecclesiae (Eph. 2, 20), Petrus includitur, cuius primatus verbis sequentibus (« cui Petrus praeest ») explicite nominatur (cf. etiam pag. 6, lin. 28 ss.). Immediate Apostolis et per eos Ecclesiae Christus omnia bona commisit.

67 — Pag. 8, lin. 12 praeter Petrum etiam Successor Petri expressis verbis nominandus est.

R. — In novo textu proposito ad pag. 6, lin. 33 successor Petri explicite nominatur. Notandum praeterea pag. 8, lin. 12 non dici de Petro « praeerat », sed « praeest », scil. in successoribus suis.

68 — Pag. 8, lin. 12 deleantur verba « Uni nempe ».

Ratio: Commissio de fide in Relatione ad numerum 22 Schematis « De Ecclesia » abstinendum esse dicit a formulis « uno » vel « solo » propter difficultates inde surgentes.

R. — In textu nostro « uni » a contextu postulatur sicut lin. 10 « solam » relate ad Ecclesiam. Difficultas supra indicata hoc loco timenda non videtur.

69 — Pag. 8, lin. 12 loco « Uni nempe Collegio apostolico » dicatur « Uni Ecclesiae ».

Ratio: Secundum Eph. 4, 2 ss. etiam laici vocantur ad Corpus Christi aedificandum.

R. — Utilis sane est animadversio; sed in contextu « bona » audiuntur illa quibus Collegium Apostolicum gaudet ad munus suum proprium exercendum.

70 — Pag. 8, lin. 12 loco « Collegio apostolico » dicatur « Ecclesiae catholicae ».

Ratio: Improviso a mentione Ecclesiae transitur ad Collegium

[33] apostolicum. Praeterea Ecclesia nequit simpliciter identificari cum Collegio apostolico (2 *Patres*).

[34] R. — Cum lin. 12 primatus Petri nominetur, qui tantum in Ecclesia catholica perdurans in successoribus eius plene agnosci notum est, nexus sufficiens inter mentionem Ecclesiae et Collegii apostolici habetur. Nullatenus identificatio Ecclesiae cum Collegio apostolico fit, cum ex contextu evidens sit per Apostolos bona Novi Foederis toti Ecclesiae commissa esse.

71 — Pag. 8, lin. 12 post « Uni nempe » addatur « Ecclesiae et uni ».

Ratio: *a*) Dominus bona salutaria Ecclesiae Suae et non tantum Collegio Apostolico commisit.

b) In textu Hierarchia cum Ecclesia identificatur.

R. — Eo quod in textu affirmatur per solam Ecclesiam plenitudinem mediorum attingi posse (lin. 10-12) satis elucet per Apostolos (qui revera ut primi credentes prima Ecclesia fuerunt) toti Ecclesiae bona salutaria commissa esse. Quibus simul simplex identificatio Hierarchiae cum Ecclesia evitatur.

72 — Pag. 8, lin. 12 loco « nempe Collegio apostolico cui Petrus praeest » dicatur « Petro nempe et Collegio apostolico cum illo ».

Ratio: Dicta pag. 6, lin. 25-32, ubi distinguuntur Petrus et Collegium apostolicum in verbis Domini (2 *Patres*).

R. — Etiam in textu nostro Petrus et Collegium apostolicum distinguuntur, non vero, ut in textu proposito, falsa idea insinuatur Petrum non pertinere ad Collegium apostolicum.

73 — Pag. 8, lin. 12 loco « Collegio apostolico cui Petrus praeest » dicatur « Petro et dependenter ab ipso Collegio Apostolico ».

R. — Cf. responsum ad 72.

74 — Pag. 8, lin. 12 loco « cui Petrus praeest » dicatur « et praesertim Petro, Principi Apostolorum et capiti Collegii » (2 *Patres*).

R. — « Praeest » iam continet « praesertim ». Petrus ut caput Apostolorum iam effertur in novo textu ad pag. 6, lin. 33 s. proposito.

75 — Pag. 8, lin. 12 loco « Collegio Apostolico cui Petrus praeest » dicatur « Petro et ceteris Apostolis cum et sub Petro ».

R. — Cf. responsum ad 74.

76 — Pag. 8, lin. 12 deleantur verba « Collegio apostolico ».

R. — Nulla apparet ratio omittendi haec verba, quae omnino correspondent doctrinae constitutionis « De Ecclesia ».

[35] 77 — Pag. 8, lin. 12 post « praeest » addatur « et usque ad finem saeculorum collegio Episcoporum sub Petri successore ».

R. — Haec affirmatio iam inserta est in novo textu ad pag. 6, lin. 33 ss. proposito.

78 — Pag. 8, lin. 12 loco « Uni nempe Collegio apostolico cui Petrus praeest » dicatur « Uni Petro et Collegio Apostolico cui Ipse praeest ». [35]

R. — Textus propositus falso innuit Petrum non pertinere ad Collegium apostolicum.

79 — Pag. 8, lin. 13 loco « bona » dicatur « munera atque instrumenta ». Quaedam bona (v. gr. gratiae directe a Spiritu Sancto datae) non necessario a Collegio proveniunt. « Munera » sunt munera docendi, sanctificandi, regendi, « instrumenta » sunt sacramenta, quorum regulatio et administratio a Collegio pendent.

R. — Cf. responsum ad n. 69.

80 — Pag. 8, lin. 13 ante « credimus » addatur « firmiter » aut loco « credimus Dominum commisisse » dicatur « Dominus commisit ». Ex textu non satis apparet, utrum « credimus » intelligendum sit de firma fide an de mera nostra opinione.

R. — Ex textu et contextu sufficienter elucet agi de fide sensu stricto theologico.

81 — Pag. 8, lin. 14 loco « corpus Christi » dicatur « Christi corpus ».

Ratio: Sic clarius apparet, pronomen relativum « cui » non ad Christum, sed ad corpus eius referri, quod est Ecclesia visibilis (*3 Patres*).

R. — Hanc observationem iustam agnoscentes proponimus, ut in textu emendato dicatur « Christi corpus ».

82 — Pag. 8, lin. 15-19 deleatur tota phrasis « Qui populus ... laetus perveniat » (*22 Patres*).

R. — Propositio retinenda est, cum textus a Concilio fere unanimi consensu approbatus sit et ratio sufficiens omissionis non appareat. Textus noster omnino concordat cum doctrina in Capite II Constitutionis « De Ecclesia » exposita.

83 — Pag. 8, lin. 17 deleatur « iugiter ».

Ratio: Ecclesia teste historia neque numero neque sanctitate semper crevit.

R. — Quia revera Ecclesia non semper et continuo crescit, quamvis in genere inde a tempore apostolico crevisse dicenda sit, in textu emendato omittimus verbum « iugiter ». [36]

[36]

AD NUMERUM 4

1 — Pag. 8-10: clarius et distinctius dicendum esset, quid fideles in opere oecumenico agere possint. Secus magna confusio fiet, praesertim in regionibus « analphabetismi » religiosi multorum et proselytismi inhonesti sectarum.

R. — *a*) In Capite II et III modus agendi magis concrete describitur.

b) Directorium, praeparandum a Secretariatu, a Conferentiis episcoporum ita conditionibus singularum regionum adaptandum erit, ut normas rerum adiunctis respondentes praebeat.

2 — In numero 4 in apto loco declarandum esset dolendum esse de doctrina prolata a Consilio Oecumenico Ecclesiarum (Genevensi), vi cuius ab ipso Consilio arcentur ecclesiae auctoritatem « centralizatam » habentes.

R. — Non est Concilii iudicium ferre de illa organizatione. Ceterum, votum falso nititur supposito; nam Consilium Mundiale Ecclesiarum nulli membro determinatam aliquam ecclesiologiam imponit.

3 — Pag. 8, lin. 20-21 loco « Spiritu Sancto afflante » dicatur « afflante quidem Spiritus Sancti gratia ». Verba schematis post Encyclicam Pii XII de S. Scriptura communiter adhibentur ad significandam inspirationem biblicam. Verba vero proposita sunt ipsa verba adhibita ab instructione S. Officii, citata in nota 23 ad hunc ipsum locum (*7 Patres*).

R. — Ratio indicata Secretariatui non sufficiens visa est ad textum iam approbatum mutandum.

4 — Pag. 8, lin. 20-24 continet declarationem nubilosam et periculosam, qua imprudentes facile abuti possunt.

R. — Nulla pro tali obiectione indicatio concreta datur. Abusus a Pastoribus arcendi sunt, ope quoque Directorii oecumenici edendi.

5 — Pag. 8, lin. 21 post « fiant » addatur « inter baptizatos ».

[37] R. — Ex toto contextu, qui non nisi de baptizatis loquitur, clare elucet, quinam intelligantur.

6 — Pag. 8, lin. 31-40 et pag. 9, lin. 1-11 non satis caute dicitur inter peritos dialogum ineundum et a fidelibus opus renovationis ac reformationis aggrediendum esse sub simplici Pastorum vigilantia. Singularis prorsus Ordinariorum vigilantia esset inculcanda (*2 Patres*).

R. — Si omnes cautelae in hoc decreto conciliari adhibitae non suffi-

cerent, competentis auctoritatis ecclesiasticae erit plures adhuc in instructionibus particularibus addere. [37]

7 — Pag. 8, lin. 30 ad pag. 9, lin. 2 dicatur conventus cum communicatione doctrinali tantum inter peritos habendos esse. Reliqua deleantur vel cautius exprimantur, quia pericula pro fidelibus praebeant.

R. — Textus sufficientes cautelas ad pericula avertenda continere videtur. Notandum est fraternas relationes inter omnes christianos valde contribuere ad pericula multo maiora ex materialismo theoretico et practico provenientia superanda.

8 — Pag. 8, lin. 33, 37 loco « Communionis » et « Communiones » dicatur « Communitatis » et « Communitates », propter claritatem locutionis et uniformitatem sermonis in eodem textu.

R. — Terminus « Communio », cum hic non tantum communitates seiunctas, sed etiam Ecclesiam catholicam indicat, retinendus est.

9 — Pag. 8, lin. 33 post « initus » addatur « in modo sicut decernat Conferentia episcopalis vel saltem Ordinarius loci, attentis circumstantiis temporum, locorum et personarum », ut serventur dignitas et responsabilitas dialogi.

R. — Directorii oecumenici erit pressius describere modum, quo « Pastorum vigilantia » (pag. 9, lin. 3 s.) exercenda sit.

10 — Pag. 8, lin. 37-39 loco « in quibusvis officiis ad bonum commune ab omni conscientia christiana postulatis » dicatur « in quibusdam officiis ad bonum commune e christiana caritate postulatis, pericula iam praecavendo quae conscientiae catholicae obvenire possunt ».

R. — Cautelae ad praecavenda pericula pro catholicis in textu schematis satis exhiberi videntur.

11 — Pag. 8, lin. 39 loco « et in oratione unanimi, sicubi licet, conveniunt » dicatur « et, sicubi licet, in oratione communi, exclusa in sacris communione, conveniunt ». [38]

R. — Cum in Capite II, num. 8 (pag. 15, lin. 29-36) de communicatione in sacris explicite agatur, non apparet ratio in hoc loco mutandi textum.

12 — Pag. 8, lin. 39 omittantur verba « et in oratione, sicubi licet, conveniunt » (2 *Patres*).

R. — Omissio horum verborum contradiceret iis, quae pag. 15, lin. 21-24 schematis dicuntur et a Concilio iam sunt approbata.

13 — Pag. 9, lin. 1 deleantur verba « nec non reformationis ».

Ratio: Haec verba non sunt necessaria et interpretationibus aequivocis ansam praebere possunt (2 *Patres*).

[38] R. — « Reformatio » non omnino idem ac « renovatio » significat; adhibita est expressio saepius in Conciliis Oecumenicis. Cf. *Conciliorum Oecumenicorum Decreta* (Herder, 1942) ad vocem « reformatio Ecclesiae ».

14 — Pag. 9, lin. 3 usque ad calcem pag. 9 omnia transferantur ad Caput II. Haec omnia magis exercitium oecumenismi spectant.

R. — Haec omnia potius exponunt principia, modo utique aliquatenus concretiore. « Mathematica » distinctio inter expositionem principiorum et explicationem exercitii fieri nequit.

15 — Pag. 9, lin. 7-8 deleantur verba « omnes Christiani, in una Eucharistiae celebratione ». Haec verba, ambigua et non necessaria in contextu, difficultates creant apostolatui conversionis.

R. — Hic non agitur de opere conversionis, sed de opere oecumenico, ad quod describendum illa verba omnino requiruntur. Praeterea non apparet difficultas pro opere conversionis.

16 — Pag. 9, lin. 9-10 idea verbis « quamque ... credimus » expressa alio modo reddenda est. Verbum « credimus » hic alium sensum habet ac pag. 8, lin. 2, ubi idem verbum significat « putamus ».

R. — Verbum « credere » pag. 9, lin. 10 fidem sensu stricto theologico indicat, pag. 8, lin. 2 iudicium e fide proveniens, quod plus est quam « putare ». Nulla ergo ratio apparet mutandi textum.

17 — Pag. 9, lin. 12-14 gratis asseritur nullam esse oppositionem inter actionem oecumenicam et apostolatum reconciliationis. Contra-
[39] rium probari videtur facto diminutionis conversionis protestantium et augmenti propagandae protestanticae ex die, qua de oecumenismo sermo fit.

R. — Ratio indicata non probat. Cum motus oecumenicus secundum iudicium ipsius auctoritatis Ecclesiae gratiae Spiritus Sancti tribuendum sit, ex natura sua nequit opponi alteri operi gratia inspirato.

18 — Pag. 9, lin. 12-16 omittatur tota pericopa vel reformetur.

Rationes: *a*) Obiectum decreti non sunt conversiones individuales.

b) Problema paucis his verbis nequit solvi.

c) Discrepantia inter conceptum « apostolatus » (lin. 13) et expressionem « desiderant » (lin. 15).

d) Legitimitas conversionum constat ex Declaratione « De libertate religiosa ». Mentio ergo hic est superflua.

e) Saltem alludendum esset ad gravitatem problematis et ad

necessitatem mutuae fiduciae inter Ecclesias. Explicite respuendus esset proselytismus (*5 Patres*). [39]

R. — Cf. responsum ad n. 21.

19 — Pag. 9, lin. 12-16 substituatur pericopa textu sequenti: « Iam ex hucusque dictis patet distinctionem essentialem existere inter actionem oecumenicam et opus reconciliationis individualis. Dum nempe hoc respicit singulos, qui secundum dictamen conscientiae suae in Ecclesiam catholicam ingredi desiderant et ad hunc ingressum debito modo praeparandi sunt, actio oecumenica unionem Ecclesiarum et communitatum ut talium intendit, quae quidem non nisi renovatione omnium a Deo sperari potest. Cum tamen utrumque opus sit a Spiritu Sancto inspiratum, nulla inter ea adest oppositio, et difficultates superari queunt, si omnis species proselytismi vitatur et mutua fiducia inter Ecclesias et Communitates fovetur ».

Rationes: *a*) Obiectum decreti postulat, ut distinctio oecumenismi ab opere conversionum in phrasi principali affirmetur.

b) Formula proposita melius arcet periculum interpretandi oecumenismum catholicum tamquam novam « tacticam » convertendi alios christianos.

c) Vox « opus » (loco « apostolatus ») melius concordat cum verbo « desiderant » (lin. 15).

d) Excludendus est proselytismus (*2 Patres*).

R. — Eis quae hic recte observantur satisfieri videtur nova formula ad n. 21 proposita, quam Secretariatus praefert.

20 — Pag. 9, lin. 12-16 textus hac formula substituatur: « Haec actio oecumenica, quamvis sit ab eo distincta, non debet opponi apostolatui reconciliationis ac praeparationis eorum singulorum, qui ex dono gratiae ad plenitudinem veritatis et vitae in Ecclesia catholica datam accedunt ». [40]

Ratio: Ne quasi excusari videatur opus reconciliationis, et ut operatio Spiritus Sancti in vocatione ad Ecclesiam catholicam ut principalis exhibeatur.

R. — Satis provisum videtur mutatione textus ad n. 21 proposita.

21 — Pag. 9, lin. 12-16 textus hac formula substituatur: « Patet autem opus reconciliationis ac praeparationis eorum singulorum, qui plenam communionem catholicam desiderant, ab oecumenico incepto natura sua distingui; nulla tamen adest oppositio, cum utrumque ex actione Spiritus Sancti procedat ».

Rationes: *a*) Vox « apostolatus » reservanda est evangelisa-

[40] tioni non-christianorum; christianis adhibita « proselytismum » sapit, praesertim in auribus non-catholicorum.

b) Primum sermo fiat de opere conversionis, ne actio oecumenica catholicorum pro fine habere videatur opus conversionum.

c) Cum christiani acatholici non sint simpliciter extra Ecclesiam catholicam, nequeunt proprie dici « in Ecclesiam catholicam ingredi » (lin. 14-15).

d) Verbum « inspiratum » hic non est expressio accurata.

e) Logicum esset, prius loqui de distinctione utriusque operis postea de non-oppositione.

f) « autem » pro « igitur » (lin. 12) dicendum est propter contextum praecedentem, « incepto » pro « actionem » (lin. 13), ut «actio» Spiritui Sancto reservetur.

R. — Cum sensus a decreto intentus propter rationes supra indicatas hac nova formula melius exprimatur, a Secretariatu Concilio approbanda proponitur.

22 — Pag. 9, lin. 14-15 loco « qui in Ecclesiam catholicam ingredi desiderant » dicatur « qui unitati Ecclesiae Catholicae redintegrari desiderant ».

Ratio: Propter rationes oecumenicas evitandus est conceptus « ingressus », qui « egressum » supponit.

R. — Huic iustae animadversioni provisum est mutatione textus secundum « Modum » 21 proposita.

[41] 23 — Pag. 9, lin. 15-16 loco « opus a Spiritu Sancto inspiratum » dicatur « opus gratiae Spiritus Sancti tribuendum ».

Ratio: « Inspiratum » hic est expressio minus apta (7 Patres).

R. — Rectae huic observationi formula secundum « Modum » 21 proposita satisfit.

24 — Pag. 9, lin. 16 post « inspiratum » addatur « Praeterea, Ecclesia catholica stricte tenetur ad mandatum Domini (Mc. 16, 15) adimplendum, praedicandi scilicet Evangelium omni creaturae seu omnibus hominibus ».

Ratio: Ecclesia catholica tenetur ad activam diffusionem Evangelii etiam inter eos, qui illud partialiter tantum cognoscunt. Praeterea, « passivitas » in apostolatu erga alios christianos diminutionem conversionum ad Ecclesiam catholicam efficit (*96 Patres*).

R. — Verba Domini Mc. 16, 15 de iis agunt, qui Evangelium nondum audierunt et nondum baptizati sunt. Haec verba adhibendo in textu nostro christianos baptizatos paginis aequipararemus, quod falsum et funestum esset. Diffusio Evangelii inter non-christianos

secundum mandatum Domini praecise eo maxime adiuvatur, quod cum aliis christianis conversamur eo modo, qui hoc decreto describitur. [41]

25 — Pag. 9, lin. 15 post « desiderant » addatur « imo et eisdem Evangelii praedicationem iuxta mandatum Domini » (Mt. 28, 19; Mc. 16, 15).

R. — Cf. responsum ad n. 24.

26 — Pag. 9, lin. 17-19 apto loco addatur « ubi pluralitas confessionum adest ».

Ratio: Quae lin. 17-19 dicuntur carent sensu, ubi societas non est pluralistica.

R. — Ubique catholici ad unitatem inter christianos fovendam cooperari possunt, saltem orando. Per se patet, non omnia, quae in decreto commendantur, ab omnibus fieri posse.

27 — Pag. 9, lin. 17 loco « aliis » dicatur « fratribus seiunctis ».

Ratio: Ut clarius eluceat, de quibusnam « aliis » agatur.

R. — Mutatio secundum rectam hanc observationem proponitur.

28 — Pag. 9, lin. 18 post « Ecclesiae » addatur « cum debita scientia et prudentia ».

R. — Necessitas peritiae et prudentiae in aliis locis textus satis inculcatur. [42]

29 — Pag. 9, lin. 18 loco « communicando » dicatur « fraterne et prudenter colloquendo », claritatis causa et ut praecaveatur periculum falsae interpretationis et abusus.

R. — De sensu expressionis in textu vix dubium esse potest. Cautelae pluries in textu exprimuntur.

30 — Pag. 9, lin. 18 clarius dicendum esset, quid significet « de rebus Ecclesiae cum illis communicando ». Si de rebus fidei agitur, requiritur vigilantia Pastorum, si de communicatione in sacris, a fortiori fideles non sunt liberi.

R. — De communicatione in sacris agitur pag. 15, lin. 29-36. Vigilantia Pastorum in textu sufficienter inculcatur.

31 — Pag. 9, lin. 19 post « gressus » addatur « ubi oporteat ». Non ubique prudens et efficax erit.

R. — Cum res per se intelligatur, additio non videtur necessaria.

32 — Pag. 9, lin. 24 loco « instrumentis » dicatur « mediis ».

Ratio: Vox « instrumenta » vel est terminus technicus scholasticus vel innuit aliquid mechanicum (*2 Patres*).

R. — Cum revera vox « media » aptior hic sit, mutatio textus Concilio proponitur.

[42] 33 — Pag. 9, lin. 25, post « vivunt » addatur « vel ecclesiastica instituta non semper conflantur neque agunt pleno spiritu evangelico ».

Ratio: Praeter vitam fidelium secundum verba Ioannis XXIII reformatio disciplinae et legum ecclesiasticarum requiritur (*2 Patres*).

R. — Recte argumentantur obicientes; sed de his sermo est in Capite II, n. 6, pag. 14.

34 — Pag. 9, lin. 27, loco « perfectionem » dicatur « sanctitatem ». Ita terminologiae constitutionis « De Ecclesia » magis consonat.

R. — In textu nostro vox « perfectionem » non videtur esse inconveniens.

35 — Pag. 9, lin. 28-31 post « eniti ut » dicatur: « humilitatem et mortificationem Iesu in corporibus suis portantes (cf. 2 Cor. 4, 10), de die in diem mundentur et renoventur, ne puram Ecclesiae
[43] faciem in hominum conspectu obscurent, quam Christus sanctificavit et exhibuit sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam » (cf. Eph. 5, 26-27).

Ratio: Ut vitetur quaestio disputata, utrum Ecclesia ipsa dici possit proprie peccatrix et mundanda (*8 Patres*).

R. — Etiam textus schematis non dicit Ecclesiam ipsam esse peccatricem. Sanctificatione membrorum autem purior Ecclesia fieri dici potest.

36 — Pag. 9, lin. 30 loco « donec » dicatur « ut splendidius ».

Ratio: Ecclesia in se est semper sancta, sed facies eius splendidior fieri potest sanctificatione membrorum.

R. — Sanctitas permanens textu schematis non negatur.

37 — Pag. 9, lin. 32 post « necessariis » addatur « iis scilicet quae a magisterio sive solemni sive ordinario docentur aut ab auctoritate legitima ecclesiastica praecipiuntur ».

R. — Additio proposita non apparet necessaria.

38 — Pag. 9, lin. 34-35 omittantur verba « immo et theologica veritatis revelatae elaboratione ».

Ratio: Periculum pro veritate revelata, si talis libertas conceditur (*5 Patres*).

R. — Non affirmatur illimitata libertas, sed « debita ».

39 — Pag. 9, lin. 35, loco « elaboratione » dicatur « enucleatione », quod melius sonat.

R. — Verbum « elaboratione » non videtur inconveniens.

40 — Pag. 9, lin. 38 omittatur « cum gaudio ».

Ratio: Repetitio nimia (cf. pag. 5, lin. 24; pag. 10, lin. 13).

R. — Expressiones repetitae in textu satis ab invicem distant.

41 — Pag. 9, lin. 39 post « christiana » addatur « in quantum ». [43]
R. — Non apparet ratio mutandi textum.
42 — Pag. 9, lin. 39 omittantur verba « a communi patrimonio promanantia ».
R. — Non apparet ratio omissionis.
43 — Pag. 10, lin. 6, deleatur « semper ». [44]
R. — Non elucet ratio omissionis.
44 — Pag. 10, lin. 9-10 post « propriam in iis filiis » dicatur « et omnibus suis discipulis aequali modo commendatam in filiis ».
Ratio: Inculcanda est necessitas omnibus christianis imposita, ut de catholicitate Ecclesiae participent.
R. — Necessitas illa ex variis partibus textus satis elucet.
45 — Pag. 10, lin. 9-10 phrasis obscura est.
R. — Consideranti principia in capite exposita affirmatio haec satis clara videtur.
46 — Pag. 10, lin. 15 post « sollerter » addatur « iuxta programma actionis oecumenicae intraque eius limites, a conferentia episcopali in unaquaque regione confectum et approbatum » (*1 Pater*).
R. — Additio non videtur necessaria, cum potius spectet ad Directorium oecumenicum.
47 — Pag. 10, lin. 16 post « dirigatur. » addatur « Ipsi tamen Episcopi, ad tutamentum genuinae Ecclesiae Catholicae doctrinae, caveant ne confusio nascatur in mentibus simplicium hominum, qui credere possint omnem ecclesiam esse veram » (*1 Pater*).
R. — Talia particularia in documento conciliari non sunt necessaria.

3 – EMENDATIONES ADMISSAE [45]

SECUNDUM MODOS A PATRIBUS INTRODUCTOS

N. 1

1 — Pag. 5, lin. 14-16: « ... motus, Spiritus Sancti fovente gratia, exortus est ad omnium christianorum unitatem *restaurandam* ».

N. 2

2 — Pag. 6, lin. 4-5: « Qui antequam seipsum ... Patrem pro *credentibus* oravit, dicens... ».
3 — Pag. 6, lin. 12-13: « ... Dominus Iesus Spiritum promissum effundit, *per quem* Novi Foederis populum ... ».

[45] 4 — Pag. 6, lin. 18: « Omnes enim vos *unus* estis in Christo Iesu ».

5 — Pag. 6, lin. 21: « Ille *divisiones* gratiarum et ministrationum operatur, ... ».

6 — Pag. 6, lin. 27-30: « Inter eos Petrum elegit ... atque post *suae* dilectionis professionem, universas oves ... ».

7 — Pag. 6, lin. 33 - pag. 7, lin. 4: « Iesus Christus per Apostolorum eorumque successorum, *nempe episcoporum cum Petri successore capite,* fidelem Evangelii praedicationem sacramentorumque administrationem, et per gubernationem in dilectione, Spiritu Sancto operante, populum suum crescere vult eiusque communionem perficit in unitate: in confessione unius fidei, in divini cultus communi celebratione, necnon in *familiae Dei* fraterna concordia ».

N. 3

8 — Pag. 7, lin. 22-28: « Profecto, ob discrepantias variis modis vigentes inter eos et *Ecclesiam catholicam* tum in re doctrinali et quandoque etiam disciplinari tum circa structuram Ecclesiae, plenae ecclesiasticae communioni opponuntur impedimenta non pauca, quandoque graviora, ad quae superanda tendit motus oecumenicus. Nihilominus, iustificati *ex* fide in baptismate, Christo incorporantur, ideoque ... ».

9 — Pag. 8, lin. 14: « ... unum *Christi corpus* in terris ... ».

10 — Pag. 8, lin. 15-18: « Qui populus, durante sua terrestri peregrinatione, quamvis peccato obnoxius remaneat, in Christo (...) crescit et a Deo, secundum Eius arcana consilia, suaviter ducitur, ... ».

[46] N. 4

11 — Pag. 9, lin. 12-16: « Patet *autem opus* praeparationis ac reconciliationis eorum singulorum qui *plenam communionem catholicam* desiderant, ab oecumenico *incepto* natura sua distingui; nulla *tamen* adest oppositio, cum utrumque *ex actione* Spiritus Sancti *procedat* ».

12 — Pag. 9, lin. 17: « Fideles catholici in actione oecumenica sine dubio de *fratribus seiunctis* solliciti sint oportet, ... ».

13 — Pag. 9, lin. 24: *cf. pag. 49.*

QUAESITUM

An placeat expensio facta a Secretariatu circa modos Prooemium et Caput primum Schematis Decreti de Oecumenismo spectantes.

Secretarius generalis: Nunc, antequam disceptatio in hac congregatione incipiat, propono vobis, Patres venerabiles, suffragationem circa modos respicientes prooemium et cap. I schematis *de Oecumenismo,* scilicet « de catholicis Oecumenismi principiis ». Lego tantum vobis emendationes admissas secundum Modos a Patribus introductos; videatis pag. 45: ... [*cf. pag. 47-48*].

Et nunc videatis, Patres: hic omissus est modus, qui est 13. Qui tamen modus relatus est in pag. 42, n. 32. Sed ego lego vobis:

Pag. 9, lin. 24 (si vultis, potestis scribere): « ... omnibus *mediis* (antea dicebatur: instrumentis) gratiae ditata... ».

Hi sunt modi admissi, et expensio aliorum modorum fit in fasciculo, cui certe studuistis, Patres venerabiles.

Porro quaeritur a vobis: « An placeat expensio facta a secretariatu circa modos prooemium et cap. I schematis decreti *de Oecumenismo* spectantes ». Responsio, uti patet, duplex tantum esse potest: *placet* et *non placet.*

Attendatis parumper, Patres. Quoad librum distribuendum hodie: ille distribuitur Patribus nominatim, i. e. in unoquoque fasciculo est nomen Patris. Quapropter hi Patres, qui sunt absentes hodie, poterunt habere in nostra secretaria, vel melius in officio mechanographico. Unusquisque suum exemplar habebit cum nomine inscripto.

Observatores egregii habebunt hunc librum, per secretariatum ad unionem christianorum fovendam. Auditores habebunt per ipsorum Adsessorem. Rev.mi Parochi in nostra secretaria, nempe apud S. Martham, possunt ipsi accipere suum librum. Periti vero possunt hoc opus accipere in Bibliotheca Vaticana, exhibita tessera personali periti. Gratias.

Moderator: Incipiet nunc discussio. Loquatur ut primus S. B. Maximus IV, patr. Antiochenus et Totius Orientis, Alexandriae et Hierosolymae Melchitarum, et ad microphonium accedat exc.mus D. Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis in Germania [*pausa*].

Rogatur ut statim loquatur exc.mus D. Franciscus Hengsbach [*pausa*].

Optime! Loquatur Sua beat. Maximus IV.

PATRUM ORATIONES

(*de Ecclesia in mundo huius temporis,* cap. IV, n. 25)

1

BEAT.MUS P. D. MAXIMUS IV SAIGH

Patriarcha Antiochenus Melchitarum

Vénérables Pères,

Une menace de destruction plane sur l'humanité: c'est l'armement nucléaire. Et cette menace augmente de jour en jour par le nombre croissant des détenteurs de cet engin infernal.

Très brièvement et[1] sans entrer dans des considérations physiques et scientifiques qui nous dépassent, et qu'on ne peut développer ici, nous croyons devoir élever la voix, car nous nous sentons oppressé. Un cri d'alarme jaillit spontanément de notre cœur, cri d'angoisse, j'allais dire davantage, de désespoir... Et nous vous prions de faire tout ce qui est en notre pouvoir, de quelqu'effet qu'il puisse être, pour conjurer pareil malheur.

L'intervention de deux mille évêques répartis dans le monde entier en faveur de la paix peut être capable de changer le cours de l'histoire et de défendre le sort de l'humanité.

On parle de juste guerre. Quelle raison suffisante peut-elle légitimer, en saine morale, une destruction qui constitue un ...[2] cataclysme mondial? Peut-on anéantir une civilisation et des peuples sous prétexte de les défendre? Et si les hommes doivent disparaître d'un instant à l'autre, à quoi bon, et pour qui cette pastorale que nous édifions si laborieusement depuis l'annonce de Vatican II?

La conception traditionnelle de la juste guerre dans le temps actuel ne doit-elle pas être vécue et repensée à la lumière des temps présents?

La souveraineté nationale ne doit-elle pas avoir des limites? Et la communauté humaine peut-elle être complètement ignorée?

Vénérables Frères, l'humanité entière nous regarde haletante, avec des yeux hagards, pour voir ce que nous allons faire. Nous ne pouvons pas nous taire pour des considérations de quelque nature qu'elles soient. Gardiens fidèles de l'âme de nos peuples, nous avons encore des devoirs à l'égard de leur vie terrestre. Nous devons parler, parler hardiment, parler courageusement, comme Jean-Baptiste devant Hérode,

comme Ambroise devant Théodose, pour condamner l'usage *des*[3] engins infernaux.

Notre Saint Père Jean XXIII, de sante mémoire, l'a fait dans son encyclique *Pacem in terris,* le Schéma que nous étudions, *de Ecclesia in mundo huius temporis,* le fait aussi d'une manière claire, quoique quelque peu platonique. ...[4] Cela ne suffit pas. Il nous faut de la part de ce Concile une déclaration Urbi et Orbi, déclaration claire, nette et précise.

Cette réprobation radicale de la part de l'Eglise peut faire boule de neige, car toute vérité contient une force de pénétration et d'expansion dans les âmes. D'autres autorités civiles ou religieuses pourront suivre notre exemple. Un soulèvement mondial d'opinion pourrait obliger les dirigeants emmurés dans leur conception nationale à plus de réflexion. Des sanctions de différente nature pourraient être envisagées. Mais toujours est-il que nous ne pouvons pas nous taire sous peine de décevoir le monde, de décevoir ce qu'il y a de plus noble en nous-même, et de rendre notre ministère infructueux auprès des peuples.

Pour l'amour du Christ, ami des hommes et roi de la paix, nous vous prions et supplions de faire une condamnation solennelle et énergique de toute guerre nucléaire, chimique et bactériologique. Que ce saint Concile adresse un message au monde, à l'exemple de celui par lequel débutèrent nos travaux conciliaires, pour condamner en principe toute guerre nucléaire sous toutes ses formes et pour demander que les milliards économisés par le désarmement soient employés au soulagement d'une pauvre humanité, dont les deux tiers ne mangent pas à leur faim, et qui a besoin de tout.

Vénérables Pères, l'Histoire depuis deux mille ans n'a cessé de voir dans l'évêque « le défenseur de la Cité ». Plus que jamais, le monde a besoin aujourd'hui de ces défenseurs désintéressés et courageux. Montrons que nous sommes ces défenseurs. Ne décevons pas le monde qui nous regarde. Il attend que l'Eglise reste toujours colonne de force et de vérité. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] vrai. [3] de ces. [4] Mais.

2

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS HENGSBACH
Episcopus Essendiensis

Venerabiles Patres, Fratres, Sorores,

Loquor etiam nomine plus quam 70 Patrum ex variis nationibus.

In hoc numero « de pace firmanda » optima quaedam enuntiantur principia. Magna ex parte desumuntur ex allocutionibus Pii XII et ex Litt. Enc. *Pacem in terris* Ioannis XXIII. Haec principia ab utroque Papa magna cum claritate, circumspectione et discretione proponuntur, praesertim ea quae de limitibus belli defensivi dicuntur. Opto, ut etiam modus dicendi in textu conciliari quam diligentissime sequatur verba Summorum Pontificum, attentis tamen iis aspectibus psychologicis, de quibus locutus est heri card. Alfrink.

Practice tamen de his principiis nihil continetur in nostro schemate, quod non iam alia occasione a magisterio universali Ecclesiae propositum est. Nonne ulterius progredi possumus?

Agimus de dialogo cum mundo. In nullo tamen campo magis necessarium videtur hodie, ut omnes possibilitates dialogi vere exhauriantur quam in eis, quae ad pacem firmandam pertinent. Colloquia, quae hodie de bello vitando vel de pace firmanda fiunt, generatim una ex sequentibus difficultatibus laborant:

Aut fiunt a personis, quae de bello et pace non habent communia principia fundamentalia. Hic dialogus efficax immediate de pace non esse potest.

Aut fiunt permixtim a viris competentibus et incompetentibus, quos solum vehemens desiderium pacis unit. Hic dialogus caret ultima mutua confidentia et proin vix fructus affert.

Aut fiunt a politicis et militaribus viris, in quibus tamen aspectus politicus vel militaris ita praevalet, ut, quamvis saepe viri cum sensu summo responsabilitatis subiectivae sint, ad efficaces progressus non perveniant. Sunt vere in his rebus periti, qui nobis dicunt: Si ad peritiam politicam et militarem non accedit elementum morale — et quidem non sensus moralis, sed doctrina moralis distincta et his quaestionibus politicis, militaribus et productionis armorum vere applicata —, tunc sequentibus decenniis valde improbabile est, evitare bella nuclearia. Ab hoc ergo dialogo probabiliter sors futura totius generis humani pendet.

Quaenam forma dialogi proponi potest?

1. Convenire deberent ii christiani, qui nostra principia sequuntur et simul in his rebus versatissimi sunt, cum aliis viris peritissimis in rebus politicis, militaribus et affinibus, ut deliberent, quinam gressus proximi ad pacem firmandam in campo politico, militari, scientifico et technico concrete possibiles sint, tam pro auctoritatibus quam pro aliis institutionibus, coetibus et personis. Tales dialogi, saltem in campo nationali, iam habentur apud non-catholicos, et quidem cum bono fructu.

Subscribo eis, quae heri dixit exc.mus D. Ancel. Sed organisatio communitatis populorum efficacior est finis remotus. Finis proximus est solutio huius quaestionis: Quomodo evitamus catastrophem belli in proximis annis, antequam communitas gentium perfectior evaserit? Nonne posset iam hodie communitas gentium, qualis hodie existit, instituere aliquod opus promovendi populos minus evolutos ita, ut summae huic fini applicatae iam non possint adhiberi productioni novorum armorum? Nulla alia via est pericula belli eliminandi, quam coactiones a populis libere sibi ipsis impositae.

2. In supradictis colloquiis participent praeter catholicos praesertim alii christiani, qui nobiscum in essentialibus principiis consentiunt. Haec cooperatio necessaria est, ut possibilitates et experientia unius communitatis experientiam et possibilitates alterius compleant.

3. Initiativa ad tales conventus, quae ab auctoritatibus Ecclesiae promoveri deberet, sit apud ipsos competentes. Haec methodus ideo suadendus est, quia successus talium dialogorum pendet ab eo, quod omnes participantes maximam confidentiam habeant ad invicem. Agitur non raro de rebus secretissimis, quae summam discretionem postulant. Ea, quae in his dialogis elaborantur, dein aptis modis communicentur cum eis, a quibus imprimis promotio pacis pendet.

Propono igitur, ut praeter ea, quae in n. 25 dicuntur, invitatio fiat ad tales dialogos instituendos et declaretur promptitudo Ecclesiae ad eos promovendos et in eis participandi. Dixi. Gratias.

[*Subscripserunt etiam*] J. Angerhausen; J. Höffner, ep. Monasteriensis; H. Baaken, ep. tit. Gordensis; H. Tenhumberg, ep. aux. Monasteriensis; A. Kempf, ep. aux. Herbopolit.; J. Stangl, ep. Herbopolit.; J. Pohlschneider, ep. Aquisgranen.; J. Rüth, vic. ap. Trondheim; Eug. de Araujo Sales, adm. ap. Natalensis et S. Salvatoris in Brasilia; José, arch. Fortalexensis; J. Bezerra Coutinho, ep. Estancia; N. Monte, ep. aux. Aracajú; J. Batista Pereira, ep. Guaxupé; Fernando, arch. Goiânia; B. Bueno Miele, ep. tit. Bararitan., aux. Campinensis; Paulus, ep.; Milton Pereira, ep. aux. Belèm; A. Niehues, ep. tit. Eurea di Epiro; J. Gazza, ep. tit. Circesio; G. Warmeling, ep. Joinville; M. Tavares de Araujo, ep. Caico; V. de Araujo Matos, ep. Crato; J. Terceiro de Souza, ep. Penedo; R. de Castro e Silva,

ep. aux. Fortaleza; David Picâo, coad. Santos; J. Lamartine Soares, ep. tit. Fussula; J. M. Pires, ep. Arassuai; J. V. Tavora, arch. Aracajú; H. Pessao Camara, arch. Olinda e Recife; A. Ramos, arch. Belem; C. J. C. Isnard, ep. Novo Friburgo; A. Hypolito, aux. Bahia; F. Zayek, aux. maronit. Brasilia; Climerius, ep. Victoriensis de Conquista; J. Hoffmann, ep. Frederico Westphalen; Luis Sartori, ep. Santa Maria; Claudio Colling, ep. Passo Fundo; A. Petrò, ep. Uruguaiana; M. Pereira, ep. Campina Grande; J. J. de Mota, arch. S. Luis; A. Fragoso, ep. Crateùs; A. Lima dos Santos, ep. Ilhéus; J. de Lange, ep. prael. Tefé; A. Carvalho, ep. Caruarù; S. de Aguiar, ep. Pesqueira; J. de Costa, ep. Caetité; A. Brandâo Vilela, arch. Teresina; A. Silveira de Mello, prael. Diamantino; B. Zorzi, ep. Caxias; G. F. Reis, ep. Leopoldina; J. Alves Trindade, ep. Montes Claros; A. Melillo, ep. Piracicaba; B. da Silva Neto, adm. ap. Luz; Orlando, arch. Cuiabà; Fr. Borja do Amoral, ep. Taubaté; Z. Rolim de Moura, ep. Cajazeiras; F. Austregesilo de Mesquita, ep. Afagados da Inzágeira; J. D'Angelo Neto, arch. Pouso Alegre; F. Filipiak, ep. Jacarézinho; J. de Sousa Lima, arch. Manáus; José Mauro, ep. Iguatù; J. Dalvit, ep. Sâo Matéus; D. Ribeiro Guedes, ep. Sâo Joâo del Rei; J. Thurler, ep. tit. Capitoliade; M. Lisboa, ep. Nazaré; D. Parodi, ep. tit. Centenaria; E. L. Kunz, ep. tit. Tolemaide di Fenicia; V. Scherer, arch. Porto Alegre; L. Jäger, arch. Paderborn; E. Nećsey, ep. tit. Veliciensis; A. Lazik, ep. tit. Appia; P. Hnilica, ep. tit. Rusado; F. Tomášek, ep. tit. Buto.

3

EXC.MUS P. D. PHILIPPUS MATTHAEUS HANNAN

Episcopus tit. Hieropolitanus, aux. Vashingtonensis

Venerabiles Patres, adstantes praeclarissimae et praeclarissimi,

Par. 25 debet rescribi et corrigi, ut omnibus manifesto pateat distinctio inter ea quae quidem Ecclesia expetit ad securitatem pacemque tuendam et ea quae moralis theologia eiusdem Ecclesiae requirit ad iustum bellum gerendum. Si vero de moralitate belli instituitur quaestio, tunc opus est ut ea ab iis pertractetur qui sint peritissimi scientiae theologiae moralis, quique noverint vel consulto inquirant quae attinent ad nostrae aetatis arma, praesertim nuclearia. Toto corde desideramus pacem, sed pacem cum iustitia et plena libertate. Certo certius, bellum semper res odiosa est, attamen praecise dicamus quid prohibendum esse in bello gerendo iis qui libertatem iuste et laudabiliter defendant.

In multis adhaereo verbis em.mi card. Alfrink et in genere etiam exc.mi D. Hengsbach. Sed vellem pauca addere.[1]

Haec sane in memorata paragrapho reprehendenda videntur:

1. In sectione I, prima sententia silentio praeterit id quod praecipuum est fundamentum pacis, scil. iustitia. « Opus iustitiae pax » ...[2]

2. In eadem sectione I, haec altera sententia legitur, quae non

recta videtur: « Ideo diiudicanda sunt ut paci contraria omnia quae infauste dividunt potius quam uniunt... ». Ita vere emendanda est: « Ideo diiudicanda sunt ut paci contraria omnia *iniusta vel mala*... etc. ». Causa enim divisionum iniustitia est.

3. In sectione II, gravis error facti quod attinet ad nuclearia arma, et falso inde conclusio, inducitur. In secunda sententia huius sectionis ita enim legitur: « usus tamen armorum, praesertim nuclearium, quorum effectus maiores sunt quam qui aestimari possint ac proinde ab hominibus rationabiliter temperari nequeunt, excedit omnem iustam proportionem ac propterea scelestissimus coram Deo et hominibus iudicandus est ». Sed non recte affirmatur, quia non desunt hodie nuclearia arma quorum vis destructiva angusto limite circumscribitur. Sunt quaedam id genus arma mobilia. Ut apparet, nisi vis delendi horum armorum esset valde circumscripta, iidem milites mortem non effugerent ex effectibus explosionis. Tenuiora arma quae nunc adhibentur ictum inferre possunt spatio inter tria et quinque « kilometri » et eorum missile vim dirumpendi possidet quae attingit 40 « tonnellate » ...[3] explosivi ...[4]

Quamvis omnia huius generis arma, etiam quae parva sint, grave damnum inferant, non potest tamen dici ut in citato textu legimus: « effectus maiores sunt quam qui aestimari possint ». Nam eorum effectus sunt intra certos limites sat praefiniti et ideo omnino praevideri possunt. Insuper, licitum sit his armis cum effectu limitato uti contra obiecta militaria in bello iusto iuxta principia theologica.

Tota paragraphus igitur ignorare videtur communem doctrinam Ecclesiae eiusque normas quae iusto bello gerendo applicari debent.

4. Videretur etiam innui, tali paragrapho, omnes nationes pariter neglexisse munus consulendi paci communi universali. Id vero iniuste asseritur et plures offendit nationes et moderatores qui haud parvam impenderunt curam ad pacem procurandam et tuendam. Sed id praesertim iniuriosum est nationibus quae nunc incursiones militares patiuntur. Omnes populi probe sciunt unde hae aggressiones oriantur. ...[5]

Quaestio maximi momenti, hodie et pro futuro, est evitare bellum et defendere libertatem, tum nationis tum personae. Ut dialogus prosequatur cum atheisticis militantibus oportet nos gaudere libertate plena et actuosa. ...[6] Nullus dialogus possibilis est si in servitutem cadimus. *Quia libertas est fundamentum humanae vitae, ii qui libertatem defendunt laudandi sunt.*[7] Ergo, cum hoc schema agat de rebus practicis, debet verbum saltem dicere de libertate defendenda et in laudem eorum qui libertatem defendunt, etiam eorum qui vitam libenter obtulerunt ut nos libertate *plena*[8] filiorum Dei gaudeamus.

Itaque tota paragraphus, mea humili sententia, penitus emendanda est. Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Ignorat igitur prima haec sententia definitionem pacis quae iam recte tradebatur in par. 2. [3] (80 millia librarum). [4] TNT. Haec arma praeparantur ut immanes ruinae ex largioribus nuclearibus instrumentis erumpentes evitentur et ut certo ictu destinata singillatim deleri possint. [5] Porro quia libertas est fundamentum humanae vitae, ii qui libertatem defendunt non reprehendendi sed laudandi sunt. [6] Sed. [7] deest. [8] deest.

4

EXC.MUS P. D. ROMANUS ARRIETA VILLALOBOS

Episcopus Pluviensis

Expleta disceptatione cap. IV, verbum facere postulavi circa n. 22, nomine 70 Patrum ex 20 nationibus.[1]

Venerabiles Patres,

Ioannes XXIII, sanctae recordationis, Litteris Encyclicis *Pacem in terris* coram universo orbe proclamavit oportere ut omnes homines, nulla distinctione facta neque religionis, neque stirpis, neque coetus socialis, ad fontem vivificantem culturae accedere valeant.

Sicut benefica pluvia occultum aridumque semen in plantam excrescere facit, ita clamor amantissimi Pastoris Ioannis mirifice fovit spem latitantem apud tot hominum multitudines, quibus usque ad hodiernum diem accessus ad culturam impeditus fuit, sive propter odiosas discriminationes, sive propter conditiones oeconomico-sociales iniustas, adeoque indignas societate quae nomine christiano decoratur.

Primarius fons culturae est educatio, eamque impertiri praeexcellens officium est, tum Ecclesiae, quae lumen gentium et magistra populorum appellatur, tum etiam Status, qui custos est boni communis.

Ut autem hic fons culturae maiori in dies ac frequentiori numero hominum pateat, aliquid inter alia ab Ecclesia, aliquid autem a Statu praestandum est.

1. *Quid praestandum est ab Ecclesia?* Omnino urget multiplicare nixus et conamina ut educatio ubique evadat accessibilis, non solum eis qui pecunia abundant, verum etiam ac praesertim filiis classis mediae et pauperibus, quandoquidem hi omnes, et longe amplius numerosiores sunt, et praeterea impares qui sibi ipsi providere possint.

Certo certius magnam laudem huius sacri Concilii Oecumenici merentur illa agmina sacerdotum, religiosorum ac laicorum, qui scholis, collegiis ac universitatibus iuvenes efformant in principiis Evangelii et in sana cultura, eosdem simul pro utraque civitate, terrena scil. et caelesti, praeparant.

Verumtamen maiorem adhuc laudem mererentur si tanto labori adderent splendorem paupertatis evangelicae in aedificiis modestius exstruendis, in vestibus scholaribus — si quae sint — simplificandis, in minervalibus seu pensionibus minuendis, in bursis studiorum, e converso, multiplicandis; quo efficeretur ut multi pueri et iuvenes ad beneficium educationis accederent, qui eandem hactenus quasi a longe, aviditate numquam satiata, contemplati sunt.

Ut autem haec omnia perfici valeant, multum conferret quod Status suis subsidiis pro cultura promovenda ex aequo adiuvaret omnia Instituta ad educationem iuventutis destinata, sive statalia sint sive minus; nam sicut illa subsidia procedunt ex pecunia erogata ab omnibus civibus absque discrimine, ita etiam omnia Instituta quae cives efformant, per illa subsidia, absque discriminatione adiuvari debent.

2. *Quid inter alia praestandum a Statu?* Praeter ea quae modo dicta sunt, potest adhuc Status efficacissime contribuere ad faciliorem civium educationem reddendam si praesertim pecuniae adhibitae pro rebus militaribus drastice *vel omnino* [2] reducerentur.

Dolendum sane est quod in tot nationibus (praesertim sic dicti « tertii mundi »), dum magna pars civium fame perit et analphabetismo laborat, Gubernium expendit ingentes summas in alendo magno exercitu, qui ex una parte adhuc impar est ad ipsam nationem defendendam, et ex alia impedit quominus iuribus fundamentalioribus civium satis fiat ex defectu pecuniae.

Aequius esset — ut videtur — pro militibus magistros, pro armis libros, pro castris scholas et universitates habere, quae homines ad vias vitae percurrendas apte praemuniant. Sic profecto factum est in nostra Patria, Costa Rica, cuius Constitutio vel ipsam existentiam exercitus prohibet.

Nulla erit veri nominis cultura, dum e conspectu militum homines discant conflictus solvendos esse vi exitiali armorum, non autem per recursum ad Amorem — et hoc est Deus iuxta verba S. Ioannis — qui incarnatus sese immolavit ut homines peccato mortuos vivificaret.

Longa tamen est via ducens usque ad exercituum reductionem *vel eius totalem abolitionem* [3] ob infaustam consuetudinem ad honorem legis elevatam. Attamen ad Ecclesiam pertinet illam viam illuminare, tum contraponendo bellico Marti, Iesum Christum, Principem Pacis, tum

docendo mundum, opportune et importune, problemata esse solvenda non brutali violentia, sed mediante recursu *ad organisationes internationales,*[4] ad iustitiam, rationem et veritatem.

Humiliter haec duo ab hoc Sacro Concilio postulo: 1. Ut hortetur Instituta Religiosa et quotquot erudiendae iuventuti in Ecclesia dant operam, ut excogitent et quam citius ad praxim redigant media efficaciora ad hoc, ut educatio omnibus pateat, praesertim vero iis qui egestate ac paupertate laborant.

2. Velit praeterea Sacrum Concilium benedicere et fovere quoscumque conatus ubilibet factos vel faciendos, eo fine ut pecuniae pro rebus militaribus adhibitae minuantur, et ingentes summae sic liberatae, promotioni culturae applicentur: unde eveniet quoad ignorantia cum scientia, miseria cum prosperitate, mors cum vita, odium cum caritate commutabitur.

In textu scripto tradito: [1] Loquor nomine 70 Patrum ex 20 nationibus provenientium. [2] deest. [3] deest. [4] deest.

[*Subscripserunt etiam*] A. Ferreira Gomes, ep. Porto; V. Zazpe, ep. Rafaele; St. Bello, ep. Aleppo cald.; A. Z. Dachtou, arch. Urmya; J. Bassoul, arch. Homs melch.; J. Cheikho; J. M. Dominguez, ep. Matanzas; Adolfo, ep.; I. Larrañaga; L. A. Olano, ep. tit. Lagina; M. Rodriguez Rozas, ep. Pinar del Rio; M. Solà, ep. tit. Colofone; E. Boza Masvidal, ep. tit. Vinda; J. Podestà, ep. Avellaneda; R. Rabban, arch. Kerkük; G. Ganni, ep. Beirut chald.; A. Quarracino, ep. Nueve de Julio; C. Cafferata, ep. San Luis in Argentina; Emmanuel, ep. Coria-Caceres; M. Doumith, ep. Sarba; Adbullah Nujaim, ep. Baalbek maron.; D. A. Hayek, arch. Aleppo syr.; C. E. Benni, arch. Mossul; F. Ayoub, arch. Alepp. maron.; A. Rossi, ep. Venado Tuerto; F. Azcàrate, aux. La Habana; A. M. Aguirre, ep. San Isidro in Argentina; A. Schell; I. Sansierra, aux. S. Juan de Cuyo; E. Youakim, ep. Zahleh; J. Maalouf, ep. Baalbek melch.; J. Khoury, arch. Tyr maron.; H. Capucci, sup. gen. Bas. Alep.; A. Khoraiche, ep. Saida maron.; I. Ziadé, arch. Beirut; E. Pechuan Marin, ep. Cruz del Eje; E. Angelelli, ep. tit. Listra; J. M. Medina, ep. tit. Termesso; P. Achkar, arch. Laodicea di Siria; Elias Farah, ep. Cipro maron.; C. Perez, arch. Salta; E. Principe, aux. Santa Fe; M. Blanchoud, ep. Rio Cuarto; A. Riesco, aux. Pamplona; E. Pironio, ep. tit. Ceciri; A. Farah, ep. Tripoli melch.; A. Sana, ep. Akra cald.; G. Esorto, arch. Bahia Blanca; J. Tawil, arch. tit. Mira melch.; E. Daddi, ep. Mossul chald.; A. Trujillo Arango, ep. Jericò; R. Gonzalez E., ep. tit. Matrega, aux. Guatemala; H. Lara, aux. Vera Paz; M. A. Garcia A., ep. Jalapa in Guatemala; L. Tigga, ep. Dumka; J. Garcia Villas, ep. San Pedro Sula; A. Devoto, ep. Goya; B. Alvarez, ep. Pereira; J. Carranza, ep. Santa Rosa de Copán; M. Niedhammer; F. Santiago Benítez, aux. Assunción; M. Balaguer, ep. tit. Castelli Minoris; J. Serrano, ep. tit. Ipseli; H. Gad, exarca; A. Sapelak; A. Hornyak, exarch. ap. Anglia; R. Bergamin, ep. Padang.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, communico exitum suffragationis circa modos spectantes ad cap. I schematis *de Oecumenismo*:

Suffragium dederunt Patres	2.119
Dixerunt *placet*	2.068
non placet	47
placet iuxta modum	1
Suffragia nulla	3

Ergo expensio modorum est a congregatione generali probata.

5

EXC.MUS P. D. GEORGIUS ANDREAS BECK
Archiepiscopus Liverpolitanus

Venerabiles Fratres,

...[1] Textus *huius paragraphi* [2] in genere placet ...[3]. Attamen fatendum est, ut iam pro aliis schematis partibus dictum est, clarius et fusius in adnexis quam in ipso textu materiam tractari. *Tres animadversiones proponere velim.*[4]

1. Lucide et accurate textus loqui debet praesertim in par. 2 ...[5], ubi agitur de armis nuclearibus eorumque usu, ex quibus hac nostra aetate consequitur ut « populi perpetuo in metu vivant, quasi in eos procella impendeat, quae quovis temporis momento horrifico impetu commoveri possit ». Procul dubio Concilii est firmiter sustinere doctrinam Ecclesiae *et iustitiae naturalis* [6] quae docet excidium in bello indiscriminatim factum, in quo occisio innocentium directe petatur et perficiatur, esse condemnandum *et reprobandum* [7] ut homicidium in se malum ...[8]

Textus schematis repetit condemnationem a Pio Papa XII et a Papa Ioanne XXIII iure meritoque factam ...[9], armorum quorum effectus aestimari temperarique non potest. Magni tamen subiciam esse momenti clare ostendere quod haec condemnatio non afficiat omnem usum armorum nuclearium. Nam exsistere possint obiecta quae in bello iusto et defensivo legitime peti possint armis nuclearibus etiam immensa potentia praeditis. E. g., legitima actio defensiva esset aggredi in atmosphaera ulteriore aliquod missile ballisticum vel *etiam* [10] satellitem; quae actio, etiam servato moderamine iusto, indigere posset usu armorum maximae potentiae. Si autem scopus legitimus armorum nuclearium exsistere revera possit (et mea sententia ita est), Concilium non debet condemnare possessionem et usum omnium horum armorum tamquam per se et ex necessitate malum.

2. Recordandum est responsabilitatem pro usu armorum nuclearium, et pro omnibus in pace et bello decisionibus, penes esse eos qui supremam in Statu auctoritatem exerceant. Concilii officium est manifestare affectum suum et observantiam erga eos qui hoc tantum onus sustineant. Gubernatorum enim rei publicae officium est protegere non tantum vitam et res suorum civium, sed etiam magis bona spiritualia et culturalia, quae sunt populi vel nationis hereditas. Gubernatores quidem graviter obligantur facere quantum possunt ut iustitiam promoveant bellumque impediant. Hoc facere debent quoad fieri potest modis pacificis: sed fieri potest ut in quibusdam circumstantiis secura pax habenda est tantum illo *aequilibrio,* ut dicitur, *terroris,* minando usum armorum nuclearium ut iniusta deterreatur aggressio. Ne facilius condemnemus illos gubernatores civitatum qui his mediis adhibitis pacem quamvis labilem retinent in hoc mundo et retinuerunt. Illis innumeri homines gratias agere debent. Concilium ergo manifestet se non postulare a gubernatoribus rerum publicarum ut decernant sic dictam unilateralem dimissionem armorum nuclearium; solummodo quod verum et forte proximum sit periculum ne haec arma iniusto et immorali modo adhiberi possint. Alteram praebere maxillam consilium perfectionis est, sed individuis dictum, non gubernatoribus civitatum qui officio gravi tenentur defendendi cives auctoritati suae commissos.

3. Spero fore ut textus schematis, in linn. 25-35, roboretur. Primum et quidem gravissimum officium omnium gubernatorum est strenue et practice operam dare ut fiat ille ordo inter nationes in quo bellum tamquam instrumentum consilii omnino proscribatur. Itaque Concilium iterare debet doctrinam *Summi Pontificis* [11] Pii XII et Ioannis XXIII de officio gubernatorum laborandi ut fiat dimissio armorum organica, progressiva et mutuo consensa « ut bellica instrumenta » (verbis Ioannis XXIII utor) « ut bellica instrumenta, quae variis civitatibus praesto sunt, hinc inde, per idemque tempus minuantur » ...[12], ut sic praebeatur (ut postulavit Pius XII) aequalis incolumitas pro omnibus populis (« lo stabilimento di una eguale sicurezza per tutti i popoli »; *verba Summi Pontificis; intonatio forsan barbarica!* [13]). Concilium fortiter asseverare debet ab omnibus hominibus, *civibus etiam ac moderatoribus,*[14] officium accipiendum esse nitendi ut ordo iustitiae inter nationes construatur et constituendi media iuridica et administrativa quibus discordiae inter nationes pacifice solvi possint. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Nomine plurimorum episcoporum Angliae et Cambriae loquor. De par. 25 huius schematis sub titulo De pace firmanda, loqui velim, tres animadversiones faciendo. [2] schematis. [3] Obiective et aequi-

libriter doctrinam sanam de bello et pace proponit. [4] deest. [5] pag. 31, linn. 4-10. [6] deest. [7] deest. [8] Schema etiam locum habere debet in quo referri possit ad doctrinam Pii Papae XII de modis bellandi qui biologicus et chimicus vocantur, de quibus textus nihil dicit. [9] (*Pacem in terris*: *A.A.S.*, 1963, pag. 286-7). [10] missile. [11] deest. [12] (*Pacem in terris*: p. 287). [13] deest. [14] deest.

Secretarius generalis: Iam dixi quoad libellum, quoad opus — melius — *Il Vangelo nei Concili,* Peritos posse accipere illud apud Bibliothecam Vaticanam. Nunc mihi communicant eos posse accipere librum ab hodierna die usque ad sabbatum, horis ab 16 ad 19.

6

Exc.mus P. D. CANDIDUS RADA SENOSIAIN

Episcopus Guarandensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine plus quam 70 Patrum ex variis nationibus.

In nostri schematis conclusione mentio fit de variis interlocutoribus quibus dirigitur schema, inter quos athei. De atheismo quaedam addere velim in linea eorum quae prae ceteris ab em.mis DD. Suenens, Alfrink et Silva Henriquez proposita sunt, sed [1] sub peculiari quodam respectu, sub respectu nempe libertatis.

De hac *libertate* [2] enim homo modernus, et in specie humanissimus atheus, maxime sollicitus est. Atheus modernus videtur magis curare de sua liberate quam de sua felicitate.

Problema libertatis ponitur igitur in centro dialogi cum mundo. Quaestio solvenda haec est: utrum et quomodo Ecclesia aspirationibus libertatis hominis hodierni respondere possit?

Ergo agam: 1. De libertate in hodierno humanismo atheo; 2. De dialogo Ecclesiae cum humanismo atheo.

I. In humanismo atheo positio fundamentalis non est negatio Dei, sed affirmatio hominis. Ad negationem Dei ideo pervenitur, quod ipse cum affirmatione hominis coëxistere nequit. Homo fit atheus, ut esse possit humanista.

Fundamentum humanismi athei est proinde affirmatio valoris, dignitatis hominis. Profecto, dignitas *diverso modo* [3] intelligitur a variis formis atheismi, sed aspectus eius praecipuus est pro omnibus, in specie pro *atheismo,* [4] libertas. ...[5] Cum autem libertas sit plenitudo hominis,

liberatio humanisationem constituit, nempe transitum ab aetate infantili ad aetatem adultam.

Ad hanc libertatem pertinet reiectio dominationis Dei et Ecclesiae, quae formam radicalem servitutis repraesentat.

...[6] Atheismus hodiernus est mystica libertatis.

II. *De dialogo Ecclesiae cum humanismo atheo.* Dialogus autem non tantum in eo esse potest, quod conceptio atheistica libertatis reiciatur, sed in eo consistere debet, quod ipsa *conceptio*[7] in novam ditioremque visionem libertatis assumatur. Hinc necessitas cuiusdam theologiae libertatis, qua sensus et aspectus libertatis hominis et christiani elucidentur.

Hoc loco tantum possibile est indicare quaedam themata ...[8]

1. Vocatio hominis sive naturaliter sive praesertim supernaturaliter considerati, est « vocatio ad libertatem » ...[9]. In historia salutis thema libertatis est omnino centrale, sive in antiquo Testamento sive in novo. Salus enim est liberatio hominis a servitute peccati, Satanae, mortis ...[10], eiusque accessus *ad libertatem*[11] filiorum Dei ...[12], « qua libertate Christus nos liberavit » ...[13]. Missio Christi in eo essentialiter est, quod hominem redimat seu liberet ...[14]; Ecclesia vero, « populus acquisitionis » ...[15], est locus libertatis.

2. Profecto, libertas christiana haberi nequit ut absoluta independentia, sed ut independentia ab illis omnibus, quae plenitudini vitae et amoris in homine opponuntur. Israël a servitute Aegypti liberatur ut ad terram promissionis accedere possit ...[16]

3. Liberatio *christiana*[17] radicaliter attingitur in mysterio paschali cui homo primo participat ope baptismatis ...[18]; et consummatur *in caelo, qui est locus supremae libertatis.*[19] Existentia autem hominis totiusque populi Dei, inter libertatem initialem et libertatem finalem transcurrens, est motus continuus liberationis. Munus *autem liberationis*[20] tribuendum est orationi, sacramentis, atque integrae vitae morali ...[21], quam non ut servi, sed ut amici et filii christiani ducere debent. *Homo enim, qui sine Christo nihil facere potest, in ipso omnia potest.*[22]

...[23]

5. Rebus sic stantibus, munus specificum Ecclesiae est quidem liberatio sed non liberatio a servitutibus ordinis profani, v. g. politicis, socialibus, oeconomicis, etc. Unde ipsa cum nullo motu temporali liberationis identificari potest. Quae confusio iam temporibus Christi orta erat, et delusionem populi genuerat: « Nos autem sperabamus quod ipse redempturus esset Israël » ...[24] « *Reddite Caesari quod est Caesaris, reddite Deo quae sunt Dei* ».[25]

Attamen libertas christiana exerceri debet in mundo, et quidem magna ex parte circa valores profanos ...[26] *Hoc autem duo secumfert*:

a) Quod homo eos *valores*[27] non prosequatur ut fines omnino absolutos ...[28]. In « aversione a creaturis » sic intellecta consistit paupertas spiritus, quae proinde est aspectus libertatis christianae.

b) Libertas christiana *requirit*[29] ut homo ita valores profanos dominetur, ut ipsi ad finem hominis integralem positive conferant; requirit scil. tales infrastructuras, quibus homo vitam homine dignam ducere possit ...[30]. Unde tota aedificatio civitatis terrenae a christiano peracta intelligenda est ut motus ordinatus ad libertatem filiorum Dei promovendam.

Concludendo, propono *igitur*[31]: 1. Ut in lumine theologiae libertatis enucleentur vocatio hominis integralis eiusque dimensiones, de quibus in cap. I; et dignitas personae *humanae,*[32] cuius tractatio a cap. IV ad I transferenda videtur.

2. Ut in lumine theologiae libertatis declarentur in cap. II et III relationes inter munus *liberationis*[33] Ecclesiae et aliarum institutionum.

3. Ut in cap. IV problemata particularia de civitate terrestri aedificanda habeantur etiam ut aspectus liberationis hominis.

Venerabiles Fratres, homines nostri temporis tam profunde suae libertatis solliciti, illam conceptionem existentiae eligent, quae suam libertatem melius tueri et exaltare videatur. Praesens schema ad hoc conferat oportet, ut homines illam libertatem eligant, qua Christus nos liberavit: unde « occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in mensuram aetatis plenitudinis Christi » ...[34]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Quaestio de dignitate personae humanae est summi momenti sive in se ipsa sive ad dialogum cum mundo hodierno, in specie autem cum humanismo atheo, instaurandum, ita ut quaerendum sit cur non potius in cap. I, in contextu scil. vocationis hominis integralis, pertractetur. De hac quaestione agere velim. [2] deest. [3] diversimode. [4] marxismo. [5] Haec autem in eo est, quod homo sit dominus suiipsius, artifex propriae historiae et destinationis, verus demiurgus. Porro libertas ut sit authentica, debet esse totalis, unde speciem cuiusdam asseitatis praebeat. Tamen ipsa nondum revera totalis est, cum homo multiplicibus servitutibus seu alienationibus subiiciatur: fit itaque simul ideale ethicum, cui tota vita humana tendere debet, quae proinde concipienda est ut motus liberationis. [6] Quae cum ita sint, liberatio quam homo prosequitur, et quae sensum suae exsistentiae constituit, intra limites terrenos realizari debet. Motus emancipationis terrenus acquirit ita altissimum valorem humanum, et penetratur afflatu quasi mystico. [7] deest. [8] de quibus in schemate rationem habendam esse putamus. [9] (*Gal.* 4, 26. 31; *1 Cor.* 7, 22; *2 Cor.* 3, 17). [10] (*Rom.* cap. V ss.). [11] « in libertatem

gloriae ». [12] (*Rom.* 8, 12). [13] (*Gal.* 4, 31). [14] (*Lc.* 4, 18). [15] (*1 Pt.* 2, 9). [16] Libertas enim maneret vacua et sterilis, nisi valores prosequi posset, qui suis aspirationibus plene responderent. [17] christiani. [18] (*Rom.* 6, 16). [19] resurrectione finali, qua mors in victoria absorbitur (*1 Cor.* 15, 53-57). [20] itaque liberator. [21] Specialiter extollendum est munus liberator vitae moralis. [22] deest. [23] 4. In hoc motu liberationis, ipsum hominem efficaciter agere affirmandum est, eiusque liberatio haberi nequit ut mera imputatio externa meritorum Christi. Quamvis enim culpa originalis vires hominis minuerit, naturam eiusque capacitates non abstulit. Attamen destinatio hominis tam alta est, ut vires hominis ad ipsam attingendam non sufficiant: homini itaque Deus, et Salvator noster J. C. succurrunt. Vi autem participationis ad vitam divinam et incorporationis in Christo, efficacitas activitatis hominis non aufertur, sed extollitur. Homo enim, qui sine Christo nihil facere potest (*Io.* 15, 5), in ipso omnia potest (*Phil.* 4, 13). [24] (*Lc.* 24, 21). [25] deest. [26] ad quos ita homo se habere debet, ut ipsi eius ordinationem ad valores religiosos non impediant sed promoveant. [27] deest. [28] sed ab eis ita se independentem servet, ut eos semper valoribus superioribus in casu conflictus sacrificare paratus sit: secus enim prosecutio valorum effectum dishumanisantem obtineret. [29] non tantum requirit ut valores profani hominem a valoribus superioribus non avertant, sed. [30] Ubicumque tale ius laeditur, ubicumque homo huiusmodi bonis privatur, adest aliqua alienatio, aliqua servitus. Profecto talis servitus per se libertatem christianam non aufert, sed in concreto eius exercitium saepe impedit, et aliquando moraliter impossibile reddit. Quapropter, quamvis liberatio ab his servitutibus non sit directe ab Ecclesia intenta, tamen ab ipsa requiritur. [31] deest. [32] deest. [33] liberator. [34] (*Eph.* 4, 13).

7

Exc.mus P. D. GEORGIUS HAKIM

Episcopus Ptolemaidensis

Venerabiles et carissimi omnes,

In principio laborum Concilii huius fuit *Nuntius ad universos homines*. Ab hac die usque nunc, exspectaverunt homines qui hunc Nuntium receperunt responsum Ecclesiae quaestionibus suis, tam gravibus et amplis. Vae Ecclesiae et mundo, si exspectatio haec et spes frustrarentur!

Atqui schema qui nobis praesentatur, etsi valde necessarium et bona elementa continens, mihi videtur huic exspectationi non respondere. Satis implicatum apparet, saepe paternas exhortationes praebet, longe distantes a positionibus expressis ac claris, quae velut chartam praeberent nostri temporis, necnon principia venturi commercii inter christianos et mundum huius temporis.

Priorum Conciliorum canones exemplum praebent huiusmodi positionum, quid perfecte conveniret *in punctos*[1] de quibus in par. 23, 24 et 25 schematis ...[2]

Ut melius intellegeretur quod dico, exempli causa sequentia proponam.

1. (*De sensu laboris hominum in consilio Dei*). Per operositatem suam homines creaturam, immo ipsum hominem, ad meliorem mundum perficiunt.

In Iesu Nazareno labor nobilitatur, ac locum invenit in vita spirituali et in Redemptione.

Homines omnes ius habent primigenum ex labore suo tutiorem reddere vitam propriam et familiae, dignitati veri hominis et filii Dei congruentem.

Opifex pecuniis toto caelo dignior est.

Intrinsece malum est laborem sic ordinare ut homo labore ipso vel condicionibus eius minus homo fiet.

Pars redditibuum opificibus distributa respondere debet iustitiae personali ac sociali, secundum praestantiam opificum super pecunias, secundum partes diversas in fructuositate, et secundum progressus temporum.

2. (*De sensu proprietatis ac pecuniarum*). Dominium rerum frugiferum dominationem hominum nullo modo importat, sed contra uniuscuiusque hominis incrementum favere debet.

Proprietas rerum frugiferum privata non est axioma intangibile et a sociali doctrina Ecclesiae ut absolutum agnitum, sed est via contingens ad procurandam communem bonorum destinationem.

Ecclesia nullo systemati oeconomico, sociali aut politico est ligata: favet conatus universorum hominum ad bonum commune promovendum.

3. (*De materialismo et atheismo*). Duplex est materialismus et atheismus, theoreticus ac practicus.

Damnandus est materialismus et atheismus practicus aeque ac theoreticus, quia per multas vias animum dominandi, lucrandi et fruendi fovet, et lues eius inter nationes quae christianae vocantur late diffunditur.

Cum atheismo marxistico, damnanda non sunt indistincte regimina diversa plus minusve socialista dicta, in multis regionibus diffusa.

4. (*De hominum aequalitate*). Damnanda est omnis discriminatio stirpis, religionis, sexus vel ambitus socialis, tam in legibus tam in moribus.

Damnandi sunt homines qui aliis hominibus abutuntur, in re sive oeconomica, sive sociali, sive politica.

5. (*De solidarietate internationali et pace*). Damnandum est bellum nucleare, necnon bacteriologicum vel chimicum, quod sine discriminatione homines tangit.

Fames multorum hominum clamat ad divitiores populos, ut opibus, arte ac fraterna caritate, sine cunctatione vel avaritia, auxilium praebeant populis minus evolutis.

Denuo declarentur media verae pacis socialis et internationalis fundatae super iustitiam, libertatem et fraternitatem.

Laudandae sunt institutiones, tam sociales quam internationales, in quibus homines consociati ad verum progressum hominum laborant.

Monendi sunt christifideles ut in simplicitate et prudentia activam praesentiam habeant in huiusmodi institutionibus ...[3]

Homines hodierni exspectant verbum clarum, expressum, sine ambiguitate. Humillime exemplum styli huius proponere conatus sum, conscius praeterea quod valde imperfectum est. Laborent peritiores ad meliorem loquendi modum.

Concludo. Venerabiles Patres, die 13 octobris anni 1962, in nuntio supra memorato, scripsimus: « Ex omni natione quae sub caelo est adunati, omnium populorum nobis creditorum in cordibus nostris gerimus aerumnas, corporis et animae angustias, dolores, desideria, spem. Ad omnes anxietates, quibus hodie homines punguntur, instanter animum intendimus. Convolet imprimis igitur sollicitudo nostra ad humiliores, pauperiores debilioresque; Christum sequentes, misereamur super turbam fame, miseria, ignorantia laborantem; constanter in eos respicientes qui, deficiente auxilio opportuno, nondum ad vivendi rationem homini dignam pervenerunt ».

Per tres annos in sessionibus laboravimus. Numquid verba haec memorati sumus? Quid practice fecimus, ut etiam externe reformentur quae obsoleta sunt et minus pauperum apostolis congruentia?

Saltem necesse est, ut claras et praecisas responsiones demus quaestionibus nostri temporis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] post studium punctorum. [2] per modum conclusionis. [3] 6. (Varia). Ius habent omnes homines ad bonum finem sese consociandi. Etatismus totalitare contrarium est dignitati personae humanae. Coram divortium inter Ecclesiam et opifices in nonnullis nationibus exsistens, iam a Pio XI in Enc. *Quadragesimo anno* denuntiatum, favenda sunt incoepta sive christifidelium sive presbyterorum, quae tendunt ut revera pauperes evangelizentur.

Secretarius generalis: Velitis audire, Patres, et exspectare aliquantisper. Summus Pontifex coram admittet die 12 novembris, hora 18 cum tribus quadrantibus, episcopatus ex Australia, Melanesia, Micronesia, Nova Guinea, Nova Zelanda et Polinesia.

Illi Patres, qui hos episcopatus repraesentant, velint se conferre vel crastina vel tardius feria quinta mane, ad Officium Praefecti Cubiculi Apostolici, ut iam dixi pluries. Gratias.

8

EXC.MUS P. D. MAURITIUS RIGAUD
Episcopus Apamiensis

Venerabiles Patres,

In nomine octoginta Patrum, sive Galliae sive ex variis nationibus,[1] loquar de paragrapho septima n. 24: nempe « de Institutionibus internationalibus ».

In schemate in quinque lineis coarctatur tota materia de his institutionibus. Quod omnino insufficiens videtur, cum hae institutiones tam multa et tam magna iam fecerint in campo internationali et tam magni momenti remaneant ad progressum oeconomicum et socialem promovendum, necnon ad instituendam « solidarietatem » inter nationes et ad pacem in mundo firmandam.

Haec propono igitur ut paragraphus amplificetur:

1. Concilium deberet in memoriam caute revocare quantum necesse sit *ut ipsa structura Organizationum Internationalium renovetur.*

Schema sane de hac necessitate alludit, sed nimis scopum restringit statim addendo: « ut gentes in dies magis fraternitate mutuoque regantur auxilio », quod insufficiens est. Hodie quidem adsunt organizationes multae et magis magisque complexae; sed non satis inter se connectuntur; immo — quod gravius est —, non complectuntur structuram oeconomicam huius temporis in sua mundiali amplitudine. Itaque nec possunt integre aspicere nec efficaciter afficere.

Prae oculis habeamus hanc veritatem, venerabiles Fratres: Scopus essentialis, ad quem praeprimis tendendum est, est *progressus universalis* (le développement universel), i. e. promotio totius mundi in omni campo, in quocumque ordine et non tantum in ordine oeconomico, quia saepe fit ut expansio oeconomica non omnibus sed paucis proficiat, non pauperibus maiorem iustitiam afferat sed divitioribus maiores divitias.

Progressus universalis, de quo loquimur, ad hoc tendit ut omnes

populi minus evoluti (tous les peuples sous-développés), ut omnes coetus sociales horum populorum (*toutes les couches sociales de ces peuples* [2]) promoveantur in ordine humano, sociali, technico et culturali.

Sane, ad Ecclesiam non pertinet lineas definire de oeconomia mundi gerenda, sed ad peritos et ad omnes qui rebus publicis praesunt. Attamen munus Ecclesiae, mediante Concilio, est hortationes Evangelio consentaneas facere ut paulatim et caute progrediatur ad cooperationem quae sit stabilis, quae profundior et amplior paulatim evadat, quae aequilibrium dynamicum sustineat ad instaurandam communitatem populorum et pacem inter populos.

2. Concilium deberet clarius monere christianos quae facere possint et debeant erga Institutiones Internationales sive iam existentes sive in futuro instituendas.

Haec responsabilitas christianorum sub triplici aspectu consideranda est:

a) *sub aspectu opinionis publicae apud christianos* vigentis. Debent enim christiani tales institutiones non solum magni habere sed suscitare opinionem publicam quae eas secundet et commendet his qui rebus publicis praesunt. Debent etiam dialogum instaurare non tantum individuorum cum individuis sed coetuum cum coetibus (le dialogue au plan collectif);

b) *sub aspectu praesentiae christianorum* in his institutionibus. Qui in his institutionibus intersunt moveri debent spiritu servitii et abnegationis ita ut non propriis commodis nec propriae gentis indulgeant sed ut pro bono communi totius mundi imprimis adlaborent;

c) *denique sub aspectu cooperationis*. Optandum est ut diversae Organizationes Catholicae in campo internationali existentes se invicem adiuvent ad diffundendam authenticam formationem inter christianos circa ea quae vitam internationalem spectant et ad dialogum supradictum cum aliis Institutionibus instaurandum. (*Les organisations catholiques internationales peuvent entamer le dialogue au plan collectif avec les autres organisations* [3]).

3. Etsi haec problemata praecipue ad laicos pertineant, tamen summopere optandum est ut Ecclesia curet aliquos sacerdotes instituendos in doctrina tam oeconomica quam sociali, et quidem in optimis scholis et in clarioribus Universitatibus, ita ut adsint in quacumque natione, immo si possibile est, in quacumque regione, sacerdotes qui, vere periti harum doctrinarum, pares sint ad iuvandos christianos in his institutionibus praesentes et ad opinionem publicam efformandam in Ecclesia.

Quaedam in Annexis pag. 56 dicuntur, et optandum est ut hic inserantur.

Et emendationes meae traditae sunt secretariae generali.[4] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest.

Animadversiones additae:

1. In fine par. 7 post verba « mutuoque regantur auxilio » addatur: « cum respectu ad structuram universalis oeconomiae hodiernae necnon ad primatum progressus humani universalis ».

2. In pag. 8, lin. 9, post « opinionem publicam » addatur « peculiari modo circa momentum et actionem Institutionum internationalium, actione propria organizationum catholicorum internationalium non neglecta ».

3. In par. eadem, lin. 10, post « politicorum exercitio » addatur « necnon agendo intra organizationes internationales etiam catholicas cum spiritu servitii, abnegationis maximaeque efficacitatis, in quantum possunt, ad bonum commune mundiale promovendum ».

[*Subscripserunt etiam*] Card. Richaud; card. Lefebvre; P. Boillon, ep. Verdun; R. J. Piérard, ep. Châlons; R. Johan, ep. Agen; M. Maziers, aux. Lyon; J. Guyot, ep. Coutances; G. de Milleville, ep. tit. Gabala; A. Marie, ep. Cayenne; M. Rousseau, ep. tit. Ausafa; H. Varin de la Brunelière, ep. Fort de France; J. Weigl, ep. Ikela; A. Makarakiza, ep. Ngozi; G. Béjot, aux. Reims; A. Malbois, aux. Versailles; J. Guilhem, ep. Laval; Ch. de Provenchères, arch. Aix; J. Urtasun, arch. Avignon; Cl. Dupuis, arch. Albi; J. de Cambourg, ep. tit. Eutime; G. Garrone, arch. Toulouse; M. Dubois; H. Donze, ep. Tulle; G. M. Riobé, ep. Orléans; E. Guerry, arch. Cambrai; J. Martin, arch. Rouen; G. Barthe, ep. Fréjus-Toulon; R. Bezac; P. Vignancour; H. Jenny, aux. Cambrai; F. Kervéadou, ep. St. Brieuc; R. Boudon, ep. Mende; Pierre-M., ep. Carcassonne; S. Desmazières, ep. tit. Biblo; A. Cazaux, ep. Luçon; A. Pailler, arch. coad. Rouen; P. Gouyon, arch. Rennes; M. McGrath, ep. S. Jacobi in Panama; P. Rougé, ep. Nîmes; L. Lebrun, ep. Autun; J. Gay, ep. Guadaloupe; P. Robert, ep. Les Gonaïves; J. Ménager, ep. Meaux; M. Vial, ep. Nevers; J. Lamartine Soares, ep. tit. Fussala; A. de la Brousse, ep. Dijon; F. Zayek, ep. tit. Callinico; P. Tobar, ep. Cuttack; Cl. Colling, ep. Passo Fundo; A. Machado, arch. Maceiò; A. Fragoso, ep. Crateùs; Cl. Isnard, ep. Novo Friburgo; A. Kérautret; C. Padin, aux. Rio de Janeiro; G. Louis, ep.; A. Bréheret, ep. Cahors; N. Geise, ep. Bogor; J. Buchkremer, ep. tit. Aggar; G. Garavito, ep. tit. Ciparissia; J. V. Távora, arch. Aracajù; Avelar, arch. Teresina; Ioseph Petrus, ep. Caetité; J. B. de Mota e Albuquerque, arch. Vitoria; José, ep. Garanhuns; Manuel, ep. Caicò; J. Grossi, ep. Bom Jesu de Lapa; J. Terceiro de Souza, ep. Penedo; F. Austregesilo de Mesquita, ep. Afogados da Ingàzeira; V. de Araújo Matos, ep. Crato; M. Pereira, ep. Campina Grande; Th. Vaquero, ep. S. Joâo da Bôa Vista.

9

Exc.mus P. D. ALOISIUS YAÑEZ RUIZ TAGLE

Episcopus Sanctae Mariae Angelorum

Venerabiles Patres,

Nomine 70 Patrum loquor.[1] Procul dubio schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* praecipuum est inter omnia schemata Concilii, cum, eo mediante, enixum desiderium Summi Pontificis Ioannis XXIII, sanctae memoriae, aptatae renovationis seu « aggiornamento » Ecclesiae adimpleatur.

In genere schema mihi placet, sed, *cum multis,*[2] « iuxta modum ». In textu cap. IV schematis egregie agitur quomodo christiani in exstruenda civitate terrestri cooperare queant, sed, non integra doctrina socialis Ecclesiae tractatur. Deest praecipua pars: caritatis et iustitiae socialium specialis perspicuaque tractatio.

Prae oculis habere debemus factum huius saeculi, ubique terrarum, anxietatem populorum, quae ansam communistis praebet ad ingens eorum incrementum. Omnes, praesertim Ecclesia, conscii sumus de extrema fame ac miseria multarum gentium, ut, in sua Encyclica *Mater et Magistra,* Ioannes XXIII ait: « Nos igitur, qui homines universos diligimus tamquam filios, Nostrarum esse partium arbitramur, hoc loco illud apertissime in medio ponere quod alias monuimus: In nos ad unum omnes cadere, quod populi tenuitate victus omnino vexentur. Qua propter, opus esse, ut in singulis, ut generatim in omnibus, praesertim autem in opulentioribus huius conscientia officii incitetur » ...[3]. Populi suum ius repetunt, iustitiam clamant. Schema ait: « S. Synodus Ecclesiae filios alloquitur, ut coniunctis viribus partem suam praebeant in mundo secundum spiritum Christi aedificando ». Tunc, estne fas Concilio hac in opportunitate, quando filii Ecclesiae numerosi lugent et iustitiam clamant, silere? Potestne Concilium nihil de iustitia, speciali modo, dicere vel rem tanti momenti per transennam perstringere, quando omnes omnino verbum Ecclesiae ad problemata socialia indigentium solvendum expetunt? Nos vocati sumus ab Augusto Pontifice, feliciter regnante, Paulo VI, non multum ad loquendum, sed ad doctrinam Ecclesiae docendam. Proinde, quid Concilium de iustitia sociali dicit? ...[4]

De iustitiae socialis conceptu dissentiunt auctores. Proinde, spes, quae tempore promulgationis Litt. Enc. *Quadragesimo Anno*, eluxit, fere exstincta est. Attamen parum vel nihil in mundo possumus facere, nullum problema solvere, si flamma virtutis iustitiae non illuminet in-

telligentias hominum et corda. Haec enim virtus suum exercet influxum in omnibus structuris societatis civilis, ita ut ordo socialis vel oeconomicus vel politicus nullatenus est immunis ab imperativo huius virtutis. Immo et pro Ecclesia in suis relationibus cum aliis societatibus et in suo proprio labore pastorali, iustitia socialis lumen est et regula. Proinde, vix impossibile est concipere quamcumque societatem, immo eam structurare et rectum ordinem socialem in ea instaurare, nisi prae oculis habeatur quid iustitia socialis postulet, permittat et imponat.

Conclusio. 1. Credo absolute necessarium esse quod Sancta Synodus de iustitia sociali aliquid specialiter dicat. In cap. IV schematis paucitas nomen eius apparet. Caput speciale est ei consecrandum, in quo eius natura, eius tendentiae atque eius importantia adamussim tractentur.

2. Mihi videtur commissionem schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* non tantum a theologis, etiamsi ornatissimi ...[5] sint quia Patrum conciliarium sunt luces, sed a technicis, in re socio-oeconomica, esse debere integratam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] (*Mater et Magistra*, Tipografia Poliglotta Vaticana p. 42, n. 169). [4] Nos esse debemus « lux mundi ». [5] viri.

10

Exc.mus P. D. MARCUS GREGORIUS McGRATH

Episcopus S. Iacobi Veragüensis

Venerabiles Patres et omnes carissimi adstantes,

Loquor nomine plus quam 70 Patrum, praecise de methodo servanda in confectione huius cap. IV, necnon totius schematis nostri de Ecclesia in mundo huius temporis.[1]

Dum nos schema hoc in Concilio adhuc deliberamus, ubique eduntur commentaria in ephemeridibus de hoc quod mundus a nobis *expectat ut in schemate dicamus*.[2] Hoc iam est unum inter potiora signa nostri temporis, nempe quod Ecclesia non dubitat *ne*[3] suam vocem *attente*[4] auscultetur a permultis hominibus in universo orbe, etiam ab illis qui religionem aperte oppugnant. Sedulo perpendendum est hoc signum temporis. Tempus non longe abest quando inter mundum modernum cum suis tendentiis propriis et Ecclesiam magnus aderat abyssus et summa sive indifferentia sive diffidentia.

Quid sibi vult huiusmodi mutatio, *huiusmodi* [5] sympathia, *ut ita dicam,*[6] mundi pro nostro Concilio? ...[7] Quomodo fit *etiam* [8] ut schema nostrum nunc inde ab initio *dicit* [9] Ecclesiam sese identificare cum omnibus conaminibus progrediendi mundi huius temporis? Vix possumus *affirmare* [10] mundum simpliciter magis christianum esse hodie quam ante centum annos, praecise quando nunc atheismus officialis gubernat plures nationes olim christianas vel olim profunde traditionibus spiritualibus dicatas, et quando agnosticismus etiam in *tantis* [11] aliis nationibus scatet inter tot scientificos, litteratos et moderatores reipublicae. Alibi ratio ...[12] dialogi invenienda est, nempe in sua genesi historica.

Hic novus [13] dialogus Ecclesiae cum mundo non incipit cum nostro schemate. Ex parte Ecclesiae initium habuit in sincero conamine, inde a saeculo praeterito, plurimorum episcoporum, sacerdotum et laicorum in Europa et alibi qui voluerunt progressum modernum iterum in Evangelio *fundare* [14] et ab ipso melius *explicare.*[15] Imprimis notandum est, *cum Encyclica* [16] *Ecclesiam suam,* quantum Summi Pontifices inde a tempore Leonis XIII, locuti sunt aperte et positive de omnibus illis valoribus humanis motuum scientifici, socialis et politici nostri temporis. Ex hoc ...[17] noviter ortus est dialogus inter Ecclesiam et mundum...[18]

Et bene [19] notandum est hoc factum, *quia debet dominari methodo nostri laboris in hoc schemate.*[20] Mundus qua talis, et etiam christiani qui in mundo laborant, exspectant a nobis, *in hoc schemate,*[21] ut loquamur praecise de illis qui mundo intersunt ...[22]

Ne ...[23] dicatur Synodus catholicos tantum adloqui in schemate proposito. Utique illos directe adloquimur, sed in quantum in mundo degunt et eius magna problemata experiuntur. Illos adloquimur in quantum ex eorum vocatione peculiari munus habent ope Evangelii mundum illustrandi ac Christo consecrandi. Illos adloquimur in quantum ...[24] quotidie cum aliis omnibus hominibus vivunt et collaborant ad optatum progressum mundi civilizationis et culturae consequendum. *Et* [25] denique, dummodo catholicos adloquimur conscii sumus alios permultos ubique terrarum nos etiam ...[26] audire. Non desunt *etenim Patres qui voluerint schema* [27] expresse omnibus hominibus dirigere.

Haec omnia nobis imponunt modum *seu stylum* [28] nostri dialogi, *de quo tam pulchre scripsit Sanctissimus Pater Paulus VI in tertia parte Litterarum suarum Encyclicarum Ecclesiam Suam. Sed hic stylus, seu modus vel methodus, non tantum affectat modos loquendi, nec tantum problemata quae tractantur, sed etiam modum in quo problemata exponuntur. Haec problemata actualia nostri temporis sunt punctum commune a quo dialogus noster initium suum capere debet cum mundo, sicut in prooemio schematis annuntiatur, scil. ex communi conatu*

progrediendi his in terris, ex ipsis signis temporum, ex ipsis maioribus problematibus hominum huius temporis; et sic debet candide et sobrie prosequi, sine omni praedicatione pia vel excessiva moralisatione. Ex hoc consequitur — et hoc est punctum principale mei interventus — ut [29] expositio initialis, quae nunc in prooemio nimis *brevis* [30] facta est, debet amplius describere verum statum universi mundi antequam initium habeat in sequentibus capitibus, quae nunc I, II et III sunt, excursus de anthropologia, seu de integra vocatione hominis, et de relatione Ecclesiae et *christianis ipsis* [31] ad vocationem totius humanitatis. Etiam quando de vocatione hominis loquimur, necesse est ut clarius perprius ponatur interrogatio quae revera fit in mundo, tum in occidenti cum in orienti, de sensu humanae vitae super terram. Sic etiam debemus concreta particularia in cap. IV et in annexis *proponere, scil.* [32] incipiendo a problematibus sicut ab hominibus in mundo *concipiuntur vel saltem* [33] videntur.

Si sic procedimus verus erit dialogus, quia non loquemur antequam audivimus; nec responsiones dabimus antequam sciamus quid sit quaesitum; nec videbimur ignorare et magnos valores modernae civilizationis sicut nec eius magna pericula. Nostra responsio non debet, *certo certius,*[34] carere neque luce evangelii neque *theologia catholica* [35] de valore ...[36] rerum terrestrium. Nostrum munus est praecise *de his loqui, seu* [37] Evangelium *praedicare.*[38] Attamen haec doctrina, haec theologia, praesertim in hoc schemate, debet esse eminenter pastoralis, ideoque applicata ad problemata realiter existentia, sibi sumenda etiam et « valorizanda », ut ita dicam, omnes veri nominis valores mundi actualis.

Venerabiles Patres, mea humillima opinione, hic modus expositionis, qui a factis oritur, maximi momenti est pro toto schemate et pro eius continuatione in futuro dialogo prolongando cum mundo pro unoquoque episcopo in sua propria dioecesi et in sua regione.[39] Ecclesia adhuc videtur multis inimicam esse progressus in rebus temporalibus, non quia *non habet doctrinam claram et sanam, sed quia haec doctrina non bene ab omnibus intelligitur in connexione cum problematis hominum nostri temporis. Saepe videmur non-catholicis, quando mundo loquimur, sicut medici qui remedia omnia cognoscunt, sed infirmitates seu valetudinem patientis ignorant.*[40]

Patet — *et cum hoc concludo* [41] — quantum haec observatio significat pro nostro mundo hodierno *in quo* [42] nimis frequenter christiani videntur passive *ante problemata nostri temporis, sicut ante* [43] evolutionem *nostrorum* [44] temporum, ignorantes *historiae eiusque significationis,*[45] dummodo alii, praesertim marxistae, sese ostendunt ut illi qui non tantum historiam intelligunt sed eam etiam agunt ad fines praedetermi-

natos paradisi in hac terra. Evangelium praedicatum a marxistis est tristis reductio spei christianae in aliquod caelum materialem et fictitium in terra. Hoc omnes novimus. Sed ...[46] nisi *christiani*[47] verum Evangelium spei in providenti historia nostrae salutis ...[48] in terris, *in problematibus actualibus nostri temporis et*[49] in caelis clarius edocemus, multi ...[50] credent in falsum *evangelium,*[51] quia sine spe etiam in terris homines ...[52] nostri temporis vix vivere possunt.

Sicut exc.mus relator in initio huius capitis dixit, hoc schema non est nisi initium dialogi cum mundo seu continuatio illius dialogi iam a Summis Pontificibus bene incepti. Debemus in hoc sensu pergere, videntes vera problemata nostri populi, et sic doctrina sana Ecclesiae applicanda his omnibus problematibus.[53] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] in hoc schemate exspectat. [3] quin. [4] deest. [5] haec. [6] deest. [7] Et ex parte Ecclesiae. [8] deest. [9] affirmat. [10] dicere. [11] pluribus. [12] novi. [13] Revera praesens. [14] fundari. [15] explicari. [16] ut fecit S. P. Paulus VI f. r. in Encyclicis Litteris. [17] praecipue. [18] a nobis nunc ulterius protrahendum. [19] Sedulo. [20] deest. [21] deest. [22] Hoc est punctum commune, a quo dialogus noster initium suum capere debet, sicut in prooemio schematis annuntiatur, scil. ex communi conatu progrediendi his in terris, i. e. ex ipsis signis temporum, ex ipsis maioribus problematibus hominum huius temporis, et debet candide et sobrie prosequi, sine omni praedicatione pia vel excessiva moralizatione, quae minus conveniunt huiusmodi dialogo. [23] quis. [24] etiam. [25] deest. [26] attente. [27] propterea inter vos Patres, qui maluerint schema hoc. [28] deest. [29] non tantum in vocabulario seu stylo utendo, sed etiam in quantum ad problemata tractanda et in quantum ad modum procedendi in eorum expositione. Sic. [30] brevi. [31] ipsorum christianorum. [32] evolvere. [33] deest. [34] deest. [35] sincera expositione doctrinae catholicae. [36] et sensu. [37] deest. [38] mundo annuntiare. [39] Hic modus procedendi in huiusmodi quaestionibus non tantum est opportunus ad captandam benevolentiam mundi, sed est etiam omnino iustus et nobis necessarius. [40] de his rebus episcopi et sacerdotes non loquimur, sed quia plerumque nimis modo aprioristico disserimus sine vera cognitione problematum quibus homines anguntur. Sic saepe videmur medici inefficaces esse, qui remedia in vanum praebent quia sive valetudinem sive infirmitatem patientis ignoramus. Sic e. g. debemus de spiritu evangelico paupertatis disserere in nostro schemate, sed hic conceptus fere nihil dicet hominibus nostri temporis nisi noviter enucleetur relate ad novum statum rerum in quo media technica adsunt ut homines omnes aut in abundantia rerum materialium iam vivunt aut recte huiusmodi abundantiam desiderant. Sic iustitiae doctrina mere abstracta manet nisi applicetur post attentam evocationem maximae disparitatis progressus oeconomici inter diversas regiones mundi, quae disparitas subiacet maioribus crisibus mundi actualis. Et ita porro. Doctrina perennis Ecclesiae per huiusmodi applicationes ad vera et bene perspecta problemata et conamina homi-

num nostri temporis evolvitur in meliorem cognitionem ipsius doctrinae ad utilitatem omnium hominum. Liceat mihi adhuc unum exemplum sumere. Ubique hodie homines quaerunt progressum. Quid de progressu autem eis dicimus? Nonne nimis adhuc in Ecclesia auditur de aliqua passiva acceptatione fatus et miseriae hominum, medievali quodam conceptu iuxta quem homo non intendit mundo materiali dominari, sed potius patitur dominio quasi superstitioso mundi elementorum, quasi si sic melius se conformaret voluntati divinae. Sic loquenti mundus attentionem suam non praebet, et recte quidem. De facto, conceptus scientificus qui nunc viget in mundo, iuxta quem homo debet conari mundo dominari et in eius servitium reddere, magis consonat doctrinae biblicae. Sic debet schema aperte declarare, ostendens sensum veri progressus hominis in terra ex fundamentis Bibliae; eodem tempore qualis sit sensus veri nominis progressus in bonum spiritus et gloriam Dei clarius illustratur necnon etiam limites et pericula progressus, quae praesertim ex peccato oriuntur, facilius deteguntur. [41] deest. [42] qui sensum historiae quaerit, et evolutionem populorum promovet. [43] stare ante. [44] deest. [45] historiam eiusque significationem. [46] nullo modo sufficit tales errores tantum refellere. In statu actuali tam mutabili rerum. [47] deest. [48] tum. [49] tum tandem. [50] etiam inter catholicos ipsos, praesertim in nationibus in via evolutionis, facile. [51] evangelii Marx. [52] huiusmodi. [53] Venerabiles Patres, optime dixit relator cap. IV nostri schematis quod in illo initium tantum dialogi facimus cum mundo. Vestigia sequentes summorum Pontificum, qui iam a multis annis in Litteris Encyclicis praesertim de re sociali nobis exemplum et doctrinam praebuerunt, nos omnes nunc, episcopi totius mundi, una cum Summo Pontifice feliciter regnante, active ad tam necessarium dialogum accedimus. Initium capimus. Multa erunt magis particularia dicenda in posterum, a Summis Pontificibus pro universa Ecclesia, et ab episcopis omnibus pro diversis suis regionibus. Spiritus huius dialogi debet vivificare etiam studia futurorum sacerdotum in seminariis. Fatendum est ibi inveniri adhuc multa reformanda et renovanda in spiritu Concilii Oecumenici Vaticani II. Sicut iam sufficere non potest ille tractatus de Ecclesia, fere exclusive apologeticus et canonicus, cui nos studuimus et qui adhuc in multis seminariis docetur; sic nunc plenior meditatio habebitur de Ecclesia, in suo mysterio, in suis membris, in sua constitutione, in sua sanctitate, iuxta doctrinam huius Concilii; ita etiam missio Ecclesiae in mundo vividius apparebit ex methodo adhibenda in praesenti schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* in humile servitium omnium hominum et eorum totalem redemptionem in Christo.

Moderator: Loquatur nunc exc.mus D. Michaël Ngu, qui erit ultimus quoad schema *de Ecclesia in mundo...* Deinde audiamus laicum oratorem, prof. Juan Vazquez, ex Argentina, qui nomine laicorum orationem faciet.

11

EXC.MUS P. D. MICHAËL NGUYEN-KHAC-NGU
Episcopus Longxuyensis

Venerabiles Fratres,

Quando nunc in occidente et etiam in Concilio agitur de populorum solidarietate, et speciatim quando agitur de missionum locis, Asia in genere et Extremum Oriens in specie parvam attentionem obtinent. Huius ratio forsan est quod maior pars Asiae inaccessibilis reddatur ob eius sub potestate communistarum atheorum submissionem, dum altera pars sub continuis eorumdem minis ponatur. Porro relate ad mundum universum, quanti momenti sit Extremum Oriens, cuius sors suum pondus super universi cursum determinative exercere posset.

Venerabiles Patres, ii quorum nationes in statu feliciori et securiori inveniuntur, in hac materia de solidarietate populorum ...[1] vestram attentionem instanter imploramus.

1. Cum nostrae culturae et civilizationes sint plurimillennariae, nolumus ut valores authentici in cordibus nostrorum populorum incisi in ignorantiam aut oblivionem aut despectum eant, necnon in periculum adducantur ab invasione culturae scientificae et technicae quam occidens nobis affert. Contra scientificum et technicum progressum oppositionem certe non habemus. Nam nostris populis talis progressus opus est ut a miseria vitae subducantur et meliorem vitae condicionem adipiscantur. Totis tamen viribus nolumus ut progressus ille nobiles valores paterni patrimonii saecularis in ruinam irreparabilem adducat.

2. In praesentibus circumstantiis, auxilium nationum ditiorum non recusamus. Quo enim auxilio indigemus, et quidem urgenter. Optamus tamen ut tale adiutorium gratuitis motivis concedatur et cum maiore reverentia nostrae personalitatis: dona nedum sint eleemosynae erga pauperes; sint potius actus verae caritatis, immo iustitiae, cum reverentia erga dignitatem humanam quo beneficiarii suum laborem per se et pro se et in melioribus condicionibus exercere possint.

3. In situatione politica actuali Extremi Orientis, securitas vitae non invenitur; omnis progressus paralysi submittitur, omnis vera prosperitas impossibilis redditur. Nonne omnis conatus apponi deberet ut talis situatio in meliores fruges adducatur, saltem in gradu sufficienti, ut bona nationalia et regionalia in normaliori mensura intra cives et populos in distributionem reciprocam perveniant: alii aliis egent ad aequilibrium oeconomicum in communi obtinendum, quin cuiusque indepen-

dentia detrimentum patiatur. Per consequentiae viam, pro oeconomia in communi stabilienda, pro universali progressu scientifico et technico promovendo, pro solidarietatis civilizatione obtinenda firmiter stamus.

4. Conscii sumus nostrum finem non esse imitandi ditiores nationes apud quas bonorum materialium superabundantia saepe saepius tum nobilitatem personae humanae cum spirituales divitias a christianismo allatas infeliciter minuit. Non solum ut christiani, sed etiam ut cives populorum ditissimum patrimonium spirituale possidentium, energice reiicimus omnem materialismum sub quoquo aspectu. Opinamur quod populi magis evoluti ad propria spiritualia bona conservanda aliquos ex nostris valoribus sibi in inspirationem assumere possent. In exemplum praesto sint valores familiae, reverentia erga vitam humanam, auctoritatem et leges naturales, amor recollectionis animi, meditationis et contemplationis. Evangelio animos praedisponunt hae qualitates quae in nostris culturis florent.

5. Hodierno tempore plus quam alias maxime urget formatio peritorum in campo tam scientifico et philosophico quam theologico. Talium peritorum gratia cum non-christianis, qui nunc in periculo variarum superstitionum ac atheismi versantur, constans ac fructuosus dialogus erit possibilis.

Ad formandos huiusmodi peritos opus habemus auxilii populorum magis evolutorum. Nostri studentes in millium numero, praesertim maiori intelligentia praediti, in universitates occidentales ad studia facienda conveniunt. Saepe saepius, proh dolor!, dum in scientificum et technicum dominium feliciter progrediuntur, in campo morali et spirituali miserrime retrogrediuntur.

Venerabiles Patres! Sollicitudinem vestram et adiutorium vestrum imploramus erga hanc iuventutem Extremi Orientis, scientiae avidam, ut praeserventur eius valores morales in medio mundi materialismo imbuti, et si sint christiani, praesertim eorum fides. Pro iis qui christiani non sunt, eorum incolatus in regionibus christianis posset ad Christum praedispositio esse. Dicendum est tamen quod contrarium frequentius accidit!

Concludo. In hoc schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis,* par. 24 « de solidarietate populorum » magis ostendere deberet condiciones concretas, in quibus haec solidarietas erga nationes progredientes exerceri deberet. In specie, schema tria sequentia in lucem proferre deberet:

1. Oportet progressum scientificum et technicum nationum ...[2]

Moderator: Velis concludere, Pater!

Orator: Dixi!

In textu scripto tradito: [1] (schema XIII, cap. IV, n. 24). [2] progressarum occidentis valores authenticos nostrorum antiquarum civilizationum intactos colere, immo illis nationibus nostri valores prodesse debent. 2. Auxilium nationum magis ditiorum datur cum reverentia erga dignitatem et personalitatem populorum beneficiariorum. 3. Omnis conatus apponi debet ut situatio Extremi Orientis in melius reddatur ita ut nationes effectam oeconomiam generalem praestent ad illarum regionum orientalium independentiam authenticam tuendam.

[*Subscripserunt etiam*] A. Jacq, ep. tit. Cerasa; J. Oste, ep. Jehol; F. Raeymaeckers, ep. tit. Aperle; J. Obert; Y. Ramousse, ep. tit. Pisita; J. B. Gobbato, ep. Taunggyi; L. Bianchi, ep. Hongkong; J. Dai, ep. tit. Sila; Th. Le Huu Tu, ep. tit. Dafnusia; S. Hien, ep. Dalat; J. Kuo, arch. tit. Salamina; T. Niu, ep. Yangku; Firmin Schmidt, praef. ap. Mendi; J. Tran Van Thien, ep. My Tho; V. Bazin, Birmania; J. Essuah, ep. Kumasi; A. Konings, ep. Keta; Peter Dery, ep. Wa; J. Coudray, praef. ap. Kankan; J. Lesourd, ep. Nouna; A. Duirat, ep. Bouaké; J. Strebler, arch. tit. Nicopolis; Severinus Marianus, ep. Pesqueira; Franciscus, ep. Afogados da Ingàzeira; P. Rolim Loureiro, ep. Mogi das Cruzes; J. Lingerheim, ep. Sokodé; J. Bretault, ep. Koudougou; T. Bresnahan, ep. Freetown; J. M. Maury, del. ap.; A. Dupont, ep. Bobo-Dioulasso; L. Durrieu, ep. Ouahigouya; B. Yago, arch. Abidjan; J. Perrot, ep. San; P. Zoungrana, arch. Ouagadougou; G. Bueno Couto, aux. Taubaté; J. B. de Mota e Albuquerque, arch. Vitoria; A. B. Vilela, arch. Teresina; J. Costa Campos, ep. Valença; W. Vieira, ep. tit. Laranda; D. Picâo, ep. coad. Santos; J. Lamartine Soares, ep. tit. Fussula; Fernando, arch. Goiânia; J. V. Távora, arch. Aracajú; H. Pessoa Camara, arch. Olinda et Recife; A. Cavalcanti Machado, arch. Maceió; R. de Castro e Silva, ep. tit. Uzali; J. Terceiro de Souza, ep. Penedo; V. de Araújo Matos, ep. Crato; J. Mauro, ep. Uguatú; Joannes, arch. São Luis do Marinhao; A. Fragoso, ep. Crateús; M. Pereira da Costa, ep. Campina Grande; Hugo, arch. ep. Marilia; J. Bezerra Coutinho, ep. Estancia; N. Monte, aux. Aracajú; J. de Medeiros Leite, ep. Oliveira; M. Tavares, ep. Caicó; B. Parodi, ep. tit. Centenaria; A. Zattera, ep. Pelotas; F. Niccoli, ep. Colle; M. Ntuyahaga, ep. Bujumbura; A. Perraudin, arch. Kabgay; J. Sibomana, ep. Ruhengeri; J. B. Gahamanyi, ep. Butare; J. Alves Trindade, ep. Montes Claros; A. Melillo, ep. Piracicaba; B. da Silva Neto, ep. coad. Luz.

ILL.MUS D. PROFESSOR JUAN VAZQUEZ
Auditor Laicus, ex Argentina

Venerados Padres Conciliares, Señores Peritos, Señores Observadores,

Los auditores laicos agradecemos de corazón que nuevamente se nos invite hoy a decir nuestra palabra.

Ya al intervenir sobre el esquema de *Apostolado de los laicos,* manifestamos nuestro vivo interés por este otro: el de *La Iglesia en el mundo moderno.*

El debate en el Aula Conciliar, nos ha confirmado su importancia, la esperanza que ofrece al mundo, la responsabilidad que implica para todos los miembros de la Iglesia. Por ello, compartimos la opinión de los Padres que han profundizado, en la responsabilización del laicado en la materia.

El esquema es oportuno. Más que oportuno: es una necesidad imperiosa para la hora actual y para siempre.

En efecto, no responde a una preocupación de oportunismo, sino a una necesidad intrínseca, inherente a la naturaleza de la Iglesia, que es palabra y vida en el tiempo, en el mundo y más allá del mundo.

Los valores positivos de la vocación cristiana: los naturales y los sobrenaturales; la historia de la salvación; los hombres que esperan, reclaman de nosotros — los laicos — una autenticidad, una inserción veráz en las realidades temporales. Somos Iglesia, ...[1] somos mundo.

La Iglesia ama al mundo: porque es sujeto de la gracia; porque es una realidad humana abierta a su acción, por dura y difícil que esa acción sea. Su amor — el amor de la Iglesia — es operante. El mundo necesita bienes terrenales: por eso la Iglesia también ha de quererlos, también los quiere y quiere su eficacia.

Cientos de millones de hermanos en la fé, miles de millones de hambrientos de fé, urgen nuestra voz en el Concilio.

Claman por la cristianización del mundo; se afanan por su unidad, en la legítima diversidad.

Tenemos ante nosotros un panorama estremecedor de sufrimientos, de alegría, de esperanzas, que son nuestros sufrimientos, *nuestra alegría,*[2] nuestras esperanzas.

Sin olvidar otros continentes, bastaría vivir los problemas de América Latina, inmensos como sus tierras.

Pero no basta mirar. Hay que concretar. Hay que trabajar, sin tregua, porque la vida y la muerte no esperan.

Esa humanidad ansía que el Concilio Ecuménico Vaticano II diga que ha pulsado los aspectos positivos del magnífico progreso: y los negativos de las tremendas injusticias que aún sufre el mundo.

Necesita que haga resaltar las luces y las sombras.

a) El crecimiento explosivo de la población, entraña inmensos problemas de orden material y moral.

b) El progreso técnico da al hombre posibilidades hasta ahora desconocidas.

Forja civilizaciones nuevas. Asocia a la vida comunitaria Internacional, a pueblos, con toda su riqueza humana y cultural, hasta ahora marginados. Reduce distancias. Lanza orbitas al espacio. Unifica. Eleva los niveles de vida. Abre puertas a la cultura y a la educación. Pero también sitúa al hombre ante el riesgo catastrófico de las nuevas armas *de destrucción.*[3]

c) Los pueblos que van entrando en la escena internacional se organizan en comunidades supranacionales, como nunca antes sucedió en la historia; y exigen ser tratados como seres colectivos con rasgos culturales y espirituales propios.

d) Son ya muchos los que dan a quienes tienen hambre, el pan superfluo y hasta el que significa privación. Pero los hambrientos son aún inmensa mayoría.

e) El hambre espiritual es también hambre de muchos: de instrucción, de educación, de vida cívica, de real justicia social, de esparcimiento sano, de guía en el uso del tiempo libre.

f) Los conjuntos urbanos favorecen, hoy sin duda, la difusión cultural, la instrucción seleccionada, la elevación social. Pero al mismo tiempo, quiebran la intimidad familiar, insensibilizan el sentido comunitario, especialmente en los jóvenes. El urbanismo es un elocuente cooperador del *bien*[4] humano, pero subsiste todavía el contraste de los hogares sin techo. Además, y esto es más grave, se hace cada día más escaso el lugar para Dios. No hay difusión de la Palabra.

g) Se rehusa a millones de hombres el libre ejercicio de sus derechos esenciales, incluso de los afirmados por la Declaración de las Naciones Unidas.

Particularmente: la libertad religiosa, la igualdad racial, la libertad de asociación, la libertad de palabra, el derecho al trabajo.

h) El materialismo ateo gana terreno. El neopaganismo — aunque se vista de cristianismo — esteriliza hombres y comunidades.

i) El hombre ...[5] quiere ser considerado persona. Quiere comunión. Le quebranta el vacío espiritual en su interior y fuera de él. No tiene al verdadero sentido de Dios.

j) La mujer, consciente de su vocación moderna, ejerce hoy en el mundo — además de su misión familiar — una acción en todos los sectores de la vida, de eficacia indiscutible en la dignificación y progreso de la comunidad humana y de la Iglesia. Ha ganado en ello, con tesón ejemplar, benemerencias sin fin. Pero no ha llegado aún, en el órden práctico, al reconocimiento efectivo de posiciones necesarias, pese a las muchas declaraciones que por doquiera se hacen.

Algunos de estos hechos se reflejan en el esquema, otros se deberían hacer resaltar más.

La historia del esquema es corta. Se ha consultado a unos cuantos laicos y a ciertos especialistas en diferentes materias. Han colaborado algunos auditores.

El trabajo ha padecido, sin embargo, algunas insuficiencias por falta de mecanismos adecuados, para asegurar a la Iglesia la colaboración eficáz de hombres y mujeres, e inclusive de matrimonios, expertos en las diversas materias.

Tenemos viva conciencia de que la Jerarquía necesita conocer, día tras día, el mundo y su devenir. Sentimos hondamente nuestra misión que en el lenguaje del Santo Padre Pablo VI ha adquirido la definición de *Puente*. Porque — repetimos — somos Iglesia y somos mundo.

Queremos observar, hablar y obrar, para la Iglesia y para el mundo.

Aspiramos a que se dé a nuestra colaboración una mayor posibilidad de desarrollo, mayor cauce a nuestra acción y esperamos que en las organizaciones post-conciliares tengamos nosotros y tengan nuestras instituciones la manera de prestar una cooperación eficáz.

Padres conciliares: Nuestra vivencia de cristianos en el mundo nos hace traer aquí, esta panorámica de la humanidad.

Porque sois pastores, lo sabéis y lo vivís. Os pedimos que lo digais solemnemente al mundo.

El esquema quiere mostrar a la *Iglesia en el mundo*. Los laicos necesitamos que refleje esta realidad. Que ponga de manifiesto las verdades y la acciòn que la Iglesia tiene en sus manos, para ser realmente « levadura, luz, sal ».

El cristianismo es lenguaje para todos los hombres, de todos los pueblos, de todos los tiempos. Todos necesitan y todos quieren entender.

La palabra no debe impedir sino servir al diálogo. El lenguaje del mundo es vivo. Duro a veces. Reclama autenticidad de expresión. Este es el lenguaje que espera del Concilio. Que su palabra se vierta en las lenguas vivas de todos los pueblos.

Este lenguaje, más vivo y directo, será una base firme de auténtica confianza para nuestros contemporáneos.

El mundo comprenderá que la Iglesia entera está dispuesta a prestarle servicio en la verdad y en la humildad. En la verdad de la autoridad que viene de Dios; con la humildad de la búsqueda constante.

Está claro que el esquema no podrá dar la respuesta a todos los problemas humanos.

Lo fundamental es que después del Concilio los documentos no

queden en letra muerta; que no se repitan omisiones del pasado en contradicción con el espíritu del Evangelio.

Llamamos a los miembros laicos del « Pueblo de Dios » a traducir en acto la enseñanza que la Iglesia, bajo la inspiración del Espíritu Sancto, nos dé por este documento: Sobre la persona humana, el matrimonio, la familia, la juventud, la cultura, la vida económica y social, la pobreza, la comunidad internacional y la paz. En colaboración con nuestros hermanos cristianos, con los otros creyentes, con toda la familia humana. Para construir en el amor — según el plan de Dios — el mundo de hoy y de mañana. He dicho. Gracias [*plausus*].

In textu scripto tradito: [1] y. [2] deest. [3] atómicas. [4] bienestar. [5] moderno.

Moderator: Gratias agimus maximas eximio oratori pro sua optima disceptatione et gaudemus de ista participatione activa laicatus laboribus nostris. Nunc audiatur relator schematis, eximius D. Guano.

EXC.MUS P. D. AEMILIUS GUANO
Episcopus Liburnensis, Relator

Fratres dilectissimi,

In conclusione huius discussionis, non omnia tangere licet quae sive oretenus sive scripto circa schema XIII a Patribus prolata sunt. Quia aliter sessio haec Concilii finem suum certo certius non haberet die 21 huius mensis! Sed praesertim quia omnes animadversiones, et revera paucae non fuerunt — de quo nos grati sumus, Deus autem vobis parcat! — omnes animadversiones, dico, attente a commissione perpendendae sunt, assidue collaborantibus peritis, etiam laicis, quos Deus incolumes ad hoc opus conservet et multiplicet!

Conamen huius responsionis erit principaliora et generaliora ex plurimis quae expressa sunt resumere, ut liceat spiritum et directionem discussionis prae oculis habere sive pro nunc, sive pro schematis retractatione.

1. *De schemate in genere. Quoad finem*: Aliqui Patres petierunt ut finis schematis, de quo in relatione vobis proposita, clarius in textu appareat. Petitur ut textus huic fini semper fidelis maneat. Plurimi insistunt ut responsio, quae quaestionibus hodiernis a Concilio datur, sit

responsio quae a thesauro proprio Ecclesiae promanat, dum alii putant legem naturalem continenter in mente habendam esse. Videntur hae duae positiones non sibi invicem adversari, sed potius compleri. Indubitanter, lux sub qua Ecclesia omnia videt et sub qua schema loqui debet, est lux et lex Evangelii. Hoc aperte patere debet. Evangelium autem non contradicit legi naturali, quinimmo eam servat et assumit, ita ut sub hoc respectu occursus possibilis et quam fructuosus evadere possit, cum omnibus hominibus, etiam qui quamvis Ecclesiam vel Revelationem non agnoscentes, legem tamen scriptam in cordibus suis agnoscunt.

Discrepant aliquantulum Patres *quoad eos quos constitutio alloqui debet*, alii putantes ad fideles catholicos sermonem habendum esse, alii ad omnes homines; de quo forsan vestra suffragatio poscenda erit. Fere omnes tamen in hoc consentire videntur: genus litterarium huius constitutionis aliud esse ac genus litterarium constitutionis dogmaticae, v. g. *de Ecclesia,* et proinde sermonem et stylum nostri textus ita immutandum esse, ut non solis theologis vel sacerdotibus planus et perspicuus evadat, sed taliter accommodetur ut possit praeberi attentioni et considerationi omnium hominum, etiam non credentium. Munus tamen constitutionis etiam hoc erit: conscientiam catholicorum suscitare ut suum officium in rebus temporalibus apprime considerent et servent.

2. *Ordo schematis.* Optima videtur haec propositio, ut habeatur in initio schematis amplior quidam prospectus conditionis mundi huius temporis. Dein modo magis completo et simul magis conciso et nervoso exponenda erit doctrina cap. I, II et III: quid Ecclesia sentiat de homine, quid de sua habitudine ad mundum. Singula puncta vero cap. IV amplius proponenda erunt, semper initium sumendo a factis, et, sicut nonnulli proposuerunt, abundantiorem materiam a singulis adnexis sumendo.

3. *Quoad condiciones huius temporis,* nostrum schema iam loquitur de omnibus rebus et de quibusdam aliis. Sed fuerunt qui adhuc de hoc non contenti, putaverunt schema debere loqui de omnibus rebus, et non de quibusdam, sed de omnibus aliis. Aliquae tamen propositiones omnino retinendae videntur, praesertim haec: ut de aspectibus agatur egestatis spiritualis mundi hodierni, praeprimis vero de gravissimo illo phenomeno atheismi, sive theoretici, sive practici, sub diversis formis, marxistica an non, quibus apparet. Notandum insuper erit, etiam condiciones nostri temporis praesentes esse ab aeterno et ante saecula in providentissimo consilio amoris Dei.

4. Forsan quaedam quaestiones suffragio congregationis proponen-

dae erunt, modis quo moderatores statuent, ut clarior appareat mens Patrum et via per quam commissio in suo ulteriore labore pergere debeat.

5 et ultimo. Ad conclusionem perventuro, permittatis mihi nonnullas considerationes de discussione ipsa pandere. Multiplicitate et varietate idearum, oppositione etiam praeoccupationum et directionum quae in lucem prodierunt, alia vice difficultas elaborandi huius schematis apparuit, quae alioquin non est nisi expressio difficultatum quae insunt in inquisitione ipsa et in vita christiana. Difficultas autem non liberat ab humili inquisitione et a fraterna collaboratione de qua hoc schema testimonium esse debet. Sub hoc respectu videtur hanc discussionem novum stimulum materiamque praebere posse inquisitioni theologorum, ut magis ac magis in his thematibus incumbant, de homine scil. secundum consilium divinum in hoc mundo degenti, de Ecclesiae habitudine ad mundum; sed etiam novum stimulum praebere posse christianis omnibus, ut historiam sui temporis in luce Evangelii semper contemplentur, et ad eam efformandam toto animo incumbant, semetipsos et mundum adventui Christi praeparantes. Si hoc schema tandem aliquando ad portum perveniet, quidam forsan vel plurimi, qui responsa exspectabant quae Concilium dare non intendebat, deceptionem sentient. Attamen (sinatis etiam meum « attamen » dicere post vestros plurimos; dicebatis: « placet in genere hoc schema, attamen... »!) attamen, dico, discussio et schema testimonium sunt studii flagrantis, passionis dicamus, quo Patres, scil. Ecclesia, de hominibus, de eorum angustiis et de eorum spe inquisierunt in luce et in amore Christi. Dum autem discussio in hac, hic fiebat, plurimi in mundo studiose de his thematibus curabant, et discussionem sequebantur. Abhinc paucos dies, diurniarius quidam italicus, in ephemeride quadam, scribebat: « Tandem aliquando de re nostra agitur! ». Non recte dicebat, quia quando de Revelatione vel de Ecclesia agebatur, de re hominum agebatur, sed illa verba quodammodo exprimebant quomodo per hanc discussionem et per hoc schema aliquis novus gressus, etsi modestus, sed tamen magni momenti, ad occursum et dialogum inter pastores Ecclesiae et homines, inter Ecclesiam et homines fiat. Etsi autem solutiones particulares non dentur, etsi nova non dicantur, magni tamen momenti erit si mundus sentiet Ecclesiam in Concilio coadunatam, ipsi mundo attentionem praebere, etsi Ecclesia solemniter principia Evangelii ad condiciones actuales prospiciens mundo iterum proponet et ad colloquium iterum invitabit. Gratias. [*Plausus*].

Moderator: Gratias agimus maximas relatori et membris commissionis, et exoptamus ut labores ad felicem exitum perveniant. Nunc audiatur secretarius generalis.

Secretarius generalis: Fit igitur transitus ad schema *de accommodata renovatione vitae religiosae.* Post relationem, verbum petierunt: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia; Iacobus de Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii; Paulus Richaud, arch. Burdigalensis in Gallia; Iulius Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis in Germania; Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis in Belgio; Augustinus Bea; exc.mi DD. Andreas Charue, ep. Namurcensis in Belgio; Anicetus Fernández, sup. gen. O.P.; Petrus Moors, ep. Ruremondensis in Neerlandia.

DISCEPTATIO [5]

1 – SCHEMA PROPOSITIONUM

DE RELIGIOSIS *

Sacrosancta Synodus, postquam in Constitutione *de Ecclesia* ostendit sanctitatis prosecutionem per Consiliorum Evangelicorum professionem a Divini Magistri doctrina et exemplis originem ducere, nunc de Religionum, Societatum vitae communis et Institutorum Saecularium vita ac disciplina intendit agere eorumque necessitatibus, prout tempora nostra suadent, providere (cf. nn. 1, 2).

1. [*Regula fundamentalis accommodatae renovationis*]. Cuiusvis instituti spiritualis ac religiosa renovatio atque eius ad praesentes vitae con-

---

* *In initio fasciculi legitur*:

Ss.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in Audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, de quo in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo deliberabitur, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXVII mensis Aprilis, anno MCMLXIV.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

Verba, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur. Item tollentur numeri clausulis adiuncti qui ad articulos praevii schematis *De statibus perfectionis adquirendae* typis impressi et Patribus anno 1963 distributi remittunt.

[5] diciones accommodatio promovendae sunt, Sancta Matre Ecclesia duce, secundum Evangelium et Christi sequelam tamquam supremam regulam, attentisque Fundatorum propositis ac genuino spiritu (cf. nn. 11, 12).

2. [*Accommodata renovatio cum fidelitate erga institutum componenda*]. Fideliter serventur natura, finis (cf. n. 21), spiritus proprius necnon sanae traditiones, quae omnia cuiusque instituti patrimonium constituunt. At ratio vivendi, operandi et orandi hodiernis sodalium condicionibus physicis et psychicis, necnon apostolatus necessitatibus, animi culturae requisitis et circumstantiis socialibus et oeconomicis, praesertim in locis missionum, aptanda est (cf. n. 13). Quapropter, prout necessarium fuerit, Constitutiones, « Directoria », « Consuetudinaria », libri precum et caerimoniarum aliique id genus codices congruenter recognoscantur (cf. n. 15).

3. [*A quibus accommodata renovatio sit perficienda*]. Efficax autem renovatio et recta accommodatio obtineri nequeunt nisi cooperantibus omnibus instituti sodalibus, moderante vero competenti auctoritate (cf. n. 14).

4. [*Perfectio amoris Dei et proximi ante omnia quaerenda*]. Omnes qui Evangelica Consilia profitentur, credentes « caritati quam habet Deus in nobis » (*1 Io.* 4, 16), assiduo studio fortique animo consequi
[6] nitantur perfectum Dei amorem, ex quo proximi dilectio profluit in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem (cf. n. 17).

5. [*De institutis vitae contemplativae fovendis et renovandis*]. Instituta vitae contemplativae suas partes in Corpore Mystico Christi semper habent, atque uberrimos sanctitatis fructus Ecclesiae afferunt. At etiam ipsa in ratione formaque vitae suae sese renovent (cf. nn. 6, 7, 18).

6. [*De institutis vitae activae fovendis eorumque actione rite ordinanda*]. In institutis vitae activae tam laicalibus quam clericalibus, opera et apostolatus, utpote sanctum ministerium et opus caritatis proprium ab Ecclesia ipsis commissum eiusque nomine exercendum, finem constituunt vere specificum, quem sodales, ardenti studio aptisque mediis prosequi debent (cf. nn. 8, 9, 10, 18, 20). Actio autem apostolica ex intima cum Deo unione procedat oportet, inde fit ut caritas ipsa erga Deum et proximum foveatur (cf. nn. 8, 18).

7. [*De renovatione in observantia Consiliorum Evangelicorum*]. Religiosi sese renovent in oboedientia (cf. n. 26), castitate (cf. n. 25) et paupertate (cf. nn. 23, 24) quam professi sunt, Christum oboedientem, virginem et pauperem imitantes Eiusque praesentiam in hoc mundo speciali modo testificantes.

8. [*De renovatione in paupertate individuali*]. Ad paupertatem religiosam quod attinet, haud sufficit Superioribus subiici in usu bono-

rum, sed oportet etiam ut sodales re et spiritu sint pauperes (cf. n. 23). [6] Congregationes religiosae suis Constitutionibus permittere possunt ut sodales bonis patrimonialibus acquisitis vel acquirendis renuntient (cf. n. 29).

9. [*De renovatione in paupertate collectiva*]. Instituta et domus bona quae possident tamquam patrimonium sacrum habeant, eaque etiam in utilitatem Ecclesiae et indigentium necessitates insumant, vitata omni specie luxus, immoderati lucri ac bonorum cumulationis (cf. n. 24).

10. [*De vita in communi ducenda*]. Vita in communi agenda testimonium sit caritatis Christi, secundum exemplum primaevae Ecclesiae, in qua multitudo « credentium erat cor unum et anima una » (*Act.* 4, 32). Ut autem inter sodales intimius sit vinculum fraternitatis, illi qui conversi vel alio nomine vocantur, vitae et communitatis operibus arctius coniungantur; immo curandum est ut in institutis mulierum ad unam classem perveniatur. [7] Virorum autem monasteria et instituta pro indole sua clericos et laicos pari ratione admittere possunt, salvis iuribus ordinationis sacrae et praescriptis Constitutionum (cf. nn. 30, 31, 32).

11. [*De clausura monialium*]. Clausura papali pro monialibus vitae unice contemplativae firma manente sed iuxta temporum locorumque condiciones accommodata, congruit ut aliae moniales, operibus externis apostolatus ex instituto deditae, ab ea eximantur et propriis Constitutionibus regantur (cf. n. 6).

12. [*De habitu religioso*]. Habitus religiosus, utpote signum consacrationis, sit simplex ac modestus, pauper simul ac decens, insuper valetudinis requisitis consentaneus et temporum locorumque adiunctis necnon ministerii necessitatibus accommodatus. Habitus autem qui iis normis, iudicio Sanctae Sedis, non congruit, immutandus est (cf. nn. 33, 34, 35).

14. [*De alumnorum institutione*]. Institutorum accommodata renovatio ab alumnorum institutione maxime pendet. Ideo, et ipsi sodales non clerici ac religiosae apostolatus operibus immediate post novitiatum ne destinentur, sed eorum institutio religiosa et apostolica, doctrinalis et technica, titulis etiam congruentibus obtentis, in aptis domibus convenienter protrahatur (cf. nn. 36, 38).

Officium quoque est Superiorum curare ut Magistri spiritus et Professores optime seligantur et sedulo praeparentur (cf. n. 36).

14. [*De novis institutis condendis*]. In novis institutis promovendis, necessitas vel saltem magna utilitas necnon incrementi possibilitas serio ponderandae sunt, ne incaute oriantur instituta inutilia aut sufficienti vigore orbata (cf. n. 47).

15. [*De operibus propriis servandis, accommodandis vel relinquen-*

[7] *dis*]. Instituta iam condita, opera propria fideliter retineant et adimpleant, atque temporum locorumque necessitatibus accommodent, opportunis ac etiam novis mediis adhibitis, illis autem relictis operibus quae cum instituti spiritu et germana indole hodie minus sint consentanea (cf. nn. 20, 21).

16. [*De institutis et monasteriis languescentibus*]. Instituta vero et monasteria quae iudicio Sanctae Sedis nullam amplius praebeant fundatam spem incrementi, prohibeantur ne in posterum novitios recipiant, [8] et si fieri possit, alii instituto vel monasterio vegetiori, quod fine et spiritu haud multum differat, uniantur (cf. n. 46).

17. [*De unione inter instituta fovenda*]. Instituta et monasteria sui iuris, pro rei opportunitate et approbante Sancta Sede, inter se promoveant foederationes, si quodammodo ad eamdem familiam religiosam pertinent, aut uniones, si fere pares habent Constitutiones et usus eodemque animantur spiritu, praesertim cum nimis sunt exigua, aut associationes, si iisdem vel similibus operibus externis incumbunt (cf. nn. 41, 42, 43, 45).

18. [*De Superiorum Maiorum conferentiis*]. Favendum est conferentiis seu consiliis Superiorum Maiorum a Sancta Sede erectis, quae valde conferre possunt ad finem singulorum institutorum plenius assequendum, ad efficaciorem conspirationem in bonum Ecclesiae fovendam, ad Evangelii operarios in determinato territorio aequiore modo distribuendos, necnon ad communia religiosorum negotia pertractanda (cf. n. 44). Huiusmodi autem conferentiae etiam pro Institutis Saecularibus institui possunt.

19. [*De vocatione religiosa fovenda*]. Sacerdotes educatoresque christiani seria conamina adhibeant ut vocationibus religiosis, congruenter et accurate selectis, novum detur incrementum Ecclesiae necessitatibus plane respondens. Etiam in praedicatione ordinaria, saepius agatur de Consiliis Evangelicis et de statu religioso amplectendo. Parentes filios suos christianis moribus educando, vocationem religiosam in eorum cordibus excolant ac tueantur.

Institutis autem fas est sui notitiam, ad vocationes fovendas, divulgare atque candidatos quaerere, dummodo hoc fiat cum debita prudentia et servatis normis a Sancta Sede traditis (cf. nn. 49, 50).

* * *

NOTAE EXPLICATIVAE [8]

1. Praevium schema « De statibus perfectionis adquirendae » anno 1963 iam « rigorose contractum », typis editum et Patribus Concilii communicatum, nunc, iuxta ultimas instructiones Commissionis « De Concilii laboribus coordinandis » ab Em.mo D. Card. Cicognani die 23 ianuarii 1964 impertitas, « *ad puncta essentialia* » sub brevissima forma iterum reductum est.

2. Praesens textus, prima a Subcommissione decursu mensis februarii u. el. apparatus, a Commissione in sessionibus plenariis diebus 4, 5, 6 et 7 mensis martii fuit retractatus et approbatus atque postremo a subcommissione redactionis expolitus. [9]

3. Ad titulum quod attinet, Commissio, variis Patrum Concilii hac in re propositionibus ponderatis omnibusque ad rem pertinentibus perpensis, censuit redeundum esse ad pristinum titulum « De Religiosis », qui de cetero a Commissione mense martii 1963 fuerat approbatus et ab ipsa Commissione « De Concilii laboribus coordinandis » cum maiori parte suffragiorum confirmatus. Notandum est insuper eumdem titulum « De Religiosis » retentum esse tum a Commissione « De Doctrina Fidei et Morum », tum ab illa « De Episcopis et de Dioecesium Regimine » in capitulis huic materiae specialiter dedicatis.

4. Schemate hac ratione ad sola puncta essentialia contracto, quamplura omissa sunt utilia, quae ad Codicem Iuris Canonici recognoscendum vel ad Instructiones Sanctae Sedis pro opportunitate edendas remittuntur. Propterea minus organicum apparere potest cum argumenta selecta fuerint minus ob eorum inter se connexionem quam opportunitatem.

2 – APPENDIX [13]

RELATIO CIRCA RATIONEM QUA SCHEMA ELABORATUM EST

INTRODUCTIO

Labores Commissionis Conciliaris « De Religiosis » initium sumunt a schemate « De Statibus Perfectionis Adquirendae » diuturna assiduaque Commissionis Praeparatoriae « De Religiosis » opera annis 1960-1962 apparatum.[1]

1 - PRIMUS CONVENTUS COMMISSIONIS: DIE 26 NOVEMBRIS 1962

Cum autem, deficiente tempore, schema « de statibus perfectionis adquirendae » disceptationi in prima Sessione Concilii, non esset subiiciendum, Com-

[13] missio Conciliaris « de Religiosis » prima vice convocata est tantum pro die 26 novembris 1962,[2] ut Patres Commissionis opportunitatem sese mutuo cognoscendi haberent, de laboribus in schemate praeparando impensis ab Em.mo D.no Cardinale Valeri, Praeside, edocerentur [3] atque pro negotiis agendis consulerent.

2 - NOVA DIRECTIO LABORIBUS COMMISSIONIS CONCILIARIS DATA

Mox autem, a Concilio Praesidentiae Concilii prodierunt normae pro schematibus Commissionum Praeparatoriarum generaliter abbreviandis; [4] subsequenti die 5 decembris 1962 Patribus Concilii traditus est, cum approbatione Ss.mi Domini Ioannis Papae XXIII et subscriptione Em.mi D.ni Card. Cicognani, a publicis Ecclesiae negotiis, « Ordo agendorum tempore quod inter conclusionem primae periodi Concilii Oecumenici et initium secundae intercedit », normas magis particulares pro schematibus abbreviandis statuens.[5]

Haec omnia, ut patet, laboribus Commissionis « De Religiosis », sicut aliarum Commissionum, novam impellebant directionem, qui triplici phasi progredi debebant.

PRIMA PHASIS LABORUM SCHEMA COMMISSIONIS PRAEPARATORIAE RIGOROSE CONTRAHITUR

(Dec. 1962 - Maii 1963)

Opus reducendi schema « de statibus perfectionis adquirendae » Commissionis Praeparatoriae in hac prima phasi laborum triplici stadio completum est: primo stadio, quod *inchoativum* operis dici potest, mense decembris 1962
[14] et mense ianuarii 1963; secundo stadio, quod fuit *resolutivum* operis, mensibus februarii et martii sequentibus; tertio quod *perfectivum* operis exstitit, mensibus aprilis et maii 1963.

§ 1. STADIUM INCHOATIVUM OPERIS COMMISSIONIS: DEC. 1962-IAN. 1963

1° *Normae ab auctoritate Concilii indictae*

Supra dictum est, prima exeunte Sessione Concilii, anno 1962, normas pro schematibus a Commissionibus Praeparatoriis apparatis mole reducendis indictas fuisse.

a) Imprimis, sub finem mensis novembris 1962, Consilium Praesidentiae Concilii fasciculum cui titulus « Schemata Constitutionum et Decretorum ex quibus argumenta in Concilio disceptanda seligentur » edidit, quo Commissionibus Conciliaribus iniungebat « schemata a Commissionibus Praeparatoriis confecta, ... ad principia generalia, si oporteat, reducere et, ubi materiae similes vel mixtae id exigere videantur, ad maiorem reducere unitatem ».[6] Secundum hanc normam communem, schema « de statibus perfectionis adquirendae »

contrahendum erat ad sequentia « Generalia principia: *a*) De statibus perfectionis. *b*) De vocatione religiosa. *c*) De accommodata renovatione vitae religiosae. *d*) De institutione alumnorum religiosorum eorumque admissione ad Professionem et Ordines ».[7] [14]

b) Subsequenti die 5 decembris Em.mus D.nus Cardinalis Cicognani a publicis Ecclesiae Negotiis, cum approbatione Ss.mi D. Ioannis Papae XXIII f. m., Patribus Concilii tradidit novum Ordinem « agendorum tempore quod inter conclusionem primae periodi Concilii Oecumenici et initium secundae intercedit ».

Huius novi Ordinis norma fundamentalis erat:

« Schemata hac ratione conficienda sunt, ut potissimum pertractent generalia principia, omissis particularibus quaestionibus quae ad rem non pertineant... Quae autem pertinere videntur ad futuram Codicis Iuris Canonici recognitionem, remittantur ad competentem Commissionem. Pariter oportet ut Commissionibus, quae post Concilium constituendae erunt, nonnulla specialia argumenta demandentur » (cf. n. 3).

Addebatur nuntium novae Commissionis scilicet « de laboribus Concilii coordinandis atque dirigendis » (cf. n. 4), deinceps nuncupatae: « Commissio de Concilii laboribus coordinandis » vel simplicius: « Commissio Coordinatrix ».[8]

2° *Exsecutio mandati*

a) *Secundus Conventus Commissionis: d. 5 decembris 1962.*

Ad praedictam iussionem exsequendam, Commissio « de Religiosis » secundum Conventum die 5 decembris 1962 habuit[9] quo ratio procedendi in hoc opere definita est, constituta etiam Subcommissione septem Membrorum, qui adscitis sibi Peritis, Commissionis labores parare curarent.[10] Intra mensem [15]
ianuarii 1963, Patres Commissionis suas observationes in schema abbreviandum Secretario remittere debebant, quibus perpensis, Subcommissio schema abbreviatum exarare posset, deinde Commissioni proponendum.

b) *Schema Commissionis de Missionibus remittitur: d. 17 decembris 1962.*

Interim die 17 decembris 1962, Commissio Conciliaris de Missionibus, normae Consilii Praesidentiae et Em.mi D. Card. Secretarii Status obsequens, scilicet: « ubi materiae similes vel mixtae id exigere videantur, ad maiorem redigantur unitatem »,[11] schema speciale « De Religiosis » ab ipsa exaratum ad nostram Commissionem remisit ut cum illo « de statibus perfectionis adquirendae in unum componeretur ».

c) *Opus reductionis schematis inceptum.*

Qua ratione autem schema « de statibus perfectionis adquirendae » abbreviari posset, difficile dictu erat. Materiae enim contractio, si nimia esset, schematis bonos effectus utilitatemque misere minuere poterat atque expecta-

[15] tionem frustrare multorum qui a Concilio merito exoptabant illam haud semel annuntiatam rerum in Ecclesia renovationem necnon hodiernis malis efficacia remedia.

Iniuncta schematis abbreviatio triplici ratione videbatur possibilis:

1) Coarctatione sermonis, superflua expungendo et res pressius dicendo, incolumi tamen materiae exponendae integritate et expressionis perspicuitate. Talis coarctatio sermonis quae passim generaliter fieri poterat, haud sufficiebat ad schematis molem notabiliter minuendam.

2) Compendiosa fusione quorumdam articulorum.

3) Suppressione quarumdam sectionum schematis, eas remittendo ad Codicem recognoscendum vel ad alia pontificia documenta tempore suo post Concilium edenda.

Tandem prae oculis habendum erat Caput « De rationibus inter Episcopos et Religiosos, praesertim quoad opera apostolatus exercenda » a Commissionibus praeparatoriis de Episcopis et de Religiosis communi consilio concordatum, cui magna pars de apostolatu in schemate « de statibus perfectionis adquirendae » demandanda erat.[12]

Revera, opus reductionis schematis sic inceptum ulterius, saltem ut praeordinatum, produci nequivit supervenientibus exeunte mense ianuarii 1963 novis normis Commissionis « de Concilii laboribus coordinandis », quae secundum stadium laborum aperiunt.

[16] § 2. Stadium resolutivum operis Commissionis: febr.-mart. 1963

1° *Novae normae Commissionis « De Concilii laboribus coordinandis »: Ian. 1963*

Commissio Cardinalitia « de Concilii laboribus coordinandis » dd. 21-27 ianuarii 1963 Romae adunata, schematibus Commissionum Praeparatoriarum perpensis, singulis earum praecisas dedit normas ad schemata mole reducenda et inter se apte coordinanda. Pro schemate « de statibus perfectionis adquirendae » hae normae cum Epistola Em.mi D.ni Card. Cicognani, Praesidis, Em.mo D.no Card. Valeri die 30 ianuarii 1963 communicatae sunt, quae spectant, tum modo procedendi in opere iniuncto perficiendo, tum rationem abbreviationis schematis faciendae, suppeditatis etiam quibusdam argumentis in schemate specialiter evolvendis. Examinanda erat etiam opportunitas edendi Directorium et titulum schematis « de statibus perfectionis adquirendae » in alium mutandi.[13]

Ponentis munere fungebatur in Commissione « de Concilii laboribus coordinandis » pro schemate « de statibus perfectionis adquirendae » Em.mus D.nus Cardinalis Iulius Döpfner.

2° *Exsecutio novi mandati* [16]

a) *Opus praeliminare Commissionis restrictae: dd. 8-13 febr. 1963.*

Ad viam laboribus Subcommissionis die 5 decembris 1962 constitutae sternendam, quaedam Commissio restricta ab Em.mo D.no Card. Praeside adscita fuit,[14] quae diebus 8-13 februarii 1963, definire studuit qua ratione schema iuxta Commissionis Coordinatricis placita esset contrahendum et, in fine, aliquem textum schematis proposuit, principaliter adhaerendo illi ab Exc.mo D.no Philippe concinnato.[15]

b) *Opus subcommissionis: dd. 15, 16 et 19 febr. 1963.*

Subcommissio primo convenit die 15 februarii [16] ad conventum Commissionis plenarium immediate apparandum. Obiectum pertractandum non erat tantum schema « de statibus perfectionis adquirendae »; attendere etiam oportebat ad alias materias mixtas, nempe, tum ad Caput V Constitutionis dogmaticae « de Ecclesia », cui titulus erat: « De statibus evangelicae acquirendae perfectionis », tum ad Caput III schematis « De cura animarum », scilicet: «De rationibus inter Episcopos et Religiosos praesertim quoad Apostolatus opera ». Schema « De Missionibus » quod aliquam materiam mixtam quoque praesefert, nondum hoc tempore prodierat.

Ideoque ad has varias quaestiones rite pertractandas, Subcommissio, adscitis peritis, in tres sectiones sese divisit quarum prima: pro Capite V Constitutionis dogmaticae « de Ecclesia », secunda pro schemate « de statibus perfectionis adquirendae » et tertia pro capite III « de rationibus inter Episcopos [17]
et Religiosos » schematis « de cura animarum ».

Ad schema « de statibus perfectionis adquirendae » quod attinet, Subcommissio post disceptationes approbavit ut textus a Commissione restricta iam abbreviatus cum debitis emendationibus proximo conventui plenario Commissionis praesentaretur. Pariter quasdam emendationes proposuit pro capite « de rationibus inter Episcopos et Religiosos » et textum magis elaboratum paravit pro capite V Constitutionis dogmaticae « de Ecclesia ».

c) *Tertius Conventus Commissionis: dd. 20 febr.-1 martii 1963.*

Die 20 februarii 1963 initium habuit tertius Conventus plenarius Commissionis [17] ad opus schematis reducendi inchoatum nunc perficiendum. Non omnes Patres convenire potuerunt; praeter Em.mum D.num Cardinalem Praesidem, tantum quindecim, qui cum auxilio quorumdam peritorum, munus sibi demandatum in novem sessionibus usque ad diem 1 martii expleverunt.

Vota quae super schemate « de statibus perfectionis adquirendae » a Patribus Commissionis expostulata fuerant, in aliquo Folio Officii collecta sunt et omnibus in Commissione praesentibus communicata.[18]

[17] b) *Complementum operis.*

Textus a Commissione post protractas disceptationes exaratus traditus est expoliendus subcommissioni redactionis in ultima sessione Commissionis constitutae,[19] quae hoc munus in septem sessionibus intra dies 1-5 martii explevit, mutato etiam titulo in « De Religiosis ». Tandem textus schematis hac ratione rigorose contractus et sedule expolitus cum Epistola diei 9 martii 1963 Em.mo D.no Cardinali Cicognani, Praesidi Commissionis « de Concilii laboribus coordinandis » transmissus est, adiecta brevi relatione « de modo procedendi Commissionis in schemate exarando et de ipsius schematis rationibus ».[20]

§ 3. Stadium perfectivum operis commissionis: aprilis-maii 1963

1° *Instructiones Commissionis « De Concilii laboribus coordinandis »*

Schema sub novo titulo « de Religiosis » rigorose contractum, die 27 martii a Commissione de Concilii laboribus coordinandis, praesentibus etiam Em.mo D.no Card. Valeri, Praeside Commissionis « de Religiosis » et P. Rousseau eiusdem Commissionis Secretario,[21] examinatum et approbatum est cum quibusdam animadversionibus, ut habetur in actis huius sessionis Commissionis, referente Em.mo D.no Card. Döpfner.

« 1. Schema (ut ibi legitur) revera rigorose contractum est, ita ut ex hac parte omnino laudandum sit.

[18] « 2. Capita, quae a nobis ut specimina ut tractarentur, proposita erant, omnia tractata sunt.

« 3. De Directorio conficiendo et de materia ad Codicis revisionem transmittenda nihil habetur in schemate. Attamen in folio adnexo de possibilitate talis Directorii sermo est ...

« 4. Elegerunt Patres praefatae Commissionis titulum schematis " De Religiosis ", quia, ut censuerunt, " simplicior et communi hodierno modo loquendi et scribendi respondet ". De facto tamen in schemate ipso ulterius passim de " statibus perfectionis acquirendae " sermo est.

Em.mus D.nus Card. Relator addebat: " Quaedam vero argumenta probabilissime maiores difficultates excitabunt, ubi primum a Patribus in Aula Concilii disceptabuntur ". Et, praecipuis ex his argumentis recensitis, concludebat: " Schema praeiacens magna cum diligentia retractatum est. Forma, qua nunc nobis prae oculis iacet, apta esse videtur. Quoad contentum vero examinetur, utrum in illis punctis supra commemoratis adhuc compleri possit, ut disceptationes de iisdem in Congregatione Generali certo certius oriturae saltem faciliores et breviores evadere possint " ».[22]

2° *Prima retractatio schematis et additio adnotationum explicativarum* [18]

a) *Ratio procedendi in schemate retractando.*

Qua ratione schema retractandum esset et difficultatibus expositis obcurrendum, tum ex indole rei, tum ex instructionibus Secretariatus Generalis satis patebat. Hoc opus enim duplici ratione perficiendum erat. Primo, addendo textui, in variis punctis indicatis, clausulas vel novos articulos ad rem pertinentes, qui faciliter suppeditari poterant ex schemate Commissionis Praeparatoriae, in quo plura utilia exstant brevitatis causa deinde omissa. Postremo, ad textum illustrandum vel iustificandum, diversis articulis adnecti poterant notae explicativae, quae sanam et inconcussam doctrinam enuclearent atque studium hac de materia decursu praeparationis schematis peractum vel subsequentium disceptationum conclusiones reflecterent.

Insuper, cum schema esset opus ipsius Commissionis Conciliaris « De Religiosis » a Commissione « de Concilii laboribus coordinandis » substantialiter approbatum, ad has emendationes et notas explicativas inserendas non videbatur necessarium Membra Commissionis iterum tam cito convenire. Id enim tuto et expedite perfici poterat sub ductu Em.mi D.ni Cardinalis Praesidis, opera alicuius Commissionis restrictae, ita ut schema, urgente etiam Secretariatu Generali Concilii, incunctanter apparatum, quamprimum typis mandaretur atque omnibus Concilii Patribus expediretur, qui suas observationes scripto mittere invitandi erant.[23]

b) *Opera Commissionis restrictae.*

Commissio restricta ab Em.mo D.no Cardinale Praeside constituta [24] munus suum explevit diebus 4, 5, 22 aprilis 1963, primo agens de ipso schemate iuxta instructiones Commissionis « de Concilii laboribus coordinandis » re- [19]
tractando [25] et deinde, facto regressu ad praevium titulum « de statibus perfectionis adquirendae », de adnotationibus explicativis; ita schema hac ratione emendatum ad Exc.mum Secretarium Generalem Concilii die 23 aprilis transmissum est.[26]

3° *Secunda schematis retractatio et expolitio sermonis latini*

a) Opere Commissionis sic expleto, ad Em.mum D.num Cardinalem Praesidem pervenerunt novae observationes ex parte Em.mi D.ni Card. Döpfner, quo, ut Ipse die 18 aprilis 1963 scribebat, « clarius eluceat quomodo difficultates in Relatione nostra diei 27 martii contra schema « De Religiosis » abbreviatum et emendatum prolatae... intelligendae sint ». Et ad schematis retractationem faciliorem reddendam, submittebat « speciminis gratia » aliquas propositiones « ... quae facile schemati praeiacenti locis assignandis inseri possunt ».[27]

[19] Nonobstante quod schema iuxta observationes Commissionis « de Concilii laboribus coordinandis » retractatum inde a die 23 aprilis penes Exc.mum Secretarium Concilii iam esset, novae propositiones Em.mi D.ni Cardinalis Relatoris ab eadem Commissione restricta diebus 29 aprilis, 2 et 3 maii 1963 accurate examinatae sunt et textus in nonnullis locis iterum retractatus fuit.

b) Interim, Exc.mus Secretarius Generalis Concilii textum schematis Ipsi die 23 aprilis remissum mandavit examinandum alicui Perito linguae latinae, qui suas observationes ad Commissionem nostram die 30 aprilis transmisit.[28] Has observationes eadem Commissio restricta diebus 4, 6 et 7 mensis maii sedulo perpendit et textum expolivit. Opus retractationis ita completum, schema « de statibus perfectionis adquirendae » cum litteris Secretarii Commissionis diei 8 maii 1963 [29] ad Exc.mum Secretarium Generalem Concilii definitive remissum est.

Conclusio:

Schema « de statibus perfectionis adquirendae » die 9 martii 1963 « rigorose contractum »,[30] iterum die 23 aprilis subsequentis recognitum et notis explicativis locupletatum atque die 8 maii ulterius retractatum et expolitum, Patribus Concilii decursu mensis maii communicatum est ut ipsi observationes quas duxerint faciendas ad Secretarium Generalem Concilii intra mensem iulii 1963 mitterent, easque Commissio Conciliaris perpendere posset ante disceptationem in Congregatione Generali habituram.[31]

Interim, Summus Pontifex Ioannes XXIII, magno cum totius Ecclesiae universique mundi luctu ex hoc mundo ereptus, Concilium Oecumenicum a se provide indictum reliquit suspensum, quod Eius Successor Paulus VI gloriose regnans resumendum esse die 29 mensis septembris 1963 decrevit.

Vix mense elapso ab obitu Summi Pontificis, Commissio Conciliaris « de
[20] Religiosis » alio gravi moerore afficiebatur; die enim 22 iulii 1963 eius amatissimus Praeses, Em.mus Cardinalis Valeri inopinato morbo correptus ex hac terrestri vita migrabat. Ei successit Em.mus D.nus Card. Hildebrandus Antoniutti, paucis diebus ante Praefectus Sacrae Congregationis de Religiosis praepositus.[32]

SECUNDA PHASIS LABORUM CIRCA OBSERVATIONES PATRUM CONCILII

(Iulii-octobris 1963)

1° *Normae pro observationibus in schema faciendis et perpendendis*

Ex folio « Ordo agendorum » die 5 decembris 1962 ab Em.mo D.no Cardinali Secretario Status edito [33] et instructionibus ad Patres Concilii una cum schemate « de statibus perfectionis adquirendae » missis [34] colliguntur normae sequentes:

1) Patres rogabantur observationes quas duxerint faciendas in schema ad Exc.mum Secretarium Generalem Concilii intra mensem iulii 1963 scripto mittere. [20]

2) Commissio Conciliaris « de Religiosis » procedere debebat « ad emendationes in schema(ta) inserendas, ratione habita animadversionum receptarum atque bene perpensis rationibus quae singulis emendationibus favent vel non, ita ut schema(ta), congrua praeparatione instructum(ta), Congregationi Generali proponi possit (sint) ».[35]

3) Tempore suo in Congregatione Generali schema praesentari et illustrari debebat a Relatore Commissionis, adiectis notitiis circa observationes Patrum in schemate non assumptas.

2° *Opus Commissionis Conciliaris « De Religiosis » circa observationes*

Prima cura Secretariatus Commissionis « de Religiosis » fuit observationes Patrum Concilii super praedictum schema colligere atque systematice ordinare iuxta ipsum ordinem schematis. Non omnes observationes intra tempus praestitutum pervenerunt; ideo earum prima facta est collectio seu series die 12 mensis septembris 1963 quae constat 135 paginis « ciclostilatis »; subsecuta est secunda series, die 5 octobris, cum 60 paginis, quibus paulo post adiunctae sunt paginae a numero 61 ad 108. Tandem decursu mensis ianuarii 1964 et initio februarii quaedam aliae observationes venerunt quae, sicut ceterae, Patribus Commissionis tempestive communicatae sunt.

Qua ratione hae observationes perpensae fuerint exponitur in distincta relatione « de studio observationum Patrum super schema de statibus perfectionis adquirendae », quae Patribus distribuetur initio tertiae periodi Concilii.

Ad has observationes iuxta statutas normas rite examinandas, Em.mus D.nus Cardinalis Praeses voluit novum Conventum Commissionis convocare, [21]
primo a Patribus petens si praetulerint hunc Conventum habere « ... in hebdomada immediate ante Concilii Sessionem (secundam) ... vel ... tantum durante Concilio ».[36]

Morte autem Summi Pontificis Ioannis XXIII die 3 iunii intercedente et Secunda Sessione Concilii pro die 29 septembris ab eius Successore Paulo VI indicta, coactus est hunc Conventum, qui quartus erat, statim convocare pro die 23 septembris 1963.[37]

Patres Commissionis die praestituto coadunati, imprimis quattuor Subcommissiones constituerunt, scilicet unam pro schemate « de statibus perfectionis adquirendae » et alias pro materiis mixtis nempe: pro Capite III « de Rationibus inter Episcopos et Religiosos praesertim quoad Apostolatus Opera » schematis « De cura animarum »; pro capite IV « de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia » schematis Constitutionis dogmaticae « de Ecclesia »; et pro schemate « de Missionibus » quod nondum tunc tempore prodierat sed expectabatur.

Subcommissio « de statibus perfectionis adquirendae » observationibus

[21] Patrum in idem studere incepit ope adnotationum a Secretariatu paratarum, dum ceterae subcommissiones suo cuiusque muneri incumberent. In Sessionibus autem plenariis Commissionis, quae protractae sunt diebus 24, 25, 26 septembris et 7 octobris, maxime disceptatum est de capite IV « de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia » schematis Constitutionis « de Ecclesia », parum de schemate « de statibus perfectionis adquirendae ».

Manifestum erat, Secunda Sessione Concilii decurrente, schema « de statibus perfectionis adquirendae », deficiente tempore, Patribus Concilii in hac Sessione non praesentatum iri; ideo, Commissio labores suspendit donec in fine Sessionis novae normae pro schematibus iterum contrahendis prodierint.

TERTIA PHASIS LABORUM
ULTERIOR SCHEMATIS IAM CONTRACTI ABBREVIATIO
(Decembris 1963 - martii 1964)

Die 29 mensis novembris 1963, exeunte Secunda Sessione Concilii, a Commissione « de Concilii laboribus coordinandis » novae prodierunt normae ad schemata diversarum Commissionum, iam contracta, ulterius abbrevianda, quas vero aliae decursu mensis ianuarii 1964 subsecutae sunt. Sic laborum Commissionis « de Religiosis » tertia phasis instaurabatur quae duplici stadio progrederetur.

[22]

§ I. Primum stadium: abbreviatio schematis iuxta normas 29 novembris 1963

1° *Normae diei 29 novembris 1963*

Die 29 mensis novembris 1963, Em.mus D.nus Card. Cicognani litteras misit ad Em.mum D.num Card. Antoniutti, Praesidem Commissionis Conciliaris « De Religiosis », quibus novae dispositiones Commissionis « De Concilii laboribus coordinandis » relate ad schema « de statibus perfectionis adquirendae » patefiebant, scilicet:

1) Commissio Conciliaris « de Religiosis » schema « de statibus perfectionis adquirendae » iam « rigorose contractum » adhuc abbreviare debebat, attento in particulari fine pastorali Concilii, iis argumentis ad Codicem recognoscendum remissis quae indolem praevalenter iuridicam praeseferunt.

2) Eadem curet proponere emendationes schematis, habita ratione observationum Patrum Concilii scripto transmissarum, in latere textus abbreviati inscribendas.

3) In Appendice, compendiose recensendae erant illae Patrum Concilii observationes a Commissione non acceptatae, indicatis rationibus earumdem reiectionis.[38]

2° *Exsecutio mandati* [22]

Ad hoc novum mandatum exsequendum, quintus Conventus Commissionis convocatus est pro die 3 decembris 1963 ante discessionem Patrum Concilii.[39] Ut labores securius et expedite procederent, Commissio constituit sex Subcommissiones, in substitutionem quatuor illarum praecedentium, singulis earum committens munus materiam pro futura sessione plenaria praeparandi. In hac autem unica sessione Conventus, facta brevi disceptatione de rebus Commissioni pertinentibus, nihil aliud actum est, nisi indicta adunatione Subcommissionis Coordinatricis pro ultima hebdomada mensis ianuarii, die conventus plenarii tempore suo statuenda.

§ 2. SECUNDUM STADIUM: ABBREVIATIO SCHEMATIS IUXTA NORMAS 15 IANUARII 1964

Ratio procedendi in sessione diei 3 decembris 1963 praestituta mox immutari debuit, ob ulteriores normas Commissionis « de Concilii laboribus coordinandis » diebus 28 decembris 1963 et 15 ianuarii 1964 edictis.

1° *Ulteriores normae 28 decembris 1963 et 15 ianuarii 1964*

Iuxta praedictas normas:

1) Schema « de statibus perfectionis adquirendae » iam mense martii 1963 rigorose contractum et Patribus Concilii communicatum, adhuc reducendum erat ad puncta essentialia, sub forma propositionum praesentanda, [23]
quae suffragationi Patrum Concilii subiicerentur.

2) His propositionibus addenda erat, in Appendice, relatio completa:

a) de laboribus a Commissione expletis;

b) de ratione procedendi in iisdem;

c) de examine propositionum Patrum Concilii super schema.[40]

Insuper, Em.mus D.nus Card. Döpfner, Relator in Commissione « de Concilii laboribus coordinandis » pro schemate « de statibus perfectionis adquirendae », paulo post misit aliquas adnotationes, quas tamen « ... mera auctoritate cuiusvis Patris Conciliaris » proponebat.[41]

2° *Exsecutio mandati: praeparatio Conventus Commissionis*

Subcommissio Coordinatrix, ad munus die 3 decembris 1963 sibi commissum explendum, convenit Romae die 27 ianuarii 1964,[42] per quinque sessiones usque ad diem 4 februarii adlaborans. Attentis novis normis Commissionis « de Concilii laboribus coordinandis », et urgentia eas ad effectum deducendi, censuit suum esse munus non tantum labores ordinare, sed etiam apte praeparare. Quapropter, schema abbreviatissimum sub forma propositionum cum auxilio Rev.morum Peritorum conficere curavit, iudicio Commissionis in sessione plenaria subiiciendum,[43] atque rationem procedendi in futuris laboribus Commissionis servandam definivit.[44]

Patres Commissionis interim suas observationes in hoc abbreviatissimum schema, prout rogabantur, miserunt ad Secretarium Commissionis,[45] qui

[23] illas systematice iuxta diversas propositiones schematis ordinavit atque Patribus die 4 martii coadunatis in sessione plenaria praesentavit disceptandas.

Interim Rev.mi Periti ad hoc convocati [46] adlaboraverunt in observationibus Patrum Concilii super praevium schema diei 9 martii 1963 examinandis, dum Secretariatus praeparationi praesentis relationis de laboribus et ratione procedendi vacavit.

3° *Exsecutio mandati: sextus Conventus Commissionis*

Ad mandatum Commissionis « de Concilii laboribus coordinandis » exsequendum, Patres Commissionis « De Religiosis » in Conventum Plenarium, qui sextus erat, Romae, die 4 martii 1964 convenerunt,[47] adsistentibus Reverendissimis Peritis.[48] In prima sessione, Rev.mo Secretario referente,[49] labores a Commissione peragendi delineati sunt, scilicet: imprimis, schema Subcommissionis Coordinatricis sub forma abbreviatissima apparatum, nunc erat recognoscendum et approbandum; idem faciendum quoad duas relationes nempe: « de laboribus Commissionis deque in iisdem ratione procedendi » a Secretariatu concinnatam,[50] necnon aliam « de studio observationum Patrum Concilii » in schema « de statibus perfectionis adquirendae » anno 1963 editum, a peritis praeparatam.[51] Postea Commissio attendere debebat ad quasdam materias mixtas: novum caput « de Religiosis » arcte con-
[24] tractum in Decreto « de Pastorali Episcoporum munere in Ecclesia »,[52] et caput iterum « de Religiosis » Constitutionis dogmaticae « de Ecclesia », a subcommissione mixta sub finem mensis ianuarii et initio februarii communi consilio retractatum.[53] Pro examine relationis « de studio observationum Patrum Concilii » rite praeparando, constitutae sunt quatuor subcommissiones quae partem relationis sibi cuique assignatam perpenderent suasque conclusiones in sessione plenaria proponerent.

Quo studium schematis « de Religiosis » in sessione plenaria expedite procederet, ex observationibus Patrum Commissionis Secretario praevie missis confectum est aliquod « folium officii » quod totius disceptationis basim praebuit. Hac ratione, Commissio hoc munus satis celeriter in quatuor sessionibus dierum 4, 5, 6 et 7 martii explevit; ita novus textus prodiit plane emendatus et rite approbatus,[54] opera alicuius subcommissionis « redactionis » ulterius expoliendus.

Ultima sessione plenaria Commissionis mane die 7 martii et post approbationem schematis « de Religiosis », quatuor Relatoribus subcommissionum auditis, relatio « de studio observationum Patrum Concilii in schema anno 1963 editum » approbata est; pariter relatio « de laboribus Commissionis deque in iisdem ratione procedendi », Secretario referente.

His actibus finem habuit sextus Conventus Commissionis. Novum schema abbreviatissimum cum duabus relationibus in Appendice, Em.mo D.no Cardinali Hamleto Cicognani, Praesidi Commissionis « de Concilii laboribus coordinandis » transmissum est,[55] Concilio in Congregatione Generali tempore suo subiiciendum.

NOTAE [24]

[1] Em.mus D. Card. Cicognani, Praeses Commissionis « De Concilii laboribus coordinandis », in sua epistola diei 30 ianuarii 1963, Prot. N. 42/63 LC, Commissioni Conciliari « De Religiosis » commendabat ut « in corrispondenza ai fini del Concilio e per quanto sarà possibile si abbia cura di utilizzare il materiale elaborato dalle Commissioni preparatorie ed esaminato dalla Commissione Centrale preparatoria » (Docum. 192/63).

[2] Cf. Litterae convocationis diei 15 novembris 1962: Docum. 101-125/62.

[3] Cf. Prolusio Em.mi D.ni Card. Valeri (Docum. 126/62); Relatio Secretarii (Docum. 127/62).

[4] Opusculum « Schemata Constitutionum et Decretorum ex quibus argumenta in Concilio disceptanda seligentur » 1962, p. 8, XI.

[5] Cf. « Ordo agendorum tempore quod inter conclusionem primae periodi Concilii Oecumenici et initium secundae intercedit, die 5 decembris 1962.

[6] Cf. Opusculum: « Schemata Constitutionum et Decretorum ex quibus argumenta in Concilio disceptanda seligentur » 1962, p. 3.

[7] Cf. Opusculum cit., p. 21.

[8] Cf. Folium: « Ordo agendorum tempore quod inter conclusionem primae periodi Concilii Oecumenici et initium secundae intercedit », die 5 decembris [25] 1962.

[9] Cf. Litt. convocationis die 1 decembris 1962 (Docum. 128/62); etiam, « ordo agendorum » (Docum. 130/62) et « ordo argumentorum » (Docum. 133/62).

[10] Membra huius Subcommissionis die 5 decembris 1962 constitutae erant: Exc.mus D.nus PAULUS PHILIPPE, Praeses - Exc.mus D.nus HENRICUS COMPAGNONE, Vicepraeses - Exc.mi D.ni: PAULUS BOTTO - IOSEPHUS URTASUN - GERARDUS HUYGHE - Rev.mi Patres: SIGHARDUS KLEINER - AUGUSTINUS SÉPINSKI, qui deinde substitutus est a Rev.mo P. IOANNE JANSSENS.

Pro nominatione Praesidis et Vicepraesidis: cf. Docum. 155/62 et 156/62.

[11] Cf. Opusculum: « Schemata Constitutionum et Decretorum ex quibus argumenta in Concilio disceptanda seligentur » 1962, p. 3.

[12] Cf. Relatio Secretarii: 19 ianuarii 1963 (Docum. 185/B/63).

[13] Cf. Documentum 192/63.

[14] Cf. Litt. convocationis: Docum. 191/63. Membra huius commissionis restrictae erant: Exc.mus PAULUS PHILIPPE, Praeses; Rev.mus P. IOSEPH ROUSSEAU, Secretarius Commissionis; Rev.mi Periti: GOMMARUS VAN DEN BROEK, PETRUS ABELLAN, ELIAS GAMBARI et ANASTASIUS GUTIERREZ.

[15] Cf. Documentum 197/63.

[16] Cf. Litt. convocationis 5 febr. 1963: Docum. 193/63.

[17] Cf. Litt. convocationis diei 6 februarii 1963: Docum. 195/63.

[18] Cf. Folium Officii: Docum. 201/63.

[19] Commissio redactionis componebatur modo sequenti:
Exc.mi D.ni: PAULUS PHILIPPE - CESLAUS SIPOVIC;
Rev.mi PP.: SIGHARDUS KLEINER - IOSEPH ROUSSEAU - PETRUS ABELLAN et HENRICUS JOULIA.

[20] Cf. Docum. 192/62/e.

[21] Cf. Litt. Exc.mi D. Felici ad Em.mum Card. Valeri, d. 21 martii 1963: (Docum. 236/63).

[25] [22] Cf. Acta sessionis Commissionis « de Concilii laboribus coordinandis » diei 27 martii 1963: Docum. 243/63.

[23] Cf. Litt. explicativae Em.mi D.ni Card. Valeri ad Membra Commissionis « de Religiosis », d. 4 aprilis 1963: Docum. 248/63.

[24] Commissio restricta sic componebatur: Exc.mus D.nus PAULUS PHILIPPE, Praeses; Rev.mi PP.: IOSEPH ROUSSEAU - PETRUS ABELLAN - ELIAS GAMBARI et HENRICUS JOULIA.

[25] Cf. Studium circa Observationes Em.mi D.ni Card. DÖPFNER: Docum. 244/63.

[26] Cf. Docum. 253/63.

[27] Cf. Docum. 255/63.

[28] Cf. Docum. 257/63.

[29] Cf. Litt. ad Exc.mum Secretarium Generalem Concilii, d. 8 maii 1963: Docum. 253/63.

[30] Card. DÖPHNER. Cf. Acta Sessionis Commissionis « de Concilii laboribus coordinandis » diei 27 martii 1963: Docum. 243/63.

[31] Cf. Instructiones ad Patres Concilii, Litt. d. 30 aprilis 1963: Docum. 264/63.

[26] [32] Cf. Communicatio Secretarii ad Membra Commissionis, d. 12 augusti 1963: Docum. 292/63.

[33] Cf. supra p. 13.

[34] Cf. Litterae Em.mi D.ni Card. Cicognani 30 aprilis 1963 ad Patres Concilii: Docum. 264/63.

[35] Cf. « Ordo agendorum » intervallo temporis a prima ad secundam sessionem Concilii: supra p. 13.

[36] Cf. Litterae 25 maii 1963 ad Patres Commissionis: Docum. 265/63.

[37] Cf. Litt. convocationis 1 iulii 1963: Docum. 277/63.

[38] Cf. Litt. Em.mi D.ni Card. Cicognani, d. 29 novembris 1963: Docum. 347/63.

[39] Cf. Litt. convocationis 28 novembris 1963: Docum. 341/63.

[40] Cf. Litt. Em.mi D.ni Card. Cicognani 23 ianuarii 1964: Docum. 361/64.

[41] Cf. Litt. Em.mi D.ni Card. Döpfner 24 ianuarii 1964: Docum. 377-64.

[42] Cf. Litt. convocationis 18 ianuarii 1964: Docum. 363-64.

[43] Cf. Schema sub forma decem Propositionum: Docum. 380/64.

[44] Cf. Ratio procedendi: Docum. 379/64.

[45] Cf. Litt. Secretarii 8 febr. 1964: Docum. 381/64.

[46] Cf. Litt. convocationis: 10 februarii 1964: Docum. 383/64.

[47] Cf. Litt. convocationis Patrum Commissionis, 31 ianuarii 1964: Docum. 376/64.

[48] Cf. Litt. convocationis Peritorum, 15 februarii 1964: Docum. 388/64.

[49] Cf. « Ordo agendorum » sessionis diei 4 martii 1964: Docum. 399/64.

[50] Cf. Docum. 393/64.

[51] Cf. Docum. 395/64.

[52] Cf. Docum. 396/64.

[53] Cf. Docum. 403/64.

[54] Cf. Docum. 401/64.

[55] Cf. Litt. Em.mi D.ni Card. Antoniutti ad Em.mum D.num Card. Cicognani, die 23 martii 1964: Docum. 405/64.

3 – EXAMEN * [5]

CIRCA PATRUM CONCILII OBSERVATIONES IN SCHEMA « DE STATIBUS PERFECTIONIS ADQUIRENDAE » ANNO 1963 EDITUM

INTRODUCTIO

Schema « Constitutionis de statibus perfectionis adquirendae » a Commissione Praeparatoria Concilii « De Religiosis » iuxta mandatum pontificium anno 1962 apparatum, atque, habita ratione observationum Patrum Commissionis Praeparatoriae Centralis, retractatum, ad disceptationem in Congregatione Generali, deficiente tempore, non pervenit. Mox autem, Consilio Praesidentiae Concilii iubente et normis ab Em.mo D.no Cardinali Hamleto Cicognani, Secretario Status, datis,[1] praefatum schema quod typis impressum centum paginis constat,[2] a Commissione Conciliari « De Religiosis » rigorose contractum est et omnibus Patribus Concilii perpendendum mense Maii 1963 communicatum, ut ipsi quas duxerint in illud faciendas observationes Exc.mo D.no Secretario Generali Concilii scripto mitterent.

Patrum observationes ad Secretariatum Commissionis nostrae transmissae sunt in septuaginta septem (77) documentis, ex quibus novem sunt collectiva, nomine scilicet alicuius Episcoporum conferentiae aliusve coetus scripta. Ita Patres qui in praefatum schema observationes protulerunt aut ad eas conficiendas collaborarunt centum et quinquaginta (150) circiter numerari possunt.

Cura fuit Secretariatus Commissionis has observationes iuxta ordinem schematis systematice ordinare et transcribere, quod non uno tempore sed triplici periodo fieri potuit a mense Septembris 1963 ad mensem Ianuarii 1964. Earum studium inde a die 24 mensis Septembris 1963 opera specialis Subcommissionis incepit; sed progrediente secunda Sessione Concilii manifestum apparuit schema neque in hac Sessione disceptatum iri; quare studium observationum Patrum suspensum est, resumendum tantum mense Februarii 1964 a Rev.mis Peritis, deinde a Commissione in Conventu plenario [6]
die 4 mensis Martii coadunata prosequendum.

---

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus est in congregatione generali 108, die 9 novembris 1964.

[1] Cf. « Schemata Constitutionum et Decretorum ex quibus argumenta in Concilio disceptanda seligentur » et « Ordo agendorum tempore quod inter conclusionem primae periodi Concilii Oecumenici et initium secundae intercedit », 5 decembris 1962.

[2] Cf. « Schemata Constitutionum et Decretorum ex quibus argumenta in Concilio disceptanda seligentur », Series Tertia (1962), pp. 181-281.

[6] Plane intelligitur observationes Patrum praesenti schemati abbreviatissimo apparando parum inservire potuisse. Etenim, plerique Patres praevium schema iam « rigorose contractum » [3] in non paucis complere petebant, dum Commissio « de Concilii laboribus coordinandis » iusserat illud ulterius ad puncta essentialia reducere. Attamen, earumdem summa hic relata, in praesenti schemate abbreviatissimo perpendendo auxilium praebere poterunt et Codici recognoscendo multum conferent.

Relatio habet duas partes. In prima, sunt considerationes generales ad integrum schema spectantes; in altera, considerationes particulares pro singulis capitibus et articulis schematis.

I – PRIMA PARS: CONSIDERATIONES GENERALES

Observationes non habent omnes idem pondus. Nonnullae simplicem complacentiam de schemate vel articulo exprimunt, dum plures adeo generales sunt ut vix appareat quid reapse significent! Non paucae defectus corrigendos tantum notant quin positivam emendationem proponant vel aliquam proponunt rationibus destitutam. Maxima autem earum pars doctrinae et disciplinae religiosae validum afferunt contributum, ita ut etiam propositiones quas in schema deducere non oportebat, suam retineant utilitatem pro aliis documentis conficiendis.

§ 1. – De acceptatione schematis

Schema « Constitutionis de statibus perfectionis adquirendae » a plerisque Patribus qui observationes miserunt acceptatum est. Etsi enim pauci id explicitis verbis edixerint, permulti vero emendationes ad schema perficiendum proposuerunt, quod evidenter supponit eos illud substantialiter acceptasse.

Quatuor tantum inveniuntur documenta quae iudicium contrarium proferunt.

« Textus schematis episcoporum spem in genere fefellit... Episcopi dubitant num idoneum et vere dignum sit quod Patribus Concilii offeratur vel ut constitutio conciliaris publicetur » [4] (Conferentia Ep. Angliae et Cambriae: cf. I, p. 7, n. 5).

« ... Problemata realia quae habentur in variis Religionibus... in hoc sche-
[7] mate silentur, et iis remedia non afferuntur. Videtur superfluum quod Con-

---

[3] Cf. Acta Commissionis « de Concilii laboribus coordinandis » sessionis diei 27 mensis martii 1963.

[4] Fontes singulis Patrum observationibus adiecti, sunt duo fasciculi (I, II) in quibus observationes dactilographice transcriptae et ciclostilatae sunt, ad usum Patrum et Peritorum Commissionis « De Religiosis ».

cilium disceptabit de hoc schemate prout iacet, cum ibi dicta sint omnibus iamdudum plus quam cognita » (Conferentia Ep. Neerlandica: cf. I, p. 12, n. 15). [7]

Huic sententiae accedunt duo alii Patres (cf. I, p. 11, n. 12; p. 14, n. 18).

Resp.: 1) In hoc schemate, iuxta mandatum Commissionis « de Concilii laboribus coordinandis » « rigorose contracto », plura evidenter omittenda erant quae in illo Commissionis Praeparatoriae exstant. Id specialiter dicendum est de « problematibus realibus » Religiosorum et Religiosarum, quorum absentiam deplorat Conferentia Episcopalis Neerlandica.

2) Nimia forte facilitate asseritur ea quae « ... ibi dicta sint omnibus iamdudum plus quam cognita » esse. Licet enim auctores spiritualitatis religiosae de iis argumentis frequenter agant, ea tamen non semper congruenti modo solvunt, neque, ut patet, cum sufficienti auctoritate. Munus Conciliorum non est tantum inaudita docere, sed etiam iam audita recte definire et suprema auctoritate inculcare ut omnibus clara et certa praebeatur norma.

3) Liceat referre oppositum testimonium unius Patris:

« Je voudrais louer, d'une manière particulière, dans le présent schéma, sa composition claire, la logique de ses développements, la pureté de sa langue; je louerai surtout l'atmosphère spirituelle et profonde dans laquelle il fait baigner le lecteur, l'insistance avec laquelle il revient sur la nécessité de la vie religieuse et monacale, sur la vie contemplative et sur les effets de la prière des moines pour l'apostolat...

« Après les définitions précises du début et l'analyse des notions de la vie religieuse..., le schéma procède à des applications doctrinales pratiques... » (cf. I, p. 16, n. 22).

§ 2. – Indoles generales schematis

Plures Concilii Patres animadvertunt schema vel formam iuridicam nimis arctam sequi (cf. I, p. 15, n. 17; etiam: I, p. 3, n. 2; p. 19, n. 24; II, p. 3, n. 23), vel vitam perfectionis sub aspectu pastorali (cf. I, p. 15, n. 21) et oecumenico (cf. I, p. 16, n. 22) parum seu insufficienter considerare.

Resp.: 1) Ratio peculiaris aspectus iuridici schematis sufficienter explicatur in nota 4, pag. 7 ipsius. Status enim perfectionis prout nunc in Ecclesia ordinatus, est institutum suapte natura iuridicum. Propterea, dum eius fundamenta theologica et scripturistica in Constitutione dogmatica « De Ecclesia » ut in proprio loco ponuntur, hic iuridice est tractandum, etsi considerationes ordinis spiritualis non sint omnino omittendae.

2) Circa indolem pastoralem Concilii, plura quidem, et non semper inter se concordantia, dicta sunt. Munus pastorale non exhauritur praedicatione ad populum vel applicatione legum in casibus particularibus vel ministerio sacramentali; gradu superiori, complectitur etiam doctrinae catholicae claram propositionem et definitionem, disciplinae ecclesiasticae sapientem elabora-

[8] tionem necnon reiectionem errorum qui oves Christi a recto tramite rapiunt. Ideo, licet schema ad particularia non descendat (id quod prohibitum erat et nunc penitus excluditur), adhuc pastorale merito dici potest cum plura statuat de renovatione et accommodatione institutorum eorumque praesentibus necessitatibus opportune occurrat; ideo ab uno Patre dicitur illud habere « un caractère pastoral très évident » (cf. I, p. 16, n. 22). Praeterea, de vita perfectionis sub aspectu pastorali fusius et ex professo tractat schema « de cura animarum » in capite III: « De rationibus inter Episcopos et Religiosos praesertim quoad apostolatus opera ».

3) Sensus oecumenicus, qui agnoscitur esse in schemate (cf. I, p. 16, n. 22), non facile erat in eodem plus abundare.

§ 3. – De vocatione ad sanctitatem

Relate ad sanctitatem cui religiosi peculiari ratione vocantur, tria reprehendenda a Patribus Concilii adnotantur. Imprimis, secundum schema, religiosi tantum perfectionem evangelicam adipisci possunt (Duo Patres: cf. I, p. 10, n. 9 et p. 19, n. 24). Deinde sermo non fit de obligatione sacerdotum saecularium assequendi hanc perfectionem, nec comparatio instituitur inter perfectionem ad quam Episcopi, sacerdotes et religiosi tendere debent (cf. Unus Pater, I, p. 4, n. 3). Tertio nihil dicitur de relatione et coordinatione studii perfectionis individualis ad perfectionem totius Corporis Mystici, quod est Ecclesia (Coetus 11 Episcoporum: cf. I, p. 12, n. 6).

Resp.: 1) Argumentum de universali vocatione ad sanctitatem et de possibilitate pro omnibus fidelibus christianam perfectionem adipiscendi ample tractatur in Constitutione dogmatica « De Ecclesia » ut in proprio loco. Neque sufficiens indicatio hac de re abfuerat in schemate Commissionis Praeparatoriae. De cetero, cum schema, pro subiecta materia sibi assignata, de mediis specialibus agat quibus sodales institutorum vitae religiosae uti debent ad perfectionem ad quam vocati sunt assequendam, minime excluditur alios fideles aliis mediis vel alio modo perfectionem evangelicam assequi posse.

2) Non est dubium de arcta obligatione sacerdotum « saecularium » ad sanctitatem, quae tamen ipsis non eodem titulo neque eadem disciplina prosequenda ac Religiosis imponitur. Hoc argumentum tractat Constitutio dogmatica « De Ecclesia »; et licet in schemate Commissionis Praeparatoriae distincte disserebatur: *a*) de « differentia status perfectionis adquirendae a statu Episcoporum » et *b*) de « differentia status perfectionis adquirendae a statu Cleri saecularis », non erat locus in praesenti schemate rigorose contracto iterum de iis agere.

3) Coordinatio studii perfectionis individualis ad perfectionem totius Corporis Mystici, in Constitutione dogmatica « De Ecclesia » inculcatur. In nostro schemate non totaliter deest ut legitur in pag. 33, n. 36: « ... recipiant institutionem, ad illam quidem excellentiam adducendam quam peculiaris statuum perfectionis dignitas *eorumque in Mystico Christi Corpore munere exigunt* ».

§ 4. – De reverentia religiosorum erga Ordinarium loci [9]

Una tantum habetur animadversio, quod in toto schemate nihil dicatur de reverentia Religiosorum erga Ordinarium loci (cf. I, p. 14, n. 19).

Resp.: De hoc argumento omnino probando est sermo, et quidem ut in proprio loco, in schema « De cura animarum » Cap. III: « De rationibus inter Episcopos et Religiosos praesertim quoad Apostolatus opera » (n. 20): « Quapropter Religiosi omnes filiali semper obsequio ac reverentia Episcopos prosequi debent et, quoties ad apostolatus opera vocantur, ita munia sua exercere tenentur ut Episcopis auxiliatores adsint et subsint, servatis quidem de iure servandis ». Hunc textum ipsa Commissio de Religiosis paravit.

§ 5. – De titulo schematis

Pauciores tantum Patres ad titulum schematis « De statibus perfectionis adquirendae » aliquid animadverterunt. Id significat titulum una cum schemate quasi unanimiter acceptatum esse, quem duo Patres etiam explicitis verbis probaverunt (cf. I, p. 20, n. 1 et p. 24, n. 3).

Attamen nonnulli diversos titulos proposuerunt, nempe:

« *De Religiosis* » (Tres Patres: cf. II, pp. 6-8; p. 61 et p. 74);

« *De statu* (forma singulari) *perfectionis adquirendae* » (Unus Pater: cf. I, pp. 20-22);

« *De statu publico perfectionis adquirendae* » (Duo Patres: cf. I, p. 24, n. 4 et II, p. 9, n. 10);

« *De statu sequelae Christi secundum consilia evangelica* » (Unus Pater: cf. II, p. 9);

« *De statu imitationis Christi secundum consilia evangelica* » (Aliquis coetus Episcoporum: cf. II, p. 9);

« *Status assequendi perfectionem, iuxta consilia evangelica* » (Unus Pater: cf. Acta Commissionis « de Concilii laboribus coordinandis » sessionis 27 Martii 1963).

Resp.: 1) Nemo dubitat de momento tituli schematis et de difficultate, post tantam institutorum perfectionis christianae evolutionem, illum recte definiendi. Ad hanc quaestionem rite perpendendam iuvare potest prae oculis habere sequentes considerationes.

2) Imprimis distinguendum est inter rem de qua agitur et titulum quo res nuncupatur.

a) *Res de qua agitur* est verus status vitae, scilicet, vitae christianae seu personae in Ecclesia, specialis, stabiliter constitutus et essentialiter ordinatus ad perfectionem christianam professione et effectiva observantia Consiliorum Evangelicorum Paupertatis, Castitatis et Oboedientiae prosequendam. Huius rei doctrina, sive theologica sive canonica, ab iis elementis ipsius rei constitutivis praescindere nequit; immo aliis verbis apte enucleari vix potest.

b) *Titulus quo res nuncupatur* munere nominis fungitur. Ideo non

[10] est rei definitio neque requiritur ut omnia elementa rei constitutiva distincte exprimat; sufficit ut illam ex aliqua conspicua proprietate designet et ab aliis secernat.

3) Quare in aliquo titulo, sicut in quovis nomine, seligendo, attendere oportet tum ad proprietatem vocabuli cuius ratione rei imponitur, tum ad commodum usum tituli quem specialiter facit brevitas locutionis.

4) Tituli a Patribus propositi ad duo genera reduci possunt. Primo generi pertinet titulus simplex « *De Religiosis* »; alteri pertinent ceteri, quatenus fundantur in eodem verbo « *status* » quod varia accipit complementa, nempe: « status perfectionis adquirendae », « status Consiliorum Evangelicorum », « status imitationis, sequelae Christi », etc.

a) *De se,* attenta tantum vi significativa, uterque titulus dici potest aptus ad rem de qua agitur nuncupandam. Id sufficienter patet ex notis explicativis textui schematis adiectis: pro « De Religiosis », ex nota 8, pag. 12; pro « status » ex nota 1, pag. 5.

b) *De facto* autem, notum est acceptationem unius tituli prae alio non esse pacificam et quidem, propter rationes etymologiae verborum extrinsecas difficilliter superandas.

5) Quidquid sit de hac difficultate, electio unius tituli usum alterius in textu impedire non debet. Si enim titulus « De Religiosis » assumatur, licitum erit, immo necessarium, loqui in textu de statibus perfectionis qui pertinent ad ipsam doctrinam; pariter si titulus « De statu... etc. » praeferatur, licitus adhuc remanebit usus vocis « religiosus » sive sensu stricto sive sensu lato: quia, ut supra dictum est, alia est res de qua agitur enucleanda, et alius est titulus quo res tantum nuncupatur.

6) Quoad titulum « De statu perfectionis... », videtur esse concordia bene fundata ad formam singularem praeferendam plurali (cf. I, pp. 22-23). Id autem impedire non deberet, ubi de doctrina enucleanda agitur, mentionem trium statuum perfectionis nempe, Religionis, Societatis vitae communis et Instituti Saecularis, iuxta doctrinam Constitutionis Apostolicae « Provida Mater ».

7) Omnibus attente perpensis, Commissio censuit retinendum esse titulum clarum, brevem et in traditione multisaeculari fundatum, idest: « De Religiosis », eo vel magis quod hic titulus, lato sensu sumptus, omnes perfectionis status complectitur.

§ 6. – De quibusdam criteriis generaliter observandis

1) Aliqui Patres animadvertunt in definitionibus, in formulis, in usu terminorum evitandum esse quidquid speciem praesefert asserendi:

a) perfectionem exclusive reservatam esse Religiosis;

b) perfectionem quam Religiosi sibi assequendam proponunt diversam esse a perfectione omnibus fidelibus et clericis propositam;

c) quod consilia evangelica omnia et etiam tria quae a religiosis pro-

fitentur, quoad spiritum non esse omnibus fidelibus proposita (Duo Patres: cf. I, p. 10, n. 9; p. 19, n. 24). [11]

Resp.: De his quaestionibus, potius doctrinalibus, agitur in proprio loco Constitutionis dogmaticae « De Ecclesia ». In revisione autem Codicis I. C. et in instructionibus S. Sedis pro opportunitate edendis, certe de iis observationibus ratio habenda erit. Ceterum mutatio tituli schematis, quod nunc « De Religiosis » inscribitur, has Patrum difficultates attenuat.

2) Nonnulli Patres (4 Patres: cf. I, p. 4, n. 3 et p. 8, n. 6; 11 Patres alicuius coetus: I, p. 12, n. 16) animadvertunt ut in textu schematis constanter prae oculis habeatur locus seu munus Religiosorum in Ecclesia.

Resp.: Revera hoc criterium prae oculis habitum fuit in confectione schematis. De loco Religiosorum in Ecclesia recte assignando agit specialiter Constitutio dogmatica « De Ecclesia ». Praeterea tam de loco quam de munere Religiosorum multa sunt in nostro schemate ac in schemate quod dicitur: « De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia ».

3) In schemate plures quaestiones non tanguntur quae suum momentum pro Ecclesia habent (Conferentia Neerlandica: cf. I, p. 12, n. 15).

Resp.: Animadversio est nimis generica. Prae oculis insuper habeatur multas quaestiones relictas esse Codici Iuris Canonici recognoscendo atque opportunis Instructionibus S. Sedis.

II – SECUNDA PARS: CONSIDERATIONES PARTICULARES

§ 1. – AD CAPUT I:

DE STATUS PERFECTIONIS NATURA, SPECIEBUS ET FORMIS

Ad Art. 3: [*Definitio status perfectionis adquirendae*].

1) Tres Patres animadvertunt in definitionibus clare apparere debere sectatores perfectionis evangelicae teneri non tantum praxi Consiliorum, sed etiam observantiae mandatorum (cf. I, p. 30, n. 3; II, p. 12, n. 6).

Resp.: Observatio canoni 487 Codicis I. C. consonat. Advertendum tamen est, hanc definitionem elementum tantum specificum status religiosi ante oculos proponere voluisse. Communia praecepta autem non sunt quid religiosorum specificum; ideo, omissa fuerunt.

2) Unus Pater censet indicandum esse quod de tribus potioribus consiliis agitur modo specialiter radicali susceptis, cum eadem possint aliquomodo ab omnibus christianis observari (cf. I, p. 34, n. 2).

Resp.: Cum in definitione dicatur consilia suscipi « *per professionem* », his verbis sufficienter indicatur agi non de mero *spiritu* Consiliorum, secundum quem omnes qui perfectionem consequi volunt vivere debent; sed de eorumdem *disciplina*, qua fidelis illam profitens et amplectens, effective con-

[12] stituitur in speciali conditione seu statu vitae, scilicet, sine proprio in paupertate, sine connubio in castitate et Superioribus mancipatus in oboedientia.

3) Unus Pater censet quod in definitione status perfectionis includi deberent tria elementa, nempe: 1) quod Religiones a Fundatore oriuntur; 2) quod ab auctoritate ecclesiastica approbantur; 3) quod substantialiter a Christo institutus sit (cf. II, p. 13. n. 8).

Resp.: Origo alicuius determinati instituti a determinato Fundatore evidenter non pertinet ad essentiam *status perfectionis* de quo in definitione. De approbatione ecclesiastica, expresse loquitur definitio data. De origine divina autem status perfectionis agit Constitutio dogmatica « De Ecclesia ».

4) Quatuor Patres rogant ne in definitionibus et in divisionibus religionum aliorumque institutorum perfectionis porta claudatur ulterioribus formis professionis consiliorum evangelicorum (cf. I, p. 32, n. 2; n. 4).

Resp.: Suggestio est omnino fundata; sed cum schema loquatur de « iure vigenti », nulla porta clauditur iuri condendo.

Ad Art. 4: [*Tres species status perfectionis*].

1) Unus Pater proponit aliam divisionem in quatuor partes, nempe:

1. Monachi seu ordines monastici et eremitici.

2. Ordines et congregationes clericales ad apostolatum sacerdotalem et caritativum ordinati.

3. Ordines vel congregationes laicales virorum et mulierum vitae activae.

4. Instituta saecularia (cf. II, p. 14, n. 6).

Resp.: Haec nova divisio procedere videtur ex aliqua confusione inter *species status* perfectionis et *formas institutorum* perfectionis, quae omnia sufficienter explicantur in schemate, nota 5, pag. 11-12.

2) Unus Pater non videt qua ratione Instituta saecularia inter status perfectionis hic recensitos includantur! (cf. II, p. 15, n. 8).

Resp.: Sufficienter patere videtur instituta saecularia habere elementa stricte essentialia status perfectionis, nempe consiliorum evangelicorum in aliqua societate approbata professionem, quae substantialiter est religiosa, ut inculcatur in « motu proprio » *Primo feliciter* 12 martii 1958: cf. AAS 40 (1958) pp. 285-286.

Ad Art. 5: [*Vox « Religiosus » stricto et lato sensu*].

1) Tres Patres censent extensionem significationis vocis « religiosus » reiiciendam esse (cf. I, p. 34, n. 4).

Resp.: Extensio huius vocis, non est creatio hic inducenda; est *factum* latissime diffusum in tota litteratura ecclesiastica, non exclusis documentis pontificiis, ut sufficienter explicatur in nota 8 schematis, pp. 12-13.

2) Unus Pater improbat extensionem vocis « religiosus » ex eo quod « sodales nonnullarum Societatum vitae communis sine votis dici possunt

religiosi « sensu lato seu communi », mihi videtur idem dici non posse de sodalibus omnium Societatum vitae communis sine votis » (cf. II, p. 16, n. 10). [13]

Resp.: Non dicitur vocem « religiosus » sensu lato convenire posse omnibus societatibus vitae communis, sed bene huiusmodi societatibus, dummodo habeant veram professionem consiliorum evangelicorum etsi sine votis. Ceterae autem societates vitae communis hac professione integra trium consiliorum carentes, nequeunt dici pertinere ad statum perfectionis seu religiosum (sensu lato) *iure vigenti,* scilicet prout ab Ecclesia nunc recognitum.

3) Quindecim Patres alicuius coetus Episcoporum vellent ut « loco distinctionis inter " Religiosus sensu stricto et sensu lato " poneretur terminus novus et clarior » (cf. I, pag. 35, n. 5).

Resp.: Post multas inquisitiones, adhuc expectatur terminus « novus et clarior »!

Ad Art. 6: [*De vita contemplativa fovenda*].

1) Nonnulli Patres suggerunt ut clausura Monialium ordinetur ad instar clausurae papalis Regularium virorum (cf. cann. 597-598). Ratio praecipua quae adducitur necessariam afficit libertatem pro exercitio apostolatus in Monasteriis activitatem apostolicam habentibus (cf. I, p. 36, n. 1; p. 37, n. 5).

Resp.: Haec pro Monialibus apostolatus operibus ex instituto deditis commendabilia videntur. De cetero, ad clausuram papalem quod attinet, proculdubio in revisione Codicis Iuris Canonici ipsa recognoscenda erit.

2) Aliqui Patres petunt ut clarior distinctio habeatur et illustretur inter vitam contemplativam et vitam apostolicam, quarum spiritualitas et character tam longe ab invicem distant (cf. I, p. 37, n. 6; II, p. 75). Alius non probat quod in schemate videatur identificari vita monastica cum vita unice contemplativa (cf. II, p. 76, n. 7).

Resp.: Schema non loquitur simpliciter de vita unice contemplativa prout a vita apostolica distincta; sed de *institutis vitae* unice contemplativae ab illis distinguendis quae vitam activam externam secumferunt. Et hoc respondet doctrinae Constitutionis Apostolicae « Sponsa Christi » qua clare inculcatur distinctio inter vitam contemplativam *canonicam* a contemplatione interna et theologica (cf. Const. cit. Art. II). In luce huius doctrinae faciliter intelliguntur ea quae in schemate habentur. Aliae determinationes particulares pertinent potius ad theologos ac iuris canonici peritos tradere quam ad Concilium (cf. nota 12 schematis, pag. 14).

3) Plures Patres petunt et proponunt ut clausura Monialium recognoscatur et temporibus nostris accommodetur, sive quoad materialem structuram sive quoad disciplinam egressus et ingressus (cf. I, p. 36, nn. 1, 3; p. 37, n. 5; p. 41, n. 7; p. 45, n. 10; p. 46, n. 11; II, p. 111).

Resp.: Seria Monialium clausurae recognitio videtur necessaria, non quidem a Concilio facienda sed in futura revisione Codicis Iuris Canonici.

[14] 4) Unus pater quaerit quid est forma traditionalis vitae contemplativae de qua sermo est in schemate (cf. II, p. 17, n. 12).

Resp.: Ut supra dictum est in responso ad art. 6, n. 2 (pag. 13), agitur de vita contemplativa non mere theologica, sed canonica, prout invenitur ordinata in monasteriis unice vitae contemplativae et quidem secundum formam decursu saeculorum substantialiter servatam, quam accurate descripsit Pius XII, non tantum in Const. Apost. « Sponsa Christi », sed fusius in tribus allocutionibus radiophonicis ad Moniales anno 1958 prolatis (cf. AAS Vol. 50 [1958] pp. 563 sqq.; 572 et 581 sqq.). Uberior huius rei explanatio non pertinebat ad schema conciliare.

5) Occasione huius articuli 6, unus Pater observat quod mentio non fit de Anachoretis (cf. I, p. 30, n. 5).

Resp.: De hac forma vitae religiosae ratio haberi poterit in revisione Codicis Iuris Canonici si id expedierit. Interim sequentia iuvare possunt: 1) Anachoretae, qui sunt eremitae *sensu stricto* seu vitam solitariam *extra societatem* ducentes, non comprehenduntur in schemate, quia non recogniti ab Ecclesia tamquam pertinentes ad statum *canonicum* perfectionis, de quo agit schema. Non prohibetur autem quominus hanc vitam agere possint sub Ordinarii loci auctoritate. 2) Non autem a schemate excluduntur eremitae *lato sensu* qui vitam solitariam ducunt sed ut sodales alicuius societatis perfectionis ab Ecclesia approbatae.

Ad Art. 8: [*Instituta clericalia operibus apostolatus dedita*].

1) Aliqui Patres desiderant ut in clariorem lucem ponatur valor vitae religiosae apostolicae (cf. II, p. 18; p. 81, n. 8).

Resp.: Iam sufficienter provisum est in ipso textu prout patitur indoles schematis conciliaris.

2) Tres Patres aestimant distinctionem inter instituta laicalia et clericalia non amplius esse adaequatam (cf. I, p. 48, n. 2).

Resp.: Haec divisio in se spectata est adaequata, ut patet ex usu ipsius Codicis. Inter clericalia illa quoque recensentur quae membra laicalia habent (cf. can. 488, 4°); et inter laicalia, veniunt etiam instituta mulierum. In concreto autem non desunt difficultates quoad instituta virorum, quas Commissio pro Codice recognoscendo resolvere poterit.

3) Unus Pater queritur quod eruditio christiana iuventutis *expresse* non enumeratur inter opera apostolatus statuum perfectionis clericalium, quasi hunc apostolatum Fratres docentes efficacius evolvere possent, quam sacerdotes docentes (cf. I, p. 49, n. 4).

Resp.: Non fuit intentio schematis talem dare impressionem.

4) Coetus 30 Patrum proponunt ut Concilium commendet religiosis sacerdotibus variis technicis officiis occupatis, maiorem partem activitatis dedicare sacro ministerio exercendo (cf. II, p. 19, n. 5).

Resp.: De hoc argumento tractatur in Capite speciali « de Rationibus inter Episcopos et Religiosos praesertim quoad apostolatus opera ».

Ad Art. 9: [*De institutis laicalibus*]. **[15]**

1) Unus Pater proponit ut *explicite* innuatur de excellentia vitae religiosae in se, cum sacerdotio vel exercitio externo apostolatus non coniunctae (cf. I, p. 48, n. 1).

Resp.: Textus schematis videtur iam sufficiens. Non est autem negandum adesse specialem necessitatem inculcandi vitam religiosam sine sacerdotio aliquid completum et per se stans constituere, praesertim contra illos qui asserunt Fratres docentes ad sacerdotium accedere debere.

2) Unus Pater censet confusionem oriri posse ex diversitate locutionum « De institutis laicalibus » et « de Institutis saecularibus »; et proponit dicere: « De societatibus laicalibus » (cf. II, p. 20, n. 13).

Resp.: De terminologia forte emendanda satius agendum erit in Codice Iuris Canonici recognoscendo, ita ut omnia inter se perfecte cohaereant.

Ad Art. 10: [*De institutis saecularibus*].

1) Plures Patres petunt ut de Institutis Saecularibus clarior tradatur notio (cf. I, p. 55, n. 1; p. 57, n. 5; II, p. 20, n. 7).

Resp.: Id quod habetur in schemate, hac de re, videtur sufficiens et perfecte respondet iis quae habentur in Const. Apost. « Provida Mater » et motu proprio « Primo feliciter » neque locus erat plus dicendi in hoc schemate rigorose contracto. Unus Pater proponit aliquam synthesim de Institutis Saecularibus (cf. II, pp. 21-26), in qua non omnia videntur indiscriminatim acceptanda.

2) Tres Patres censent definitionem de « saeculum » necessariam (cf. I, p. 57, n. 5).

Resp.: Fatendum est adventum Institutorum Saecularium hanc terminologiam, speciatim relate ad « saeculum, in sensu *status* vitae » aliquantulum perturbasse. Difficile videtur pro Concilio rem accurate definire; expectanda est potius revisio Codicis Iuris Canonici ut supra dictum ad art. 9.

3) Plures Patres, dum necessitatem faciendi verbum de Institutis Saecularibus in schemate agnoscant, ad confusionem vitandam cum institutis religiosis, vellent id fieri in appendice (cf. II, p. 24, 25; p. 81, n. 10).

Resp.: Cum Instituta Saecularia formaliter pertineant ad statum perfectionis ab Ecclesia recognitum, locus proprius eorum est in ipso schemate de statibus perfectionis adquirendae. Si vero notiones hic traditae accurate ponderentur, nulla erit confusio: indoles « saecularitatis » specifica horum Institutorum, minime tollit elementum genericum « status perfectionis » cui essentialiter pertinent. « Nihil ex plena christianae perfectionis professione, evangelicis consiliis solide fundata et quoad substantiam vere religiosa, detrahendum erit, sed perfectio est *in saeculo exercenda et profitenda*... (et) apostolatus... non tantum *in saeculo*, sed veluti *ex saeculo*, ac proinde profes-

[15] sionibus, exercitiis, formis, locis rerum adiunctis saeculari huic conditioni
[16] respondentibus, exercendus est fideliter » (Motu proprio « Primo feliciter », II).

4) Patres alicuius Conferentiae Episcoporum suggerunt ut indicetur opera Institutorum Saecularium arctissime cum apostolatu fidelium coniungi (cf. I, p. 56, n. 4).

Resp.: Id videtur sufficienter indicatum in schemate cum agat de Institutis Saecularibus ac de eorum apostolatu in saeculo exercendo et ex saeculo.

§ 2. – Ad caput II:

Criteria generalia accommodatae renovationis statuum perfectionis

Ad caput integrum:

1) Unus Pater proponit alium titulum capitis: « Criteria generalia accommodatae renovationis religiosorum » (cf. II, p. 27, n. 5).

Resp.: Titulus praesens huius capitis respondet titulo generali totius schematis « de statibus perfectionis adquirendae »; dum titulus a Patre propositus responderet potius novo titulo ultimi schematis « De Religiosis ».

2) Nonnulli Patres requirunt formam loquendi magis praeceptivam, praesertim erga Superiores et Capitula (cf. I, p. 58, nn. 1, 2).

Resp.: Hoc capite, criteria generalia enuntiantur, et quidem eorum applicationem sufficienter urgendo. Ad S. Sedem pertinebit reluctantes cogere.

3) Unus Pater ad quaestionem de generalibus renovationis principiis revocat exigentiam operum apostolatus (cf. I, p. 59, n. 3).

Resp.: Principium renovationis quoad apostolatum satis clare enuntiatur in nn. 13 et 15, atque proprio loco in numero 20 evolvitur.

4) Unus Pater movet quaestionem de mutando fine aliquorum Institutorum, immo de eis dissolvendis (cf. I, p. 59, n. 4).

Resp.: Principium fundamentale circa mutationem finis aliquorum institutorum in numero 12 continetur. Quoad vero instituta dissolvenda in numeris 45 et 46 provisum est.

Ad Art. 11: [*Necessitas accommodandae renovationis*].

1) Unus Pater requirit expressam mentionem paupertatis (cf. I, p. 60).

Resp.: De paupertate provisum est in articulis 23 et 24 schematis.

2) Unus Pater desiderat formulam concisiorem (cf. II, p. 27, n. 2), vitata repetitione; alius (cf. II, p. 27, n. 4), ampliorem, secundum motiva theologica; alius (II, p. 27, n. 3) aliam ad exteriora restrictam.

Resp.: Propositiones a Patribus factae sunt nimis genericae et inter se contrariae.

Ad Art. 12: [*Criterium fundamentale accommodatae renovationis*]. [17]

1) Unus Pater quaerit an dictio « venerabiles traditiones » conservanda sit (cf. I, p. 61, n. 1).

Resp.: Proponitur locutio « sanae traditiones », quae in ultimum schema transiit.

2) Complures Patres proponunt textum novum vel ampliatum (cf. II, p. 28, nn. 3, 5; p. 82, n. 12; p. 91, n. 12).

Resp.: Examinatis propositionibus Patrum, a textu schematis non videtur esse recedendum.

Ad Art. 13: [*Accommodata renovatio fidelitate erga institutum moderanda*].

1) A pluribus Patribus reprehenditur terminus « terrae missionum » (cf. I, p. 62, n. 1, 2, 4; II, p. 30, n. 6).

Resp.: Momentum observationis generalem modum loquendi Concilii respicit.

2) Unus Pater (cf. II, p. 30, n. 7) accurate quidem et perspicue evolvit varios aspectus accommodationis secundum facti speciem, dum alii (cf. I, p. 62, n. 3) dissuadent nimis singulares enuntiationes.

Resp.: Videtur convenire ut Concilii universale magisterium abstineat a minimis curandis.

3) Unus Pater expresse requirit mentionem observantiae monasticae accommodandae vitae rationi incolarum regionis (cf. II, p. 29, n. 5).

Resp.: Principium hic enuntiatum evolvendum est in schemate « de Missionibus ».

4) Unus Pater vellet ut aptatio de qua in hoc articulo valeat etiam pro aliquibus observantiis iam obsoletis vel penitus abolendis vel renovandis (cf. II, p. 92).

Resp.: Haec videntur includi in renovatione facienda quae certo « obsoleta » respicit.

Ad Art. 14: [*A quibus accommodata renovatio sit perficienda*].

1) A nonnullis Patribus optatur modus loquendi magis praeceptivus (cf. I, p. 63, nn. 1, 2; II, p. 82, n. 14).

Resp.: Videtur quod accommodatio in toto capite sufficienter urgetur.

2) Unus Pater vult expungatur totus articulus tamquam abundans (cf. II, p. 88).

Resp.: Haec propositio non apparet opportuna.

Ad Art. 15: [*Necessitas aptandi codices vitae religiosae*].

1) Ab aliquibus Patribus desideratur explicatio illius « *congruentiae* » de qua passim in textu (cf. I, p. 64, nn. 3 ,4; II, p. 65).

[18] *Resp.*: Non videtur oportere ut Concilium plus praecipiat quam id quod in textu continetur.

2) Ab uno Patre proponitur « Directorium generale » auctoritate Concilii vel S. Sedis conficiendum (cf. II, pp. 70 et 72).

Respondetur: Rationes abstinendi a Directorio conficiendo exponuntur in schemate, pag. 38, in nota.

Ad Art. 16: [*De privilegiis religiosorum recognoscendis*].

1) Quaedam particulares animadversiones Patrum exsulare videntur a materia proprie dictorum privilegiorum (cf. I, p. 65, nn. 1, 2, 3); qua de causa hic non referuntur.

2) Quaedam observationes ad id tendunt, ut privilegia tamquam noxia aboleantur vel minuantur (cf. II, p. 32, nn. 4, 5).

Resp.: Cum materia privilegiorum, tum in facto, tum in iure, multis considerationibus et distinctionibus obnoxia sit, pendeatque a principiis partim theologicis, partim canonicis, opportunius remittatur ad revisores Codicis Iuris Canonici.

§ 3. – Ad caput III:

De accommodata renovatione statuum perfectionis circa eorum duplicem finem

Ad caput integrum:

1) Unus Pater postulat quod vinculum professionis, praesertim professionis perpetuae, fortius reddatur et ne relaxatio eiusdem facilior evadat (cf. I, p. 66, n. 2).

Resp.: Placet animadversio, sed non pertinet ad materiam huius capitis.

2) Alius Pater conqueritur quod in hoc capite nihil de Liturgia inveniatur (cf. I, p. 67, n. 3).

Resp.: Sufficienter provisum est in Constitutione de S. Liturgia.

Ad titulum capitis III:

1) Unus Pater petit quod titulus aliter formuletur, quia in hoc capite potius de praeceptis, consiliis et admonitionibus quam de renovatione agitur (cf. II, p. 82).

Resp.: Titulus conservari potest quia materiae correspondet.

2) Alius Pater desiderat suppressionem locutionis « circa duplicem finem », timens ne dualismus circa finem secumferat dualismum mediorum (cf. II, p. 33).

Resp.: Omitti potest vox « duplicem ».

Ad Art. 17: [*Unio caritatis cum Deo ante omnia quaerenda*]. [19]

1) Quindecim (15) Patres alicuius coetus episcopalis postulant quod Concilium clare definiat finem primarium Status perfectionis (cf. I, p. 68, n. 2).

Resp.: Finis primarius satis clare exprimitur in textu et aliunde est bene notus.

2) Duo Patres retinent opportunam condemnationem sic dicti « *activismi* » (cf. I, p. 68, n. 1; II, p. 93); unus Pater putat esse intempestivam (cf. II, p. 33, n. 3) et alius proponit eius suppressionem aut ut addatur textus similis quoad *quietismum* (cf. II, p. 33, n. 4).

Resp.: Serventur verba textus. Quietismus non est periculum proprium nostri temporis.

Ad Art. 18: [*Oratio et exercitia pietatis excolantur*].

1) Unus Pater proponit mutationem tituli huius numeri (cf. II, p. 93).

Resp.: Titulus numerorum vel articulorum non pertinet ad textum; ceterum materiae numeri perfecte congruit.

2) Quatuor Patres petunt quod ante exercitia pietatis ponatur Officium Divinum (cf. I, p. 69, nn. 1, 2; II, p. 34, n. 5; p. 35, n. 7).

Resp.: In textu omnes actus cultus censentur « exercitia pietatis ».

3) Ab alio Patre animadvertitur quod, ad solvendas difficultates multorum religiosorum in vita apostolica cum vita interiori componenda, non sufficit observatio exercitiorum pietatis, sed necessarium est aptare Constitutiones et ipsam vitam religiosam (cf. II, p. 34, n. 4).

Resp.: Provisum est in art. 15.

4) Uni Patri (cf. II, p. 83) non placet distinctio inter vitam activam et contemplativam, neque expressio « integre et publice mancipari », quia ansam praebet cogitandi religiosos vitae activae tantum ex parte et privatim Divinae Maiestati mancipari. In eadem sententia abundans, alius Pater (cf. II, p. 93) asserit, quod verba praelaudata exprimunt elementum commune Status perfectionis, non specificum Institutorum vitae contemplativae, ideoque petit ut supprimantur.

Resp.: Animadversiones commendantur Commissioni postconciliari.

5) Unus Pater proponit aliquas additiones ad vitandum errorem activismi et ad concipiendam vitam contemplativam sub aspectu apostolatus (cf. II, pp. 94-95).

Resp.: Quamvis doctrina placeat, non videtur necessaria mutatio textus.

Ad Art. 19: [*Testimonium vitae christianae*].

1) Unus Pater animadvertit non solum religiosos sed et simplices christianos testimonium vitae christianae praestare debere (cf. I, p. 70, n. 1).

Resp.: Certe, sed diversimode; ideoque satis videtur provisum in textu.

[20] 2) Iuxta tres Patres, insistere oportet in testimonio dando paupertatis (cf. I, p. 70, n. 2).

Resp.: Iam provisum est in subsequentibus articulis 23 et 24 schematis.

3) Ab uno Patre petitur ut « testimonium coram hominibus » his verbis exprimatur: « fraternitatis eximium exemplum praebent, cum carnis et sanguinis rationibus posthabitis, amore fratrum supernaturali novam fraternitatem... » (cf. II, p. 96).

Resp.: Videat Commissio postconciliaris.

4) Unus Pater desiderat additionem sequentium verborum: « ne magis solliciti sint in scholis v. g. de acatholicis quam de catholicis propter rationem pecuniariam » (cf. I, p. 70, n. 3).

Resp.: Non placet additio, quia de re nimis particulari agit.

Ad Art. 20: [*De apostolatu religiosorum congruenter renovando*].

1) Unus Pater proponit locutionem « vitae religiosae » loco « vitae regularis » (cf. I, p. 71, n. 1).

Resp.: Videtur servandus textus, quia « vita regularis » in textu sensu generico sumitur.

2) Ab alio Patre desideratur ut participatio religiosorum in apostolatu activo maiorem varietatem sapiat, ne dedicatio propriis muneribus sensum totius Corporis Mystici obscuret (cf. I, p. 71, n. 2).

Resp.: Animadversio opportuna videtur. Servetur tamen vocatio specialis cuiusque Instituti, ut a tribus Patribus postulatur (cf. I, pag. 72, n. 1).

3) Alius Pater animadvertens omnia instituta condita esse ut saltem oratione et exemplo Christum annuntient, proponit novum textum, vel ut supprimatur totus articulus, addendo ad num. 13 pauca elementa quae hic habentur propria (cf. II, p. 83).

Resp.: Vox « omnia » admitti potest loco « permulta » in linea 24. Videtur tamen numerus sustinendus, licet compleri possit n. 13. Mens huius articuli patet ex nota 5 schematis pag. 22.

Ad Art. 21: [*Proprius institutorum finis sedulo servetur*].

1) Unus Pater proponit ut circa finem proprium inserantur haec verba: « Ne omnes sodales ad omnia opera indiscriminatim vocentur et applicentur cum detrimento institutorum ipsiusque apostolatus in Ecclesia » (cf. I, p. 73, n. 4).

Resp.: Animadversio respicit sodalium peritiam et capacitatem, textus vero schematis institutorum finem. Praeterea, propositio agit de re gubernio et administrationi pertinenti, quae prudentiae Superiorum commendatur.

2) Alius Pater proponit ut corrigatur ultima pars articuli addendo: « nisi necessitas animarum et exigentiae apostolatus in casibus particularibus ea opera postulent » (cf. I, p. 72, n. 3).

Resp.: Non videtur necessaria haec additio.

3) Ab alio Patre sequens additio proprium opus uniuscuiusque instituti [21] respiciens postulatur: « quodque ipsi ab Ecclesia fuit commissum » (cf. II, p. 96, n. 21).

Resp.: Sub fine huius articuli dicitur: « Proprium munus (instituti) in Ecclesia fructuosius exercere possit ». Ideoque sufficienter animadversioni Patris provisum est.

Ad Art. 22: [*Opera religiosorum ritus latini apud orientales*].

1) Iuxta unum Patrem, redactio huius articuli mutari debet, addendo duo commata, unum scilicet pro religiosis orientalibus et alterum pro religiosis ritus latini qui apostolatum exercent in regionibus ritus orientalis (cf. I, p. 74, n. 1).

Resp.: Committitur propositio Commissioni postconciliari et Commissioni pro revisione Codicis.

2) Alius Pater vult quod opera religiosorum ritus latini in regionibus ritus orientalis non ab Ordinario latino sed ab Ordinario orientali dependeant, praecipue cum agatur de scholis quarum maxima pars alumnorum sint orientalis ritus (cf. I, p. 74, n. 2).

Resp.: Quaestio non pertinet ad schema nostrum.

3) Unus Pater quaedam utilia proponit (cf. II, p. 36, n. 22) sed nimis particularia ut in schemate conciliari inserantur.

4) Duo Patres proponunt novum articulum de accommodata renovatione monachorum et monialium (cf. II, pp. 37-40, n. 22 bis).

Resp.: Cum non agatur amplius de hoc schemate complendo, haec commissioni postconciliari commendantur.

§ 4. – Ad caput IV:

De accommodata renovatione in observantia votorum

Ad caput integrum:

1) Unus Pater movet quaestionem de ordine enumerandi vota religionis (cf. I, p. 75, n. 2).

Resp.: Res non est magna consideratione digna, nec traditio cui ipse appellat est universalis. Ceterum videant revisores Codicis Iuris Canonici.

2) Alius Pater proponit ut in « quolibet instituto religioso... instituatur officium permanens Monitoris », qui votorum observantiae invigilet (cf. I, p. 76, n. 3).

Resp.: Res pertinet ad ius particulare.

3) Unus Pater quasdam considerationes facit circa « innumeras defectiones professorum » (cf. II, p. 41, n. 4).

Resp.: Absque dubio hoc argumentum cor Matris Ecclesiae maxime afficit. Ad hos defectus removendos tendit exoptata renovatio vitae religiosae.

[22] *Ad titulum:*

Unus Pater proponit novum titulum capitis IV, « de accommodata renovatione in observantia consiliorum evangelicorum » (cf. I, p. 75, n. 1), ut subiectae materiae adaequate respondeat; alius proponit: « de observantia praecipuorum consiliorum evangelicorum » (cf. II, p. 84, ad Cap. IV), quia aestimat non agi de renovatione observantiae in capite.

Resp.: Prima propositio videtur acceptanda cum reapse agatur de renovatione observantiae consiliorum evangelicorum etiam in institutis sine votis; altera autem ex falso praesupposito procedere videtur.

Ad Art. 23: [*De paupertate individuali*].

1) Duo Patres volunt ut sermo fiat de paupertate quoad itinera vacationum causa a Missionariis facta et quoad media itinerandi seu locomotionis, ut aiunt (cf. I, p. 77, n. 1; II, p. 41, n. 7).

Resp.: De hoc argumento — quoad exercitium paupertatis multum confert — agit etiam epistola cuiusdam operarii (cf. II, p. 42, n. 9) per Secretarium Generalem ad Commissionem de Religiosis transmissa. Sed non videtur Concilio pertinere quia nimis particulare.

2) Duodecim Patres proponunt ut « in concipiendo ideali paupertatis religiosae in mente teneantur condiciones sive temporum sive locorum » (cf. I, p. 78, n. 4; II, p. 96, n. 23).

Resp.: Revera id quod hic pauperes ipsi habent potest alibi luxum sapere.

3) Duo Patres innuunt necessitatem incitandi religiosos (etiam « mendicantes ») « ad laborem pro sustentatione » (cf. I, p. 80, n. 5; II, p. 42, n. 9).

Resp.: Iam provisum in documentis pontificiis (cf. « Sponsa Christi » et Instructiones « Inter praeclara » et « Inter cetera », quoad monasteria monialium) et in Constitutionibus religiosorum. De cetero, quaenam sunt instituta vitae activae quae non vivunt ex proprio labore!

Ad Art. 24: [*De paupertate collectiva*].

1) De paupertate collectiva, condemnantes praesertim luxum in aedificiis construendis, agunt undecim Patres (cf. I, p. 79, nn. 1, 3, 4, 2; I, p. 80, nn. 7, 8; II, p. 41, nn. 7, 8; p. 84, n. 24).

Resp.: Proculdubio argumentum in hodiernis adiunctis magni ponderis est. Instituta religiosa debent mundo testimonium Christi pauperis praebere. Fatendum est autem seriam esse difficultatem hoc testimonium praebendi in vita *collectiva,* ob *necessitatem* pro institutis possidendi bona temporalia et non pauca, quae exigit sive ipsa vita coenobetica, sive opera apostolatus efficaciter et progressive exercenda. Quaedam enim *magnificentia,* ex ipsa molis aedium amplitudine evitari nequit, eo minus quod plerumque leges civiles determinatas formas estheticas imponunt. Difficultas vero crescit si

agatur de operibus instituti non mere privatis sed munus habentibus publicum, v. g. universitas! Haec omnia sunt ponderanda ne incrementum institutorum eorumque operum indebite coarctetur ob studiosam observantiam paupertatis, quae in se non est finis sed medium fini prosequendo commensurandum. [23]

2) Unus Pater opportunum ducit « aliquid determinare circa mercaturam ex parte membrorum Institutorum Saecularium » (cf. II, p. 73, n. 24).

Iuxta alterum Patrem « firmiter tenentur religiosi applicare bona sua in caritatem erga proximum ac in favorem operum ecclesiasticorum » (cf. II, p. 65, in Cap. IV).

Tres Patres quaerunt ut Episcopi partem habeant in formatione religiosis quoad paupertatem danda (cf. I, p. 79, n. 4).

Resp.: Res pertinet ad regimen internum uniuscuiusque instituti, praesertim ad formationem sodalium quod attinet. Notandum est tamen Institutorum Saecularium sodales (ne dicamus ipsa instituta), ratione proprii status in negotiis saecularibus versari. Quoad usum bonorum, huius suggestionis ratio habetur in schemate ultimo « De Religiosis ».

3) Unus Pater censet necessarium « entrer dans les détails concrets pour la pauvreté "collective" » (cf. II, p. 42, n. 10).

Resp.: Concilio non pertinet ad haec particularia descendere, praesertim post ultimas instructiones pro schemate « ad puncta essentialia » reducendo.

Ad Art. 25: [*De castitate*].

1) Sex Patres educationem religiosorum ad castitatem commendant, et quidem « ad maturitatem affectivitatis etiam sexuatam » (cf. I, p. 81, nn. 2, 3; II, p. 43, n. 6; p. 97, n. 25). Item unus ex eis desiderat ut pressius exprimatur quod castitas « liberos reddit ad Deo divinisque rebus vacandum » (cf. II, p. 97, n. 25).

Resp.: In Encycl. Litt. *Sacra Virginitas* peropportuna monita circa hoc argumentum inveniuntur.

2) Unus Pater optat ut, « ad puellas et mulieres quod attinet, opus formationis et apostolatus, ubi non requiritur Ordinis character, exerceatur, quantum fieri potest, non per sacerdotes et religiosos, sed per religiosas » (cf. I, p. 82, n. 5).

Resp.: Agitur de nimis particulari. Ceterum de hoc argumento quaedam sunt in instructione S. Congr. de Religiosis: « De iuvenum utriusque sexus promiscue institutione ».

Ad Art. 26: [*De oboedientia*].

1) Unus Pater peropportunum tenet « modernam » oboediendi rationem damnare, iuxta quam subdito liceret cum Superiore « de agendis quasi disceptare, donec uterque in idem placitum consentiat » (cf. I, p. 83, n. 2).

Resp.: Iam sufficienter provisum est in ipso textu.

[24] 2) Alius Pater spiritum oboedientiae requirit erga Papam et Episcopum. Immo, nonnulli Patres petunt ut commemorentur obligationes Religiosorum erga Ordinarium loci (cf. II, p. 43, n. 7).

Resp.: Oboedientia erga Papam et Ordinarios locorum inculcatur specialiter in schemate « De Rationibus inter Episcopos et Religiosos », quod est Caput III Decreti « De cura animarum ».

3) Iuxta alium Patrem sensus catholicus, qua pars essentialis oboedientiae, oportet roborari, ita ut religiosi cum Ecclesia « semper sentiant » (cf. I, p. 83, n. 4).

Resp.: Propositio est optima; prae oculis habenda est in variis documentis edendis.

4) Pro uno Patre, in actu oboedientiae non tantum requiritur voluntaria acceptatio voluntatis Superioris, sed insuper accedat oportet assensus quoque internus (cf. I, p. 84, n. 5). Hoc sensu pariter se exprimit alius Pater, utens vero locutione « supernaturali humilitate » (cf. II, p. 98, n. 26).

Resp.: Sunt notiones a competentibus recte enucleandae in variis documentis doctrinalibus edendis.

5) Dum quidam periti Argentinae lamentantur eo quod doctrina traditionalis de oboedientia sic dictam « personalitatem » extinguit (cf. II, p. 44, n. 8), unus Pater iure asserit quod « oboedientia supernaturalis personalitatem nedum minuit, auget potius » (cf. II, p. 98, n. 26).

Resp.: Difficultati peritorum Argentinae a citato Patre recte respondetur, dummodo oboedientia recte intelligatur secundum profundam eius naturam.

Ad Art. 27: [*De Superiorum auctoritatis exercitio*].

1) Iuxta unum Patrem, Superiores in exercitio auctoritatis maximum pondus dare debent non tantum iis « quae perfectioni agendorum experientia aut consilia conferunt », sed etiam dotibus personalibus atque indoli subditorum (cf. II, p. 98, n. 27).

Alius Pater proponit ut Superiores invitentur ad consilia peritorum capienda in dirigendis eorum subditis (cf. I, p. 85, n. 2).

Resp.: Haec sunt optima, dummodo sapienter adhibita. Instructio hac de re iuvare posset ad iustam mensuram servandam ne quod melius videtur bono praeiudicet.

2) Tres Patres haec quae sequuntur praesertim pro institutis mulierum, proponunt:

i) ne Superiores cum subditis quasi cum sempiternis pupillis agant;

ii) ut supprimatur vigilantia quoad commercium epistolare et conversationes in collocutorio;

iii) ut concedatur vera libertas adeundi confessarios quoslibet;

iv) ut in Visitatione canonica omnes ad Visitatorem accedant (cf. I, p. 83, n. 3; p. 85, n. 1).

Resp.: Ad i: hoc dicendum est optimum consilium opportune inculcandum.

Ad ii: haec praescripta non nimis leviter consideranda sunt, quia ad religiosam disciplinam multum iuvant; insuper ad ius particulare pertinent et de iis ratio haberi poterit in Codice Iuris Canonici recognoscendo. [25]

Ad iii et iv: Ea ad Codicem Iuris Canonici recognoscendum pertinent. In primo schemate Commissionis Praeparatoriae de hac re agebatur.

3) Unus Pater desiderat ut Superiores « in plena coniunctione cum auctoritate ecclesiastica eorum mandatum exerceant » (cf. II, p. 44, n. 4).

Resp.: Votum, ut norma, laudatur, firmis vero manentibus praescriptis Codicis Iuris Canonici et aliis quae in Capite III « De Rationibus inter Episcopos et Religiosos » schematis « De cura animarum » habentur.

Ad Art. 28: [*De duratione Superiorum in munere*].

Sex Patres instant circa necessitatem evitandi ut Superiores diutius in munere permaneant, optantes ut triennium vacationis ab omni auctoritatis exercitio inter diversa munera obeunda interponantur (cf. I, p. 86, nn. 2, 3, 4; p. 87, n. 6).

Unus Pater sese manifestat contra Superiores (etiam Abbates) « ad vitam » (cf. I, p. 87, n. 5).

Duo Patres e contra maiorem « elasticitatem » quoad reelectionem propugnant (cf. I, p. 88, n. 7; II, p. 84, n. 28).

Duo vero hodiernae disciplinae magis favent (cf. I, p. 87, n. 6; II, p. 44, n. 9).

Unus Pater adiungit quod dispositiones desiderantur circa resignationem Superiorum « ad vitam », cum eis desinant vires ad subditos suos gubernandos (cf. II, p. 84, n. 28).

Hac in re unus Pater animadvertit Curiam pontificiam non debere accedere ad desideria procuratorum indultorum prorogationis in munere in favorem Superiorissarum optantium (cf. II, p. 44, n. 8).

Resp.: Res nimis particularis est ut de ea tractet decretum conciliare. Ratio autem hac de re habeatur in Codice Iuris Canonici recognoscendo et in opportunis Instructionibus, praesertim pro Superioribus localibus.

Ad Art. 29: [*De accessione ad vota sollemnia*].

Circa hoc argumentum, de accessione ad vota sollemnia, duodecim Patres animadversiones miserunt, diversimode de re opinantes. In ordine, de minus ad maius, inveniuntur hae diversae opiniones in documentis sequentibus: I, p. 92, n. 7, p. 89, n. 2, p. 92, nn. 5, 8, 6; II, p. 102, n. 1; I, p. 91, n. 3; II, p. 85, n. 29; p. 98, n. 29; p. 89, n. 1 et I, p. 91, n. 4.

Aliqui sunt contra propositionem; alii viam mediam sequuntur; alii vero in favorem sunt propositionis.

Resp.: Ex hac opinionum varietate intelligi potest, argumentum non esse parvi momenti in hodiernis adiunctis, neque sufficienter maturum ut adaequata solutio a Concilio detur. Res autem erit ulterius investiganda et opportunis Instructionibus resolvenda et in Codice Iuris Canonici inserenda.

[26] § 5. – AD CAPUT V: DE VITA IN COMMUNI DUCENDA

Ad caput integrum:

1) Unus Pater conqueritur « in cap. V ... nihil omnino legi de statu providendo in favorem *eremitarum* » (cf. II, p. 46, n. 1).

Resp.: Provisum est in responso ad observationem n. 5° circa Articulum 6, ut supra videri potest (cf. sup. pag. 14).

2) Alius Pater lamentatur quod sufficienter ratio non habetur de differentia « inter vitam monasticam et vitam activam » (cf. II, p. 72, ad Cap. V).

Resp.: Hoc caput agit de vita communi, quae, qua talis, ad universum statum religiosum pertinet, exceptis institutis saecularibus. Eius vero forma concreta spectat ad ius particulare uniuscuiusque instituti.

Ad Art. 30: [*De vita in communi caritatis spiritu imbuenda*].

1) Quoad caritatis sensus erga eos qui ab instituto abscesserint, unus Pater monet ne fiat absque discretione, et proponit sequentem formulam: « *Signa* christianae et fraternae in Domino caritatis, *debito servato moderamine,* iis etiam exhibeant qui Religionem reliquerunt » (cf. I, p. 93, n. 1).

Resp.: Modificatio videtur opportuna. Notatu tamen dignum est schema non loqui de readmissione, quam timet auctor animadversionis.

2) Tres Patres quaerunt utrum vita communis caritati faveat aut eam supponat (cf. I, p. 93, n. 2).

Resp.: Haud facile est in casu causam et effectum distinguere! Vita communis est *conditio* qua caritas exerceri potest, a qua caritas provocari vel offendi potest pro sodalium animi dispositionibus.

Ad Art. 31: [*De diversis condicionibus sodalium in communitate*].

1) Tres Patres proponunt ut clausura monialium eadem sit atque clausura monachorum; insuper, ut in monasteriis mulierum paulatim fiat una classis monialium (cf. I, p. 94, n. 1).

Resp.: De clausura monialium iam provisum est responso ad art. 6, n. 1 (cf. sup. p. 13). De unitate classium sufficienter sermo est in praesenti articulo; nam dicitur: « in institutis mulierum », quod valet etiam pro Monialibus.

2) Duo Patres exprimunt eorum votum circa opportunitatem supprimendi classes « saltem apud religiosas » (cf. I, p. 94, n. 2; II, p. 47, n. 4).

Resp.: Sufficienter provisum est in responso praecedenti.

3) Unus Pater novam redactionem proponit, commendans spiritum familiae inter clericos et laicos, necnon extendens suppressionem classium ad instituta laicalia « praesertim mulierum » (cf. II, p. 98, n. 31). Alius Pater proponit ut deleatur incisum « in institutis mulierum », ut suppressio

categoriarum etiam in institutis virorum introduci queat (cf. II, p. 85, ad Cap. V). [27]

Resp.: Forsan loco: « in institutis mulierum » dici potest: « in institutis laicalibus », sub cuius formula viri laici et mulieres comprehenduntur.

4) Ab uno Patre asseritur omissam esse quaestionem maioris momenti, scilicet de unificatione conditionis omnium monachorum (cf. II, p. 46, n. 3).

Resp.: Sufficienter provisum est in num. 32 schematis. Forma specialis huius problematis inter monachos pertinet ad ius potius particulare.

5) Ab alio Patre suadetur coniunctio utriusque art. 31 et 32, nova redactione proposita, quae tamen substantiam retinet, nonnullis tantum adauctis declarationibus (cf. II, p. 47, n. 6).

Resp.: Non est amplius de redactione curandum cum hoc schema ab alio substituatur. Quoad adauctas explicationes viderint revisores Codicis Iuris Canonici.

Ad Art. 32: [*De clericis et laicis pari ratione instituto adscriptis*].

1) Iuxta unum Patrem « haec paragraphus... prorsus inutilis » est (cf. II, p. 48, n. 2).

Resp.: Agitur de singula opinione, quae argumentis minime fulcitur.

2) Unus Pater proponit suppressionem incisi « salvis praescriptis Constitutionum » (cf. II, p. 48, n. 4).

Resp.: Incisum retinendum est, cum diversae habeantur praescriptiones in diversis Constitutionibus.

3) Alius Pater loquitur de necessitate « impertiendi fratribus laicis authenticam institutionem, ita ut edoceantur aestimare propriam sublimem vocationem..., neve cogantur experiri sic dictum « complexum inferioritatis ». Et adiungit: « Separatio inter sodales unius alteriusque classis est temperanda cum prudentia iuxta indolem et traditionem instituti... Attamen classium suppressio non est nimis fovenda, quamvis concedi possint institutis mulierum » (cf. II, p. 48, n. 5).

Resp.: Animadversio pertinet ad art. 31 potius quam ad 32. Utcumque, observationes a Ven. Patre factae alicuius sunt ponderis et remittuntur ad Commissionem postconciliarem.

§ 6. – Ad caput VI: De habitu religioso

Ad caput integrum:

1) *Unus Pater commendat sequentia:*

a) « ... veiller à ce que les Religieuses ne donnent pas l'impression qu'elles souffrent d'un certain manichéisme, pour qui le corps humain est créé par le démon... ».

b) « Certains ont proposé *un* costume pour les religieux et *un* pour les femmes religieuses, avec des signes particuliers pour les catégories... ».

[28] *c*) « Surtout pour les pays de Missions, il y a une adaptation à faire assez radicale... ».

d) « Les religieuses qui vont en motocyclettes ou conduisent une auto, devraient avoir des habits ad hoc, pour éviter les accidents... » (cf. I, p. 96, n. 2).

Resp.: *Ad a*) Citra omnem manichaeismum, modestia in habitu observanda est, specialiter, a mulieribus. Habitus enim religiosarum concipitur non tantum ad hanc strictam modestiam servandam sed etiam ad characterem sacrum mulieris religiosae signandum et tuendum.

Ad b) Exaggeratio huius propositionis patet, quae nullam habet rationem eorum quae in art. 33 schematis dicuntur.

Ad c) Sicut distinguere oportet *definitionem* habitus proprii (cf. art. 34) alicuius instituti ab eius *usu* secundum circumstantias (cf. art. 35), ita etiam ab eius *accommodatione* in peculiaribus adiunctis facienda, quae ad *usum,* non ad definitionem potius referenda est.

Et ita in *Missionibus,* habitus pro universo instituto etiam extra missiones definitus, certa ratione *accommodatur*: id quod in pluribus Constitutionibus iam praevidetur.

Ad d) Norma est optima; sed in concreto a iurisprudentia est definienda, non a Concilio.

2) Unus Pater censet vitandum esse « ne, praesertim in regionibus acatholicis vel in missionibus, habitus nimis alienus a mentalitate populi mirationem vel risum moveat... » (cf. I, p. 97, n. 4).

Resp.: Agitur de habitus *accommodatione* de qua supra in responso ad *c*).

Ad Art. 34: [*Qualitates habitus religiosi*].

1) Nonnulli Patres censent quod decernere de habitu religioso pertineat ad Episcopum vel Conferentias Episcoporum, potius quam ad S. Sedem (cf. I, p. 98, n. 1; II, p. 49).

Resp.: Observatio indiget distinctione. i) Quaestio generalis an talis habitus sit decens, respondens fini, etc. ..., pertinet ad S. Sedem. ii) An in aliqua regione possit deponi vel adaptari, et quid in casu possit concedi Episcopis vel potius Conferentiis, bene explicatur in nota ad num. 35 schematis (cf. pp. 31-32); generatim loquendo, aliquod ius ipsis concedi posse, in textu « salvo iure Ordinariorum locorum » n. 35, supponitur.

2) Unus Pater proponit supprimere « iudicio S. Sedis » in textu (cf. II, p. 49).

Resp.: Provisum est in responso praecedenti.

Ad Art. 35: [*Obligatio deferendi habitum religiosum*].

1) Tres Patres petunt: « ... Les religieuses enseignantes ne pourraient-elles pas dans certains cas porter l'habit civil? Dans de nombreux pays le clergyman est demandé par les évêques » (cf. I, p. 101, n. 2).

Resp.: Hic articulus 35 magno cum studio elaboratus est post amplissimas disceptationes non tantum intra Commissionem Praeparatoriam de Religiosis, sed etiam in Subcommissione *mixta* Episcoporum et Religiosorum. Ideo, termini commensurati sunt obligationi habitum proprium rite definiendum deferendi, salvis iuribus Ordinariorum locorum, quae in nota 1 (Schema, pp. 31-32) adiecta enucleantur. [29]

Si nulla est necessitas cogens, cur Sorores docentes proprium habitum religiosum deponerent?

Notandum quod sic dictum « clergyman » non est habitus religiosus; ideo a Religiosis assumendus non est nisi propter necessitatem vel magnam convenientiam, iudicio Superiorum.

2) Unus Pater vellet membrum aliquod adiungere in fine articuli 35, scilicet: « *cum notitia et approbatione Ordinarii loci* si Religiosi velint se induere habitu clericorum saecularium proprio » (cf. I, p. 100).

Resp.: Observatio videtur acceptanda et remittatur ad Commissionem pro revisione Codicis Iuris Canonici.

3) Unus Pater vult ut « dicatur an instituta saecularia teneantur legibus de habitu » (cf. II, p. 49, n. 6).

Resp.: Sodales institutorum saecularium more *saecularium* vestiuntur; clarum est eos legibus de habitu religioso non teneri, salva modestia et paupertate.

4) Unus Pater non convincitur habitum religiosum esse debere eumdem extra et intra domum (cf. II, p. 49, n. 4).

Resp.: Non excluditur in textu ut intra domum, ex rationibus practicis, Superiores praescribant habitum aliquantulum distinctum laboribus explendis aptum; et pariter extra domum, temperiei accommodatum.

5) Unus Pater proponit ut « deleantur verba " generali obligatione " » (cf. II, p. 50, n. 5).

Resp.: Haec verba deleri possunt, cum satis sint generalia.

6) Unus Pater vult ut reformentur aliqui habitus incommodi, qui causam dant aversioni, haud populares (cf. II, p. 50, n. 6).

Resp.: De hoc providetur in num. 12 ultimi schematis stricte reducti.

7) Unus Pater optat maiorem libertatem ad concedendum habitum non religiosum. Non gravis, sed rationabilis causa sufficiat... (cf. II, p. 85, n. 35).

Resp.: Quod maior facilitas concedi debeat, admitti potest. Proinde si causa requiratur *gravis,* intelligatur verbum sensu aliquantulum amplo et benigno; si requiratur *rationabilis,* haec intelligatur satis stricte. Praeferendum videtur « gravis ».

§ 7. – Ad caput VII: De sodalium institutione

Ad caput integrum:

1) Unus Pater varia proponit admissionem et institutionem sodalium respicientia (cf. I, pp. 103-105).

[30] *Resp.*: Haec a Patre proposita sunt optima sed particularia; ideo Codici Iuris Canonici recognoscendo vel Instructionibus Apostolicis deferenda.

2) Tres Patres retinent quod in hoc capitulo, « il faut insister sur la formation des formateurs » (cf. I, p. 105, n. 2).

Resp.: Placet suggestio.

3) Unus Pater vult ut clarius etiam educatio ad propriam responsabilitatem religiosorum colendam commendetur (cf. I, p. 105, n. 3).

Resp.: De hac re, in schemate Commissionis Praeparatoriae (cf. art. 112) amplissime agebatur, hic omissa brevitatis causa.

4) Unus Pater censet Sacrosanctum Concilium debere commendare necessitatem enixe inculcandi omnibus sodalibus religiosis mentem vere ecclesiasticalem, ne affectus immoderatus sui instituti obnubilet visionem totius Corporis Mystici (cf. I, p. 105, n. 4).

Resp.: Placet suggestio.

5) Alius Pater queritur quod in hoc capitulo fere nihil dicatur de institutione pastorali sodalium (cf. I, p. 106, n. 5).

Resp.: De pastorali sodalium institutione specialis exstat articulus (156) in schemate Commissionis Praeparatoriae qui inservire poterit, etsi non Concilio, saltem Codici recognoscendo vel Instructionibus Apostolicis.

Ad Art. 36: [*De alumnorum institutionis necessitate*].

1) Iuxta unum Patrem, iuvabit fortasse mentionem facere doctrinae de Mystico Christi Corpore, in quo diversa charismata et diversae functiones inveniuntur quibus omnibus congruunt partes essentiales in vita et activitate totius Corporis (cf. I, p. 4, n. 3, b).

Resp.: Hoc Codici recognoscendo vel Instructionibus Apostolicis commendatur, habita ratione eorum quae in schemate Commissionis Praeparatoriae iam habebantur articulis 165, 168, 169, 170 et 171.

2) Unus Pater miratur quod nihil de formatione *humana* dicatur (cf. II, p. 51, n. 7).

Resp.: Institutio *humana* in institutione *integra* de qua in textu comprehenditur; abbreviatio autem textus non sinebat omnia elementa huius integrae institutionis recensere.

3) Unus Pater censet non esse nimis insistendum in distinctione inter vitam religiosam et opera instituti, cum haec videantur finem instituti constituere et partem essentialem formae vitae religiosae instituti (cf. II, p. 85, n. 36).

Resp.: Non displicet animadversio et hoc sensu textus forte emendari posset.

Ad Art. 37: [*Institutio novitiorum*].

1) Coetus 28 Patrum proponunt institutionem Centri formationis pro Superioribus et formatoribus (cf. II, p. 51, n. 6).

Resp.: Quoad formationem formatorum et Superiorum providetur in ultimo schemate art. 13, licet sub forma brevissima. Quoad autem opportunitatem erigendi centrum formationis, facta est discussio inter membra subcommissionis, neque omnes concordes erant hac de re. **[31]**

2) Unus Pater animadvertit novitios non semper invenire consiliarios impartiales; et ideo vult ut novitiis dentur confessarii extraordinarii extranei (cf. II, p. 51, n. 4).

Resp.: Quoad primum, non videtur existere abusus generalis. Quoad alterum, poterit moderatissime commendari in aliqua Instructione futura.

3) Unus Pater aestimat quod « hic textus est debilissimus, insipidus, et tritus » (cf. II, p. 52, n. 5).

Resp.: Estne iustum hoc iudicium? Duo enim alicuius momenti et quodammodo nova enuntiantur: 1) institutio sit hodiernis temporibus accommodata; 2) dotes naturales bene formentur, quod postulant etiam alii Patres.

Ad Art. 38: [*De sodalium institutione post noviciatum protrahenda*].

1) Unus Pater vult articulum specialem de formatione spirituali et perseveranti Fratrum conversorum vel laicorum Ordinum et Congregationum religiosorum (cf. I, p. 108, n. 3).

Resp.: Hi conversi et laici includuntur in art. 38: « quapropter sodales *non clerici* et religiosae...

2) Unus Pater animadvertit quod praesertim pro iis quovis modo apostolatui destinatis, omnino necessarius est saltem idem gradus educationis humanae et culturae qui invenitur in iis cum quibus agere debent (cf. I, p. 108, n. 4).

Resp.: Hoc ample providebat schema Commissionis Praeparatoriae (art. 121 et 145), et futuris documentis pontificiis edendis commendatur.

3) Tres Patres volunt insistere « sur la formation doctrinale et spirituelle, et sur l'entretien; la plupart des religieuses reçoivent moins que les militants d'A. C. » (cf. I, p. 109, n. 6).

Resp.: Provisum est ut videtur in ipso art. 38.

4) Tres Patres petunt: « Ne faut-il pas exiger le renouvellement des vœux temporaires avant les vœux définitifs » (cf. p. 109, n. 6).

Resp.: De votis renovandis Commissio statuere noluit, cum praxis invecta talem renovationem generaliter secumferat etsi non uniformiter.

5) Unus Pater vult ut curetur uniformitas quoad studia in singulis nationibus omnium sacrorum alumnorum sive cleri dioecesani sive cleri regularis et una adsit pro omnibus Sacra Romana Congregatio moderans (cf. I, p. 109, n. 7).

Resp.: Relate ad studiorum *uniformitatem,* prae oculis haberi debet quod in institutis religiosis, intellectualis institutio non tantum pari gressu cum religiosa et clericali procedit, sed inter eas est magna et continua compenetratio, ex qua ipsa formatio intellectualis aliquem modum specialem accipit. Ideo, etsi ratio studiorum in institutis clericalibus ad rationem communem

[32] pro clericis, praescribente can. 589 Codicis Iuris Canonici, fundamentaliter accedere debeat, uniformitas autem absoluta esse nequit, ut ex Constitutione Apostolica *Sedes Sapientiae* sufficienter patet.

6) Quatuor Patres petunt ut addatur quod candidati sint apti ad exigentias apostolicas hodiernas (cf. II, p. 52, n. 8).

Resp.: Est conceptus saepe repetitus per totum schema, praesertim agendo de accommodata renovatione.

7) Unus Pater asserit eumdem haberi cursum studiorum pro monachis et membris institutorum saecularium (cf. II, p. 52, n. 9).

Resp.: Assertio non est generatim vera. Saeculares studia peragunt in centris a religiosorum collegiis diversis, et formationem recipiunt non monasticam sed saecularem. Etsi ratio studiorum fundamentaliter eadem sit pro omnibus, modum tamen diversum accipit in uno et altero casu ut supra dictum est (cf. supra Resp. 5°).

8) Unus Pater vellet statuere ne cursus studiorum ad progressum (cours de perfectionnement) totas ferias consumant (cf. II, p. 53, n. 10).

Resp.: Textus loquitur in genere de observatione normarum S. Sedis pro institutione alumnorum. Tamen, in aliqua futura Instructione, haec animadversio recipi poterit, quia revera alumni nimis onerantur cursibus aestivis postquam totam vitam et activitatem impenderunt durante anno scholastico.

9) Unus Pater vult supprimere verba: « sodales ne destinentur... » (cf. II, p. 53, n. 11).

Resp.: Non placet haec suppressio. Ceterum, in iunioratu praxis moderata apostolatus iam commendatur in documentis pontificiis ut medium formationis apostolicae et technicae.

10) Idem Pater vult ut exigatur institutio tum *theoretica* cum *practica,* necnon *apostolica* (cf. II, p. 53, n. 11).

Resp.: Huic satisfacit numerus 13 ultimi schematis loquens de institutione religiosa et apostolica, doctrinali et technica, titulis etiam congruentibus obtentis.

11) Unus Pater optat suppressionem dicotomiae: « ad perfectionem et apostolatum », quia apostolatus pertinet ad perfectionem religiosi (cf. II, p. 85, n. 38).

Resp.: Licet perfectio religiosa implicet aliquem apostolatum, saltem orationis et paenitentiae ut habetur in institutis vitae contemplativae, attamen in textu agitur de apostolatu praesertim externo, operibus externis exercendo; ideo, merito a perfectione religiosa, saltem inadaequate sed realiter distinguitur.

12) Coetus aliquis Episcoporum vellent novum articulum de necessitate institutionis tradendae Magistris noviciorum utriusque sexus, non tantum asceticae ac spiritualis sed etiam doctrinalis, paedagogicae ac didacticae, temporum exigentiis consonae (cf. II, p. 102, n. 2).

Resp.: Agitur de formatione formatorum, de qua egimus supra in n. 1

responsi ad art. 37 (cf. sup. p. 31). De huiusmodi normis particularibus satius sermo erit in Codice recognoscendo vel opportunis Instructionibus. [33]

Ad Art. 40: [*De ultima perfectione institutionis alumnorum*].

1) Unus Pater non clare intelligit quare, perfecta integra formatio (ex num. 36) adhuc ulterius perficienda sit (cf. I, p. 110, n. 2).

Resp.: Agitur de illa probatione quae in Const. *Sedes Sapientiae* dicitur « tertia » (art. 12, 3) vel « ultima » (art. 14, § 4) vel « secundus novitiatus, novitiatus apostolicus, annus perfectionis, schola affectus » (art. 52, § 2), quam religiosus, curriculo regulari institutionis iam expleto, peragit (art. 51, § 1).

Integra aptaque institutio (cf. art. 36 schematis) comprehendit non tantum illam *necessariam* et *substantialem* quae antequam alumnus ministerio dedicetur complenda est; sed etiam, licet non cum eadem urgentia, hanc *ultimam* quae veluti « indelebilem in ipsius anima notam imprimat » (cf. Const. cit.: art. 51, § 1) tamquam ultimum complementum.

2) Unus Pater advertit quod verbum « ultimae »... videtur exclusionem ulterioris institutionis secumferre, quod non credimus sit mens Ecclesiae (cf. II, p. 54, n. 4).

Resp.: Ultima *institutio* minime excludit ulteriorem *culturae* perfectionem, neque in casibus particularibus ulteriora *studia specialia*. Haec autem non ingrediuntur *rationem institutionis* sodalium, quae terminum habere debet, licet *cultura personae* per totam vitam evolvenda sit.

§ 8. – AD CAPUT VIII: DE COORDINATIONE INTER INSTITUTA

Ad caput integrum:

Aliquis Pater insistit in utilitate collaborationis inter varia instituta perfectionis *a*) pro vocationibus dirigendis ad illas religiones pro quibus aptitudo seu melius vocatio existit; *b*) in informationibus dandis circa candidatos, si quae exquiruntur (cf. I, p. 111, n. 1).

Resp.: Haec adiutrix commutatio in se optima est et forte in aliqua Instructione satis convenienter exponi posset; difficile autem videtur praeceptum conciliare hac de re concinnare. Pariter dicendum de informationibus dandis, quod de cetero iuxta Codicem iam in praxi, partim saltem, est.

Ad Art. 42: [*Coordinatio institutorum eiusdem generis operum*].

1) Unus Pater commendat ne instituta adversus quemlibet laborent, sed ad bonum Ecclesiae, cuius pars electa sunt (cf. II, p. 55, n. 3).

Resp.: Observatio reprehensionem sapit, quae concilium non decet, neque generaliter iustificatur.

2) Alius Pater vult ut instituta eiusdem generis operum non tantum « consociari possint », sed « consociari debeant » (cf. II, p. 55, n. 2).

[34] *Resp.*: Sine difficultate admittitur inter instituta *collaborationem* esse debere; quod autem talis collaboratio formam *associationis* induat, forte nimium esset id urgere praecepto.

Ad Art. 44: [*De Superiorum Maiorum Conferentiis*].

1) Unus Pater censet quod Conferentiae Superiorum Maiorum, licet favendae sint, « il me semble que leurs décisions, concernant l'apostolat dans les diocèses, doivent être soumises et non imposées à la Hiérarchie, avant toute exécution » (cf. I, p. 113, n. 2).

Resp.: Observatio procedit ex falso supposito quod Conferentiae Superiorum Maiorum aliqua polleant auctoritate. Iuxta actualem iurisprudentiam (nam leges hac de re nondum habentur), haec dici debent:

a) *quoad auctoritatem Conferentiarum*: nullam potestatem habent imponendi institutis deductiones et decisiones ad quas devenerint, quarum executio prudentiae singulorum Superiorum, propriis quidem Constitutionibus servatis, perficienda relinquitur (cf. Schema Comm. Praep. art. 100).

b) *Quoad relationem ad Sanctam Sedem*: Conferentiae Superiorum Maiorum sunt personae morales a Sancta Sede erectae et reguntur statutis ab Eadem approbatis (cf. Doc. cit., art. 99).

c) *Quoad relationem cum Ordinariis locorum*: Sacros Praesules qua par est reverentia prosequantur eorum menti in iis quae pertinent ad bonum Ecclesiae et apostolatum fideliter obtemperent, atque, consultationibus cum Ipsis initis, studeant in commune bonum Ecclesiae et animarum concorditer adlaborare (cf. Doc. cit., art. 99).

d) *Quoad apostolatum in dioecesi,* normae speciales habentur in schemate « De rationibus inter Episcopos et Religiosos » quae eamdem subordinationem secumferunt, quin evidenter suas decisiones Ordinariis locorum imponere possint.

2) Unus Pater vellet, post verba: « necnon ad communia religiosorum negotia tractanda » *addere*: « quin tamen ius habeant documenta publica emittendi » (cf. I, p. 113, n. 1).

Resp.: Quid hic intelligitur per « documenta publica emittere »? Si intelligatur documentum vim obligatoriam habens ex auctoritate, iam provisum est in responso praecedenti. Si autem tantum documentum mere informativum pro institutis Conferentiae, non apparet ratio id prohibendi, cum non agatur de publicatione iuris publici sensu canonico omnibus fidelibus indiscriminatim destinata, sed de re privata ad Conferentiam pertinenti.

3) Unus Pater sequentia propugnat: « il faut spécifier ici que ces Associations de Supérieurs Majeurs ne peuvent être fondées qu'après consentement ou tout au moins avis de l'Ordinaire du lieu. De même, leurs statuts ne devraient pas être approuvés par Rome sans l'avis du même Ordinaire. En ce qui concerne l'Orient, ces Associations de Supérieurs Majeurs doivent relever, non de la Congrégation des Religieux, mais de la Congrégation Orientale. En outre, il serait bon qu'à ces réunions de Supérieurs Majeurs,

soit présent un des Evêques de la province ecclésiastique correspondante » [35]
(cf. II, p. 62, n. 9).

Resp.: Quoad erectionem Conferentiarum et approbationem statutorum, videtur standum iurisprudentiae de qua supra (cf. Resp. ad 1°, p. 34), quae non excludit opportunas consultationes cum Ordinariis locorum. Videtur probandum quod Conferentiae Superiorum in Oriente a S. Congregatione Orientali, a qua instituta ipsa pendent, dependeant. Quoad praesentiam Ordinarii loci in sessionibus Conferentiarum ex experientia iam habita res securius definiri poterit.

Ad Art. 45: [*De unione institutorum similium*].

1) Tres Patres autumant « qu'on doit maintenir " iudicio Sanctae Sedis " vel mieux, " Apostolicae Sedis iudicio ", en ajoutant vel Episcoporum, suivant qu'il s'agit de congrégation de droit pontifical ou de droit diocésain » (cf. I, p. 114, n. 3).

Resp.: i) Codex Iuris Canonici utramque expressionem: « Apostolicam Sedem » et « Sanctam Sedem » aequiparat: can. 7, licet forte frequentius prima utatur: « Apostolica Sede aut Sede Apostolica ».

ii) Etiam si de institutis iuris dioecesani agatur, non videntur Episcopi posse ea propria auctoritate unire, saltem inconsulta Sancta Sede quae in tali instituto manum apposuit per concessionem « nihil obstat » Ordinario loci; huiusmodi unio enim, est veluti nova fundatio, non peragenda « inconsulta Sede Apostolica » (cf. Can. 492, § 1).

2) Unus Pater vult ut uniantur instituta similia, iudicio Ordinariorum si agatur de institutis iuris dioecesani (cf. II, p. 55, n. 6; etiam: II, p. 86, n. 45).

Resp.: Provisum in responso praecedenti.

3) Unus Pater proponit ut praescribatur potius quam commendetur fusio istorum institutorum (cf. II, p. 55, n. 7).

Resp.: Huic voto partim saltem satisfit in novissimo schemate n. 17, quatenus dicitur « promoveant... ».

Ad Art. 46: [*De languescentibus institutis*].

1) Tres Patres censent quod « la décision devrait pouvoir être prise par les évêques » (cf. I, p. 116, n. 2).

Resp.: Observatio verisimiliter ad instituta Iuris dioecesani refertur. Sed etiam ista, iure vigenti, supprimi nequeunt inconsulta S. Sede (cf. Can. 493, 498). Et id plane intelligitur. Etenim, etiam in institutis iuris dioecesani Sancta Sedes apposuit manum pro eorum erectione; ideo consentaneum est ut Ipsa interveniat in eorum suppressione.

2) Unus Pater optat ut iudicium Ordinariorum attendatur in supprimendis institutis languescentibus (cf. II, n. 7).

Resp.: Admitti potest quod Sancta Sedes non procedat inconsulto Ordi-

[36] nario loci. Dicit unus Pater: « Cum institutis nunc vel aliquando languescentibus caute procedendum est. Statuantur aliquae regulae, ne hoc relinquatur iudicio et competentiae Ordinarii. Ex hodie famosis institutis plus quam unus et nonnulli plus quam semel in periculo mortis seu extinctionis ab hominibus computabantur. Manet historia pro magistra vitae » (cf. II, p. 66, n. 46).

3) Unus Pater vult « qu'une plus grande autorité soit donnée aux Patriarches pour supprimer un institut qui languit » (cf. I, p. 116, n. 4).

Resp.: Ratio supra data ut suppressio instituti Sanctae Sedi reservetur valere videtur etiam respectu Patriarcharum, nisi forte facultas supprimendi institutum ipsis concessa fuerit in concessione « Nihil obstat ».

4) Unus Pater vellet aliquid simile de singulis religiosorum domibus (cf. I, p. 116, n. 3).

Resp.: De facto non paucae supprimuntur domus ob penuriam sodalium; sed non raro difficultas venit ex parte Ordinariorum locorum qui suppressionem nolunt. In Appendice ad Caput III « De rationibus inter Episcopos et Religiosos » adiecta, speciale hac de re habetur praescriptum.

5) Duo Patres optant ut res ad praxim deducantur (cf. II, p. 56, nn. 5, 6).

Resp.: Hoc pertinet ad ordinem executivum, prudentia servata ut monet unus Pater supra citatus (cf. sup. p. 36, Resp. 2).

6) Unus Pater commendat ne relinquatur Ordinariis negotium suppressionis (cf. II, p. 66, n. 46).

Resp.: Provisum est in responsis praecedentibus.

Ad Art. 47: [*De novis institutis condendis*].

1) Unus Pater censet quod firmam instantiam Concilium debet proferre ut *praesertim* numerus ipse Monasteriorum et Conventuum non inconsiderate multiplicetur (cf. I, p. 117, n. 2).

Resp.: Observatio directe spectat novas domus vel nova monasteria condenda. Haec, notum est, haberi nequeunt sine consensu Ordinarii loci, qui tunc iure suo prudenter uti debet.

2) Unus Pater queritur quod nova excogitantur instituta fere semper inutilia et non raro scandalum praebentia (cf. II, p. 56, n. 3).

Resp.: Accusatio est gravis et nimis generalis, generatim etiam iniusta et auctoritati approbanti offensiva.

Ad Art. 48: [*De institutis iuris dioecesani ad gradum iuris pontificii*].

1) Nonnullis Patribus articulus non placet: vel esset simpliciter delendum (unus Pater: cf. I, p. 118, n. 1); vel emendandus ne instituta iuris dioecesani videantur fere damnata, quae suam rationem existendi habent (unus Pater: cf. I, pp. 118-119, n. 3).

Resp.: Quaestio de qua hic agitur est gravis et momentosa ad quam rite solvenda sequentia videntur notanda et serio ponderanda:

i) Ne aequivocatio habeatur, distinguendum est inter institutum *dioecesanum* et institutum *iuris dioecesani*. Prius dicitur illud quod ex lege fundationis tantum in utilitatem *unius* dioecesis conditum esset, quin eius migratio praevideatur vel desideretur. Institutum autem *iuris dioecesani* illud est quod nondum a Sancta Sede approbatum vel laudatum, « Ordinariorum iurisdictioni ad normam iuris plane » subiectum remanet (cf. Can. 492, § 2), etsi in pluribus dioecesibus sit diffusum (cf. etiam Can. 488, 3°). [37]

ii) *Possibilitas* habendi institutum *dioecesanum* (sensu supra exposito) non negatur; sed id rarissime fit. Etenim licet in limine fundationis institutum *unius* dioecesis necessitatibus subveniendis condatur, raro possibilitas alio migrandi excluditur, et de facto instituta, cum debitis licentiis, sat cito generaliter migrant.

Dato autem huiusmodi instituto dioecesano, tunc pro eo non ponitur quaestio de eius evectione ad gradum iuris pontificii, salvo semper casu exceptionali. De vera utilitate huiusmodi instituti iudicabit Sancta Sedes cum « nihil obstat » dabit.

iii) Valde autem consentaneum est ut instituta ad unam dioecesim non coarctata ad gradum Iuris Pontificii transeant « cum primum condiciones (scilicet, diffusionem, maturitatem et stabilitatem) ad pontificiam approbationem consequendam praescriptas obtinuerint », ut ex unitate Regiminis Supremi Sanctae Sedis, unitas et stabilitas instituti firmentur.

iv) De cetero, instituta Iuris Pontificii non penitus subtrahuntur potestati Ordinariorum locorum, speciatim quod ad opera externa exercenda attinet; et in bonum ipsius dioecesis indubitanter immediate adlaborant iuxta cuiusque instituti finem et indolem.

2) Tres Patres observant: « On a exprimé le vœu que les Congrégations de femmes n'échappent pas à la juridiction de l'Evêque... Il me semblerait plus juste de dire: " Le contrôle du S. Siège est souvent peu efficace; Rome devrait déléguer à l'Ordinaire de la Maison-Mère l'autorité pour exercer un contrôle plus proche " » (cf. I, p. 118, n. 2).

Resp.: Etiam iure vigenti, instituta Iuris Pontificii, speciatim mulierum, Ordinariis locorum in multis subduntur (cf. Can. 512, § 2, 3°; 618, § 2, 2°). De insufficientia moderaminis Sanctae Sedis forte severius aequo loquitur observatio, dum nihil innuitur de visitatione quinquennali ab Ordinario loci facienda quae haud raro omittitur vel non accurate peragitur.

3) Quatuor Patres proponunt ut loco « implorant », dicatur: « deposcant » (cf. I, p. 118, n. 2; II, p. 58, n. 5).

Resp.: Placet emendatio proposita.

4) Unus Pater hanc praescriptionem non intelligit. « Saepe saepius », ait, « ad bonum dioecesium confert si relinquantur sub completa iurisdictione et dispositione Episcoporum et non fiant iuris pontificii » (cf. II, p. 86, n. 48).

Resp.: Provisum in responso 1° supra.

[38] § 9. – AD CAPUT IX: DE VOCATIONIBUS RELIGIOSIS FOVENDIS

Ad caput integrum:

Unus Pater (cf. I, pp. 103-105) plura suggerit optima sed nimis particularia pro Decreto Conciliari, speciatim nunc arctissime reducendo; haec Codici recognoscendo vel Instructionibus Apostolicis inservire poterunt.

Ad Art. 49: [*De vocatione religiosa quae est donum Dei fovenda*].

1) Unus Pater observationes momentosas facit (cf. II, p. 38, n. 3) quae in omnibus placent. In novo schemate abbreviando autem difficulter recipi poterunt, dum futuris documentis pontificiis edendis utilia erunt.

2) Unus Pater vult ut praedicatores loquantur de apostolatu tamquam de re ad essentiam status religiosi pertinenti (cf. II, p. 86, n. 49).

Resp.: Doctrina hac de re erit caute, clare et solide elucidanda ne in praedicationibus irrepant errores! Prae oculis habeatur responsum supra datum ad Art. 6, n. 2°, pag. 13, recolendo quod et ipsa vita contemplativa canonica est, suo modo, vere apostolica (cf. nota 5 schematis, pag. 22).

Ad Art. 50: [*De religiosis vocationibus colligendis*].

1) A pluribus Patribus plura proponuntur ad textum schematis emendandum (cf. I, p. 123, nn. 1, 2, 4; p. 124, nn. 6, 7, 8; p. 125, n. 9; p. 126, n. 10).

Resp.: Cum non amplius agatur de praesenti schemate emendando sed potius ad puncta essentialia arctissime reducendo, non est necessarium his singulis quae ipsum textum tangunt respondere. Iuvare tamen poterunt sequentes hac de re considerationes:

i) Collectio, ut aiunt, vocationum religiosarum pro institutis virorum, et specialiter clericorum, necessaria est; propterea non impedienda, sicut non coarctatur pro institutis mulierum. Attamen, ex eo quod vocationes pro Clero saeculari sunt quaerendae, delicatissima ponitur quaestio quae magna indiget prudentia tum ex parte Religiosorum vocationes sibi quaerentium tum ex parte Ordinariorum locorum quibus competit opus vocationum in sua dioecesi ordinare.

ii) Non videtur excludenda hac in re quaedam ordinatio Ordinarii loci, quae tamen, servatis normis a Sancta Sede datis vel dandis, non sit indebite restrictiva.

iii) Cum nemo statum perfectionis evangelicae amplecti debeat nisi divinitus vocatus, omnes ad quos spectat candidatos seligere maxime cum prudentia perpendant adolescentium vocationem ne forte, cum gravissimo salutis periculo, aut vocati ad religionem accedere renuant aut non vocati accedere praesumant (cf. Schema Commiss. Praepar. art. 164).

2) Unus Pater advertit necessarium esse admittere normas Episcoporum (cf. II, p. 65, n. 50). [39]

Resp.: Ut supra dictum est, id est verum, sed subordinate ad normas S. Sedis, numquam contra ipsas sed in ipsarum applicationem et exsecutionem. Est enim negotium quod interest totius Ecclesiae.

3. Alius Pater vult ut vocationum procuratio fiat de licentia Ordinarii loci vel saltem eidem tradita notitia (cf. II, p. 73, n. 50).

Resp.: Sufficienter, ut videtur, provisum est in responsis praecedentibus.

4) Unus Pater proponit ut fiant etiam investigationes de candidatorum conditione sociali, psychologica, etc. (cf. II, p. 100).

Resp.: Placet; sed in novissimo schemate, brevitatis causa, tantum commendatur ut candidati sint congruenter et accurate selecti, ceteris particularibus ad Codicem recognoscendum vel Instructiones Apostolicas remissis.

5) Unus Pater commendat ut magna illa prudentia pro admissione ad novitiatum adhibenda, etiam pro admissione ad professionem adhibeatur. Optabile esset ad relinquendam candidatis et superioribus ampliorem libertatem, ut periodi pro quibus professio temporaria emittitur non sint ultra biennium (cf. II, p. 87, n. 50).

Resp.: Iam provisum est in responso ad art. 38, n. 4°, sup. pag. 31.

Ad Art. 51: [*De vocatione religiosa fideliter prosequenda*].

Aliquis Pater vellet hunc articulum supprimere (cf. I, p. 127, n. 1).

Resp.: Quidquid sit de illius articuli in schemate opportunitate, certo perseverantia in vita religiosa suscepta hodie inculcanda est.

§ 10. – De Directorio generali

Duo saltem Patres desiderant Directorium generale et commune a Sancta Sede conficiendum (cf. I, p. 130, n. 2, 3).

Resp.: Rationes in contrarium sufficienter exponuntur in nota pag. 38 schematis, cui nonnulli Patres expresse consentiunt.

Nota: Non paucae aliae observationes Patrum sunt particulares et ad ipsum *textum* schematis emendandum directe tendunt quin doctrinam vel disciplinam in se afficiant. Cum non sit amplius schema emendandum sed arctissime reducendum, hae omissae sunt in praesenti relatione.

[5]

4 – RELATIO *

Venerabiles Patres,

Cum religiosi ad vitam et operam Ecclesiae intime pertineant, plura schemata agunt de quaestionibus ad eos spectantibus. Capitulum sextum Schematis « De Ecclesia » exponit rationes theologicas vitae religiosae; et Schema « De Pastorali Episcoporum Munere in Ecclesia » relationes intercedentes inter Episcopos et Religiosos; ac demum Schema « De activitate missionali Ecclesiae » obiter de iis commemorat.

Supererat tamen ut vita religiosa consideraretur in seipsa, ac quidem modo potius practico nostraeque aetati congruente. Hoc ipsum propositum est Schematis « De accommodata renovatione vitae religiosae ». Viginti propositiones ex quibus constat, normae generales sunt quae varia quidem ratione omnibus ordinibus et institutis religiosis applicantur. Hae potius vitam internam et opera propria respiciunt.

Multi mirati sunt de brevitate huius Schematis. Hoc ideo factum est quod fines arctissimi impositi sunt ab auctoritatibus Concilii eo consilio ut Schema « ad puncta essentialia » redigeretur. Animadvertere expedit hic non agi de Schemate fuse et methodice pertractato, ut circa alia argumenta Concilii accidit, sed tantum de brevibus propositionibus circa vitam religiosam. Quae propositiones praecipue excerptae sunt e textibus antea multo fusius et accuratius elaboratis. Primus enim textus veri Schematis circiter centum paginas comprehendebat; secundus circiter triginta paginas; in tertio autem et quarto, quos habetis prae oculis, propositiones tantum quattuor paginas implent...[1]

Fore *autem* [2] confidimus ut pauca principia a Concilio Oecumenico summa auctoritate edicta conferant ut vita religiosa ampla incrementa accipiat et religiosi aptius in dies renovationi pastorali Ecclesiae se conforment atque ita quaestiones spirituales et religiosae mundi hodierni alacriter pro parte sua solvi possint.

Patet tamen neque Concilium Oecumenicum neque ullam auctoritatem externam hanc exoptatam renovationem et accommodationem, quibus necessitatibus apostolicis horum temporum satis fiant, perficere posse.

---

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus est in congregatione generali 108, die 9 novembris 1964.

Hoc enim officium magna ex parte ipsis Superioribus et religiosis [5]
demandatur. Hi fideliter servantes naturam, finem, spiritum et rectas traditiones proprii instituti, non dubitabunt modum vivendi, operandi
et orandi, necessitatibus huius aetatis animose accommodare. Quod opus [6]
postulabit ut recognoscantur multae normae etiam ipsarum Constitutionum, Directoriorum, Consuetudinariorum, librorum precum et caeremoniarum, eo proposito ut cum formis vitae propriae cuiusque instituti in horum temporum adiunctis congruant. Hoc constanter curae fuit Commissioni ut indoles et natura propria cuiusque instituti integrae servarentur atque adeo sodales eius secundum professionem emissam vitam agere possent.

Iuvat memorare plurima consilia peculiaria, maxime indolis iuridicae, quae ab Episcopis aliisque proposita sunt et ex parte in priora Schemata ampliora inserta, in optata recognitione Codicis Iuris Canonici locum habitura esse.

Schema, quod hodie Patribus Concilii proponitur, mense aprili hoc anno ad eosdem missum fuit, nunc emendatum quidem secundum animadversiones peculiares quas Commissio usque ad hos dies novissimos accepit et quas Subcommissiones et universa Commissio de Religiosis attente pertractavit latis etiam suffragiis. Huiusmodi peculiares emendationes propositae in appendice huic Schemati adiuncta recensentur.

Multum disceptatum est de titulo huius Schematis, qui altera vice appellatus est « De Statibus perfectionis acquirendae », et « De Religiosis ». Convenit autem ut Schema inscriberetur « De Religiosis », qui titulus est aptior et traditioni magis congruens, et ceterum in aliis Schematibus Concilii — peculiari modo in capitulo sexto Schematis « De Ecclesia » — usitatus. Nuperrime titulus « De accommodata renovatione vitae religiosae » praeoptatus est, quo clarius vis et sententia propositionum declararetur.

Cum loquimur de vita religiosa et de religiosis omnes comprehendimus qui ad perfectionem contendunt vi professionis consiliorum evangelicorum. Ut quodvis periculum confusionis inter religiosos, qui vere proprieque dicuntur, et societates vitae communis et instituta saecularia vitaretur, prooemio inserta est dictio « indole propria servata ».

Corpus harum propositionum, licet ordo logicus non semper servetur, plus minusve ita dividitur:

1) Accommodata renovatio (1-10);

2) Vita communis et quaedam formae exteriores, veluti clausura et habitus religiosus (11-13);

3) Institutio sodalium (14);

[6] 4) Vigor et operositas institutorum necnon coordinatio inter ipsa (15-20).

Summa totius Schematis continetur in ipsis propositionibus a prima ad decimam, quibus describitur et praescribitur « accommodata renovatio ». Norma primaria ea est ut haec renovatio fiat secundum Evan-
[7] gelium, secundum imitationem Iesu Christi et spiritum Fundatoris, sub ductu et auctoritate Ecclesiae.

In secunda propositione aperte exponitur « renovatio » qua bona aetatis praeteritae custodiuntur et inquiruntur. Eademque perhibetur « accommodatio » qua vita, apostolatus, et precandi ratio religiosorum ad condiciones temporis nostri aptantur. Quamobrem quattuor rationes practicae enumerantur quae respiciunt conditiones physicas et psychicas, necessitates apostolatus et ingeniorum cultus, adiuncta rei socialis et oeconomicae, praesertim in locis missionum. Prudenter autem praescribitur ut huiusmodi « accommodata renovatio » a tota communitate perficiatur, moderante competenti auctoritate. Ut causa supernaturalis huius operis breviter comprehendatur, propositio quarta monet ut religiosi in primis amore erga Deum et proximum ducantur.

Praeterea ad numerum quintum sermo fit de institutis vitae contemplativae, et ad numerum sextum de institutis vitae activae. Cum hanc divisionem iam antiquitus acceptam servamus, admittimus — quod bene animadvertatur — res uti sunt, scilicet esse instituta quae appellantur contemplativa, et instituta quae dicuntur activa. Quaecumque autem est forma huiusmodi, in omnibus habetur id quod est primarium in vita religiosa, id est consecratio perfecta et immediata qua religiosi Deo devoventur. Tamen finibus peculiaribus et rationibus quibus ad effectum deducantur inter se distinguuntur. Atque ideo normas et institutiones proprias postulant. Ceterum nolumus abiudicare indolem apostolicam instituti vitae contemplativae, quae a Sancto Pio Pp. X asservata est, et a Pio Pp. XII verbis « sua vocatione, quae plene totaque apostolica est » (Const. Apost. *Sponsa Christi,* 21 nov. 1950: *A.A.S.,* 43 [1951], p. 14), atque etiam a Ioanne Pp. XXIII confirmata (cf. Epistula, 16 iulii 1962: *A.A.S.,* 54 [1962], p. 568)...[3]

In numeris septimo ad decimum exhibetur renovatio quatenus observantur tria consilia evangelica quod officium efficit notam essentialem et singularem religiosorum, eosque similiores reddit Christo oboedienti, Christo virgini et pauperi.

Secundum consilia accepta, duo numeri, inter se seiuncti, et ad oboedientiam et castitatem pertinentes, additi sunt. Oboedientia describitur ipsis verbis Summi Pontificis Pauli VI (cf. Alloc. 23 maii 1964: *A.A.S.,* 56 [1964], p. 567).

Ad numerum decimum, unica propositione, docetur paupertatem non solum ad singulas personas spectare sed etiam ad universam communitatem. [7]

Propositiones undecima ad tertiam decimam respiciunt vitam communem, clausuram et habitum. Ad vitam communem quod attinet suadetur ut ordines interni (vulgo, categorie) ex quibus instituta constant, amore fraterno se attingant. Immo si rerum adiuncta id suadeant, curandum est ut in institutis mulierum, ad unum genus sororum perveniatur.

Summi momenti est propositio quarta decima qua asseritur conditionem et fontem huius accommodatae renovationis esse institutionem religiosorum. Hac de causa postulatur ut, post novitiatum, institutio religiosa et apostolica pergatur per omne tempus necessarium. Praecipuo autem modo Concilio curae sit ut consulatur mulieribus religiosis et fratribus laicis qui apostolatum exercent ad quem praeparatio peculiaris et absoluta requiritur. Primum accidit ut Concilium aliquod Oecumenicum animum advertat ad numerum tam magnum religiosarum et fratrum laicorum apostolatui addictorum. [8]

In propositionibus quinta decima ad decimam octavam agitur de vigore et operositate institutorum, quorum bona existimatio non imminuitur eo quod forte accidit ut quaedam parva instituta languescant.

Propositione undevigesima agitur de Conferentiis Superiorum Maiorum quae post primum Conventum Religiosorum Internationalem, anni 1950 ortae, nunc fere in omnibus regionibus sunt et uberes fructos progigniunt.

Ultima propositio tandem tractat de vocationibus religiosis fovendis.

Hoc igitur, Venerabiles Patres, est Schema quod vobis proponitur ad disceptandum et ad suffragium ferendum; quod, ut eidem faveat, Commissio de Religiosis exoptat. Persuasum autem sibi habeant Patres, eandem Commissionem consilia a se proposita magni facturam esse, sive ea quae iam accepta sunt sive ea quae post tempus praefinitum pervenerunt; quinimmo Commissio eadem consilia exoptat hac mente ut vita religiosorum temporibus nostris ita refloreat ut in vitam, vigorem, studium apostolicum et ardorem sanctitatis Ecclesiae universae redundet (cf. Allocutionem Pauli Pp. VI, diei 23 m. maii, a. D. 1964).

Demum Commissio de Religiosis animum mirabundum et gratum significat multitudini religiosorum et religiosarum — Sacerdotum, Fratrum conversorum, Fratrum docentium, et omnium eorum qui aliis operibus apostolicis sunt addicti, Monialium et Sororum — qui admirabili et uberi varietate formarum efficiunt ornamentum Ecclesiae et qui vita sua, precibus suis et operibus apostolatus et evangelizationis, secun-

[8] dum mandatum acceptum praeclaram operam adiutricem praebent toti Ecclesiae, Episcopis et Pastoribus animarum ad aedificationem Corporis Christi. Et ita, principia confirmentur quae vitam religiosam efficaciter dirigere valeant. Novit Ecclesia religiosos esse animo paratos et promptos ad pergendum maiore in dies cum diligentia opus accommodatae renovationis, quam ipsi cupiunt iam nunc omnia praescripta Concilii ad eam pertinentia libenter accipientes.

In oratione: [1] De cetero quicumque ad allocutionem Summi Pontificis Pauli VI die 23 maii anni 1964 coram pluribus Capitulis religiosis prolatam contulerit, statim animadvertet amplam materiam de vita et opera Institutorum religiosorum ibi fusius, ut decebat, esse enucleatam. Iamvero in hisce brevibus propositionibus compendiose et nervose eadem materia continetur, praeter quasdam pericopas quae summatim habentur in parte religiosis specialiter dedicata tum in constitutione *de Ecclesia* tum in constitutione *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia*. Quare. [2] deest. [3] Immo nuperrime die 24 mensis octobris elapsi, ipse Summus Pontifex Paulus VI eamdem doctrinam enuntiavit in laudibus quas contexit vitae monasticae, occasione consecrationis Ecclesiae Abbatialis Montis Cassini.

5 – TEXTUS PRIOR - TEXTUS EMENDATUS [9]

Textus prior

DE RELIGIOSIS

Sacrosancta Synodus, postquam in Constitutione *de Ecclesia* ostendit sanctitatis prosecutionem per Consiliorum Evangelicorum professionem a Divini Magistri doctrina et exemplis originem ducere, nunc de Religionum, Societatum vitae communis et Institutorum Saecularium vita ac disciplina intendit agere eorumque necessitatibus, prout tempora nostra suadent, providere (cf. nn. 1, 2).

Textus emendatus

DE ACCOMMODATA RENOVATIONE VITAE RELIGIOSAE

Sacrosancta Synodus, postquam in Constitutione *de Ecclesia* ostendit sanctitatis prosecutionem per Consiliorum Evangelicorum professionem a Divini Magistri doctrina et exemplis originem ducere *et tamquam signum Regni caelestis apparere,* nunc de Religionum, *atque, indole propria servata,* Societatum vitae communis et Institutorum Saecularium vita ac disciplina intendit agere eorumque necessitatibus, prout tempora nostra suadent, providere.

Quae vero in his propositionibus continentur respiciunt tantum principia generaliora accommodatae renovationis vitae ac disciplinae religiosae. Normae particulares pro eorumdem congrua expositione et applicatione post Concilium a competente auctoritate statuendae erunt.

NOTANDA:

1. In hoc schemate habentur duo textus:

a) ad sinistram: textus PRIOR, mense martii 1964 exaratus et Patribus Concilii ante tertiam hanc Sessionem transmissus (cf. Epist. Exc. D.ni Secretarii Generalis Concilii, 11 maii 1964);

b) ad dexteram: textus EMENDATUS, habita ratione observationum Patrum Concilii scripto transmissarum, nunc SUFFRAGANDUS, praevia disceptatione.

2. Qua ratione textus PRIOR exaratus est, explicatur in pristino fasciculo schematis, Appendice, pagg. 11-26. Qua ratione praesens textus EMENDATUS sit, exponetur ab Exc.mo Relatore in schemate praesentando Patribus Concilii.

3. Verba, initio singulorum numerorum *litteris inclinatis* inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur.

In textu EMENDATO, verba priori addita vel mutata *litteris inclinatis* scribuntur.

4. In textu PRIORE, numeri variis clausulis vel propositionibus adiecti, ad articulos praevii schematis *De Statibus perfectionis adquirendae* anno 1963 typis impressi et Patribus distributi remittunt.

10]

Textus prior

1. [*Regula fundamentalis accommodatae renovationis*].

Cuiusvis instituti spiritualis ac religiosa renovatio atque eius ad praesentes vitae condiciones accommodatio promovendae sunt, Sancta Matre Ecclesia duce, secundum Evangelium et Christi sequelam tamquam supremam regulam, attentisque Fundatorum propositis ac genuino spiritu (cf. nn. 11, 12).

2. [*Accommodata renovatio cum fidelitate erga institutum componenda*].

Fideliter serventur natura, finis (cf. nn. 13, 21), spiritus proprius necnon sanae traditiones, quae omnia cuiusque instituti patrimonium constituunt. At ratio vivendi, operandi et orandi hodiernis sodalium condicionibus physicis et psychicis, necnon apostolatus necessitatibus, animi culturae requisitis et circumstantiis socialibus et oeconomicis, praesertim in locis missionum, aptanda est (cf. n. 13). Quapropter, prout necessarium fuerit, Constitutiones, « Directoria », « Consuetudinaria », libri precum et caerimoniarum aliique id genus codices congruenter recognoscantur (cf. n. 15).

3. [*A quibus accommodata renovatio sit perficienda*].

Efficax autem renovatio et recta accommodatio obtineri nequeunt nisi cooperantibus omnibus instituti sodalibus, moderante vero competenti auctoritate (cf. n. 14).

4. [*Perfectio amoris Dei et proximi ante omnia quaerenda*].

Omnes qui Evangelica Consilia profitentur, credentes «caritati quam habet Deus in nobis» (*I Ioan.* 4, 16), assiduo studio forti-

Textus emendatus

1. [*Regula fundamentalis accommodatae renovationis*].[1]

Cuiusvis instituti spiritualis ac religiosa renovatio atque eius ad praesentes vitae condiciones accommodatio promovendae sunt, Sancta Matre Ecclesia duce, secundum Evangelium et Christi sequelam tamquam supremam regulam, attentisque Fundatorum propositis ac genuino spiritu.

2. [*Criteria practica accommodatae renovationis cum fidelitate erga institutum componendae*].

Fideliter serventur natura, finis, spiritus proprius necnon sanae traditiones, quae omnia cuiusque instituti patrimonium constituunt. At ratio vivendi, operandi et orandi hodiernis sodalium condicionibus physicis et psychicis, necnon apostolatus necessitatibus, animi culturae requisitis et circumstantiis socialibus et oeconomicis, praesertim in locis missionum, aptanda est. Quapropter, prout necessarium fuerit, Constitutiones, « Directoria », « Consuetudinaria », libri precum et caerimoniarum aliique id genus codices congruenter recognoscantur.

3. [*A quibus accommodata renovatio sit perficienda*].

Efficax autem renovatio et recta accommodatio obtineri nequeunt nisi cooperantibus omnibus instituti sodalibus, moderante vero competenti auctoritate.

4. [*Perfectio amoris Dei et proximi ante omnia quaerenda*].

Omnes qui Evangelica Consilia profitentur, credentes « caritati quam habet Deus in nobis » (*I Ioan.* 4, 16), *ante omnia*, assiduo studio

Textus prior	*Textus emendatus*	
que animo consequi nitantur perfectum Dei amorem ex quo proximi dilectio profluit in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem (cf. n. 17).	fortique animo consequi nitantur perfectum Dei amorem, ex quo proximi dilectio profluit in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem.	[10]
5. [*De institutis vitae contemplativae fovendis et renovandis*].	5. [*De institutis vitae contemplativae fovendis et renovandis*].[2]	[11]
Instituta vitae contemplativae suas partes in Corpore Mystico Christi semper habent, atque uberrimos sanctitatis fructus Ecclesiae afferunt. At etiam ipsa in ratione formaque vitae suae sese renovent (cf. nn. 6, 7, 18).	Instituta vitae contemplativae suas partes in Corpore Mystico Christi semper habent, atque, *sua vocatione, quae plene totaque apostolica est,* uberrimos sanctitatis fructus Ecclesiae afferunt. At etiam ipsa in ratione formaque vitae suae sese renovent.	
6. [*De institutis vitae activae fovendis eorumque actione rite ordinanda*].	6. [*De institutis vitae activae fovendis eorumque actione rite ordinanda*].[3]	
In institutis vitae activae tam laicalibus quam clericalibus, opera et apostolatus, utpote sanctum ministerium et opus caritatis proprium ab Ecclesia ipsis commissum eiusque nomine exercendum, finem constituunt vere specificum, quem sodales, ardenti studio aptisque mediis prosequi debent (cf. nn. 8, 9, 10, 18, 20). Actio autem apostolica ex intima cum Deo unione procedat oportet, inde fit ut caritas ipsa erga Deum et proximum foveatur (cf. nn. 8, 18).	In institutis vitae activae tam laicalibus quam clericalibus, opera et apostolatus, utpote sanctum ministerium et opus caritatis proprium ab Ecclesia ipsis commissum eiusque nomine exercendum, finem constituunt vere specificum, quem sodales, ardenti studio aptisque mediis prosequi debent. Actio autem apostolica ex intima cum Deo unione procedat oportet, inde fit ut caritas ipsa erga Deum et proximum foveatur.	
7. [*De renovatione in observantia Consiliorum Evangelicorum*].	7. [*De renovatione in observantia Consiliorum Evangelicorum*].	
Religiosi sese renovent in oboedientia (cf. n. 26), castitate (cf. n. 25) et paupertate (cf. nn. 23, 24) quam professi sunt, Christum oboedientem, virginem et pauperem imitantes Eiusque praesentiam in hoc mundo speciali modo testificantes.	Religiosi, *quamvis in variis et in dies difficilioribus vitae circumstantiis degant,* Christum oboedientem, virginem et pauperem imitantes Eiusque praesentiam in hoc mundo speciali modo testificantes, sese renovent in oboedientia, castitate et paupertate quam professi sunt.	
	8. [*De renovatione in oboedientia religiosa*]. *Religiosus, per oboedientiam quam profite-*	

[11] *Textus prior* | *Textus emendatus*

tur, holocausto propriae voluntatis Deo libere oblato, Superioribus suis, vices Dei gerentibus, humile pro amore Christi praestat obsequium in omnibus quae ad normam Regulae et Constitutionum praecipiuntur (cf. n. 26). *Quod sacrificium sui eo fit, quod submisse legitimis Moderatoribus paretur, quamvis auctoritas exercenda*
[12] *sit intra fines caritatis et cum respectu personae humanae, et licet haec nostra aetas religiosos vocet ad plura gravioraque munera obeunda et ad incepta alacrius et expeditius suscipienda* (Ex alloc. Pauli VI, d. 23 Martii 1964: *A.A.S.*, 56 [1964], p. 567).

9. [*De renovatione in castitate religiosa*].

Castitas «propter Regnum Caelorum» (*Mt.* 19, 12), ad quam profitendam religiosi vocati sunt, ab omnibus tamquam eximium donum aestimanda est. Cor enim hominis singulariter liberat (cf. *1 Cor.* 7. 32-35), ut ardentius accendatur caritate erga Deum et homines universos, ideoque est peculiare signum transcendentiae bonorum caelestium. Oportet ergo ut religiosi, promissionem suam fideliter servare studentes, verbis Domini credant et, Dei auxilio confisi, de propriis viribus ne praesumant atque corpus suum in servitutem redigant (cf. *1 Cor.* 9, 27); ita fit ut doctrinis quae continentiam perfectam tamquam impossibilem vel humano profectui nocivam ostentant, non moveantur, et omnia quae castitatem in periculum adducunt sensu quodam spirituali respuant. Sic, coram omnibus Christifidelibus mirabile illud evocent connubium a Deo conditum et in futuro saeculo plene manifestandum quo Ecclesia unicum Sponsum Christum habet (cf. *2 Cor.* 11, 2). Cum haec obligatio naturam humanam radicitus afficiat, candidati ad votum castitatis ne accedant, nisi post pro-

Textus prior

8. [*De renovatione in paupertate individuali*].

Ad paupertatem religiosam quod attinet, haud sufficit Superioribus subiici in usu bonorum, sed oportet etiam ut sodales re et spiritu sint pauperes (cf. n. 23). Congregationes religiosae suis Constitutionibus permittere possunt ut sodales bonis patrimonialibus acquisitis vel acquirendis renuntient (cf. n. 29).

9. [*De renovatione in paupertate collectiva*].

Instituta et domus bona quae possident tamquam patrimonium sacrum habeant, eaque etiam in utilitatem Ecclesiae et indigentium necessitates insumant, vitata omni specie luxus, immoderati lucri ac bonorum cumulationis (cf. n. 24).

10. [*De vita in communi ducenda*].

Vita in communi agenda testimonium sit caritatis Christi, secundum exemplum primaevae Ecclesiae, in qua multitudo « credentium erat cor unum et anima una » (*Act.* 4, 32). Ut autem inter sodales intimius sit vinculum fraternitatis, illi qui conversi vel alio nomine vocantur, vitae et communitatis operibus arctius coniungantur; immo curandum est ut in institutis mulierum ad unam classem perveniatur. Virorum autem monasteria et instituta pro indole sua clericos et laicos pari ratione admittere possunt, salvis iuribus ordinationis sacrae et praescriptis Constitutionum (cf. nn. 30, 31, 32).

Textus emendatus [12]

bationem vere sufficientem et cum debita maturitate psychologica atque affectiva.

10. [*De renovatione in paupertate religiosa*].

Ad paupertatem religiosam quod attinet, haud sufficit Superioribus subiici in usu bonorum, sed oportet etiam ut sodales re et spiritu sint pauperes. Congregationes religiosae suis Constitutionibus permittere possunt ut sodales bonis patrimonialibus acquisitis vel [13]
acquirendis renuntient.

Instituta et domus bona quae *Divina Providentia iis est elargita,* etiam in utilitatem Ecclesiae et indigentium necessitates insumant, vitata omni specie luxus, immoderati lucri ac bonorum cumulationis.

11. [*De vita in communi ducenda*].

Vita in communi agenda testimonium sit caritatis Christi, secundum exemplum primaevae Ecclesiae, in qua multitudo « credentium erat cor unum et anima una » (*Act.* 4, 32). Ut autem inter sodales intimius sit vinculum fraternitatis, illi qui conversi vel alio nomine vocantur, vitae et communitatis operibus arctius coniungantur; *si autem rerum adiuncta id suadeant curandum est ut in institutis mulierum, ad unum genus sororum perveniatur* (Ex Schem. /63: n. 31). Virorum autem monasteria et instituta pro indole sua clericos et laicos pari ratione admittere possunt, salvis *obligationibus et* iuribus ordinationis sacrae et praescriptis Constitutionum.

13]

Textus prior

11. [*De clausura monialium*].

Clausura papali pro monialibus vitae unice contemplativae firma manente sed iuxta temporum locorumque condiciones accommodata, congruit ut aliae moniales, operibus externis apostolatus ex instituto deditae, ab ea eximantur et propriis Constitutionibus regantur (cf. n. 6).

12. [*De habitu religioso*].

Habitus religiosus, utpote signum consecrationis, sit simplex ac modestus, pauper simul ac decens, insuper valetudinis requisitis
14] consentaneus et temporum locorumque adiunctis necnon ministerii necessitatibus accommodatus. Habitus autem qui iis normis, iudicio Sanctae Sedis, non congruit, immutandus est (cf. nn. 33, 34, 35).

13. [*De alumnorum institutione*].

Institutorum accommodata renovatio ab alumnorum institutione maxime pendet. Ideo, et ipsi sodales non clerici ac religiosae apostolatus operibus immediate post novitiatum ne destinentur, sed eorum institutio religiosa et apostolica, doctrinalis et technica, titulis etiam congruentibus obtentis, in aptis domibus convenienter protrahatur (cf. nn. 36, 38).

Officium quoque est Superiorum curare ut Magistri spiritus et Professores optime seligantur et sedulo praeparentur (cf. n. 36).

Textus emendatus

12. [*De clausura monialium*].

Clausura papali pro monialibus vitae unice contemplativae firma manente sed iuxta temporum locorumque condiciones accommodata, congruit ut aliae moniales, operibus externis apostolatus ex instituto deditae, ab ea eximantur.

13. [*De habitu religioso*].

Habitus religiosus, utpote signum consecrationis, sit simplex ac modestus, pauper simul ac decens, insuper valetudinis requisitis consentaneus et temporum locorumque adiunctis necnon ministerii necessitatibus accommodatus. Habitus autem qui iis normis, iudicio Sanctae Sedis, non congruit, immutandus est.

14. [*De alumnorum institutione*].

Institutorum accommodata renovatio ab alumnorum institutione maxime pendet. Ideo, et ipsi sodales non clerici ac religiosae apostolatus operibus immediate post novitiatum ne destinentur, sed eorum institutio religiosa et apostolica, doctrinalis et technica, titulis etiam congruentibus obtentis, in aptis domibus convenienter protrahatur.

Ne vero vitae religiosae ad nostri temporis exigentias adaptatio sit mere externa, neve illi qui externo apostolatui ex instituto vacant muneri suo implendo impares inveniantur, iuxta cuiusque intellectualem dotem et personalem indolem, in vigentes hodiernae vitae socialis mores rationesque sentiendi et cogitandi, congruenter instruantur.

Per totam autem vitam hi sodales intendant hanc culturam spiritualem, doctrinalem et technicam sedulo perficere, et Superiores, pro

Textus prior

Textus emendatus [14]

viribus, opportunitatem, adiumenta et tempus ad hoc eis procurent.

Officium quoque est Superiorum curare ut Magistri spiritus et Professores optime seligantur et sedulo praeparentur.

Textus prior

14. [*De novis institutis condendis*].

In novis institutis promovendis, necessitas vel saltem magna utilitas necnon incrementi possibilitas serio ponderandae sunt, ne incaute oriantur instituta inutilia aut sufficienti vigore orbata (cf. n. 47).

Textus emendatus

15. [*De novis institutis condendis*].

In novis institutis promovendis, necessitas vel saltem magna utilitas necnon incrementi possibilitas serio ponderandae sunt, ne incaute oriantur instituta inutilia aut sufficienti vigore orbata.

In novellis Ecclesiis, formae vitae religiosae excolantur quae indolis morumque incolarum necnon loci consuetudinum et condicionum rationem habeant (Ex Schem./63: n. 13).

Textus prior

15. [*De operibus propriis servandis, accommodandis vel relinquendis*].

Instituta iam condita, opera propria fideliter retineant et adimpleant, atque temporum locorumque necessitatibus accommodent, opportunis ac etiam novis mediis adhibitis, illis autem relictis operibus quae cum instituti spiritu et germana indole hodie minus sint consentanea (cf. nn. 20, 21).

Textus emendatus

16. [*De operibus propriis servandis, accommodandis vel relinquendis*]. [15]

Instituta iam condita, opera propria[3] fideliter retineant et adimpleant, atque temporum locorumque necessitatibus accommodent, opportunis ac etiam novis mediis adhibitis, illis autem relictis operibus quae cum instituti spiritu et germana indole hodie minus sint consentanea.

Omnia instituta tenentur vitam Ecclesiae participare eiusque proposita v. g. in re biblica, liturgica, sociali et oecumenica, pro viribus fovere.

Spiritus vero missionalis in institutis religiosis omnino servetur, et pro cuiusque eorum indole aptetur condicionibus hodiernis, ita ut praedicatio Evangelii omnibus populis et gentibus efficacior fiat.

Textus prior

16. [*De institutis et monasteriis languescentibus*].

Instituta vero et monasteria quae iudicio Sanctae Sedis nullam amplius praebeant fun-

Textus emendatus

17. [*De institutis et monasteriis languescentibus*].

Instituta vero et monasteria quae iudicio Sanctae Sedis *non praebeant fundatam spem ut*

[15] *Textus prior*

datam spem incrementi, prohibeantur ne in posterum novitios recipiant, et si fieri possit, alii instituto vel monasterio vegetiori, quod fine et spiritu haud multum differat, uniantur (cf. n. 46).

17. [*De unione inter instituta fovenda*].

Instituta et monasteria sui iuris, pro rei opportunitate et approbante Sancta Sede, inter se promoveant foederationes, si quodammodo ad eamdem familiam religiosam pertinent, aut uniones, si fere pares habent Constitutiones et usus eodemque animantur spiritu, praesertim cum nimis sunt exigua, aut associationes, si iisdem vel similibus operibus externis incumbunt (cf. nn. 41, 42, 43, 45).

18. [*De Superiorum Maiorum conferentiis*].

Favendum est conferentiis seu consiliis Su-
[16] periorum Maiorum a Sancta Sede erectis, quae valde conferre possunt ad finem singulorum institutorum plenius assequendum, ad efficaciorem conspirationem in bonum Ecclesiae fovendam, ad Evangelii operarios in determinato territorio aequiore modo distribuendos, necnon ad communia religiosorum negotia pertractanda (cf. n. 44). Huiusmodi autem conferentiae etiam pro Institutis Saecularibus institui possunt.

19. [*De vocatione religiosa fovenda*].

Sacerdotes educatoresque christiani seria conamina adhibeant ut vocationibus religiosis, congruenter et accurate selectis, novum detur incrementum Ecclesiae necessitatibus plane respondens. Etiam in praedicatione ordinaria, saepius agatur de Consiliis Evangelicis et de statu religioso amplectendo. Parentes filios suos christianis moribus educando, vocationem religiosam in eorum cordibus excolant ac tueantur.

Textus emendatus

ulterius floreant, prohibeantur ne in posterum novitios recipiant, et si fieri possit, alii instituto vel monasterio vegetiori, quod fine et spiritu haud multum differat, uniantur.

18. [*De unione inter instituta fovenda*].

Instituta et monasteria sui iuris, pro rei opportunitate et approbante Sancta Sede, inter se promoveant foederationes, si quodammodo ad eamdem familiam religiosam pertinent, aut uniones, si fere pares habent Constitutiones et usus eodemque animantur spiritu, praesertim cum nimis sunt exigua, aut associationes, si iisdem vel similibus operibus externis incumbunt.

19. [*De Superiorum Maiorum conferentiis*].

Favendum est conferentiis seu consiliis Superiorum Maiorum a Sancta Sede erectis, quae valde conferre possunt ad finem singulorum institutorum plenius assequendum, ad efficaciorem conspirationem in bonum Ecclesiae fovendam, ad Evangelii operarios in determinato territorio aequiore modo distribuendos, necnon ad communia religiosorum negotia pertractanda. Huiusmodi autem conferentiae etiam pro Institutis Saecularibus institui possunt.

20. [*De vocatione religiosa fovenda*].

Sacerdotes educatoresque christiani seria conamina adhibeant ut vocationibus religiosis, congruenter et accurate selectis, novum detur incrementum Ecclesiae necessitatibus plane respondens. Etiam in praedicatione ordinaria, saepius agatur de Consiliis Evangelicis et de statu religioso amplectendo. Parentes filios suos christianis moribus educando, vocationem religiosam in eorum cordibus excolant ac tueantur.

Institutis autem fas est sui notitiam, ad vo-

Textus prior

Institutis autem fas est sui notitiam, ad vocationes fovendas, divulgare atque candidatos quaerere, dummodo hoc fiat cum debita prudentia et servatis normis a Sancta Sede traditis (cf. nn. 49, 50).

Textus emendatus [16]

cationes fovendas, divulgare atque candidatos quaerere, dummodo hoc fiat cum debita prudentia et servatis normis a Sancta Sede *et Ordinario loci* traditis.

NOTAE EXPLICATIVAE

[1] RENOVATIO de qua hic sermo est, ut explicabatur in praevio schemate/63 (cf. pag. 18, nota 1), duplex secumfert elementum, nempe: RESTAURATIONEM pristinorum, resumendo, ubi opus sit, ea quae vel ad genuinam religiosam vitam necessaria sunt vel Instituto a primordiis propria aut annorum decursu legitime inducta fuerunt, quorum amissio quidem damnosa nunc comperitur; et ACCOMMODATIONEM rationibus temporum nostrorum. Sane, adiuncta temporum nostrorum instituta religiosa ad congruam accommodationem perficiendam impellunt; non autem minus insistendum est ut in suis pristinis quoque sese restaurent, a quibus inspirationem et robur semper trahere valent.

[2] Ad doctrinam theologico-canonicam duabus propositionibus quinta et sexta (5 et 6) subiacentem rite assequendam, necessarium et fundamentale est accurate distinguere aspectum theologicum ab aspectu canonico utriusque vitae contemplativae et activae et relationes inter has distinctiones recte percipere.

Sub aspectu seu sensu THEOLOGICO, vita contemplativa et activa spectant *internas operationes* quibus anima Deo vacat: *per contemplationem,* anima Deum
divinaque sub influxu gratiae et impulsu Spiritus Sancti, orando et virtutibus sese [17]
exercendo, quiete intuetur eisque fruitur. *Per vitam activam,* semper sensu theologico, anima virtutibus excolendis actuose incumbit. « Unde », ait S. Thomas, « manifestum est quod virtutes morales pertinent essentialiter ad vitam activam » (II-II, q. 181, a. 1, c.). Absque dubio, vita contemplativa et vita activa, hoc sensu theologico intellectae, necessario et arcte in omni vita christiana uniri possunt ac, *de se,* debent, non tantum in religiosis, sed in omnibus fidelibus. Hac necessaria connexione, vita activa (sensu theologico) ad ipsam vitam contemplativam (theologicam) pertinere dicenda est, non quidem essentialiter, sed *dispositive,* ex eo quod ipsae « virtutes morales dispositive ad vitam contemplativam pertinent » (S. Th. II-II, q. 180, a. 2, c.).

Sub aspectu seu sensu CANONICO, vita contemplativa et directe respiciunt aliquod *externum et determinatum vitae institutum,* propria disciplina definitum et ad specialem finem prosequendum ordinatum. Dum *vita activa* (sensu canonico), ad *opera externa* apostolatus vel caritatis ordinatur, vita contemplativa (sensu canonico) ordinatur specialiter ad contemplationem (theologicam) prosequendam et exercendam, secundum specialem rationem externam vitae quae formam suam typicam et traditionalem in monachismo inde ab initio invenit. Ait S. Thomas: « ... non oportet similitudinem esse (inter monachos et alios religiosos) quantum ad alia quae sunt propria monasticae professioni, quae specialiter ad vitam contemplativam ordinantur » (II-II, q. 188, a. 2, ad 2; cf. Pius XII, Const. Ap. *Sponsa Christi,* 21 nov. 1950, Stat. Gen. art. II, § 2: *A.A.S.,* 43 (1951) p. 15; schema/63, p. 14, nota 12; p. 21, nota 4; p. 22, nota 5).

[17] Inter has diversas vitae contemplativae et activae acceptiones, distinctionibus semper manentibus, exstant relationes magni momenti.

Vita CONTEMPLATIVA CANONICA, seu institutum vitae contemplativae, secumfert, praeter vitam activam sensu theologico intellectam, etiam laborem qui merito dicitur « labor monasticus » (cf. Const. Apost. *Sponsa Christi* Statuta Gen. art. VIII, §§ 1 et 2). Vita ACTIVA CANONICA, seu institutum vitae activae, minime excludit contemplationem theologicam; immo authenticam vitam interiorem spiritualem et orationem exigit, ne in sterilem decidat activismum, licet orationi vacet secundum formam sibi propriam, ab illa monastica diversam. Siquidem, CANONICA structura et disciplina vitae contemplativae canonicae cum peculiari ordinatione ad opera externa apostolatus aliave tamquam finem specialem componatur, tunc oritur vita MIXTA CANONICA, quae specialiter relucet in Ordinibus Mendicantibus, qui formam monasticam partim retinentes, opera externa exercenda quodam compromisso disciplinari assumpserunt. Hac ratione, inde a pluribus saeculis et probante Magisterio Supremo Ecclesiae, obtinetur illa triplex divisio fundamentalis *institutorum* vitae religiosae, scilicet, instituta vitae contemplativae, vitae activae et vitae mixtae, quae suapte natura est divisio formaliter CANONICA, clara et necessaria, quam Summus Pontifex Pius XII in Encyclicis Litteris « *Mystici Corporis Christi* » compendiose sic describit: « Huius rei gratia, Religiones — idem de aliis statibus perfectionis valet — ad tres magnas categorias communiter reducuntur, scilicet, ad vitam contemplativam, activam, mixtam, prout illi qui evangelica consilia amplexi sunt, vel operosam inter homines (*activam*) vel umbratilem in silentio vitam (*contemplativam*) agant, vel utrumque (*vitam mixtam*) pro peculiari instituto suo efficere contendant » (*A.A.S.*, 35 [1943], p. 201. Cf. etiam Pius XII, Const. Ap. *Sponsa Christi* et tres Eiusdem allocutiones radiophonicae ad Moniales dd. 19 et 25 iulii et 2 augusti 1958: *A.A.S.*, 50 (1958), pp. 563 sqq., 572 sqq. et 581 sqq.). (Cf. etiam ea quae in praevio schemate/63 hac de re exposita sunt: p. 14, nota 12; p. 21, nota 4 et p. 22, nota 5).

Igitur, sermo est hic non de mera doctrina speculativa, sed, ut consulte in
[18] textu habetur, de *institutis* ex una parte *unice* vitae contemplativae (Prop. n. 5) et ex altera parte, vitae activae (Prop. 6), sive simpliciter talis, sive mixtae. Ponuntur duae propositiones, quia de conceptibus diversis agitur adeo ut non commode per modum unius exhiberi possint; et insuper, specialis est ratio practica inculcandi maiori cum vi, tum momentum hodiernum fovendi instituta unice vitae contemplativae, nonobstante peculiari apostolatus urgentia et oppositione magis minusve directa nonnullorum; tum necessitatem in institutis vitae activae, sive simpliciter talis sive etiam mixtae, nutriendi altiorem vitam spiritualem.

[3] Ubi agitur de religiosorum apostolatu, caute attendenda est hierarchia operum secundum indolem cuiusque instituti eiusque finis specialis, ne omnes sodales ad omnia opera indiscriminatim vocentur et applicentur, cum detrimento institutorum ipsiusque apostolatus in Ecclesia. In institutis vitae activae, apostolatus est exercendus imprimis operibus quae cuique eorum propria sunt, scilicet, quae, probante Apostolica Sede, sive ab ipsa fundatione, sive ob venerandas traditiones assumpta, inde Constitutionibus aliisque propriis instituti legibus definita et ordinata sunt. Merito enim censentur instituta, una cum ecclesiastica approbatione, munus et veluti missionem accepisse opera propria in Ecclesia, servatis servandis, promovendi (cf. Schema/63: p. 23, nota 7 et p. 24, nota 8).

6 – RELATIO DE SINGULIS PROPOSITIONIBUS * [19]

Commissio non censuit accedendum esse propositionibus quorumdam Patrum aliquam articulorum mutationem petentium, retinens ordinem praesentem bonum, dum rationes pro diverso ordine allatae haud persuadent (cf. pag. 9, n. 3; pag. 11, n. 3; pag. 16, n. 3).

De Prooemio

Pluribus Patribus collective rogantibus (cf. pag. 7, n. 1), in Prooemio adduntur verba: « *et tamquam signum Regni caelestis apparere* », ut melius clarescat relatio cum Constitutione « *De Ecclesia* ».

Ad omne periculum assimilandi Societates vitae communis et Instituta Saecularia Religiosis stricto sensu amovendum, inseruntur verba: « *atque, indole propria servata* ». Ultimum autem comma Prooemii ostendit, inde a limine schematis, qualis est indoles propositionum quae sequuntur.

Liceat monere scopum Prooemii non esse aspectum theologicum status perfectionis, ne compendiose quidem exponere; sed tantum indicare connexionem schematis cum capitulo speciali de Religiosis in Constitutione « *De Ecclesia* », ubi rationes theologicae praedicti status enucleantur.

De accommodata renovatione in genere (Prop. 1-4)

Quatuor primae propositiones (1-4) communi themati « *De accommodata renovatione in institutis religiosis* » pertinent. Ad earum pleniorem intelligentiam, videnda sunt ea quae in nota explicativa prima dicuntur de restauratione pristinorum et accommodatione temporum nostrorum rationibus.

Renovatio autem non est habenda tamquam nova institutorum creatio seu fundatio, sed perfectio. Ideo, regula fundamentali renovationis in prima propositione posita, in secunda praecipitur eam esse faciendam prout adiuncta in praesens requirunt, servato proprio fine et spiritu necnon sanis traditionibus. Ne in hac re adeo gravi inconsulte procedatur,

---

* Observationes Patrum Concilii diversis temporibus pervenerunt; ideo in duobus fasciculis ciclostilatis collectae sunt. Hae quae in primo fasciculo habentur, sola indicatione paginae et numeri (cf. pag. 3, n. 5) hic referuntur; ceterae, eodem modo, praemisso vocabulo « supplementum » (cf. Suppl. pag. 2, n. 3).

Relatio *textum emendatum* in columna dextera directe spectat.

[20] tertia propositio statuit a quibus renovatio est perficienda. Tandem, fundamentum cuiusvis authenticae et proficuae renovationis necessarium, in quarta propositione commonstratur perfectio amoris Dei et proximi *ante omnia* (cf. p. 11, n. 1) assiduo fortique animo quaerenda.

Circa has propositiones (1-4), a Patribus expostulatae sunt plures emendationes (cf. pag. 8, nn. 1, 2, 3; pag. 9, nn. 2, 3; pag. 10, nn. 1, 2; pag. 11, nn. 2, 5), quas Commissio non duxit acceptare, quia vel nimis particulares, vel de eis sufficienter provisum in textu, vel insufficienter iustificatas.

De Institutis vitae contemplativae et activae (Prop. 5-6)

In nota explicativa secunda, compendiose refertur doctrina theologico-canonica duabus propositionibus quinta et sexta subiacens, cui, brevitatis causa, censeo nihil esse hic addendum.

Ad has propositiones plures quidem factae sunt observationes (cf. pag. 12, nn. 1, 2, 3; pag. 13, nn. 5, 6; pag. 14, nn. 1, 2, 3, 4; pag. 15, nn. 5, 6), sive distinctioni inter vitam contemplativam et activam repugnantes, sive praesentationi huius materiae in duabus distinctis propositionibus.

Distinctione autem inter aspectum theologicum et canonicum vitae tum contemplativae, tum activae accurate perspecta necnon relationibus inter has multiplices distinctiones rite assecutis, verae difficultates non videntur amplius subsistere. Ex alia parte, considerandum est existentiam institutorum vitae unice contemplativae et vitae activae sensu explicato, esse factum historicum et hodiernum, quod peculiaria pro uno alterove genere institutorum consectaria secumfert et peculiares normas disciplinares pariter exigit, quae omnia certo commodius in duabus distinctis propositionibus traduntur.

Ad possibilem quoque aequivocationem vitandam, iuvat dicere quod in his duabus propositionibus, consulte sermo est de *institutis* vitae contemplativae et activae, non simpliciter de vita contemplativa et activa; quo innuitur aspectus canonicus doctrinae et normarum.

Ad functionem etiam apostolicam institutorum vitae unice contemplativae melius exprimendam, iuxta votum plurium Patrum collective loquentium (cf. pag. 12, n. 2), in propositione quinta inseruntur verba S. Pii X, a Summo Pontifice Pio XII reassumpta: « *sua vocatione, quae plene totaque apostolica est* » (Const. Ap. *Sponsa Christi,* 21 nov. 1950: *A.A.S.,* 43 [1951], p. 14).

De renovatione in Consiliis Evangelicis (Prop. 7-10) [20]

De renovatione in Consiliis Evangelicis, tum in genere, tum in specie, agunt propositiones septima, octava, nona et decima.

Propositio septima, de Consiliis Evangelicis in genere, in paucis completur et quoad ordinem verborum aliquatenus emendatur, pluribus [21]
Patribus collective petentibus (cf. pag. 5, n. 9; pag. 17, n. 1).

Commissio, ad instantiam plurium, censuit addere duas novas propositiones: octavam nempe, de Oboedientia et nonam, de Castitate.

Propositio decima, autem, de paupertate religiosa, coalescit ex duabus textus prioris: de paupertate individuali et de paupertate collectiva, prout a pluribus Patribus expostulatum est (cf. pag. 18, n. 2; pag. 19, n. 1). Iisdem rogantibus, primum incisum propositionis nonae prioris textus ab illo substituitur quod secundum comma propositionis decimae textus emendati incipit, scilicet: « *Instituta et domus bona quae Divina Providentia iis est elargita* ».

Unus Pater vellet articulum 24 praevii schematis 63, de paupertate collectiva, ponere loco praesentis textus (cf. pag. 19, n. 3): id autem haud visum est Commissioni expedire.

De quibusdam observantiis et de alumnorum institutione (Prop. 11-14)

Plures Patres emendationem petierunt clausulae quae, in propositione decima *textus prioris* ad diversas classes religiosarum spectat (cf. pag. 20, nn. 1 et 3). Commissio petitioni annuit, redeundo ad numerum 31 praevii schematis 63 leviter retractatum, et praeterea, aliam induxit emendationem in fine propositionis addendo verba: « *salvis obligationibus* ».

Plures emendationes clausurae monialium propositae sunt (cf. pag. 21, nn. 1, 2, 3, 4, 5, 6 et pag. 22, n. 7; sed iudicatae sunt nimis particulares vel minus congruentes ut in hoc brevi decreto conciliari acceptarentur.

De habitu religioso pauciores observationes factae sunt (cf. pag. 23, nn. 1, 2, 3), quas Commissio non censuit acceptare.

In propositione decima quarta, de Alumnorum institutione, additio prima facta est (cf. pag. 24, n. 1), ut sodalium institutio magis consonans esset requisitis hodiernis mundi in quo ipsi apostolatum exercere debent et sic illum efficacius exercere valeant. Altera additio (cf. pag. 24, n. 2) ex se satis patet.

De vita et operibus institutorum religiosorum (Prop. 15-20)

Cum instituta religiosa, a Divini Magistri doctrina et exemplis originem trahant, partes suas in Ecclesia habeant et in bonum Ecclesiae

[21] condantur, merito creditur eorum incrementum, rite ordinatum, esse exoptabile. Ne autem quaedam oriantur inutilia aut sufficiente vigore orbata, propositio decima quinta normas prudentiales statuit in institutis promovendis servandas.

Uno Patre rogante, speciales cautiones praescribuntur si de institutis agatur in sic dictis « *novellis Ecclesiis* » promovendis.

Quoad opera propria institutorum servanda et accommodanda, de
[22] quibus in propositione decima sexta, legantur ea quae in nota explicativa tertia habentur circa eorumdem naturam necnon obligationem illa promovendi, ex veluti missione ab ipsa Ecclesia approbante accepta. Primaria collaboratio religiosorum cum Sacris Praesulibus, in his operibus propriis rite explendis ponenda est, quae tamen minime excludit alia multiplicia auxilia praestanda, de quibus loquitur Constitutio « De Pastorali Episcoporum Munere in Ecclesia ». Sedula operum propriorum promotio exigit etiam eorumdem temporum ac locorum adiunctis accommodationem, ut efficacitatem actionis a Fundatoribus intentam semper pleneque sortiantur. Neque, adiunctis suadentibus, absolute prohibetur nova opera, probante Sancta Sede, assumere, praesertim si antiqua, mutatis circumstantiis, parum vel nihil amplius utilitatis evadant. E contra, ne ob nimiam operum multiplicitatem instituta ultra modum onerentur, ad illa invitantur relinquenda quae, forte decursu annorum contingenter assumpta, germano instituti spiritui ac indoli hodie minus consentanea videntur.

Ad instantiam plurium Patrum, novum comma de participatione institutorum vitae Ecclesiae fovenda adiicitur; et, aliis rogantibus, ultimum comma de spiritu missionali excolendo in institutis religiosis.

Difficilior forte se praestat quaestio de institutis et monasteriis languescentibus, de quibus agit propositio decima septima. Etsi quandoque urgeat necessitas quaedam eorum supprimendi, semper maxima cum aequitate erga personas est procedendum, vitata quoque quavis praematura et imprudenti suppressione. Historia enim docet, advertit unus Pater, quaedam instituta misere depressa, inexpectato incremento iterum floruisse. Propterea, res iudicio Sanctae Sedis committenda est, quae non solet procedere inconsultis Ordinariis interesse habentibus. In hac propositione una tantum emendatio mere litteraria facta est, uno Patre rogante (cf. pag. 25, n. 3).

Quod vires plurium ad opus bonum efficacius et securius perficiendum in unum coniungantur, est principium non solummodo pro individuis sed etiam pro associationibus validum, et hodie magis magisque praevalens. Ita instituta religiosa, quae intra se arctam sodalium unionem praeseferunt, inter se quoque uniri expedit. Propositio decima

octava tres formas unionis recenset pro opportunitate rerum seligendas. [22]
Profecto, hae uniones intelliguntur ineundae probante Sancta Sede. Agitur enim non tantum de diversis institutis, etiam iuris pontificii et in pluribus dioecesibus domus habentibus, sed de magna quoque innovatione in eorum externis relationibus, quae etiam in ordinem internum influunt.

Superiores Maiores, ad normam propositionis decimae nonae, uniri possunt in Conferentias, quae, post primum Congressum Religiosum internationalem anni 1950 ortae, nunc in omnibus fere regionibus reperiuntur. Cum hac de re desit hucusque textus legislativus, forte placebit aliquid audire de harum Conferentiarum competentia iuxta hodiernam [23]
iurisprudentiam. a) *Quoad auctoritatem*: Conferentiae non habent potestatem imponendi institutis suas decisiones, quarum executio prudentiae singulorum Superiorum, propriis quidem Constitutionibus servatis, perficienda relinquitur. b) *Quoad relationes cum Sancta Sede*: Conferentiae sunt personae morales in Ecclesia a Sancta Sede erectae, atque reguntur statutis ab Eadem approbatis. c) *Quoad relationes cum Ordinariis locorum*: Sacros Praesules qua par est reverentia prosequi debent, eorum menti in iis quae pertinent ad bonum Ecclesiae et apostolatum fideliter obtemperantes, atque studeant, etiam consultationibus initis, cum Ipsis concorditer adlaborare in commune bonum Ecclesiae et animarum. d) *Quoad apostolatum in dioecesibus*: normae speciales traduntur in Constitutione « *De Pastorali Episcoporum Munere in Ecclesia* ».

Propter indolem peculiarem Institutorum Saecularium, ipsis est facultas proprias Conferentias promovendi.

Ultima propositio vigesima de vocationibus religiosis fovendis tractat. Plures Patres petierunt additionem, in fine verborum: « *et Ordinario loci* ». Competentia enim Ordinarii loci, Sanctae Sedi subordinata, ad normas hac in re statuendas, respondet eiusdem obligationi pastorali vocationes religiosas, sicut et clericales, promovendi in bonum Ecclesiae.

7 – SUFFRAGATIO PROPOSITIONUM SCHEMATIS « DE RELIGIOSIS » *

QUOD NUNC INSCRIBITUR DE ACCOMMODATA RENOVATIONE VITAE RELIGIOSAE

Notandum: Suffragatio fit super *textum emendatum* in columna a dextera.

1ª suffragatio:

Prooemium
N. 1. Regula fundamentalis accommodatae renovationis.
N. 2. Criteria practica accommodatae renovationis cum fidelitate erga institutum componendae.
N. 3. A quibus accommodata renovatio sit perficienda.

2ª suffragatio:

N. 4. Perfectio amoris Dei et proximi ante omnia quaerenda.

3ª suffragatio:

N. 5. De institutis vitae contemplativae fovendis et renovandis.
N. 6. De institutis vitae activae fovendis eorumque actione rite ordinanda.

4ª suffragatio:

N. 7. De renovatione in observantia Consiliorum Evangelicorum.
N. 8. De renovatione in oboedientia religiosa.
N. 9. De renovatione in castitate religiosa.
N. 10. De renovatione in paupertate religiosa.

5ª suffragatio:

N. 11. De vita in communi ducenda.
N. 12. De clausura monialium.
N. 13. De habitu religioso.

---

* Hoc folium Patribus distributum est in congregatione generali 122, die 14 novembris 1964.

6ª suffragatio:

N. 14. De alumnorum institutione.

7ª suffragatio:

N. 15. De novis institutis condendis.
N. 16. De operibus propriis servandis, accommodandis vel relinquendis.
N. 17. De institutis et monasteriis languescentibus.

8ª suffragatio:

N. 18. De unione inter instituta fovenda.
N. 19. De Superiorum Maiorum conferentiis.

9ª suffragatio:

N. 20. De vocatione religiosa fovenda.

Suffragatio fit per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

8 – RELATIO

EXC.MI P. D. IOSEPH McSHEA
Episcopi Alanopolitani

[*Cf. pag. 138-142*].

Moderator: Gratias agimus relatori; et loquatur nunc em.mus card. Spellman, arch. Neo-Eboracensis in Statibus Foederatis, qui erit primus et ultimus.

13

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Venerabiles Fratres,

Propositiones *de Religiosis,* etiam brevi forma redactae, placent, quia synthetice continent quae necessaria videntur personis specialiter Deo consecratis, et complent quae in aliis schematibus de illis dicta sunt. Attamen liceat aliquas animadversiones facere.

Agitur hic *de accommodata renovatione vitae religiosae.* Optime. Sed est modus in rebus. Haec renovatio debet procedere debitis cum

cautelis. Renovatio est verbum sonans et plures religiosi decipi possunt a propositionibus quae aliquando proferuntur, etiam ab aliquibus Praelatis, praesertim si sub praetextu renovationis aliqua praesententur quae ordinem religiosum subvertere possent.

Curandum est ut servetur finis cuiusque familiae religiosae. Sunt qui vellent, e. g., ut omnes religiosae sese occuparent in activitatibus externi apostolatus. Sed, cum religiosa sit essentialiter Deo consecrata, evangelica consilia practicet iuxta Constitutiones propriae familiae religiosae vel instituti, propter hoc iam tota vita sua est apostolatus, et quidem externus. Educatrix soror in scholis, vel infirmaria in nosocomiis suum exercent apostolatum. Non possumus ab illis petere alium apostolatum eo vel magis quod non pro omnibus activitatibus religiosae sunt praeparatae. Ideo qui volunt religiosis sororibus tribuere officium publicum, v. g. in Actione Catholica, in visitatione familiarum, etc., utantur sororibus ad hoc praeparatis, vel fundent institutum ad efformandas religiosas pro hoc genere apostolatus. Sed non convenit ut existentia instituta, quae iam habent suos specificos fines, obligentur suscipere munera quae ipsis non conveniant. Hoc sensu, nonnullae Superiorissae mihi suas manifestaverunt anxietates. Debetur servari et protegi libertas personalis illorum qui specificas vocationes secuti ad servitium Ecclesiae in suo statu laborandi ius habent. Petere discessum ab observantia regularum quae ab Ecclesia sunt datae et libere acceptatae ab illis qui Deo se consecrarunt, non esset promotio vitae religiosae, sed esset remotio ab ipsamet vita religiosa propter quam animae Deo consecratae suas exercent activitates.

Quoad propositionem 5, circa vitam contemplativam, observandum est quod ipsa maiore cum diligentia est promovenda in sua forma, ne submergi videatur a fluctibus impetuosis moderni activismi apostolici.

Liceat mihi indicare etiam in nostra Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis regione, pro suo activismo in campo tam civili quam ecclesiastico pernota, huiusmodi Instituta contemplativa numero ac fervore in dies florescere, quia iuxta probatas Fundatorum regulas et authenticum spiritum Ecclesiae comparantur.

Ideo sine notabili textus augmento, propositio 5 sic incipere posset: « Non obstante gravi hodierna necessitate actuosioris apostolatus, instituta vitae unice contemplativae virorum ac mulierum suas partes in Corpore Mystico Christi semper retinent ».

Tandem, censeo iustum esse ut Concilium plausu coronet orantium chorum animarum, quae speciali vinculo Deo sunt consecratae, et nobis pastoribus in universo grege nostro peculiare dant auxilium ad missiones nobis concreditas fructuose in Domino exercendas. Dixi.

Animadversiones additae:

In genere hoc schema mihi placet. Si nonnullae modificationes et clarificationes de aliquibus punctis fundamentalibus in textum introducuntur, hoc schema a Concilio accipi potest tamquam basis genuinae renovationis vitae religiosae in Ecclesia. Magni momenti est, venerabiles Patres, intellegere momentum huius schematis, quia, ut verbis Summi Pontificis Pauli VI utar, « Ecclesia magnam partem vigoris sui a florenti condicione vitae religiosae repetit ». Ergo hoc schema de rebus agit quae aeque pertinent ad bonum commune Mystici Corporis Christi atque illae quae hucusque in Concilio tractabantur.

Certo, sub diversis aspectibus renovatio vitae religiosae necessaria est, et quidem quoad internam indolem huius vitae et quoad apostolatum externum qui a religiosis exercetur. Hoc opus modernizationis seu « aggiornamento » inde a pluribus annis in familiis religiosis re vera peragitur. Nihilominus haec modernizatio praesupponit *veram naturam* vitae religiosae atque eius *munus essentiale* in Ecclesia ab omnibus intellegi atque protegi. Agitur de adaptatione secundaria et accidentali; non vero de ipsa essentia vitae religiosae mutanda. « Cavendum tamen est », ut verbis Papae Pauli VI iterum utar, « ne notio vitae religiosae, ut semper in Ecclesia viguit, obscuretur, atque iuvenes, cum de deligendo vivendi genere cogitant, aliquo modo praepediantur, propterea quod munus et momentum immutabile status religiosi in Ecclesia non amplius distincte et dilucide perspiciunt ».

Vita religiosa est vita dedicationis totalis Deo et illis rebus quae sunt Dei; est vita orationis; est vita sacrificii et abnegationis. Haec vita testimonium reddit quod regnum Dei non est de hoc mundo; quod testimonium nunc maxime Ecclesiae opus est.

Graviter igitur erraret qui vita religiosa cogitaret ac si nihil aliud esset quam forma apostolatus laicalis, in eo solummodo differens ab apostolatu laicali ordinario quod religiosi vota proferunt. Hic modus rem concipiendi confusionem ingereret inter duas diversas species testimonii, scil. inter testimonium christiani baptizati qui in saeculo vivit et agit et testimonium profundius religiosi qui etiam quando in mundo agit, tamen videndus est tamquam mundum transcendens. « Professio votorum evangelicorum adiungatur consecrationi quae propria est baptismatis, et hanc, quasi quaedam consecratio peculiaris, compleat, eo quod christifidelis se Deo penitus committit ac devovet, totam vitam suam efficiens eius unius famulatum » (Paulus VI).

Iamvero recenter aliqua scripta et dicta sunt de vita religiosa et de eius adaptatione condicionibus modernis quae in hanc confusionem incurrere videntur. Videntur nempe neglegere et quasi negare testimonium speciale quod vita religiosa Christo reddit. Uno vero haec scripta et dicta tendunt ad vitam religiosam destruendam.

Ut antea dixi, modernizatio vitae religiosae sane requiritur — quamquam etiam hic exaggeratio vitanda est — et praesertim apostolatus specialis religiosorum et religiosarum necessitatibus modernis aptandus est, sed semper et ubique conservandum est illud essentiale et specificum testimonium quod Christo redditur ab eis qui se in Ecclesia vitae unionis cum Deo, vitae abnegationis, vitae sacrificii devovent. Ea quae imprudenter de vita religiosa dicuntur et scribuntur, venerabiles Patres, magnum damnum etiam in praxi secum ferunt. Hoc cum plena mentis convictione asserere debeo. In casibus non paucis mens et spiritus religiosorum

et religiosarum his opinionibus perturbantur; dubitare incipiunt de valore ipsius vitae religiosae, de valore nimirum vitae paupertatis, castitatis et oboedientiae, orationis et poenitentiae in forma vigenti. Sat numerosi sunt qui adeo perturbantur ut vitam religiosam deserere velint.

In dioecesi Neo-Eboracensi adsunt plus quam 8.000 religiosarum. Hae optime testimonium vere speciale Christo reddunt. Est testimonium ex quo profluunt magni fructus spirituales pro catholicis dioecesis mei et quod insuper excitat quoque reverentiam ex parte acatholicorum. Attamen etiam in ipsa dioecesi religiosi non pauci insecuri sunt propter ea quae confuse et incaute et imprudenter proferunt circa modernizationem vitae religiosae in Ecclesia.

Debeo igitur rogare ut Concilium de vita religiosa disserens, in luce plena ponat tum indolem specialem vitae religiosae tum testimonium speciale quod sic tribuitur Christo in Ecclesia. Oportet ut hoc Concilium coram toto mundo proclamet valores essentiales oboedientiae, paupertatis et castitatis religiosae. Lucide enuntiet veram necessitatem pro Ecclesia huius vitae sacrificii, orationis, abnegationis et poenitentiae. Omnino cavendum est ne vita religiosa confundatur cum aliis formis vitae christianae in Ecclesia, quantumvis in se bonis.

Moderator: Proxima congregatio erit cras, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

Quoad schema de Ecclesia in mundo huius temporis

Cap. IV

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

Quoad schema de Ecclesia in mundo huius temporis

Cap. IV *

1

Em.mus P. D. IOSEPH card. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

Omnibus illis quae dicebant em.mi ac rev.mi cardinales Ioseph Leo Suenens et Aemilius Léger in congregatione generali 112 de par. 21 emendanda et de studiis accuratis inaugurandis et de commissione peritorum speciali formanda, ego infrascriptus tota mente et corde adsentior.

Insuper ac imprimis, peto ut supradicta commissio, suo munere quam primum incepto, progressum operis renuntiet omnibus episcopis ante mensem maium completum; desiderandum est enim ut omnes episcopi informationes novissimas recipiant et sententias proprias exprimant commissioni ante inceptionem quartae sessionis conciliaris.

Liceat mihi gratias agere commissioni existenti pro suo labore et fidem exprimere eius laboribus futuris.

Par. 25, p. 31, linn. 2-8. I find this statement to be somewhat less than satisfactory. In my judgment, it should be deleted as *meaningless, harmful,* and perhaps *dangerous.* Consequently, this whole section should be completely rewritten.

The statement is *meaningless.* For all practical purposes, it condemns arms which do not exist. It is an incontrovertible fact that every nuclear power has devoted a large segment of its research and experimentation to the precise end that it might be able to measure and to control the effects of atomic and thermonuclear weapons. It may be true that the "aestimari" and the "temperari" of the schema are to be understood in entirely different senses; but who is to know that? And if these words of the schema are to be understood in the sense of reasonable (according to right reason) control, we must face the fact that the statement then resolves itself into a somewhat meaningless tautology.

The statement can easily prove *harmful,* at least in the sense that it will produce more harmful effects than good. There is no doubt in my

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt, quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio interrupta est.

mind that neither nuclear warfare nor the use of nuclear weapons can be morally justified, even for defensive purposes. My concern is whether or not the Council should make a statement to that effect. From the condemnation of nuclear warfare there follows logically and necessarily the condemnation of nuclear preparedness, for it involves either the intention of using nuclear weapons or the danger and practical inevitability of using them at some time in the future. Ultimately, such a condemnation will create painful and harmful crises of conscience for many men of good will. On the one hand, they will know the practical necessity, for the good of their nation and of the world, of cooperating in a strong preparedness program; on the other, they will be faced with the Council's condemnation of nuclear weapons which ultimately entails a condemnation of their cooperation in any nuclear arms program. Will the Council help to solve this crisis?

The statement may well prove *dangerous* to the peace of the world. In point of fact, the greatest deterrent to war at the present time is the distribution of nuclear potential. We do not and cannot know fully the attitudes and intentions of those leaders whose nations possess this potential for nuclear warfare. If the Council's statement has any effect, it may well disturb that delicate balance which has maintained the peace. Certainly, we can not hope for such an effect. And is there any sense at all in issuing a statement whose effects, we hope, will be nil?

The Council can not take up the problem of "peace in our times" without adverting more or less explicitly to the cold-war conditions which actually exist. Nor can it ignore the immense danger to the very existence of the human race and civilization which is inherent in the frantic arms race of the last twenty years. But, if the very immorality of nuclear warfare demands that the Council condemn it explicitly, does it not follow that the same holds true for nuclear preparedness and all cooperation therein? It seems to me that either we must announce the moral law as it applies to all aspects of the problem or we must find some other dimension in which to discuss the question of war and peace.

It is the latter alternative, in my judgment, which should guide our thoughts in this section of the schema. In this section of the schema, as in others, we can be satisfied with a simple declaration, as a starting point, of what is evident to and accepted by most thoughtful men: that nuclear warfare can be the solution to no problems. Upon this the schema should then strive to inculcate a sense of need for a more realistic solution, no matter how costly, to the cold-war problem and to make an appeal to all to seek not only a peaceful coexistence but a positive communion among nations.

2

Exc.mus P. D. IOSEPH A IESU ALBA PALACIOS
Episcopus Tehuantepecensis

In praesenti disputatione videtur necessarium praescindere ab annexis, quorum partes magni momenti erunt inserendae in schema, alia forte notis relinquenda.

Ad nn. 21 et 24, ante omnia postulandum ut in unum redigantur et clarius in ipsis indicetur spes in Dei providentia, qui non potest auxilio gratiae suae potentissimae destituere eos omnes coniuges qui vita supernaturali viventes faciunt quod in ipsis est ad legem Dei servandam in coniugio, humili subiectione verbo Dei ab Ecclesia promulgato, oratione, crucis amore sincero et usu mediorum gratiae, ut docuit S. P. Pius XI sollemnibus verbis Conc. Tridentini (*A.A.S.*, 1930, pp. 559 et 679). Clarius profitendum etiam agi in casu praesenti de lege Dei naturali quae neque ab ipsa Ecclesia mutari potest, si sit certo cognita.

Quoniam vero rem difficillimam in schemate tractamus et eam theologice tractare debemus, recolenda sunt quaedam principia generalia ad quae theologus attendere debet.

In Conc. Vaticano I Ecclesia infallibiliter docuit (D. 3005) ea quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt a Deo revelata fuisse ut in praesenti quoque hominis condicione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possent. Duplicem esse ordinem cognitionis, sed nullam veram dissensionem inter fidem et rationem esse posse. Inanis huius contradictionis species inde potissimum oriri, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Agnoscit Ecclesia rationabilem autonomiam scientiarum, artium et culturae, simul autem proclamat suum officium invigilandi ne errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea quae sunt fidei, occupent et perturbent, quapropter monet omnes de officio servandi etiam constitutiones et decreta quibus pravae opiniones a Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt (D. 3015-3045).

Inter veritates ordinis naturalis cum primario revelatis connexas inveniuntur etiam illae quae ad ordinem moralem et socialem spectant, ita ut neglectus doctrinae magisterii Ecclesiastici his in rebus reducatur, ut asseruit Pius XI in Enc. *Ubi Arcano Dei* (*A.A.S.*, 1930, p. 696) ad quemdam modernismum non minus exitialem quam modernismus theologicus. Similiter locutus est Pius XII in Enc. dogmatica *Humani Generis* (D. 3875) in qua determinavit naturam muneris theologorum et eorum obligationem attendendi ad Magisterium eique vero et interno assensu adhaerendi, etiam quando non exercet supremam suam potestatem.

Neque singulis fidelibus neque ipsis theologis divinus Redemptor concredidit fidei depositum authentice interpretandum, sed soli Ecclesiae Ma-

gisterio, de quo, etiam de magisterio ordinario valent verba Domini: « Qui vos audit, me audit » (*Lc.* 10, 16). Non explicanda clara ex obscuris, sed contrarium ordinem sequi necesse est. Nobilissimum theologiae munus est ostendere quomodo ab Ecclesia definita doctrina contineatur in sacro deposito, eo ipso sensu quo definita est (D. 3881, 3882-3886). Neque obliviscendum est nos approbasse sententiam qua exegetis munus altissimum agnoscitur adlaborandi ad hoc ut praeparato studio futura Ecclesiae iudicia maturentur (*De Revelatione,* cap. III, n. 12).

Idcirco tanti facit Ecclesia Theologos qui, ut S. Thomas et S. Bonaventura aliique Ecclesiae doctores maximum studium depositi fidei declarandi scientifica doctrinae expositione simul cum maxima docilitate erga vivum magisterium coniunxerunt, ita ut, post S. Scripturam, et Patres, eorum opera manuductionem securissimam ipsis Apostolorum successoribus in sollemni vel ordinario magisterio suppeditaverint (Leo XIII, Enc. *Aeterni Patris*).

Iudicia Ecclesiae sollemnia necnon indubitabilis fidei professio ab ordinario magisterio episcoporum per orbem dispersorum, sed fideliter Successori Petri adhaerentium est infallibilis; sed etiam clare propositae doctrinae Ecclesiae, praesertim Summi Pontificis, debetur internus et religiosus assensus, maioris vel minoris gradus pro rei natura et vi documentorum quibus exprimitur, praestandus etiam a theologis et fidelibus in quacumque arte peritis, si ipsis sufficientia argumenta non appareant inexactitudinis aut erroris in actibus Magisterii authentici non infallibilis. Simili reverentia accipiendum magisterium episcoporum, praesertim si collectivum et fere commune.

In Enc. *Humani Generis* dicitur: « Quodsi Summi Pontifices in actis suis de re hactenus controversa data opera sententiam ferunt, omnibus patet rem illam, secundum mentem et voluntatem eorumdem Pontificum, quaestionem liberae inter theologos disceptationis iam haberi non posse » (D. 3885).

Ideo quando Romanus Pontifex non intendit data opera sententiam ferre, libere adhuc potest inter theologos disputari, et ita explicatur sententiam de duplici vel unico fonte revelationis esse liberam, dummodo agnoscantur existentia et vera natura tum S. Scripturae tum divinae Traditionis; ita etiam explicatur quasdam doctrinas mariologicas non imponi fidelibus, etiam si saepe in documentis pontificiis contineantur.

Ad rem autem nostram accedendo, dicamus: doctrina expresse et sollemniter proclamata a Summo Pontifice Pio XI in Enc. *Casti connubii,* quoad intrinsecam et legi naturali contrariam malitiam cuiuslibet usus matrimonii in quo exercendo, actus, de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituatur (*A.A.S.,* 1930, p. 559 s.) etsi forte non possit dici definitio ex cathedra nec doctrina absolute infallibilis (ut magni theologi Vermeersch et Hürth dixerunt), practice est habenda ut irretractabilis, eo vel magis quod Summus Pontifex voluit opponere doctrinam semper constantem in Ecclesia novae sollemnique praedicationi novatorum ab anglicanis admissae.

Mirum est quod in re tanti momenti non proponatur doctrina Enc. *Casti Connubii* iisdemque verbis, sed eius vis emolliatur et quidem ad eam attendatur non in textu schematis, sed in annexis. Summus Pontifex Pius XII voluit authentice interpretari et applicare ad casus magis particulares doctrinam sui praedecessoris Pii XI, praesertim allocutionibus ad Obstetrices (*A.A.S.,* 1950, pp. 843 ss.) et ad Hematologos (*A.A.S.,* 1958, p. 743), et quidem non dubitanter sed cum firma exclusione et reprobatione opinionum quorumdam theologorum.

Cur ergo ad doctrinam Summi Pontificis Pii XII non attenditur neque etiam ad ipsam invenimus allusionem in schemate neque in annexis?

Scimus quidem aliquos considerare solutionem propositam a Pio XII ut provisionalem, sed nescimus quo iure hoc faciunt. Forte quia agitur de allocutionibus tantum?

Etiam allocutione quadam Pius IX approbavit doctrinam episcoporum Germaniae circa potestatem episcopalem ut authenticam interpretationem Concilii Vaticani (D. 3112-3117), et alia vice declaravit irrefragabiliter matrimonium inter baptizatos semper et inseparabiliter habere dignitatem sacramenti, excludendo eo ipso opinionem quorumdam theologorum.

Forte quia retractanda est sententia Summi Pontificis Pii XII, attento progressu scientiarum naturalium et socialium qui commostret hic a S. Pontifice non bene fuisse applicata principia ad circumstantias magis particulares, vel quia alia de re locutus est diversa ab ea quae in toto mundo disputatur?

Tunc videretur necessarium hoc aperte dicere post examen accuratissimum totius rei, hoc autem sibi reservasse videtur Summus Pontifex feliciter regnans.

Ergo, vel nihil proponatur in schemate de hac re, ante determinationem Summi Pontificis, vel unice post ipsum dicamus nondum haberi sufficientes rationes ad recedendum a normis propositis a S. P. Pio XII quasi iam superatae et non obligatoriae forent.

Etiam attendatur in discussione et in commissione ad magisterium episcopatus plurium nationum quod iudicium suum pronuntiavit.

Episcoporum Angliae et Galles et declaratio episcoporum Neerlandiae.

Scimus quanti fecerint Summi Pontifices testimonium episcoporum in definitionibus dogmaticis marianis; quanti in rebus socialibus, v. g. Pius XI in Enc. *Quadragesimo Anno.*

Ulterius dicendum. Methodus vera theologica, quoad interpretationem documentorum magisterii ecclesiastici procedere debet ab ipso documento, in sensu obvio et in contextu historico, necnon ab interpretatione authentica, si quae adsit; videndum est etiam utrum fuerint valoris absoluti et infallibilis, vel tantum normae prudentiales et transitoriae.

Si agatur de explicanda definitione doctrinali infallibili, quaerenda imprimis est intentio docentis et etiam quaerendus sensus in quo voluit definire quaestionem quamdam, secundario autem quibus argumentis ex S. Scriptura et Traditione innitatur in ipso documento.

In definitionibus generatim non extenditur infallibilitas ad ipsa argumenta et ad determinandum irrevocabiliter sensum S. Scripturae vel documentorum Traditionis quae allegantur, ideoque assistentia Spiritus Sancti non pervenit usque ad propositionem rationum quibus fulcitur definitio; aliis verbis, infallibilitas non pendet proprie a ratiocinationibus neque a firmitate quam thesi cuidam confert determinata expositio sensus S. Scripturae et Traditionis, sed infallibilitas pendet ab assistentia Spiritus Sancti organo magisterii in adiunctis explicatis a Conc. Vaticano I.

Absolute possibile est argumenta proposita a magisterio, ut illustratoria decisionis non esse omnino convincentia, ideoque textus S. Scripturae et monumenta Traditionis aliter interpretari posse, sed non exinde infirmari potest vis definitionis doctrinalis vel eius sensus modificari: poterit perfici et compleri, sed non interpretari in sensu diverso.

Quando actus magisterii non pollent infallibilitate, praecipue quia non constat ipsum voluisse infallibiliter definire, potest actus retractari a competente auctoritate, vel etiam ita constare potest doctrinam non fundari sufficienter in deposito fidei et contra se graves habere difficultates, ut assensus vel singuli theologi vel totius populi fidelis non sit obligatorius.

In casu praesenti, quoniam S. Pontifex Pius XII non infallibiliter, sed certo authentice voluit finire quaestiones inter theologos discussas, etiam aliquorum improbando opinionem, nisi aperte constaret Pontificem excessisse in proclamatione determinatae doctrinae moralis, eius sententia habenda est ut firma, eo vel magis quod ab eius successore ita approbatur.

Verum est Summum Pontificem Paulum VI locum dare ulteriori propositioni ab ipso factae, sed interea dicit non apparere rationes ad discedendum a magisterio S. P. Pii XII in casu.

Proportionaliter dicendum: si temerarium foret sustinere simpliciter, pro nunc, polygenismum (ut dixit S. Pontifex Pius XII in Enc. *Humani Generis*), non tutum videtur recedere a declaratione legis naturalis ab ipso facta, dum agitur de re quae ad mandata Dei pertinet: opposita opinio quae defendit liceitatem actuum qui a Pio XII fuerunt iudicati intrinsece inhonesti, videtur tuto doceri non posse in praesenti rerum statu et promulgatione actuali doctrinae Ecclesiae.

Quoad valorem opinionum virorum in scientiis profanis excellentium, tenendum quidem est omnia quae ab ipsis demonstrata sunt esse admittenda, eo quidem pondere demonstrationis scientificae quod materia exigat, iudicium autem de moralitate esse proferendum in lumine revelationis et legis naturalis, ratiocinatione morali ad deductiones et casus particulares applicatae.

Qui naturalibus scientiis incumbunt auctoritatem habent in campo proprio, sed eorum magisterium valet quatenus argumentis certis in propria specialitate fulcitur. Si de re morali iudicia ferre volunt, eorum sententia eatenus valet quatenus ratiocinio naturaliter valido ordinis moralis vel argumentis theologicis fulcitur, independenter a specialitate scientifica quae alia

methodo veritatem prosequitur et ad aliud tendit obiectum, in qua ipsi sint periti.

Certe accidere potest quaedam iudicia moralia, etiam magisterii authentici non infallibilis, esse inexacta vel etiam falsa, ex ignorantia disciplinarum humanarum et defectu cognitionis doctrinae revelatae in determinatis adiunctis, sed hoc non est supponendum nisi probetur sufficienter, quando clara intentio magisterii fuit aliquid certo docendi.

Ex circumstantiis historicis explicavit S. P. Pius XII exaggeratam doctrinam superioritatis potestatis spiritualis supra temporalem, quam tenuit Bonifacius VIII quamvis in Bulla *Unam Sanctam,* habeatur infallibilis definitio necessitatis ad salutem subiectionis omnis humanae creaturae sub Romano Pontifice (et quidem ratione peccati ut ipse Bonifacius declaraverat) (D. 875).

Potestne admitti sententiam Pii XII circa matrimonii usum, quam proposuit in notissimis allocutionibus, saltem quatenus excedit et magis particulariter determinat doctrinam Pii XI (Enc. *Casti connubii*) iam evacuatam fuisse vi sua obligatoria ex perspecta evolutione quaestionis, in lumine scientiarum naturalium, socialium et psychologicarum?

Non ita censet Summus Pontifex feliciter regnans (*A.A.S.,* 1964, p. 588), qui ait praedictas normas habendas esse validas, quoadusque ipse Romanus Pontifex eas in conscientia autumnet esse modificandas.

Ideo vel praescindendum est ab hac quaestione in schemate XIII, vel transcribenda ipsissima verba Summi Pontificis. Agere ex professo in Concilio de ethica coniugali et simul praescindere a normis quas Pius XII proposuit, esset practice earum valorem negare ut aliqui theologi fecerunt, et post ipsos publicistae etiam catholici (v. g. HÄRING, *Hechos y dichos mense octobre 1964*).

Silentium in re mere theoretica vel re practica minoris momenti, potest significare unice rem non esse maturam ad tractandum vel non esse opportunam actualem tractationem; in re praesenti videretur implicita saltem improbatio doctrinae Pii P. XII et duceret forte ad violationes legis divinae quae imputabiles essent, saltem indirecte, negligentiae Magisterii Ecclesiae vivi.

De obligatione coniugum assentiendi magisterio Ecclesiae, vix aliquid dicitur in annexis sufficienti claritate, et quidem per transennam.

Modus loquendi in schemate hac de re videtur appropinquare sententiae anglicanorum quam reprobavit Pius XI in Enc. *Casti connubii* nec longe abesse a placitis fautorum moralitatis situationis quam exclusit S. Pontifex Pius XII (*A.A.S.,* 1952, pp. 273 et 414).

[*Subsignaverunt etiam*] L. Cabrera Cruz, ep. San Luis Potosí; J. Manrique, ep. Orurensis; F. Romo G., ep. Torreón; S. Quezada, ep. Aguascalientes; F. A. Marrocco; J. Nepote, ep. tit. Elo; S. Ruiz, ep. Chiapas; J. Reddington; L. Audet, aux. Québec; C. Quintero Arce, ep. Ciudad Valles; Fidelis, ep. Chilapa; I. L. Arroyo, ep. Tuxpan; Alfonsus, ep. Papantla; S. Méndez Arceo, ep. Cuernavaca;

R. Arrieta V., ep. Tilaran; F. Santiago Benítez, aux. Assunción; F. Valenzuela, ep. Antofagasta; A. Lorscheider, ep. Santo Angelo; M. Talamás Camandari, ep. Ciudad Juárez; A. Lopez Aviña, arch. Durango; J. E. Robles, ep. Tulancingo; E. Corripio A., ep. Tampico; A. Szymanski, adm. ap. San Andrés Tuxtla; V. Alvarez Tena, ep. Apatzingán; R. Ayala, ep. Tehuacán; J. M. Pericone; M. Longo Dorni, ep. Pistoia; J. Navarrete, arch. Hermosillo; P. Bantigue; F. Gomez, arch. Antequera; M. Lopez, arch. Japala; P. Muñoz Vega, coad. Quito; L. Manresa Formosa, ep. Quezaltenango; J. Alí Lebrún, ep. Valencia; J. J. Bernal Ortiz, arch. Ciudad Bolivar.

3

EXC.MUS P. D. ALOISIUS ALMARCHA HERNÁNDEZ
Episcopus Legionensis

In cap. IV huius schematis, ubi de praecipuis muneribus christianorum in mundo huius temporis, in vita oeconomica et sociali, et de « solidarietate » familiae populorum promovenda, tractatur, nihil dicitur de aequitate sociali, de qua tum Pius XII tum Ioannis XXIII locuti sunt.

Aequitas enim, ut virtus socialis, est quid fundamentale in campo amplissimo solidarietatis humanae. Ea igitur inseritur quod aequum et conveniens est ad relationes sociales rite promovendas tum in ambitu nationali tum in ambitu internationali.

Aequitas est virtus intermedia inter iustitiam et caritatem. Ex iustitia participat quia aequitas est quaedam « adumbratio seu ratio iuris », quae homines impellit ad praestandum quod aequum et conveniens est ad relationes sociales humaniores constituendas et firmandas. Aequitas est, ut ipse Ioannes XXIII dixit, « postulatio humanitatis » (cf. *Mater et Magistra*).

Ex caritate, aequitas sumit amorem, ut virtutem naturalem, prout in omnibus hominibus inveniri potest, etsi anima eorum ad fidem nondum aperta sit. Aequitas est amor ex ipsa solidarietate naturali hominum emanans. Christianus vero, hunc naturalem amorem ad ordinem supernaturalem elevando, aequitatem in caritatem convertit.

Aequitas, iam antequam appareat miseria et indigentia, in vita sociali existere debet ut non desit in relationibus hominum sensus verae humanitatis. Campus proprius aequitatis est « aequum et conveniens ».

Iustitia, relationes humanae fiunt possibiles. Aequitate, fiunt humaniores. Caritate, humanissimae seu christianae fiunt.

Homines pauperes et humiles, qui maiorem partem societatis constituunt, frequenter ignorant leges sociales; attamen vocem naturae audiunt in se ipsis intus impressam, quae vitam vere humanam exigit, eorum dignitati personali respondentem.

Aequitas etiam humanam promotionem postulat, quae possibilem faciat humanam plenitudinem, filio Dei convenientem. Hoc est quod in ps. 118 a Deo postulatur: « Ecce concupivi mandata tua: in aequitate tua vivifica me ».

Aequitas est virtus regulans convenientem distributionem omnium bonorum ad vitam socialem humaniorem reddendam.

Pius XII eam proponit ut norma ad congruam distributionem bonorum materialium. Ita in Litt. Enc. *Sertum laetitiae,* ait: « Bona quae pro hominibus universis Deus creavit, aequa ratione ad omnes affluant, iustitia duce, caritate comite ».

Ioannes XXIII iudicavit « ad iustitiae aequitatisque normas revocandas esse » regulationes omnium relationum in campo oeconomico-sociali, tum « inter opifices et moderatores societatum bonis parendis », tum inter « varia rerum oeconomicarum genera », ad hoc praesertim « ut discrepantiae... tollantur penitus, vel saltem imminuantur » et « populares multitudines inopia et fame » laborantes, debitis subsidiis iuventur (cf. *Mater et Magistra*).

In hoc campo aequitatis socialis, Ecclesia potest suas partes habere aequo iure ac in campo caritatis. Agitur enim de doctrina et de normis statuendis tum ad individuorum tum ad societatis conscientiam formandam.

Ergo aequitas socialis inseri debet in hoc schemate ut una ex praecipuis normis quibus christiani in mundo huius temporis operari debent.

Aequitas equidem est norma humanissima quae in nullo programmate sociali adhuc superata est et quae implet omnes hominum aspirationes in conformitate cum eorum dignitate personali.

Concludendo, igitur, proponitur ut in cap. IV huius schematis, nn. 23 et 24, ubi « de vita oeconomica et sociali » et de « solidarietate familiae populorum promovenda » agitur, loquatur de aequitate, simul ac de iustitia et caritate, ut in allatis documentis pontificiis fit sermo.

Et hoc ita, si placuerit, fieri potest: 1) In pag. 27, alinea 20-21, ita dicatur: « Cum procul dubio hodie differentiae oeconomicae et sociales multis rebus graviter contradicunt tum iustitiae tum aequitati ... ». 2) In pag. 29, alinea 5, dicatur: « Omnino certum est gravissima iustitiae necnon aequitatis et caritatis obligatione... ».

4

EXC.MUS P. D. ADALBERTUS ALMEIDA MERINO

Episcopus Zacatecensis

Pag. 33, in nota n. 5 ad 2 « ... et America Latina, ubi matrimonium tamquam inutile et invalidum consideratur propter defectum involuntarium prolis; ... ». Haec assertio non videtur vera. In México numquam audivi neque a fidelibus, neque a sacerdotibus vel episcopis quid simile. Quaesivi etiam confratri episcopo ex Argentina et idem mihi testificavit: « hoc in mea Patria non auditur ». Ergo si tali modo generali hoc asseritur, falsum est. Rogo ut illa nota admoveatur vel reducatur ad limites veritatis.

5

Exc.mus P. D. ALFREDUS ANCEL

Episcopus tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis

Quae dicturus sum directe sese referunt ad n. 23, sed etiam sese extendunt ad n. 24, quia uterque de quaestionibus oeconomicis et socialibus agit, sive in campo nationali, sive in campo internationali.

Quae autem in his numeris scripta sunt mihi omnino placent, sive quoad doctrinam quae exponitur, sive quoad spiritum vere evangelicum qui totam hanc doctrinam profunde penetrat.

At textus noster adhuc melior efficeretur si explicite fundaretur in ipsa Revelatione divina. Non sufficeret aliqua citatio S. Scripturae ad illustrandam doctrinam, sed ostendi deberet quomodo nostra doctrina in verbo Dei fundetur. Sane doctrina socialis Ecclesiae perfecte respondere debet exigentiis iuris naturalis, sed haec conformitas non plene sufficit. Oportet enim ut doctrina Ecclesiae ultimo fundetur in revelatione divina.

Certe non est facilis usus Sacrae Scripturae in tali materia. Non inquirendae sunt in verbo Dei solutiones practicae problematum oeconomicorum aut socialium, neque ullo modo revelatio divina supplet inquisitiones morales aut technicas, sed in S. Scriptura inveniemus lucem qua egemus ad illuminandam omnem inquisitionem. Insuper in S. Scriptura inveniemus vires quibus indigent homines ut voluntati Dei plene sese conforment. Doctrina socialis quae unice in iure naturali fundaretur maximo sane gauderet valore sed, de facto, insufficiens evaderet ad solvenda problemata concreta.

Forsan timebunt aliqui ne praesentatio doctrinae socialis in verbo Dei fundatae non-christianis offendat. Parcite mihi, Patres, sed contrarium puto! Quod enim nobis improbant non-christiani non est Evangelium Christi sed infidelitas nostra relate ad Evangelium. Quoties haec audivi a non-christianis! Non tamen putandum est quod ideo ad Christum convertentur, sed libenter, in genere, doctrinam Evangelii accipient, et nobiscum secundum spiritum Evangelii operabuntur.

Quod autem ad christianos spectat, magis adhuc convenit fundamentum biblicum doctrinae socialis. Iis qui hanc doctrinam iam amplexî sunt, haec praesentatio biblica lucem, fortitudinem et gaudium afferet. Sic enim conscii erunt se posse, etiam in rebus oeconomicis et socialibus, tanquam discipulos Christi conversari. Iis autem qui huic doctrinae opponuntur quasi esset mere humana aut quasi Ecclesia, eam docendo ex campo suo exiisset, haec praesentatio sanum timorem afferre posset. Quis enim auderet se profiteri christianum, si verbis Christi sese opponit?

In secunda autem parte orationis meae aliqua vellem praebere exempla quibus ostenderetur quomodo uti debeamus S. Scriptura in quaestionibus oeconomicis aut socialibus.

Quae de spiritu paupertatis docentur in Evangelio, mihi videntur omnino necessaria ut in praxim deducantur sive vere humana organizatio laboris, sive iusta et aequa repartitio fructuum laboris, sive tandem subiectio totius oeconomiae exigentiis veri boni communis.

Quomodo enim quis cupidine beneficii pecuniarii detentus aut sollicitudine semper magis producendi oppressus, poterit exigentias iustitiae socialis prospicere eisque oboedire. Caecus erit et non poterit recte ambulare. Quondam audivi peritum in rebus oeconomicis dicentem mihi: « Sine paupertate evangelica, impossibilis semper erit iusta repartitio bonorum in mundo, tam in campo nationali, quam in campo internationali ». Ad omnes, et non tantum ad apostolos dixerat Iesus: « Qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus » (*Lc.* 14, 25. 33).

Item quae in Evangelio dicuntur de spiritu humilitatis et servitii mihi videntur omnino necessaria ad statuendas relationes vere humanas inter homines qui in eadem laborant officina. Certissime auctoritas necessaria est in officinis sed qui praesunt loqui et agere debent cum operariis tanquam cum aequalibus coram Domino, scientes quod illorum et ipsorum « Dominus est in caelis et personarum acceptio non est apud eum » (*Eph.* 5, 9). Non ergo tanquam instrumentis utantur hominibus sed in fraterna cooperatione cum omnibus laborent. Neque tanquam duros aut dominantes sese exhibeant sed tanquam servos factos fratrum suorum ad exemplar Domini.

Et quid dicam si agitur de pauperibus? Numquid sufficienter praedicavimus quae nos docuit Dominus de Lazaro et divite aut de iudicio ultimo? Numquid sufficienter prolati sumus vocem Domini clamantis: « Fame pereo »? Et haec quibus praedicamus? Non sufficit enim manifestare doctrinam Domini membris associationum caritatis, sed omnibus manifestanda est praecipue autem divitibus et potentibus huius mundi, ut salvi fiant et praeceptis iustitiae socialis toto corde oboedire possint. In regione pauperrima Americae Latinae audivi sacerdotem dicentem mihi: « Divites huius mundi adivimus ut pecuniam ab eis accipiamus; hodie aliquando eos contumeliis afficimus; quandonam, vero cum amore, eos evangelizavimus? ».

Ultimatim, aliqua vellem enuntiare de communione fraterna qualis in Scriptura docetur. Recordamini quae in Actibus Apostolorum dicuntur de primis christianis: « Neque enim quisquam egens erat inter illos; quotquot enim possessores... afferebant pretia eorum quae vendebant et ponebant ante pedes apostolorum. Dividebatur autem singulis prout opus erat » (*Act.* 4, 34. 35). Certe erraremus si quaereremus in hoc modo agendi solutionem oeconomicam nostrorum problematum; sed talis modus agendi valorem propheticum praebet. Non poterunt problemata oeconomica solvi, si mere considerabuntur in se sine respectu ad exigentias communionis fraternae. Ibi ergo lucem habemus ut solutiones technicas vere humanas possimus invenire.

Item in campo internationali lucem nobis praebet sanctus Paulus in sua secunda epistola ad Corinthios, ubi loquitur de eleemosina pro paupe-

ribus Ierusalem. In primis evocat exemplum Christi qui, cum esset dives, propter nos egenus factus est, ut illius inopia nos divites essemus (cf. 8, 9) deinde pergit dicendo: « In praesenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestrae inopiae sit supplementum, ut fiat aequalitas » (14). Non ideo praescripsit Paulus, nescio quem sic dictum « egalitarismum » sed spiritum communionis fraternae in plena luce ponit.

Nonne esset inutilis pro mundo disputatio nostra de communione spirituali in Ecclesia si haec communio non manifestaretur in modo repartiendi bona terrena inter omnes homines, secundum voluntatem Patris eorum.

Conclusio mea erit in narratione alicuius dicti: Quadam die, tradiderat aliquis christianus amico non-christiano textum sermonis Domini in monte. Hic non-christianus legit textum et reversus est, profunde commotus, dicens: « Si haec omnia in praxim deducerentur, omnia in mundo mutarentur ». Quod faciat Deus.

6

Exc.mus P. D. ANTONIUS AÑOVEROS ATAUN

Episcopus Gadicensis et Septensis

Ad n. 23. Proprium Concilii est principia communia proferre quae opportunam praebeant applicationem in casibus singularibus.

Praetermittere autem non possumus mundi laboris aerumnas et acerbas multoties conditiones, quae ex Concilio postulant normas concretas, in quantum fieri possit, quibus, in aspectu sociali, obligationes conscientiae statuantur.

Vestrae attentae considerationi et etiam determinationi, venerabiles Patres, hanc quaestionem fidenti animo submitto.

Normae in schemate statutae quae attinent ad arduam et gravissimam quaestionem socialem mundi huius temporis, nimis generales et abstractae videntur, eaeque omni vigore carentes ad conscientiam in earum obligatione, urgendam.

N. 3 respiciamus. « Evolutio oeconomica est vere humana, si, secundum rerum et temporum adiuncta, necessitatibus cotidianis et praecipuis hominis ita succurrit ut tota persona humana, quae altiora anhelat, inde proficiat, sancte semper servata personarum, familiarum ceterorumque coetuum iusta libertate, ratione habita boni communis ».

Num confidere possumus hanc formulam ita ambiguam stimulare posse patronos ad graves obligationes sociales solvendas, et urgentibus necessitatibus satisfacere, quibus nonnulli coetus proletariorum versantur?

Similiter dicendum est de recommendationibus nn. 4, 5 et 6. « Ipsae autem formae et institutiones novis condicionibus continenter prudenter ac fortiter adaptandae sunt, ut semper conformes sint naturae et finibus illorum

bonorum quippe quae verae omnium hominum utilitati et ipsi unitati fovendae destinentur ».

« Cum procul dubio hodie differentiae oeconomicae et sociales multis in rebus graviter contradicunt iustitiae sociali et essentiali unitati generis humani, omnes sane conatus suscipiendi sunt, ut, iuribus personae humanae servatis et ratione habita propriae indolis uniuscuiusque populi, eiusmodi discrimina quam citissime minuantur, et tandem aliquando removeantur.

Cum oeconomicus et socialis progressus fontem et vim sumat ex socia hominum actione, irrationabile et iniustum est progressum istum quaerere excludendo operarios, quaecumque est forma laboris eorum, a iusta perceptione fructuum laboris communis, et redigendo eos quodammodo in servitutem sub iugo propriorum operum », « ut operarii universi in vita officinarum vere et efficaciter agnoscantur ut socii in communi opere ».

Admodum plura dixerunt Romani Pontifices Leo XIII, Pius XI, Pius XII et Ioannes XXIII.

Et adhuc non desunt catholici qui suam individuam utilitatem, suum unicum commodum quaerunt, et activitatem suam, proprium bonum tantummodo respicientem, tenaciter servant. Hoc certe, contra bonum sociale est cum hi catholici signo oeconomiae liberalitatis infecti sint.

Quid igitur faciendum? Submisse existimo, Concilium respondere debere anxietati operariorum.

Quomodo? Ex una parte, doctrinam altius elaborando. Potius respondeamus concrete iis quibus satisfieri possit. Et potissimum remedium praebeatur necessitatibus urgentioribus.

Existimo conscientiam catholicorum serio gravandam esse, necnon omnium hominum bonae voluntatis, ut magnanime adimpleant sua munera ad iustitiam socialem respicientia.

Radix concretionis esse posset: 1. Quaenam elementa iustitiam socialem constituunt? Nimirum salarium sufficiens. Nonne et beneficiorum participatio, et salarium familiare, et socialis praevisio sunt elementa integrantia iustitiae socialis? Nonne consentaneum esset ut aliquid de his Concilium diceret?

2. Non id consequemus ut statuatur iustitiam socialem partem esse iustitiae commutativae?

3. Si vero iustitia socialis iustitiae commutativae pars est, quibus obligationibus conscientiae adstringuntur transgressores erga fraudatos? Aliquae determinationes quamvis minimae sed clarae et concretae, si possibile sit, ad hoc desiderantur, similiter ad iura proprietatis privatae attinentes, quae, licet possit, officiis socialibus non satisfacit. Nonne responsum esset Concilii in ordine pastorali mundo laboris ita indigenti omni conscientiae socialis, et intelligentiae et considerationis et iustitiae?

7

EXC.MUS P. D. IGNATIUS ARBULU PINEDA

Episcopus Huanucensis

In schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* (*Adnexa*) agitur, et quidem bene, in genere, de Matrimonio et Familia (*Adnexum II*), sed meo humili iudicio in considerationes elevationis moralis, quasi cum sapore mystico, incidit. Non omnes fideles proh dolor! ad vitam matrimonialem ferendam tanta cum morali altitudine optime parati sunt.

Et etiam verum est, tantum in istis quantum in aliis aspectibus formationis vitae christianae, nos omnes Pastores animarum — a me ipso incipiendo — aliquam culpam habemus quia non cum omnibus viribus nostris in apostolatum nostrum laboramus...

Brevitatis causa ad punctum ibo. In pag. 21, n. 6, agitur de foecunditate matrimonii, videtur hic, speciatim in pag. 22, linn. 33 et ss., ubi de continentia periodica loquitur, aliquid dicere de « anticonceptivis » (ut dicunt), modo expresso de quaedam pillulis quae — ut satis notum est — in aliquibus locis, iam in usu sunt.

Ad rem fideles aliquod verbum, aliquam moralem orientationem spectantes spectant.

Ex pastorali experientia nostra obiectiones quae saepe saepius contra methodum continentiae periodicae, vel rythmicae (Ogino-Knaus) a fidelibus allatas satis cognoscimus.

Applicatio huius methodi non omnino secura effectivaque est, dicunt. De ipsa applicatione sorpresas in elevato per centuario, exoriuntur. Medici eminenti ita etiam affirmant. Data occasione nomina eorum pandere possumus.

Ista de causa conveniens videtur aliquid ad rem dicatur, speciali modo, ut dictum est, in sua morali transcendentia. Contrario fortasse in stuporem, melius dicam, in dubium, fideles evadant.

Multoties ista vel similia argumenta de ore fidelium audivimus: « Ob notissimas oeconomicas difficultates hodiernas non possumus multos filios alere et educare... vos omnes sacerdotes, permagnam realitatem nostri problematis nescitis, quia data particulari conditione vitae vestrae, sine ullis uxoratorum obligationibus, onus non supportatis... ».

Sapienti maturoque iudicio Patrum, per specialistas medicos ad Concilium invitatos, assessoratorum, quaestionem hanc, urgentis practicique pastoralis momenti, relinquimur.

Attamen si Patres quaestionem tractare noluissent, Sancta Sedes, in ultima instantia, verbum suum dicet, salvo meliore.

Sed mihi liceat, *sublineando verba,* in hac momentosa re insistere; e contrario fortasse Concilium nostrum, charactere pastorali constitutum insignitumque, fidelium spectationi nos respondebit, saltem in materia ista.

8

EXC.MUS P. D. HYACINTHUS ARGAYA GOICOECHEA
Episcopus Mindoniensis-Ferrolensis

In hoc schemate priusquam de promotione culturae, vita oeconomico-sociali, solidaritate humana et pace ageretur, videtur etiam opportuna aliqua affirmatio de religiosa promotione.

Ante n. 22 schematis, introducendus esset alius subtitulus « De cultu religioso fideliter exsequendo », vel « De religione exercenda et promovenda ». In eo proclamari poterit officium honorandi Deum per executionem cultus, tum interni, tum externi; tum individualis, tum socialis, in diebus dominicis et festivis, per actus positivos religionis et per abstentionem ab occupationibus, quae illam sanctificationem impediant. Nam dies festi hodie multis in locis vigorem spiritualem non monstrant, sed e contra exhibent faciem macilentam et infirmam Ecclesiae. Etenim cum sinceritate et animi dolore fateri debemus saepe saepius, apud nos dies Domini nullo modo esse sanctos, sed e contra, constituere veluti generalem apostasiam.

Praesentia Ecclesiae desideratur ad hoc scandalum tollendum, sensum religiosum festorum ad pristinum valorem in animos fidelium revocando.

Ad hoc humiliter audeo commissioni sequentes observationes proponere:

1) Solemni admonitione reaffirmanda est obligatio quae catholicis urget ad assiduam participationem et activam in Sacrificio Missae diebus dominicis et festivis.

2) Sanctificatio festorum, nedum individualis, *socialis* debet esse et solemnis. Non probanda videtur proinde theoria et praxis nuper inventae, ex quibus singulae partes populi christiani, singulos dies dominicos successive, ut ita dicam, in suam vicem, per hebdomadam sanctificarent.

3) Prae oculis habita intensissima et in dies augente inter-communicatione populorum et nationum, ubique, in quantum sit possibile uniformanda et restringenda festa non dominicalia videntur.

4) Cessatio operum diebus festis urgeri debet, non modo ut corporis et animi vires a dura et quotidiana exercitatione profundius relaxentur, sed etiam ut parentes attendere possint necessariae conviventiae cum sponsa et filiis et ita dies festi sint dies familiaris compenetrationis et non disgregationis.

5) Tollendi videntur denominatio et conceptus laboris *servilis,* utpote obsoleti et inepti, immo et molesti menti societatis hodiernae.

6) Attentis adiunctis mechanismi et crescentis automationis in laborando, prohiberi debent cuiuslibet indolis opera, quae sint continuatio officii, professionis, seu laboris quotidiani, secundum proprium statum uniuscuiusque, utpote quae impediant finalitatem religiosam et requietivam talium dierum.

7) Prohibendae quoque sunt aliae occupationes quae ex utilitate oeconomica sive ex animo lucri suscipiuntur cum impedimento ut quis Deo, vitae familiari, culturae religiosae vacari possit.

8) Inter *signa temporum* validissima extant exercitationes omnis generis culturae physicae, ut aiunt, « deportivae », quae iuvenes — et etiam ipsos episcopos aliquando — alliciunt, quae quidem, Ecclesia mater, iuxta effatum « mens sana in corpore sano » nedum condemnet, potius laudat, ordinat, et aliquando etiam promovet, ut aliqui episcopi hic praesentes (Valentiae in Hispania) maximo cum fructu faciunt. Iam vero hae publicae exercitationes in diebus festivis solent praecipue exerceri. Commendanda videtur christiana moderatio in his relaxationibus corporis, ne immoderata cupiditas spectaculorum, competitionum in ludis, excursionum ad montana etc. — quae saepe plus fatigationis afferunt quam ipse labor quotidianus — animum impediant ad cultum religiosum, culturam spiritus, vitam familiarem intimius fovendam etc.

9) Occupationes potius relaxativae tensionis hebdomadariae et alienantes ab otio, fautore vitiorum, permittenda videntur, quia officia religiosa hodie nimis abbreviata sunt etiam pro his qui velint eis interesse, et quia non impediunt sed iuvant ascensionem animae et perfectionem humanam.

10) Praeter participationem in sancto Sacrificio Missae, praescriptam, commendentur et alia sacra officia vespertina, iuxta Constitutionem de Sacra Liturgia.

Votum. Ante n. 22 introducendus esset alius subtitulus: *De cultu religioso fideliter exsequendo.*

1. Proclamandum esset officium honorandi Deum diebus festis.
2. Restringenda festa non dominicalia et ubique uniformanda.
3. Revisenda divisio laboris in servilem et non servilem.
4. Revisendus conceptus laboris, attentis hodiernis adiunctis automationis.
5. Commendanda christiana moderatio in relaxationibus corporis et animae in diebus festis.

9

Exc.mus P. D. REMIGIUS AUGUSTIN

Episcopus tit. Turuzitanus, aux. et adm. ap. Portus Principis

N. 24 iure meritoque agit de solidaritate hominum « in re politica, sociali, oeconomica », et recte asserit « germanam hominis promotionem frustra sperari e solo progressu oeconomico vel ex incremento formationis mere intellectualis et technicae. Evolutio ergo oeconomica, ut iuvet, ad verum progressum populorum organice promotioni spirituali, intellectuali, morali inserenda est ». Attamen, meo humili iudicio, omnia ista incompleta sunt. Etenim:

A) Iura primordialia hominum, in quibusdam nationibus, publice et impune conculcata esse ab eis qui munus habent illa fovendi, nemo non videt. Nunc autem iura ista fundamentum constituunt cuiuscumque renovationis. Cum Concilium ad solidarietatem hominum confugit ut progressus generis humani obtineri possit, a principiis initium ducere debet. Ceteroquin schema (pag. 22, linn. 25-29) dicit: « Quare christifideles intrepide non solum... et pessimismo abdicatis ». Sed ut claritas et vis magis appareant superfluum non est super argumentum instare.

B) Ad praxim solidarietatis fovendam, schema postulat Instituta internationalia. Logice consequitur Instituta ista libertatem populorum colere teneri sed a negotiis internis nationum totaliter sese abstinere debent. Attamen, quid faciendum cum negotia interna civium iura totaliter coarctant? Mihi videtur quod externi, salva semper libertate nationum, ius habere debeant adimplendi officium caritatis erga oppressos sublevandos. Nam, meo humili iudicio, affirmari potest: « Nationes propter homines, non autem homines propter nationes ». Haud dubio nationes ius habent sese defendere; attamen conditio consideranda est in qua civibus impossibile evadit tyrannum repellere.

Cum res ita se habent, votum facio: Pag. 28, lin. 27, post verba « tunc enim natio vere evolvitur », addere: « cum iura humanae personae recognoscuntur ac proteguntur et cum... ». Pag. 29, lin. 39, addere: « Instituta ista officio fungebunt interveniendi in communitatibus aut nationibus ubi iura civium impune neglecta atque conculcata sunt. Ut iura efficaciter promoveantur eadem instituta media necessaria praedisponere possunt ».

10

EXC.MUS P. D. IOANNES BADRÉ

Episcopus tit. Aquaenovensis in Proconsulari, aux. Parisiensis

Sequentibus schedulis quae, experientia ministerii mei apud rei militaris peritos, milites et duces, opportunae mihi visae sunt (videlicet circa par. 8 et 12 *Adnexi* V, n. 25 schematis *de Ecclesia in mundo* correspondentes) per modum animadversionum mitto.

Ulterius tamen alias, si placet, circa totum illum schema animadversiones mittam. Maximi enim schema illud mihi momenti videtur. Sed immensa materia resque difficiliores exponendae mature excogitari debent. Circa quae opportune scriptum est (schema, p. 43) diversiter praesentandas esse quae auctoritatis diversae S. Patribus Concilii apparebunt. Postea iam in aula dictum fuit non eodem modo, cum adloquuntur, enuntiandas esse veritates vel exhortationes tum christifidelibus tum non-christifidelibus.

Partim enim convenit — cum in praesenti schemate tractabitur de conditione ecclesiae Christi per historiam mundi et consequenter in praesenti

tempore — illius testimonii in plenitudine Spiritus quo, exempli gratia, profitentur tam Constitutionis *De sacra liturgia* considerationes prooemii quam schematis *De Ecclesia* capituli primi, enuntiandi modo uti. Haec enim, ut dictum fuit in aula, enuntiandae sunt verbis S. Scripturae (praesertim *Actuum Apostolorum* et *Apocalypseos*) necnon iis locutionibus et imaginibus quibus antiqua et communis patrum et doctorum traditio usa est.

Partim autem convenit etiam, relictis quovis peculiaribus difficultatibus, de generalibus tantum problematis principia moralitatis enuntiare ita ut, scientiis nimia velocitate progredientibus, pro novissimis futurasque quaestiones valeant et populis omnibus accessibilis utilisque sit doctrina sic solemniter propinata. Adhuc in aula iuste dictum fuit et oportet quasi aequaliter docere de quaestionibus quibus laborant tum maximae « progressae » nationes cum hi populi qui adhuc simplicibus moribus vitam degunt. Nam omnes Patris caelestis filii sunt et ab Eo aequaliter amantur et salventur in Christo.

Quaqua in parte magnae illius materiae discriminare et testimonium fidei christianae, et enuntiationes principiorum moralium et congruentes exhortationes vel monitiones diversis speciebus hominum destinatas, labor magnum ergo est. Itaque circa aliquibus capitulis, in quibus modeste puto aliquid utile proponere posse, pedetentim, auxilio competentis periti, procedam et, si placet, per partes mittam.

Adnexa V, n. 8, p. 51, lin. 4. Ultimae duo lineae medias tantum partes quaestionis exponunt scilicet positivam ex parte communis naturae et negativam ex parte patriarum diversarum; quod scandalum recti amoris patriarum praebere potest. Suadere enim videantur ablationem omnium particularitatum ad uniformitatem quandam creandam.

Itaque, sicut unitati ecclesiae non repugnat diversitas rituum, linguarum, sacrorum artium, litterarum, etc., quae ad catholicitatem spectant, ita in humano generi (sicut etiam in qualibet familia) diversitas individuorum seu collectivitatum essentialiter concurrit ad pulchritudinem et perfectionem maioris toti existenti.

Et sic loco sententiae melius nobis videtur dici, delendo: « Nam homines magis.. historiae et culturae »: « Itaque omnes qui, ad eas fructificandas, colentes peculiares facultates suae patriae — quae eis proxima est in caritate — directe vel indirecte intendunt ut, per divitias illas peculiares, ad omnium gentium bonum, per boni universalis communis augmentum, perveniant, efficaciter et laudabiliter ad pacem promovendam et pleniorem perfectionem humani generis attingendam laborant. Nam rectus amor patriae non destruitur sed perficitur in amore omnium hominum ».

Vel loco ultimae sententiae: « Utinam meminerint omnes hunc amorem hominum societatumve, quae in natura et caritate proximiores sunt, per devotionem bono communi totius humani generis, non destrui sed perfici in amore omnium humanorum fratrum ».

Adnexa V, n. 12/1, p. 54, lin. 12. Ne loco datur utopico temerarioque

zelo pacis, valde utile est doctrinam Ioannis PP. XXIII, in *Pacem in terris* propinatam compendiose rememorare. Et ideo ad calcem paragraphi hoc videtur opportune addi: « De pace sic dicta armata, ad pleniorem concordantiam in securitate, iustitia et ordine, non alia est via quam illa quae primo oritur in desiderio mutuae cognitionis, honoris consensionis, fiduciae; deinde, difficultates habituales per arbitrium munera solventes, pedetentim progreditur; et tandem, progressive et secure, ad minutionem armorum pervenit; antequam universaliter et totaliter destruantur ».[1] Ioanni XXIII Enc. *Pacem in terris,* ed. Vaticana, 1963 (1606), p. 35 in fine. Omnibus tamen persuasum esse debet, non posse neque rei militaris augendae intermitti studia, neque arma imminui, neque — quod caput est — usquequaque armamenta de medio tolli, nisi huiusmodi ab armis discessus plenus expletusque sit atque ipsos attingat animos, nisi scilicet omnes concordem sinceramque dent operam, ut ex animis metus atque anxia belli expectatio pellantur. Id autem poscit, ut pro suprema lege, qua hodie pax continetur, alia prorsus subiciatur, qua statuatur, non in pari rei militaris apparatu, sed in mutua tantummodo fide, veri nominis pacem inter populos firmam posse consistere. Quod nos fieri posse confidimus, cum de causa agatur, non tantum rectae rationis normis imperata, sed etiam summopere optabili et bonorum uberrima, seu aliis verbis: « Quid refert arma destruere cum, permanentes in odio, corda sunt hostiles et homicidio parati ».

Adnexa V, n. 12/2, universim. In nonnullis statibus periti milites quaerunt, inveniunt et perficiunt secretas novasque armas, quorum plurimae moderari non possunt. In contra atomicae sunt parvae armae quae localiter geruntur ad modum sic dictarum armorum classicarum, et aliquae quidem minoris effectus sunt istarum classicarum armarum. Non ergo dandum est locum deridendi peritis rerum militarium vel Christi inimicis. Proponimus ergo sequentes modos enuntiandi: lin. 4 « ... defendere usus tamen armorum, *atomicarum, biologicarum, chimicarum, radioactivarum, et quorumlibet aliarum* quorum effectus nullo modo ... ». Lin. 8 « ..., ut non solum bellum *supradictis armis utens,* ab omnibus ... ».

Adnexa V, n. 12/4 penultima linea: Sententia proposita videtur vitanda quia intelligi posset ut asserens obiectionem conscientiae solum et plenum testimonium christianae lenitatis esse. Dicatur: ... leges eos respiciant, qui, vel ad lenitatem christianam singulariter testandam, vel propter reverentiam ...

Adnexa V, n. 12/5 ultima linea. Sententia proposita nimis restrictiva est, prout tempore belli limitatur. Difficultates enim principales tempore pacis oriuntur de his qui arma ut sic gerere nolunt. Loco ergo: « ex conscientia servitium militare in bello recusent », ponatur: « ex conscientia *arma gerere recusant* ».

Adnexa, n. 12/5 ultra ultimam lineam additio. Ut haec valde sana doctrina melius perveniat ad aures eorum qui futuris temporibus auctores forent tormentorum, attendendum est eos esse aliquo modo societatis moderatores seu delegatos ipsorum. Prout sunt moderatores magis respiciunt bo-

num toti quam bona singularia uniuscumque partis vel individui. Et ideo minimi momenti aestimantur considerationem individuorum. Valde, ergo, opportunum est et si haec humanitatis sententiae ostenderentur eis ut requisitas ab illo bono commune quod moderatores gerunt saepe intendunt sed quandoque ineptis actionibus promovere imperant. Sic ergo dici posset per modum additionis ad textum: « Avertent suos montes, moderatores societum et eorum subdelegati ad considerationem quod nulla utilitas generalis, seu immediata seu remota, excusare potest ab illis immanis factis. Quia bonum commune suae societatis ordinatur ad omnes personas humanas huius societatis et per universale bonum ad omnes homines. Qui ergo talia facinora perpetrantur traditores officii sui, eversores societatis eis commissae atque nefarii sontes simpliciter sunt ».

11

Exc.mus P. G. GILBERTUS BARONI

Episcopus Albiganensis

Loquor de praesentia Ecclesiae in mundo huius temporis per activitatem caritativam relate ad solidarietatem promovendam, de qua n. 24, cap. IV. Ibi necessitas affirmatur mutui auxilii inter homines et inter populos; et christifideles, praesertim n. 8, adhortantur ad tale testimonium, tota agendi ratione, mundo huius temporis, reddendum, quo omnes gentes meminerint se esse *unam familiam Dei*; ideoque ad mutuum auxilium obligari.

Quod testimonium nemo non videt maxime et invincibiliter a christifidelibus reddi posse per exercitium verae christicae caritatis.

Purior Ecclesiae spiritualitas, potior libertas et efficacior virtus, in operibus praesertim caritatis fraternae apparere debent; saepius, et recte, in schemate indicatur quomodo horum operum institutiones et formae, magis magisque mutari debeant, ita ut ecclesia tandem levetur illis activitatibus quas societas civilis magis in dies sibi adsumere debet, vel quas catholici, simul cum aliis christianis aut non christianis libentius adlaborantibus, exercere possunt.

Quod cum iustum et opportunum procul dubio sit, minime tamen significare potest Ecclesiam renuntiare, aut minus deinceps se dedere velle operibus misericordiae, quae caritatis et solidarietatis testimonium directum et explicitum praebent, et quae a primordiis, semper fuerunt, et necessario usque ad consummationem saeculi erunt, essentialissimum Ecclesiae signum et splendida eius epiphania coram hominibus et gentibus.

Duae sunt propensiones quae inter se opponuntur et pariter vitandae, de quibus schema nostrum magis et melius debet in lucem proferre et errorem et periculum.

Propensio servandi activitates, structuras, formas temporis anteacti, quando Ecclesia vel muneribus fungebatur quae hodie certo spectant socie-

tati civili, quae omnibus suis membris opem et auxilium ferre debet; vel de muneribus agitur quae civicus profectus iam non habet ut significationes *christianae caritatis, sed iustitiae socialis.*

Quae munera et activitates, ob sua maxima onera et negotia, minus atque minus conveniunt facultatibus institutorum ecclesiasticorum, neque amplius manifestant hominibus, per activitatem sacerdotum et fidelium, amabilem vultum boni samaritani, Domini Iesu. Certe ergo efficax praesentia Ecclesiae in mundo huius temporis, requirit gradualem dimissionem horum inceptuum et institutionum.

Alia ex parte opus est clare et firmiter ab opposita propensione cavere. Amitteret Ecclesia essentialem rationem suae praesentiae in mundo, si cogitaretur progressum societatis civilis, sacerdotibus et fidelibus potestatem facere minoris studii operum caritatis christianae. E contra, verum est et firmiter est affirmandum in nostro schemate: proprietates mundi huius temporis, necessitas solidarietatis inter homines et ardentissimae postulationes christianae tum christianorum, tum non christianorum in hoc idem convenire: Ecclesia explicare debet activitatem caritativam non minoris gradus, immo multo maioris — sive constantia, sive ambitus amplitudine, sive numero sacerdotum et fidelium ibi adlaborantium — quam faustissimis temporibus anteactis.

Istae tamen activitates caritativae, sunt magis magisque *transfigurandae,* ita ut clarius in dies appareat Ecclesiae puritas supernaturalis, et eius praesentia in mundo authentica, nempe non mere philanthropica, sed omnino *Christica sit,* ad ipsam solidarietatem promovendam.

Quod eo magis eveniet, quo magis huiusmodi activitates, characteres praebebunt *ad ipsum mysterium essentiale Ecclesiae pertinentes,* scilicet:

1) Praesentia caritativa Ecclesiae in mundo, non est retinenda eo magis clara et efficax, quo maius sit pondus et copia naturalium instrumentorum; e contra, in mundo huius temporis et amplius in crastino, eo magis erit clara et efficax, quo magis pondus illud fiat leve, et copia illa loco cedat certissimo spectaculo paupertatis evangelicae. Ingentes institutiones et opera (v. g. maxima orphanotrophia, hospitia, nosocomia, ingentes partitiones domorum, etc.) saepe prohibere possunt quominus Ecclesia perveniat, ubi indigentia hominum eorumque aegritudines, graviores sunt, et quibus mederi non potest formis securitatis socialis et publici auxilii. Instrumenta caritatis Ecclesiae, si magis paupertate et humilitate exornata, praedita erunt maiori libertate, agilitate, vi penetrationis, subtilitate et celeritate. Agnoscet Ecclesia necessitates quas nemo adhuc detegit, auxilium afferet quo nondum pervenit nec potest pervenire ulla ex institutionibus societatis civilis: hoc modo Ecclesia revera manifestat suam ingenitam supernaturalitatem et necessitatem, et exercet plenam solidarietatem.

2) Praesentia caritativa Ecclesiae in mundo huius temporis debet esse magis magisque praesentia *Amoris Personalis,* quae scilicet inspirationem et alimentum unice accipit ab *Aeterno Amore* qui est Persona divina: oportet

ut sit praesentia personarum a Spiritu Sancto vivificatarum, relate ad singulas personas, quae sunt signatae personali praesentia Christi, signo scilicet doloris et paupertatis. Non ergo praesentia *impersonalis institutionum,* sed personarum, quae sint perfusae, non tantum iustitia et philanthropia, sed potius *ardore martirion,* testimonium ferendi scilicet, illius caritatis qua non adest maior, et quae, omnem solidarietatem quam maxime excedens, exprimitur voluntate animam suam ponendi pro fratribus, qui sunt imago Christi.

Huius unius praesentiae, mundus huius temporis habet maximam indigentiam: si Ecclesia miracula nunc exhiberet, sed non talem praesentiam Spiritus Sancti in caritate, quantum fieri potest, integra et evangelica, historicus occursus cum mundo huius temporis, promissum signum non assequeretur.

3) Praesentia caritativa Ecclesiae hodie debet esse, arctissima ratione, coniuncta cum *fractione panis.* Non tantum debet fieri a singulis hominibus, quorum caritas alatur et animetur Eucharistia; sed aliud requiritur.

Opus est activitate caritativa quae, qua talis et in universum, *directe* et *manifeste* effluat ex fractione panis, quam Constitutio *de sacra Liturgia* (art. 10) dicit *culmen* ad quod actio Ecclesiae tendit, et simul fons unde omnis eius virtus emanat.

Ergo activitas caritativa quae simul: *a*) non solum aliquo modo afflatum habeat et fundamentum, sed etiam *sit inserta* — sicut primis Ecclesiae temporibus — in *Koinonia* quae omnia praecellit, et perficitur in Divina Liturgia: quinimmo haec erit conditio prorsus essentialis, ut instauratio liturgica non sit tantum ritualistica, sed renovatio integralis cohaerens et practica totius vitae Ecclesiae; *b*) praeterea sit activitas caritativa, non solum singulorum hominum aut societatum et institutorum, quae aliquo modo similes sunt societatibus et institutis mere humanis; sed sit activitas supernaturali modo *communitaria* Ecclesiae, scilicet coetus consecratorum in sua plenissima et divina realitate et vita.

Ergo opus erit quod magis magisque augeantur inceptus Ecclesiae in sua forma fundamentali, scilicet in suo primo nucleo, qui est *communitas* seu familia Dei paroecialis: quae, quatenus collecta circum Altare Dei in communione unius Panis et unius Agni immolati, conscientiam accipiat suiipsius, suarum facultatum et officiorum erga fratres.

Praesertim erga fratres dolentes, qui in sinu communitatis paroecialis vel paroeciae valde proximi, vivunt, etiamsi inscii, mysterium Christi Crucifixi, quosque Amor personalis agnoscere debet, *ipseque* adiuvare, non aliis committere vel alibi eorum translationem sinere: praesentia fratrum dolentium, est praesentia Christi, servanda et honore afficienda in familia paroeciali, sicut ipsa praesentia Augustissimi Sacramenti, in Tabernaculo ecclesiae paroecialis.

Conclusio. Hoc modo reapse Ecclesia et Christifideles in singulis communitatibus paroecialibus, exhiberent coram mundo testimonium et exem-

plum eloquens et irresistibile verae et plenae solidarietatis — et haec mihi videtur voluntas nostri schematis.

Mea humili sententia ergo, de officio Ecclesiae et christifidelium, talis testimonii ferendi christicae caritatis in mundo huius temporis, sermo fieri deberet in n. 24.

12

Exc.mus P. D. HERIBERTUS BEDNORZ

Episcopus tit. Bullensium Regiorum, coad. c.i.s. Katovicensis

Observari potest in mundo hodierno sub influxu celeriter subsequentium mutationum inter alia etiam conditionem socialem mulieris mutari et agnitionem dignitatis personae humanae mulieris crescere. Quod notatur non tantum in terris missionum, sed etiam aliis in regionibus.

S. Synodus merito exigit aequalia iura pro mulieribus ac viris, cap. IV, art. 2, linn. 7-12, salva tamen patris auctoritate in familia. S. Synodus merito etiam sublineat evidens factum a quovis multis in regionibus observandum mulieres viris tam in iuribus matrimonialibus quam in vita sociali aequiparari, cap. IV, art. 2, linn. 22-24. Sed S. Synodus non sat fortiter notat necessitatem quam maximae connexionis feminae, uxoris et matris cum familia. In universo mundo civilizato observamus nocivam tendentiam centrifugalem seu removentem feminam uxorem et matrem a familia et omnia signa demonstrare videntur modernas conditiones vitae ulterius feminam a familia remoturas esse. In quibusdam enim societatibus femina, uxor et mater, una cum marito laborare et necessaria pro sustentatione familiae media acquirere debet, alibi conditiones vitae minime eam ad laborem cogunt, sed ipsa proprio marte cum zelo laborem extra familiam explet maxime hanc ob causam, ut familiae conditionem oeconomicam meliorem seque a viro independentem reddat et sui valorem augeat (Standard of life).

Quoad matrem prole oneratam ordo socialis exigit, ut ipsa praeprimis de familia uti proprio et naturali regno curet et non aliis officiis, in quibus sese uti exsul haberi debet, implicata sit. Si quando conditiones vitae ob familiae bonum laborem mercenarium ab ipsa exigant, tunc laboret pro posse domi vel prope domum aut occasionaliter vel paucioribus quam viri horis, fortasse in occupatione semidiurna, sine detrimento pro familia et cum condigna pro expleto labore remuneratione et firmis iuribus ad securitatis socialis praestationes.

Sub his conditionibus uxor et mater iura et officia vitae matrimonialis digne adimplere poterit. Tunc etiam ipsa valores feminae religiosos, morales et culturales in educatione prolis tam necessarios augere poterit.

Quae constituunt vitae matris erga prolem finem, qui subverti non debet per laborem mercenarium, cui mulier passim imprudenter, nam sine vera necessitate et sine ulla restrictione sese consecrat.

Itaque proponimus ad pag. 24, art. 21, post v. 36, ita supplendus est: « Insuper S. Synodus exhortatur omnes, qui pro vitae oeconomicae directione responsabiles sunt, ut matribus, quae educatione suorum parvulorum oneratae sunt et simul laborare coguntur, talis modus exercendi professionem facilitetur, ut vita familialis et educatio prolis quam minimum damnum patiatur. Agitur v. g. de labore professionali in propria domo vel prope eam, vel de semi-diurno solum labore extra domum sine amissione iurium ad securitatis socialis praestationes ».

Ad n. 23. In maxime hodie urgenti novi hominis formatione respicienda est non solum eius vita interior exercitiis spiritualibus fovenda, sed etiam eius ad mundum externum habitudo, quae valde dependet ab eius proprietate privata bonorum materialium, quia ea facilitat evolutionem personalitatis humanae in libertate.

Propterea proprietas privata quam maxime diffusa esse debet non solum in nationibus, quae viam liberi progressus oeconomici et socialis ingredi incipiunt, sed etiam in nationibus divitibus.

In nascente hodie automatisationis aetate, si non dabitur universaliter diffusa appropriatio non-possidentium, incidemus in pessimum capitalismum.

Cuinam, quaero, divitiae in automatisatis fabricis sine operariis productae affluere debeant? Utrum solis paucis magnis proprietariis-milliardaribus? Absit!

Propterea in mundo hodierno Ecclesiae doctrina de proprietate privata bonorum etiam productivorum praesentanda est primario ut ius nihil possidentium ad acquirendam possessionem, secundario autem ut ius legitimorum possessorum ad suam moderatam proprietatem conservandam.

Talis doctrinae de proprietate expositio optimum argumentum est, quod Ecclesia non sese identificat cum divitibus, sicut saepe Ei falso obicitur.

Propterea praesentare cupio praesentem propositionem: in c. IV, in par. 23, in p. 27, lin. 14 legimus: « Ecclesia proinde nulli particulari systemati oeconomico obligatur ». Haec enuntiatio sequenti modo mutetur et suppleatur: « Ecclesia proinde nulli particulari systemati sive appropriationis sive activitatis oeconomicae obligatur ».

Insuper in fine eiusdem fragmenti, in linea 19 proponuntur talia verba addenda: « Talis autem ordo socialis, ad libertatis personae humanae exercitium vere necessarius, in nascente iam aetate fabricarum automatisatarum sine operariis, obtineri nequit, nisi effective realisatur ius naturale non-possidentium ad moderatam proprietatem acquirendam, non exclusa privata coproprietate bonorum productivorum magni voluminis ».

13

EXC.MUS P. D. AEMILIUS BENAVENT ESCUIN
Episcopus tit. Cercinitanus, aux. coad. Malacitanus

Laudabilis quidem est conatus commissionis ad applicanda principia Evangelii magnis quaestionibus socialibus.

Oportet, tamen, memoria tenere hunc laborem effici a Pontificibus inde a saeculo integro, ut numquam in Ecclesiae historia effectum fuit.

Merito Romani Pontifices, a Leone XIII usque ad Paulum VI, vocantur « Papae civilizatores ». Docuerunt enim populos eorumque moderatores principia ad solvenda duo magna problemata hodierna: novum ordinem politicum et novum ordinem socialem.

Ex his duobus, gravior et difficilior est novus ordo socialis.

Ad illum consequendum est tam digna attentionis ut « capitalismus ». Tam propter suam originem quam propter consequentias.

Certo quodam modo tamquam pater progressus technici hodierni habendus est. Damnandus est non natura sua sed quia conceptus et natus fuit non solum extra ambitum christianum sed, quod peius est, extra ipsum ius naturale.

De hoc vitioso capitalismo aperte et fortiter locuti sunt Pontifices.

Pius XI et recentissime Paulus VI in sua ad patronos catholicos italianos allocutione, inter eos eminent.

In *Quadragesimo Anno* tradit Pius XI optimam descriptionem de hodierno capitalismo internationali, de eius potentia ac de effectu eius hegemoniae. « Omnium oculos percellit, nostris temporibus non modo coacervari opes sed immanem accumulari potentiam et despoticum potentatum oeconomicum penes paucos... Qui potentatus ab iis vehementissime exercetur qui, cum pecunias teneant et in eis dominentur, potiuntur etiam fenebris fidei et in credenda pecunia regnant, eamque ob causam veluti sanguinem administrant, quo vivit tota res oeconomica, et manibus suis quasi animam rei oeconomicae ita versant, ut contra eorum nutum respirare nemo possit... Ea vicissim virium et potentiae acervatio tria gignit concertationum genera: contenditur enim primo de ipso oeconomico potentatu, tum acriter decertatur de potentatu in rempublicam capessendo, ut eius viribus atque potestate ad oeconomicas congressiones liceat abuti; inter ipsas denique respublicas dimicatur... » (*Quadragesimo Anno,* nn. 105, 106, 108).

Paulus VI lucem christiani iudicii applicat ad capitalismum nostri temporis. Fatetur hodie non posse loqui de capitalismo « conceptibus quibus saeculo transacto definiebatur ». Sed addit: « verum est systema oeconomicum-sociale adhuc vigens in criterio unilateralitatis possessionis mediorum productionis et oeconomiae ad utilitatem privatam praesertim ductae, pacem non afferre neque iustitiam, si perdurat dividendo societatem in classes penitus inimicas ».

Concilium animadvertere debet hoc factum, nempe: verba Summorum Pontificum non semper diffusa fuisse sicut oportebat nec in ipsa quidem Ecclesia.

Huic malo subveniendum est et nullum alium efficax remedium quam recta conscientiarum efformatio socialis.

Theologia moralis quae edocetur in textibus nostrorum seminariorum et collegiorum generatim non tradit normas pontificias.

Tractatus de iustitia et iure radicitus est recognoscendus ut in eo specialem obtineat locum iustitia socialis, quae est virtus ad moderanda iura et officia civium cum societate et societatis cum civibus.

Sed efformatio socialis conscientiarum pertinet praecipue ad nos ipsos, Episcopos, licet non parva obligatio attinet etiam ad educatores religiosos quia in eorum collegiis non pauci educantur eorum penes quos futurum regimen societatis erit.

Magnus capitalismus, in dies melius constitutus et organizatus nationaliter et internationaliter opponitur acceptationi criteriorum moralium iuris naturae et Evangelii.

Et propter hoc operariorum ingens numerus ad marxismum tendit ab eoque allicitur. Quod quidem est magnum problema nostri temporis.

Concilium urgere tenetur omni gravitate officium efformandi conscientias claras tenaces in ordine sociali. Renovatio enim societatis opus erit semper paucorum (minorías).

Coetus paucorum (minorías) qui sibi clare proponant fines assequendos, scilicet: ut organa publicae administrationis adeo roborentur ut vere et realiter intenta coetuum pressionis bono communi subordinentur; ut vitent nimiam bonorum accumulationem et, contra, eorum distributio quam maxime foveant; ut, denique, diversos coetus sociales gestioni atque ordinationi vitae oeconomicae consocient. Sine rigiditate in modo procedendi.

Semper sunt formulae atque normae acceptabiles in amplo margine quae intercedit inter duo vitiosa extrema capitalismi liberalis et communismi, quae praeferenda sunt iuxta maiorem eorum efficientiam conformiter ad adiuncta loci et temporis.

Aptiores ex his eligere exclusive pertinet ad responsabilitatem laicorum, maxime hominum publicorum.

Coetus paucorum (minorías) qui, praesertim, imbuti sint spiritu profunde christiano; singulari spiritu iustitiae praediti ad resistendas pressiones cuiuslibet coetus socialis; magna fortitudine induti ad constanter agendum sine defectione ante difficultates; et, ante omnia, divites in authentica caritate ad sacrificia sustinenda et ad imbuenda eorum opera et actionem amore Christi qui, suaviter et fortiter, vinculis vere fraternis homines inter se iungit.

Istum spiritum communicare et alere est proprium nostrae responsabilitatis sacerdotalis.

Munus etiam nostrum est et officium homines impellere eosque in pugna sustinere, neque facili neque levi, ut structurae sociales reformentur.

Faveat Deus ut Concilium, doctrinis et consignis pontificiis fidele, nos stimulet ad conscientiarum efformationem et ad constituendos illos coetus paucorum (minorías) quibus urgens renovatio societatis et operariorum evangelizatio prompte et efficaciter consequatur.

14

Exc.mus P. D. PETRUS BOILLON

Episcopus Virodunensis

Quae in art. 21, de dignitate matrimonii et familiae dicuntur, mihi magna parte placent. Attamen animadversiones sub triplici respectu proponere volo: de ordine materiae; de huius temporis experientia; de recursu ad Revelationem.

1) *Ordo materiae.* Ut iam dictum est, si Concilium ab hodiernis audiri intendit, hodiernae mentis processum seu habitum sequi debet, scilicet: Primo morum hodiernorum observatione seu experientia incipiat, secundum illam quae dicitur methodus phaenomenologica. Secundo ad lumen attendat quod in divina Revelatione illi datum est. Tertio tandem sub hoc lumine responsionem det secundum ea quae primo investigata fuerunt. Si autem ea non procederet via, non censerent hodierni ad se illud loqui nec attentionem praeberent. Qua via et de matrimonio familiaque loquens procedere debet.

2) *Huius temporis experientia.* Tres propono observationes.

a) Olim in matrimonio finis intendebatur principalis, aliquando etiam unica, *socialis,* scilicet constitutio familiae ut fundamentalis societas humana. Ita persaepe ab ipsis parentibus conficiebatur, ut appareret potius tamquam unio inter patrimonia. Hodie vero praecipuum obiectum immediate a iuvenibus intentum est coniunctio amoris, ita ut illis saepe erga patrimonium inest indifferentia. Quod quidem est progressus personalitatis fructus, quia magis aestimatur persona quam res. Item authenticus amor personarum aequalitatem requirit: unde tanto feminae dignitas recognoscitur, eo magis in matrimonio amor praestat. Sane tamen periculum adest quando familia non praevidetur ut societas stabilis. Attamen non possumus et nos in Sacro Concilio non videre homines huius temporis profundum ac tenerum amorem cupere quo mutuo vere et integre se tradant sicque mutuo invicem beatos reddant. Talis amor, per fas et nefas, in cantibus et carminibus, in libris et ephemeridibus, in radiophonia, cinematographia, televisione quotidie in omnibus populis extollitur. Quod quidem in moribus ac institutionibus, et praecipue in his quae ad matrimonium spectant, mutationes affert de quibus Concilium curam habere debet.

b) Olim videbatur matrimonium ut societas ad pueros procreandos et

educandos destinata. Hodiernis vero coniugibus magis intenditur ut unio stabilis amore fundata ac firmata ita ut apta sit ad pueros procreandos et educandos. Quod quidem consentaneum est cum doctrina Ecclesiae, e. g. cum Enc. *Casti connubii,* in qua Summus Pontifex Pius XI ait: « amorem coniugalem omnia coniugalis vitae officia pervadere et quemdam tenere in christiano coniugio principatum nobilitatis » (DENZ. 3707). Amor enim et procreatio educatioque intimo nexu se mutuo implicant, nostrisque temporibus manifeste apparet quantum funeste pueris sint procreatio educatioque quando verus deficit amor. Unde videtur hodiernis necesse esse, non solum leges morales erga societatem coniugalem proponi, sed etiam authenticam amoris coniugalis educationem promovere.

c) Matrimonium christianum est simul realitas naturalis ac supernaturalis. Tanquam realitas naturalis, leges eius determinantur pro Ecclesia et e Revelatione, et e natura. Certe id quod e Revelatione formaliter provenit, est immutabile. Item lex naturalis ipsa est divina ac ex se immutabilis. Sed quod e natura emanat, secundum id quod de natura cognoscimus determinatur. Atqui nostris temporibus, e progressu scientiarum et physiologicarum et psychologicarum et ethnicarum et socialium, natura melius percipitur ut apparet e laboribus eminentissimorum peritorum laicorum qui recenter Patribus pervenerunt. Unde nasci potest pro Ecclesia nova naturae intelligentia, et forsan nova et perfectior legis naturalis positiva determinatio.

3) *Recursus ad Revelationem.* Quae diximus, Ecclesiae novas proponit quaestiones. Atqui ut diversorum temporum quaestionibus responsionem det Ecclesia, necesse est ut in Revelatione investiget, e qua nova et vetera extolluntur. Officium proprium Ecclesiae in eo consistit ut in nomine Domini Revelationis lumen diversorum temporum hominibus afferre appareat. Sed in schemate haud sufficienter meo sensu Ecclesia Revelationis lumine loqui apparet. Multa tamen ac perpulchra tam in Vetere quam in Novo Testamento dicuntur et de amore coniugali et de matrimonio. Omitti non potest in Sancta Ecclesia viros et mulieres divinarum nuptiarum mysterium illustrare in virtute Sanguinis Christi. Mirabilis apparet iam in Vetere Testamento nuptiarum cursus usque ad Dominum Nostrum Iesum Christum. Redemptor Noster seipsum tradidit pro sponsa sua Ecclesia, ut exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam, et ut sit sancta et immaculata. Ita et viri debent uxores suas diligere. Tandem omnes christiani ad beatitudinem nuptiarum Agni vocantur. Unde apparet sponsos esse manifestationem Mysterii Christi et Ecclesiae, quae est magnifica vocatio ad sanctitatem in eorum conditione et per eam.

Conclusio. Ad Secretariatum textum propono secundum ea quae breviter dixi. Opto ut utilis sit ad meliorem articuli redactionem.

15

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS BRIZGYS
Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunensis

Ad cap. IV. Mihi videtur inter n. 20 et n. 21 inserendum esse novum numerum de munere rite formandi iuventutem.

16

EXC.MUS P. D. GABRIEL PAULINUS BUENO COUTO
Episcopus tit. Leucensis, aux. Taubatensis

Ad n. 21. Ut clare perspiciatur natura huius amoris coniugalis eiusque ad procreationem relatio necesse omnino videtur sequentia puncta prae oculis habere:

1. Quis amat? Homo est qui amat et amatur. Agitur nempe de amore inter duas personas *humanas,* naturae scilicet *rationalis.*

2. Personae autem istae praeditae sunt naturaliter: *a*) corpore, *b*) et anima, quae elementa substantialiter inter se uniuntur.

3. Persona humana, sicut omnia alia entia viventia, iuxta suae naturae principia (agere sequitur esse) agere necesse est ut suam promoveat perfectionem (omne ens quaerit perfectionem suae formae).

4. Homo praecise beatur, cum suam attigerit perfectionem, cum haec sit eius maximum bonum, quo adepto, quiescat necesse est.

5. Bonum autem quod *homo* prosequiutr, quo pedetentim perficiatur, ut sit reapse *hominis* bonum, satisfacere debet ei, ut composito ex *materia* et *spiritu.*

6. Bonum autem hominis non aequo pondere iudicandum est. Id, enim, quo materia hominis consulitur, certe non erit aequali lance aestimandum ac illud quo spiritus hominis reficitur: iuxta ordinem nempe valorum humanorum, hoc illi praevalere censetur, quatenus spiritus materiae praestet. Hoc certe tenendum est, tam si de *distinctis* bonis quam si de variis aspectibus eiusdem boni agatur.

7. Ad haec bona proinde procuranda ac fruenda, homo natura praeditus est potentiis aptis, quae sunt *sensus externi et interni, intellectus et voluntas.*

8. Homo, *per suos sensus,* adhaeret bono sibi proprio, seu rei cuidam, quae sibi ad perfectionem facit, quatenus *speciebus sensibilibus* praedita. Species autem rei non constituunt rem in se ipsa seu illud quod vocatur, veritas rei.

9. Homo autem, secus ac animal irrationale, quaerit etiam veritatem rei: in hoc praecise distinguitur homo a brutis: cum aeque ac ipsa, quae-

rat per suos sensus species rerum, attamen, secus ac ipsa, non exhauritur capacitas eius fruendi, quae expletur tantum cum perspicit per intellectum quod de vera re agitur, non de simplici rei apparentia seu specie.

10. Tunc tandem, re integre perspecta, in sua scilicet *existentia reali,* ei adhaeret si lubet per voluntatem. Haec autem adhaesio libera bono vero, propria hominis, vocatur *amor.*

11. Amor igitur humanus est actus voluntatis quo homo adhaeret rei veritati, prout est in rerum natura, scil. speciebus sensibilibus substans.

12. Dantur, ut ita dicam, variae formae amoris, seu adhaesionis voluntatis alicui rei. 1) Potest quisquam velle (amare) species rei *contra* ipsam *veritatem* rei: est amor stricte sensualis, seu unice et exclusive intendens satisfactionem sensuum. Evidenter potest dari in homine, sed non est certe *humanus*; 2) potest homo velle (amare) species rei, quin quidquam cogitet de rei veritate, eidem plane indifferens, est in limine amoris humani, est vere amor humanus, ad *infimos* tamen limites reductus; 3) potest homo velle (amare) veritatem rei, quatenus est tamen huic speciei substans: nempe, species est conditio sine qua non amoris rei in sua veritate: est verus amor humanus; 4) potest homo (amare) velle rei veritatem, prout ad eius species quin tamen species sint conditio sine qua non, amoris rei in se ipsa: est verior amor humanus; 5) potest homo velle (amare) rei veritatem, prout est in rerum natura, nempe, substans *speciebus,* nec tamen propter species, sed propter ipsius rei veritatem. Est verissimus amor humanus; ulterius, 6) potest homo velle (amare) ita rei *veritatem* ut ne cogitet quidem de eius speciebus: est verissimus et maior amor humanus: tandem, 7) potest homo velle (amare) rei veritatem etsi ipsius species defformae sint nec placeant: est perfectissimus amor humanus.

13. Nunc quid dicendum de amore coniugali?

14. Cum amor humanus dicat adhaesionem voluntatis ad bonum sibi proprium, evidens est quod amor est de essentia matrimonii, quia evidens est quod hae duae personae humanae, contrahentes matrimonium, se mutuo eligunt tanquam uni alteri bonum.

15. Bonum hoc cui mutuo adhaerent, est altera persona, in sua « existentia » historica seu veritas quaedam substans speciebus.

16. Quoad *personas humanas,* veritas *rei* est una eademque pro omnibus, dum species *multae sunt, variae et distinctae,* ut patet.

17. Quae dicta sunt supra, n. 12, valent et pro amore coniugali.

18. Amor *humanus* fit amor coniugalis, quia homo adhaeret alteri personae, tanquam sibi bonum et propter rei *veritatem,* et propter rei *speciem* (in rerum natura ut patet, unum quid constituunt), nempe, sexum.

19. Ex parte veritatis rei, hic amor coniugalis non distinguitur ab alio quocumque amore, qui datur inter personas humanas. *Distinguitur* autem ex parte speciei, quae in casu est *sexus.*

20. Datur *verus amor humanus* inter *virum et mulierem,* qui non est coniugalis, cum se invicem diligant, et propter rei *veritatem* et propter *spe-*

ciem, quae tamen non sit ipse *sexus,* sed quaecumque alia quae ad sexum *natura sua* non referatur.

21. *Sexus* est species quaedam (accidens ut etiam dicitur) quae *homini* inest, quae organicam capacitatem generandi signat, per quam proinde, homo distinguitur inter *virum* et *mulierem.* Evidenter etsi humana qualitas sit, non tamen est propria hominis cum et brutis sit communis: homo proinde non definitur a sexu, etsi, sine sexu nequeat, ut videtur, existere; aliis verbis, si est homo, est vir vel mulier.

22. Quoad capacitatem organicam generandi, quae sexum determinat, et ipsa habet suam veritatem et speciem. Veritas eius est ipsa sibi, scil. ipsa capacitas organica generandi; species eius, est inter alias, *delectatio,* quae ipsi naturaliter inest. Quae dicta sunt de adhaesione voluntatis ad veritatem et ad speciem cuiuscumque rei (*supra,* n. 12), applicantur etiam ad *veritatem* et *ad speciem* sexus.

Conclusiones: Amor est de essentia matrimonii, cum nequeat concipi adhaesio unius personae *humanae* ad alteram, tanquam ad bonum sibi, quae non sit a voluntate et in voluntate, quod est *amor;* 2) Haec adhaesio seu amor est, ut sit *humanus,* essentialiter ad ipsam personam in se, in sua nempe *veritate*; 3) Ut sit *coniugalis,* referri oportet ad illius personae *speciem,* quae *sexum* designat (quin alias excludat, ut patet), ita ut, dum huic *speciei* (delectationi, nempe) adhaeret, *veritatem* sexus seu ipsam organicam capacitatem generandi non destruat vel mutilet vel abrumpat; 4) Verus et perfectus amor coniugalis est ille quo quis vult (amat) *personam* alterius *et* propter ipsammet *et* propter *sexum* eius; 5) Si amor est in *personam* tantum cum *formali* exclusione sexus, non videtur *coniugalis* esse; 6) Si amor est in *sexum* cum *formali* exclusione ipsius personae, non videtur adesse amor vere *humanus*; 7) Si amor est in personam ipsam et in sexum sub specie tantum *delectationis* consideratum, cum formali exclusione ipsius veritatis, capacitatis nempe organicae generandi, non est amor *coniugalis*; 8) Si amor est in sexum sub specie tantum delectationis consideratum, exclusis tum eiusdem veritate seu capacitate organica generandi, tum ipsa persona, amor non est nec *humanus* nec *coniugalis.*

23. Foecunditas cum eiusdem effectu, scil. procreatione, non potest constituere essentiam matrimonii, cum nequeat esse obiectum liberae electionis voluntatis, seu amoris; nemo enim potest dare vel recipere quod non est in sua potestate; foecunditas est a natura, nec cognitioni nec voluntati humanae plene subicitur, prout oportet ut valeat obiectum constituere amoris humani et coniugalis.

24. Contra ipsum *amorem coniugalem* seu matrimonii *essentiam* agit qui aliquid molitur contra *veritatem* sexus seu, quod idem est, contra organicam capacitatem generandi mutilo usu sive ex parte subiecti (usu scil. indebito vel usu rei mutilae *artificiose*).

25. Non agit contra amorem coniugalem seu matrimonii essentiam qui, *servata integre organica capacitate generandi,* nempe, sexus *veritate,* eius

physiologicam inactivitatem quaerit (seu infoecunditatem), a *natura ipsa* inducta sive habitu sive actu.

26. Nunc, *agitne* contra amorem coniugalem seu matrimonii essentiam qui, *servata integre organica capacitate generandi,* nempe, sexus *veritate,* eius *physiologicam inactivitatem* (seu infoecunditatem) inducit, mediis *chimicis?*

Considerandum: 1) Activitas physiologica seu foecunditas non pertinet ad essentiam amoris coniugalis, seu matrimonii, ut patet, sed ad eius finem primarium; 2) Ab ipsa natura haec activitas suspenditur vel limitatur et aliquando definitive tollitur; 3) In similibus, mediis chimicis activitas physiologica quorumdam organorum suspenditur legitime, v. g., somnus hypnoticus inducitur, anaesthesicis mediis homo totaliter a sensibus privatur, salutis procurandae causa. Fortasse hae considerationes inservient ad aliqualiter illustrandam quaestionem de usu mediorum chimicorum, quibus procreatio arbitrio hominis subicitur. Rationes autem sufficientissimae adesse oportent, servatis praeterea omnibus quae supra exponuntur de vera natura amoris humani et coniugalis.

Res autem sub lis est et ad sapientissimum Ecclesiae seu Sanctae Sedis iudicium plene remittitur dilucidanda.

17

Rev.mus P. D. CHRISTOPHORUS BUTLER

Superior generalis Congr. Angliae O.S.B.

Ad n. 21. Cum plurima iam dicta sint de hoc numero, velim has animadversiones humiliter submittere, quanquam nullam solutionem problematis valde perplexi offero. Tantum volo quaedam notare quae, meo iudicio, consideranda sunt in solutione quaerenda.

1. Laudandum est schema eo quod agnoscit quod per abstinentiam iniuria posset fieri et sanctitati ipsius matrimonii et bono prolis. Fines quidem matrimonii *omnes* sunt veri et positivi fines pertinentes ad hoc sacramentalem statum matrimonialem vel coniugalem. Ideo urgens quaestio oritur quoties prudentia vetat periculum incurrere multiplicandae prolis. Prudentia autem est virtus, et quidem pro christianis est virtus supernaturalis. Quaestio est: quomodo *in his adiunctis* reliquis finibus matrimonii humane et caste satisfieri possit.

2. Animadvertendum est quod in his casibus optio est non praecise inter castitatem et concupiscentiam. Optio revera est inter prudentiam et illa iura et officia coniugii quae, etsi sint secundaria, sunt tamen omnino positiva et sancta.

3. Scimus quod virginitas vel caelibatus, vel abstinentia totalis, est vocatio eximia; sed est vocatio particularis quae coniugatis non datur. Et bene novimus quod caelibatus requirit omnino speciales praecautiones et adiu-

menta ut occasiones peccandi evitentur vel removeantur. Sed abstinentia inter coniuges non est per se virtus, nec potest protegi talibus praecautionibus. Immo coniuges debent habitualiter vivere in circumstantiis in quibus omnia *contra* abstinentiam suadent. Sed ut quis in occasionibus proximis nunquam deficiat requirit heroicam virtutem; et debemus nosmetipsos interrogare utrum Deus voluerit tam magnam partem generis humani ex mediocribus plerumque hominibus compositam, debere per modum habitus et per longum tempus ita virtutem heroicam exercere ut iura utrisque compartibus per matrimonium acquisita exercere non possint.

4. Problema non est mere personarum. Est mundialis, viso altero problemate sic dicto demographico. In quantum enim morbo bello et fami, Deo adiuvante, limites imponimus — quod omnino optandum est — in tantum lex naturalis biologica efficiet ut multiplicatio hominum maior evadat quam ut per augmentum cibi equilibrium aliquod inveniatur. Utique in hac re ut in omnibus debemus confidere divinae providentiae; sed non possumus hoc facere sine praesumptione, quae est peccatum, donec omnia licita fecerimus, omnia exquisiverimus.

5. Sacra Scriptura docet quidem castitatem; sed non respondet quaestioni hic positae. In doctrina consuetudinaria moralistarum nostrorum res ad legem moralem naturalem refertur. Estne omnino certum quod nostra intelligentia legis naturalis incapax sit illius evolutionis quam fere omnes admittimus in intelligentia christiana ipsius depositi fidei?

Videtur quod problema de fertilitate matrimonii et limitatione prolis debet considerari sub luce profundae investigationis obiectivae realitatis hominis ut sic.

In evolutione dogmatum de Christo et S. Trinitate inter Concilia Nicaenum I et Chalcedonense cernebatur pedetemptim necessitas distinguendi inter conceptus « natura » et « persona », ita ut amborum recta et adaequata ratio haberetur in definiendis his dogmatibus. Et elaborando hanc distinctionem theologia, quamvis pro multiplici auxilio philosophiae debitrix, ipsa aliquid maximi momenti progressui philosophiae — quae antea hanc distinctionem parum curaverat — contribuit.

Pari ratione, theologia, hucusque, in exponenda lege de recto usu matrimonii, fere exclusive attendit ad *naturam* humanam, et quidem praesertim quatenus homo est *animal* legibus naturae animate subiectum. Sed hodie licet suggerere quod debemus maiorem attentionem dare homini quatenus *persona* est et ad relationes interpersonales coniugatorum non tantum inter se sed in tota societate historica humana spectare.

In quantum *natura* hominis conspicitur, in tantum matrimonium consideratur ut institutum in bonum *speciei* humanae existens. Hinc insistentia in aspectu matrimonii tanquam in finem *procreationis* constitutum. Sed species humana est ens rationis quamvis cum fundamento in re. Quod revera *existit* est familia humana historica. Nec certum est quod id quod bonum sit sic dictum *speciei* (entitatis rationalis vel idealis quasi « in caelis latentis »), hoc

cadat in bonum etiam realis familiae humanae; hoc praecipue dubitari potest viso problemate sic dicto demographico. Forsitan per attentionem ad hominem quatenus est persona cum relationibus interpersonalibus in ordine reali-historico, possit inveniri via ad solutionem quaestionis nostrae.

Quaerendum videtur utrum non sit aliquid verum in suggestione ab em.mo card. Suenens facta, nempe quod finis matrimonii ut status non necessario debeat verificari in quocumque singulo actu coniugali, dummodo finis in toto cursu vitae coniugalis, ut toto, non in oblivionem eat.

In omni casu, necessarium videtur in magno praesenti discrimine auctoritatis non modo stricte doctrinalis sed, verbo late sumpto, *moralis,* et ipsius nominis magisterii inter fideles et ceteros, profundius considerare fundamenta philosophica et theologica doctrinae de matrimonio et coniugio. Haec consideratio, tot aspectuum et tantae profunditatis, vix consummabitur ita ut ad iudicium perveniri possit, ante finem huius concilii, etiamsi quarta sessio proximo anno habebitur. Ideo videtur quod optimum esset si concilium ipsum se abstineret a faciendo tali iudicio et rem determinandam linqueret commissioni post-conciliari quod collaboraverit cum commissione papali de eadem materia instituta.

Ad n. 24, sec. 5. Bonum est quod schema nostrum animum advertit ad problema grave sic dictum *demographicum.* Haec enim quaestio et in se momentosa est et inter illas numeratur de quibus praecipue anguntur mentes hominum hodie in quantum ad futuras necessitates prospiciunt.

Sed liceat mihi suadere ut in futura expolitione schematis hoc problema et profundius explicetur et cautius tractetur.

Schema enim ut iacet in una quidem sententia demonstrat remedium quod in aequiore distributione bonorum terrae consistit, et denique in aliquibus lineis monet ne libertas coniugum de numero prolis restringatur et ut discrimen fiat inter media licita et illicita fertilitatis diminuendae. In ultima sententia concedit coniuges debere rationem habere boni maiorum communitatum.

Quod ad distributionem bonorum terrae attinet, non est incredibile quod tale remedium maxime urgendum esset quoad proxima quinquaginta annos, quippe cum tam tarde coniugibus persuadeatur ut ipsi libere prolem diminuant. Sed hoc remedium etiam adhibitis mediis fecundioris cibi productionis forsan insufficiens dicendum est si ultra quinquaginta annos prospiciamus.

Debet etenim, meo iudicio, schema clare affirmare quod fertilitas humana usque ad hunc diem non nimis nocuit quia periodus vitae expectandae hominibus per bellum famem et pestilentiam vel alios morbos tam minuta sit. Quando autem, Deo adiuvante, nec bella immania nec morbi nec fames influxum magnum habebunt — quod omnino sperandum est — tunc valde metuendum est ne fertilitas laxis habenis tantum progredietur ut vel maxima calamitas sit pro humana gente quam Deus bonus creavit et redemit.

Et in hac luce et media restringendae prolis spectanda sunt et, vellem

quidem suggerere, forsitan ut crisis tanta eveniet ut debeamus, nos Ecclesia Dei, inquirere utrum revera ultra vires civilis potestatis esset legem de hac materia statuere. Quod ad hunc diem spectat, concedo ultimum iudicium ad coniuges solum spectat. Sed num hoc semper verum erit? Et haec est causa quare videtur mihi nostrum schema parum caute loqui.

18

EXC.MUS P. D. ANTONIUS CAILLOT
Episcopus Ebroicensis

In textu schematis XIII, n. 21, ubi agitur de dignitate matrimonii et familiae, lin. 17, adest aliqua lacuna, ex eo quod nullo modo mentio fit de « *Consociationibus Familiarum* », quae tantopere conferunt bono familiae christianae.

Mihi exoptandum videtur, ut in hac linea textus sic exaretur: lin. 16: « Civilis autem societas, quae tunc floret cum floret familia, praesertim mediante consociatione familiarum, sanctuarium familiae, omni quo... ». *Rationes* huius additionis sunt sequentes:

a) In textu citato agitur de *civili societate* quae « revereri » debet sanctuarium familiae ». Atqui, talis « reverentia » eo securius exhibebitur quo fortius apparebit « sanctuarium familiae » coram societate civili, scilicet quo fortius diversae familiae in unum conveniunt, et *consociationem* efformant, quae intermediarium sit inter eas et societatem civilem. Civis singularis nullum influxum habet in gubernium suum, si solus remanet; si autem loquitur per intermediarium quemdam, verbi gratia per coetum Deputatorum vel Senatorum, tunc audietur vox eius. Eodem modo familia singularis nihil potest *sola* facere; si autem cum aliis *consociationem* efformat, tunc efficitur *potentia* quaedam socialis, cuius vox a potestatibus civilibus multo facilius audietur et exaudietur. « Funis triplex difficile rumpitur... ».

b) Talis consociatio familiarum eo magis necessaria est hisce nostris diebus, quo ubique evolvitur societas humana ad formam « socializationis »; hodie fiunt omnia sub respectu alicuius societatis. Oportet ergo ut familiae christianae eumdem modum vitae et actionis adipiscantur, et proinde inter se consociationem instituant.

c) Elapso tempore, et semper hodie, laudes indesinenter tribuuntur a Romana Sede omnimodis consociationibus in campo nationali vel internationali; numquid ergo conveniens esset, ut a Concilio Vaticano secundo aliqua mentio fiat, et quidem cum laude, huiusmodi consociationum familiarum, ut melius floreat singularis familia?

Exopto ergo ut in textu citato inseratur mentio de talibus consociationibus.

19

EXC.MUS P. D. ANTONIUS CARDOSO CUNHA

Episcopus tit. Barensis in Pisidia, aux. Beiensis

N. 21. Arduae et graves sunt conditiones familiae christianae in iis quae ad procreationem prolis spectant.

Anxietate et timore vel spiritu egoistico ducta, societas moderna vult per fas et nefas, eam restringere.

Sancta Mater Ecclesia considerat attente et maximo cum amore hanc difficillimam situationem.

Libri et ephemerides, quae numerare nemo potest, quotidie eduntur in quibus doctrinae omnino periculosae et technica anticonceptionalis minute et subtiliter divulgantur.

Potentes associationes internationales, favente multis in locis publica potestate, propagandam contra natalitatem disseminant.

Exinde iam nationes quamplurimae leges promulgaverunt de regulatione prolis generandae.

Impudenter publice venduntur instrumenta et medicamenta anticonceptionalia.

Haec mala, proh dolor, afficiunt multos qui catholico nomine gloriantur.

Pro hominibus nostri temporis familiae numerosae non sunt in honore et filii habentur ut onus molestum et intolerabile.

Quaestio est ergo magni momenti pastoralis.

Laude est dignum schema nostrum quia locum dedit familiae quae est institutum fundamentale pro vita societatis et Ecclesiae. Sed ea quae in eo dicuntur, ambigue, modo vago et indeterminato, enuntiantur.

Prout iacet, minime respondet expectationi et necessitatibus mundi hodierni.

Nostrum est sequi exemplum et normas Pii XI in Litt. Enc. *Casti connubii* et Pii XII in suis pulcherrimis allocutionibus.

His expositis, peto ut a commissione a S. P. Paulo VI nominata, principia Ecclesiae de hac re, breviter sed clare exponantur, ita ut omnes sciant quid liceat et quid omnino lege divina naturali et positiva, reprobetur.

Instantissime commendetur etiam ut Status modernus leges promulget et conditiones tales instituat quae permittant familiae adimplere missionem quam providentissimus Deus ei commisit.

20

EXC.MUS P. D. ALOISIUS M. CARLI
Episcopus Signinus

Ad n. 21: de fine primario matrimonii in *Gn.* 2, 18.

I. *Status quaestionis.* Quaestio de matrimonii finibus disputationes non paucas hisce ultimis decenniis inter theologos, canonistas et civilistas eo usque excitavit, ut ipsum Sanctum Officium, ad tutandam confirmandamque catholicae Ecclesiae doctrinam, decretum quoddam edere debuerit.

Sententia enim illa quae « *copulae unitivae* » passim nomen accepit,[1] finem matrimonii *essentialem* (quem, e contra, can. 1013 § 1 Codicis Iuris Canonici « primarium » appellat) non, prouti communiter in Ecclesia habitum est, in procreatione atque educatione prolis ponebat, sed in « ... amore reciproco fra i coniugi, che essi possono attuare in modo speciale e più intenso attraverso la piena comunicazione vitale dell'unione sessuale » (Viglino), seu in « ... mutua integrazione fisica e spirituale dell'uomo e della donna » (Cornaggia Medici), scilicet in complemento seu perfectione quadam uniuscuiusque coniugis « personalitatis ».

Quod si interdum huius sententiae patroni procreationem educationemque prolis finem matrimonii *primarium* adhuc vocare pergebant, huic sane vocabulo significationem tribuentes quae «... secundum communem theologorum usum non congruit » (ita Decretum S. Officii, de quo infra), minime tamen *essentialem* habere volebant eo quod, ut ipsi autumabant, procreatio prolis esset matrimonii finis mere *extrinsecus,* immo potius effectus quam finis matrimonii, et quidem effectus societatis potius parentalis quam coniugalis: « i coniugi — inquit Viglino — sono marito e moglie prima che siano, e anche se non potranno mai essere, padre e madre ».

Sed eiusmodi finis secundarii disiunctio a sua essentiali subordinatione fini primario nata erat funesta consectaria gignere in re morali et iuridica.[2] Unde mirum non est quod S. Officium die 1 aprilis 1944 tandem decreverit admitti non posse « ... quorumdam recentiorum sententiam qui vel negant finem primarium matrimonii esse prolis generationem et educationem, vel docent fines secundarios fini primario non esse essentialiter subordinatos sed esse aeque principales et independentes ».[3]

---

[1] Huic sententiae favebant Schwendingen, Rocholl, Michel, Munckermann, Gerads etc. et praesertim Doms in Germania; Brugi, Miceli, Viglino, Cornaggia Medici etc. in Italia. De quibus omnibus cf. PIETRO AGOSTINO D'AVACK, *Cause di nullità e di divorzio nel diritto matrimoniale canonico,* vol. I, Firenze 1952, pp. 345-365.

[2] Cf. orationem PII Papae XII f. r. ad collegium Romanae Rotae die 3 octobris 1941 habitam (*A.A.S.,* 1941, pp. 421-426).

[3] *A.A.S.,* 1944, p. 103.

Nuperrime in aula conciliari aliquos Patres audivimus eadem, quasi essent nova neque a Sancta Sede improbata, repetentes immo per S. Scripturam haud recte comprobantes: non esse, scilicet, admittendam distinctionem inter finem primarium et fines secundarios matrimonii; amorem coniugalem, quo « personalitas » coniugum perficeretur, in ordine finium aequo iure ac prolis generationem esse considerandum, ideoque actum coniugalem legitimum reddere etiamsi non ordinetur ad prolis generationem; amorem coniugalem esse in se bonum et appetibilem cum suis legibus et exigentiis; catholicos hucusque fere exclusive institisse in effatu biblico « Crescite et multiplicamini », at in umbra reliquisse aliud effatum « Et erunt duo in carne una »; totam denique coniugalem vitam, in suo complexu sumptam, non autem unumquemque actum coniugalem, relationem servare debere ad procreationem.

Ex aula conciliari, ob absentiam secreti hac in re maxime necessarii, quaestio ad ephemerides deducta est. Plura nunc dicuntur et scribuntur quae dum admirationem, ne dicam scandalum, multorum fidelium excitant, falsas interpretationes fovent et fortasse, proh dolor, pessima consectaria producunt in concreta vita coniugum, difficultates haud leves sive ordinis philosophico-theologici, sive praesertim ordinis moralis creant.[4] Inter alia, cum finis mearum animadversionum directe haec non attingat, liceat recolere: *a*) hucusque Ecclesia agendi rationem suis fidelibus imposuisset, quae eos inutiliter ad sacrificia heroica vocasset et proh dolor ad aeternas poenas exposuisset; *b*) non intelligitur quomodo metaphysice admitti possint duo fines aeque primarii; *c*) in tractanda hac quaestione saepe saepius quidam auctores catholici oblivisci videntur hominem nunc versari in statu naturae lapsae, licet a Christo redemptae, esse scilicet per peccatum originale « secundum corpus et animam in deterius commutatum » (Conc. Trid. Sess. V, c. 1, *DB*, 788), cuius sequelae maxime in re sexuali manifestantur, difficultates quidem legis divinae observandae sacramento matrimonii minuente, at contra eas augentibus hodierni hypererotismi circumstantiis, cuius homo ipse et causa et victima est; *d*) proinde, ab hac plus minusve abnormi situatione historica, quam scientiae biologiae et psychologiae, a fide independentes, tamquam homini omnino naturalem ac primordialem accipiunt, initium sumere non licet ut a theologis statuatur quinam sit ordo realis finium ab Institutore matrimonii Deo intentorum, et quaenam sint leges et exigentiae naturales recti amoris coniugalis; *e*) denique non agitur de quaestione utrum sit legitimus et fovendus amor coniugalis (de hac re Ecclesia numquam dubitavit), sed utrum amor, qui non ordinetur ad finem primarium matrimonii, sit legitimus necne.

II. *Ratio theologica.* Ex textu biblico « Crescite et multiplicamini » (*Gn.* 1, 28; 8, 17; 9, 1. 7) — quidquid in contrarium in aula conciliari

---

[4] Cf. BENVENUTO MATTEUCCI, art. *I giorni del Concilio - Discussioni sull'amore coniugale,* in *L'Osservatore Romano,* 31 ottobre 1964, p. 2.

dictum sit — sicut non licet eruere obligationem pro omnibus et singulis hominibus contrahendi matrimonium, ita profecto non potest deduci uniuscuiusque matrimonii finem primarium, ideoque praeceptivum, esse prolis procreationem. In illo enim textu id unum ostenditur, Deum nempe velle ut *humanum genus,* in suo complexu sumptum, donatum quidem ab Ipso benedictione foecunditatis per institutionem matrimonii, crescat et repleat terram eamque sibi subiiciat.

E contra patroni sententiae copulae unitivae, putantes se matrimonio maiorem tribuere « spiritualitatem » contra falso assertam « materialitatem » doctrinae traditionalis, argumentum sumebant etiam ex *Gn.* 2, 18, illudque « adiutorium simile sibi » interpretabantur de mutua coniugum vitae consortione deque « ... complemento della personalità per mezzo della differenza dei due sessi » (Miceli). Quod ferme nonnullos video moralistas et canonistas, licet sint asseclae doctrinae traditionalis, tenere, quippe qui, dum verba *Gn.* 2, 18 pro fine primario matrimonii negligunt, pro secundario afferant.

Sed liceat mihi ab utrisque dissidere, quatenus « adiutorium simile sibi » in *Gn.* 2, 18 intelligendum sit directe et per se de uno fine primario matrimonii, scilicet de prolis procreatione, et nonnisi indirecte et implicite de mutuo coniugum « complemento », quod vocant. Id et ratio philosophico-theologica suadet et accuratior biblici textus contextusque interpretatio.

Exordium est sumendum ab aeterno illo consilio quo Deus, inter multiplices modos quibus terram hominibus replere poterat, generationis carnalis modum elegit per masculum et feminam. Patroni impugnatae sententiae, si sibi constantes esse velint, teneant oportet masculum eo fine (primario seu essentiali) incompletum esse creatum, ut postea compleri posset per feminam. At haec opinio vix admitti potest, nam:

1) Primo, est negandum virum esse incompletum in sua « personalitate », quam dicunt, eique feminam congruum per sexualem commixtionem praebere complementum, et vice versa. Sequeretur enim viros non coniugatos feminasque non maritatas quasi deminutos in sua « personalitate » esse censendos, eosque proinde officio obstringi suae « personalitatis » per usum matrimonii complendae: quod absonum est et iniuriosum pro tot viris et mulieribus. Hominem quippe non coniugatum licebit quadamtenus incompletum censere, at in linea tantum facultatis generativae (quod est aliquid materiale prorsus), minime vero in linea « personalitatis » (quod est maxime spiritualis). Actuare autem illam facultatem generativam per matrimonium est omnino liberum pro posteris Adae; immo, iuxta catholicam doctrinam, sacra virginitas est per se melior quam coniugium. Illa igitur « incompletezza », quam vocitant, dici potest imperfectio hominis sensu valde relativo, scilicet relate ad generativam facultatem tantum, et quidem si et in quantum homo sponte eligat illam traducere ad actum. Sequitur praeterea illud per alterum sexum complementum, si et in quantum libere expetatur,

non posse non intrinsece ordinari ad alium finem, nempe ad prolis procreationem.

2) Secundo, sit sane vir incompletus in sua « personalitate »: at quaerendum manet cur Deus talem creaverit. Respondent adversarii: ut complementum accipere possit per feminam; quae quidem responsio mihi videtur inepta et insufficiens. Inepta quidem, quia utique indicat *id quod* complet « personalitatem » viri, sed silet *cur* incompletus creatus sit vir, et *cur* tantum per feminam compleri possit ac debeat. Insufficiens responsio, quia non quietat intellectum adhuc pulsantem: nonne rectius Deus ipse, per se et immediate, in sua « personalitate » completum creare potuisset? Cur non fecit? Cur per distinctionem et commixtionem sexuum complementum viro dandum disposuit? Nonne idcirco quia distinctio et commixtio sexuum praeordinata erat ad consequendum aliquem finem praetergredientem ipsam personalem coniugum perfectionem, prolis nempe procreationem et generis humani propagationem?

3) Ceterum id plane congruit Dei sapientiae qui finem generalem solet attingere per fines particulares, bonum universale persequi mediantibus bonis particularibus. Congruit et Dei agendi rationi in ceteris rebus creandis adhibitae. Enimvero cetera animantia ante creatum hominem creaverat Deus in sexuum differentia, profecto non ut alter sexus perficeretur ab altero in sua individualitate, sed ut uterque per mutuam commixtionem cooperaretur ad speciei multiplicationem. Iam age, quod in mutis animantibus sola instinctus vi obtinetur, in animali rationali obtinebitur ratione voluntateque instinctui moderante nobilitatemque afferente. Quod si in hac sexuum commixtione masculus et femina bona quaedam sibi particularia inveniant, utputa sensuum delectationem, mutui amoris fomitem, mutuum adiutorium in coniugalis vitae consortione, sanationem concupiscentiae,[5] ac si quid huiusmodi, omnia haec dicenda erunt *media ad finem,* etiamsi finis de facto rarius attingatur quam illa media adhibeantur; invitamentum, iuvamen ac praemium quibus Auctor ipse naturae sapienter suaviterque coniuges allicit ad onus prolis generandae et educandae; aut, si mavis, *fines secundarii erunt* dicendi qui, etsi immediate et ante primarium et saepius quam primarium ab hominibus intendantur plerumque et attingantur, numquam tamen amittere possunt suam intrinsecam et obiectivam ordinationem et

---

[5] Concupiscentiam adesse in Adamo etiam ante peccatum originale ex eo constat quod concupiscentia nihil aliud sit quam naturalis appetitus delectationis sensitivae, nullamque in se involvere deordinationem quoadusque rationis imperio subiiciatur. Mala vero effecta est concupiscentia ex quo, deserente animam ob peccatum gratia divina, repugnare coepit rationis imperio. Post peccatum originale matrimonium, hominibus concupiscentia mala (cuius scilicet deordinatio a peccato est et ad peccatum inclinat iuxta Tridentinum, Sess. V, can. 5, *DB* 792) laborantibus coepit esse, praeter officium naturae, etiam remedium aliquod, non autem tale quae omnes carnis tribulationes auferat et deordinationis pericula. Sed hic finis extrinsecus, qui per accidens supervenit instituto matrimonii, non valuit mutare aut oblitterare eius intrinsecam ordinationem ad prolis generationem.

subordinationem *fini primario* a Deo praestituto, prolis nempe generationi et educationi.

III. *Textus Gn.* 2, 18. Sed tempus est ut ad textum biblicum *Gn.* 2, 18 propius accedamus. Ex narratione Geneseos comperimus priorem esse creatum virum quam feminam, prioritate temporis quae, etsi minime dimetiri potest, est tamen certa.[6]

Adam, primus vir, se constitutum a Deo patrem et caput futurorum hominum (non ergo se *solum* in terra mansurum) non tantum, ante creationem feminae, novisse debuit ex scientia praeternaturali sibi indita aut ex Dei explicita revelatione, sed etiam colligere valuit ex sui ipsius physica structura.

Praeditum quippe vi generativa procul dubio se sensit, ad idque muneris apparatu quodam speciali nec non et instinctu ad vim illam actuandam se a natura instructum cognovit. Simulque, quae erat eius eminens scientia, Adam facili negotio intellexit sexualem illam conformationem suam imparem esse et insufficientem ad finem generationis consequendum. Hinc, ne Auctor ipse naturae argueretur quod facultate inutili aut inactuabili primum virum donasset, exigentiam alicuius auxilii comperuit Adam pro actuanda sua facultate generativa.

Huiusmodi auxilium mutorum animantium masculis providerat Deus per creationem alterius sexus. Quid simile, sed multo nobilius, providit Deus primo viro per creationem mulieris. Quae idcirco intenditur et vocatur a Deo *adiutorium* viri, quod in sua structura psychophysica sit una idonea ad adiuvandum virum in actuatione suae facultatis generativae; *simile* autem *sibi,* quod aptissima sit una ad finem procreandi prolem eiusdem speciei dignitatisque ac Adami.

Itaque sexuum differentia, mutua eorum attractio complementumque per carnalem copulam a Deo volita sunt (sunt ergo et ipsi fines Operantis principalis) et in psychophysica viri feminaeque structura quasi insculpta sunt et impressa (sunt ergo et ipsi finis operis, licet secundarii), praecise ad propagationem generis humani consequendam (en finis operis primarius). Quis ergo rationabiliter dicat coniunctionem masculi et feminae institutam esse essentialiter seu primario ad inserviendum coniugum sexualitati et non potius, e converso, sexualitatem (idest sexuum differentiam, attractionem commixtionemque) prolis generationi?

Hinc plana est via ad recte intelligenda verba Sacri Textus. *Gn.* 2, 18: « *Dixit quoque Deus*: *Non est bonum* (idest: non est respondens ideae divinae, ex qua omnis pendet rerum bonitas; non est conforme divinae ordinationi) *esse hominem* (hebr. = *Adamum*) *solum* (hebr. = *solum ipsum*); *faciamus* (hebr. = *faciam*) *ei adiutorium simile sibi* ».

Praetermittamus quod, in sententia a nobis impugnata, valde improprie *adiutorium* vocaretur mutuum illud complementum « personalitatis », siqui-

[6] De fide est mulierem ex creato viro — ergo, post virum — creatam esse (cf. *1 Cor.* 11, 8; *1 Tim.* 2, 13).

dem *adiuvare* aliquem recte dicimur quando opem nostram agendo conferimus ut cum ope illius unum effectum simul producamus.

Sed — id quod maius est — si vera esset interpretatio quam improbamus, incongrue Hagiographus, in enarrandis summis omnium rerum originibus ac legibus, Deum induxisset, per tam absolutam asseverationem (« Non est bonum ») tamque sollemne propositum (« faciamus ei... », unice sollicitum de bono *personali* Adae, scil. de complemento eius « personalitatis », praetermisso aut accidentaliter tantum volito propagationis humanae speciei generali bono.

Ceterum *solitudo*, quae hic dicitur non bona, idest divinae ordinationi contraria (« Non est bonum esse Adamum solum ipsum », iuxta hebr.); solitudo ex qua Deus constituit liberare Adamum, non potest rationabiliter accipi pro defectu comitatus, quasi absque sociis quibuscum colloqueretur amorisque vincula necteret, eius esset et vita taedio affecta et « personalitas » deminuta. Nam huic defectui medendo praesto erant alia media ac mulieris creatio. Deus ipse, « cuius non habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus illius, sed laetitiam et gaudium » (*Sap.* 8, 16) familiariter cum Adam colloquebatur; Angelorum insuper consortium, Deo sic disponente, possibile erat; ergo ex se non erat necessaria praesentia aliorum hominum in Paradiso ad tollendam Adami solitudinem. Quod si instes consortium hominis cum hominibus esse naturalius, teneas saltem ad hoc non esse necessariam *feminae* praesentiam; sufficere alterius *viri* praesentiam, immo plurimorum aliorum virorum quos Deus ipse immediate creare, sicut et primum, potuisset.

Cur igitur creatur *femina?* Profecto quia erat tollenda *unicitas* primi incolae terrae potius quam eius solitudo; iuxta Decretum Dei erant multiplicandi homines super terram, et quidem non per immediatam a Deo uniuscuiusque creationem sed per carnalem generationem unius hominis ab altero. Praeordinatus enim erat Adam ut *caput* et *pater* ceterorum, non ut simplex *primus ante alios,* ideoque ad opus carnalis generationis apte fuerat instructus facultate organisque ad id idoneis. Sed talia erant facultas et organa sexualia viri ut naturaliter indigerent *adiutorio* et veluti complemento alterius sexus. Itaque creata est femina et peculiari psychophysica structura donata, ut aptissime inservire posset ad complendum id quod deerat potentiae generativae viri.

Proinde extra mentem Hagiographi, quemadmodum et extra ipsam rerum naturam, dicenda est sequens affirmatio: viro esse creatam feminam principaliter ad tollendam eius solitudinem, vel ad complendam eius « personalitatem ». Ad id enim sufficiens fuisset *socius,* etiam alterius speciei, superfluum autem erat femineum *adiutorium.* Ceterum ex *Gn.* 2, 18 satis colligitur feminam dari viro adiutorium, et non vicissim: quod proprie non consonat cum interpretatione *mutui* adiutorii vel *mutui* complementi « personalitatis ». Ideam subordinationis feminae ad virum in linea generativae potentiae habemus etiam alibi in S. Scriptura expressam, v. g. in *1 Cor.*

11, 9: « etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum ». Sed ne exinde falso deduceretur feminae inferioritas etiam in linea « personalitatis » et dignitatis, perpulchre Deus creavit feminae corpus ex viro, animam vero immediate per se ipsum, ut ostenderet functiones ambo-rum esse quidem dissimiles, alteram alteri praestantem quoad prolis generationem, eandem vero esse speciei dignitatem paremque « personalitatis » vim. Unde et in *1 Cor* 11, 11 subiungitur: « Verumtamen neque vir sine muliere... Nam sicut mulier de viro, ita vir per mulierem: omnia autem ex Deo ».[7]

Prosequitur *Gn.* 2, 19-20: « *Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terrae... Appellavitque Adam cuncta animantia et universa volatilia caeli et omnes bestias terrae*: *Adae vero non inveniebatur adiutor* (hebr. = *adiutorium*) *similis ei* ».

Parum ad rem nostram interest utrum haec animalium adductio ad Adam et nominum impositio sensu stricte litterali interpretanda sit, an tantum allegorico. Id unum refert profecto, iuxta Hagiographum non esse inventum inter animantia illud *adiutorium* aptum quo indigebat Adam. Exinde iterum colligere possumus cuiusnam esset naturae quaesitum adiutorium. Nam si *adiutorium* illud, ut volunt asseclae theoriae copulae unitivae, directe et essentialiter esset « il mutuo completamento della personalità » vel « la mutua integrazione fisica e spirituale », inepte id et ridicule sapientissimus Adam inter muta animantia quaesivisset, rationis expertia et proinde essentialiter incapacia dandi et recipiendi aliquid spirituale!

At si quaesitum *adiutorium* est aliquid physici, complementum scilicet in linea facultatis generativae, bene utique explicatur sacra narratio. Animantia enim Adam suis oculis videre poterat bina et bina ante se, masculum et feminam copulata, suis unumquodque sexualibus organis instructa. Plurium animantium masculos conspiciebat Adam organa sexualia gestantes simillima suorum. Prona erat cogitatio: animantia creata sunt a Deo in adiutorium omne genus hominis, tamquam praesidis eorum (*Gn.* 1, 26); numquidnam *adiutorium* etiam pro actuanda facultate generativa, quo Adam naturaliter indigebat, quaerendum erat ex feminis illorum animantium? At plane intellexit Adam, sive scientia praeternaturali usus sive speciali Dei illustratione donatus, non illic se invenire posse *simile sibi,* scilicet aptum pro humanae prolis generatione, *adiutorium.*[8]

---

[7] De femina ut adiutorio viri, cum evidenti relatione ad *Gn.* 2, 18, alios textus habemus in S. Scriptura. Tales sunt: « Qui possidet mulierem bonam inchoat possessionem; *adiutorium secundum illum* est, et columna ut requies » (*Eccl.* 36, 26). « Tu fecisti Adam de limo terrae, dedistique ei *adiutorium* Hevam. Et nunc, Domine, tu scis quia non luxuriae causa accipio sororem meam coniugem, sed sola posteritatis dilectione in qua benedicatur nomen tuum in saecula saeculorum » (*Tob.* 8, 8-9). Textus *Eccli.* 17, 5: « Creavit ex ipso *adiutorium simile sibi* », habetur in una Vulgata versione.

[8] Consonat id cum scientia physiologiae ex qua comperimus copulam hominis cum animali numquam posse ad generationem pertingere. Ex biblica narratione forsan non exsulat consilium Hagiographi vehementer reprobandi, per quandam quasi plasticam repraesentationem,

Gn. 2, 21-23: « *Immisit ergo Dominus Deus soporem... Dixitque Adam: Hoc* (hebr. = *haec,* in femin.) *nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea: haec vocabitur Virago quia de viro sumpta est* ».

Praeviderat Deus, et nunc providet, proportionatum et Adae dignum *adiutorium* per creationem mulieris.[9] Quam ut conspicit vir, gaudet tandem aliquando inventum esse *adiutorium* frustra inter animantia quaesitum, perfecte sibi aptum ad prolis generationem. Gaudet praesertim de modo quo provisum est adiutorium, quia, dum feminae mutorum animantium minime de masculis suis erant creatae sed de limo terrae (*Gn.* 2, 19), femina viri de viro, quasi pars illius creatur.

Prosequitur *Gn.* 2, 24: « *Quapropter relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhaerebit uxori suae et erunt duo*[10] *in carne una* (hebr. = ad carnem unam) ».

Ex praemissa narratione Hagiographus, forti consequentia illa « quamobrem », deducit officia viri erga uxorem suam.[11] Tenetur ergo vir (obligatione quae bene exprimitur, prout fit in legibus statuendis, per verba de futuro: « Relinquet... adhaerebit... et erunt »), tamquam mercedem debitam ob praestitum sibi *adiutorium,* reddere uxori: *a*) dilectionem quae vincat vel fortissima sanguinis vincula; *b*) vitae communionem tam firmam tamque indissolubilem, ut veluti *unam carnem* viventem cum illa efformet.[12]

Sic femina, e viro in creatione veluti praecisa, per coniugale consortium redit iterum in virum, fit quodammodo iterum caro viri. Quare S. Paulus admonere potuit: « Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua.

---

delictum bestialitatis, unum ex nefandissimis tunc temporis contra naturam vitiis grassantibus, de quo cf. legislationem *Ex.* 22, 19 et *Lev.* 18, 23; 20, 15.

9 Consilium Dei creandi viro feminam non est ita intelligendum quasi Deo supervenerit viro iam creato talique structura physica ditato. Dicatur rectius ideo talem creasse Deus virum, quod praeordinavisset Se ei in femina postea daturum aptissimum adiutorium pro opere generationis.

10 In textu masoretico habetur tantum: « *et erunt ad carnem unam* ». In versione graeca LXX, quam praebent etiam *Mt.* 19, 5; *Mc.* 10, 8; *1 Cor.* 6, 16 et *Eph.* 5, 31 adduntur verba « *hoi dyo* » (latine melius reddenda per « *ambo* », quam per « *duo* », ratione articuli determinativi), quibus bene significatur matrimonium nonnisi inter duos coniuges determinatos institutum esse.

11 Haec officia sunt sane reciproca inter coniuges, sed quoniam tempore Hagiographi polygamia grassabatur et prope servitus mulieris effecta erat, peropportune praeprimis erant indicanda officia viri erga mulierem.

12 Cum textu masoretico « *ad carnem unam* » consonat graeca versio LXX « *eis sarca mian* », quam referunt etiam *Mt.* 19, 5; *Mc.* 10, 8; *1 Cor.* 6, 16 et *Eph.* 5, 28. Sanctus Hieronymus, et post eum multi (cf. D'Avack, *op. cit.,* p. 269), hanc unitatem carnis interpretatus est de unitate fructus unionis coniugalis, scil. de carne prolis quae constat simul ex paterna et ex materna substantia. Haberemus, in casu, novum argumentum pro fine primario matrimonii, quatenus adhaesio viri ad mulierem diceretur a Sacro Textu ordinata ad efformandam unam prolis carnem. Attamen D. N. Iesus Christus textum *Gn.* 2, 24 affert pro indissolubilitate matrimonii, et unitatem carnis praedicat de ipsis coniugibus potius quam de fructu eorum unionis. Infert enim Ille ex *Gn.* 2, 24: « *Itaque iam non* (= non amplius) *sunt duo* (gr. « *dyo* » probabilius vertendum est per « *duae* », scil. carnes) *sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit homo non separet* » (*Mt.* 19, 6; *Mc.* 10, 9). Item pro indissolubilitate unionis coniugalis verba *Gn.* 2, 24 S. Paulus allegat in *1 Cor.* 6, 16 et *Eph.* 5, 28-31.

Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim umquam carnem suam odio habuit: sed nutrit, et fovet eam, sicut Christus Ecclesiam » (*Eph.* 5, 28).

Conclusio. Ex *Gn.* 2, 18 eruitur directe finem primarium matrimonii esse prolis generationem; ex *Gn.* 2, 24 autem eruitur finem matrimonii secundarium esse mutuum amorem, indissolubilitate firmatum.[13]

21

Exc.mus P. D. ISMAEL MARIUS CASTELLANO
Archiepiscopus Senensis

Nn. 23-25: *de agricultura et pace in mundo nostri temporis.* De hac re Concilium — meo iudicio — silere nequit, et quidem propter sequentes rationes:

1. *Agricolae sunt in mundo magnae multitudines*: in Europa 30 incolae super centum, in America Septemtrionali et Centrali 22 super centum, in America Meridionali 59 super centum, in Asia 69 super centum, in Africa 74 super centum, in Oceania 30 super centum. Istae multitudines agricolarum *premuntur magnis angustiis et difficultatibus laborant;* unde verbum, saltem fraternae comprehensionis et solacii, a Concilio nostro exspectant.

2. Ecclesia catholica est usque adhuc aliquomodo « ruralis » in suis consuetudinibus, in sua organizatione territoriali, et ita porro. Immo magna pars vocationum religiosorum et clericorum provenit ex familiis ruralibus; et puto quod etiam inter Patres conciliares quam plures nati sunt in pagis. Veritas haec est: *religio christiana a familiis ruralibus sedulo custoditur* et magnum detrimentum Ecclesia subire deberet, si familiae rurales non amplius in pagis vivere possent.

3. Problema agriculturae intime connectitur cum problema pacis. *Non datur pax si panis non habetur*; et non producitur panis, si pax non florescit. Et panis, seu nutrimentum, producitur per 95 partes super centum ab agricultura, et tantummodo per 5 partes super centum a labore venatorum et piscatorum. Unde revera problema agriculturae est problema pacis.

---

[13] Alii textus S. Scripturae afferri possunt quibus, plus minusve, innuitur generatio prolis ut finis matrimonii primarius. Verbi gratia: *a*) Prima mulier ante peccatum nomen genericum « Virago » ab Adamo acceperat « quia de viro sumpta est ». Postea vero nomen specificum « Heva » accepit « eo quod mater esset cunctorum viventium » (*Gn.* 3, 20); *b*) Post peccatum Heva punitur prius quatenus mater, deinde quatenus uxor (*Gn.* 3, 16); *c*) Conferatur textus *Tob.* 8, 9 citatus in nota 7; *d*) In *1 Tim.* 2, 15 legitur: « Salvabitur autem (*mulier,* in sensu collectivo et generico) *per filiorum generationem* (gr. « dià tis teknogonìas ») si permanserit in fide, et dilectione, et sanctificatione cum sobrietate ». Illud gr. « dià tis teknogonìas » habet valorem hypotheticum, idest: mulier, si pertransierit per statum matrimonialem, poterit salvari dummodo in eo vivat in fide etc. Quod rem nostram attinet, notandum est matrimonium indicari per vocabulum « *teknogonìa* »; scilicet ipsum matrimonii institutum indicatur per eius finem primarium, qui est prolis generatio.

Si autem problema agriculturae pressius investigetur, tres quaestiones maximi momenti pastoralis proponuntur: 1) problema famis; 2) problema conditionis vitae agricolarum; 3) problema redditus oeconomici pro agricolis. Pauca de singulis.

1. *Problema famis in mundo.* Non minus quam 300 milliones hominum fame patiuntur; plus quam mille milliones hominum insufficienter nutriuntur. Semper aliquid simile fuit in mundo, sed nunc scimus fratres nostros fame laborare et possibilitatem habemus eis subveniendi. Caritas urget nos, ut non solum collectae fiant in Ecclesiis de pecunia, de alimentis, de vestibus et aliis rebus necessariis; sed ut alte proclamemus *totam terram datam fuisse hominibus a Deo, ut coleretur,* dum e contra tantummodo 10 partes super centum terrarum nunc culturae subiiciuntur. Aperiantur portae et *rurales accedere valeant immensis territoriis adhuc incultis*; media oeconomina et technica adhibeantur ad redditus intensiores producendos! Elata voce dicatur: homo ante ius recipiendi panem ut eleemosynam, ius habet procurandi sibi panem suis manibus!

2. *Problema conditionis vitae agricolarum.* In pagis vita difficilis est: desunt domus, viae, aquaeductus, electroductus, scholae, loca recreationis, medici et ita porro.

Vita in pagis consideratur inferior vitae in urbibus: rurales aestimantur iniustitiam subire ab aliis hominibus allatam dum e contra ipsi omnibus hominibus media vivendi suppeditant. Immo in pluribus regionibus homines qui sub proprietariis laborant, ut « servi glebae » adhuc habentur.

Proclamanda est ergo necessitas considerandi *rurales sicut alios cives* eisque subveniendi aptis mediis, ut accedere valeant ad culturam et progressum nostri temporis.

3. *Problema redditus oeconomici in agricultura.* Qui in pagis laborant redditus percipiunt inferiores quam redditus illorum qui in officinis operantur. Immo redditus sunt incerti, longo tempore expectantur, et aliquando deficiunt, propter causas naturales non semper favorabiles. Unde rurales, praesertim iuvenes, agros montanasque regiones relinquunt et ad urbes accedunt. Hoc accidit plus minusve in toto mundo, et crisis trasformationis agriculturae sub aspecto technico, oeconomico, iuridico fere ubique verificatur.

Certum est in praesentibus circumstantiis bonum esse aliquam partem populationis ruralis ad alias activitates transire, sed — sub aspectu pastorali — necessarium est quod hoc fiat sine discrimine moralitatis, religiositatis, unitatis familiarum.

Quoad iustitiam socialem notandum est multas dari providentias pro agricolis ad pretia remunerativa tuenda, ad assistentiam socialem promovendam, ad media apta suppeditanda.

Sed necessarium est clare dicere — sicut fecit Ioannes XXIII in *Mater et Magistra* — *agricolas ius habere ad solidarietatem totius societatis*: iustitia enim exigit quod illi, qui totam societatem alunt, ab ipsa societate habeant redditus sicut et alii cives.

Conclusio. Cum agitur de agricultura nostri temporis statim apparet quod homo, ipse homo defendi debet a fame, ab inferioritate, ab iniustitia, a servitute. Sunt adhuc homines, qui exspectant libertatem et dignitatem, quas Christus nos donavit. In favorem hominum agriculturae, intrepide loquamur, exemplum secuti Illius, qui « propter nos homines descendit de caelis ».

22

EXC.MUS P. D. ALFREDUS CAVAGNA
Episcopus tit. Tianus

Mihi videtur quod esset gravis omissio si quando loquitur de pace (art. 25) non adiungatur, saltem in conclusione validam exhortationem ad preces effundendas pro pace.

Nemo obliare potest, et Sacra Scriptura frequenter dat exemplum, quod calamitates et praesertim bella sunt punitiones peccatorum.

Christiani debent semper in memoriam revocare quod peccata sunt causae tanti mali et quod ad ipsos pertinet reparare cum supplicationibus et poenitentia ut Deus ignoscat peccata nostra et avertat indignationem a nobis.

Ceterum etiam ipsi qui credunt solummodo in Deum debent admittere quod omnis offensio Dei voluntarie commissa despiciendo legem naturalem, potest provocare iustitiam divinam et gravia mala provocare toti generi humano.

23

EXC.MUS P. D. ANDREAS M. CHARUE
Episcopus Namurcensis

N. 22. In prima cap. IV istius schematis redactione, sub initio mensis martii huius anni parata, problema culturae brevissime tantum attingebatur, quin fieret materia particularis numeri. Postea autem utile visum est hoc argumentum longius pertractare, cum inter nostrae aetatis problemata, quae magis vitam hominum afficiunt, cultura eiusque diffusio atque promotio non parvum locum obtineant. Unde problemati culturae rite promovendae nunc dicatus est numerus specialis.

Notare iuvat quod in conficienda expositione de cultura, Subcommissio adiutores habuit plures peritos, sacerdotes et laicos, qui multum et feliciter operam dederunt in iis quae ad scientificum aspectum culturae atque ad eius influxum apud nostros coaevos spectant. Textus qui hodie vobis proponitur, venerabiles Patres, a commissione mixta plenaria approbatus est mense iunii huius anni.

Quibus dictis, videamus, primo, quid vocabulum « cultura » significet in nostro n. 22; deinde, quomodo se habeant ad invicem Ecclesia et cultura.

Primo, de sensu vocabuli « cultura ». Media ad culturam acquirendam

nostra aetate magis ac magis crescunt et magis magisque omnibus praesto sunt. Sic latior patet via ad bona materialia, ad bona etiam spiritualia altioris culturae, necnon ad socialem communicationem sub diversis eius formis. Mirum est quomodo in immensum sese extendit sic dicta « memoria » humanitatis! Nunc omnes nos conscii sumus non unam tantummodo, sed plures culturae formas existere. Videte, v. g. numerum et qualitatem librorum quibus componitur bibliotheca sat multorum nostrorum alumnorum in theologia vel in philosophia: tali fortuna non gaudebant adhuc nuper et forsan ipse S. Thomas vel S. Bonaventura eorum iuvenum documentationem appetiisset, illi magni doctores qui Arabum novitatibus tam feliciter usi sunt.

Sed etiam inter populares (l'homme de la rue, l'uomo qualunque), quot sunt hodie qui per photographicas reproductiones, per cinematographicas proiectiones, per televisionem, per radio et per disca, per sic dictos « livres de poche, magazines » et per ephemerides cognoscere possunt tum elapsi temporis, tum nostrae aetatis culturas! Ut dictum est, « primi haeredes sumus culturae internationalis », « nous sommes les héritiers de la culture mondiale » (André Malraux).

Cultura autem non consistit solummodo in exculta formatione litteraria ad quam alludimus nunc, neque, de cetero, in ampliori hominis dominatione super mundum in qua palam insistitur in primis capitibus Geneseos. Dicemus quod hodie ipsa, ipsissima cultura potius reponitur in activitate qua homo, excolendo mundum, sese promovet seseque agnoscit esse ad imaginem Dei factum et cooperatorem esse Creatoris. Explico.

a) Perficiendo mundum, homo seipsum auget ut personam, dum insimul sibi aliisque praeparat vitae plene humanae conditiones.

b) Ut autem cultura hominem vere augeat, rectum valorum ordinem servare debet, ita ut altiores valores in dies magis colantur. Ut dicebam nuper in hac aula, id quod importat quaerere, non est ut quam maximus, sed utique quam optimus progressus attingatur.

c) Vera cultura communionem inter singulos homines et inter etiam communitates promovet. Vera ergo cultura non est individualistica nec materialistica, sed authentice et plene humana. Nil mirum, proinde, quod cultura ad dialogum invitet atque ad omnium culturarum existimationem inducat. Sine dubio, quin valedicere possimus variis particularibus culturis, certo certius venimus, et quidem sine mora, ad universalem et supranationalem culturam.

Nunc, secundo, verbum dicam de habitudine Ecclesiae ad culturam, quam praecise n. 22 schematis sublineare intendit.

a) Proprium suum munus implendo, i. e. evangelizando, Ecclesia eo ipso ad humanam civilemque culturam impellit et feliciter confert. Nota est declaratio Pii XII: « C'est en évangélisant que l'Eglise civilise ». Evangelizando, inquam, i. e. Evangelium praedicando, valorum ordinem et hierarchiam

inculcando, fideles formando et, ut aiunt, animando ut sint quasi fermentum in massa, etiam caritatem diffundendo, quae est vinculum perfectionis et quasi focus irradians, in Christo in totam activitatem totumque habitum hominum.

b) Ecclesia utique in particulari ambitu tum historico tum geographico orta est. Nulli autem particulari culturae *exclusive* alligatur neque alligari potest. Suae vivae traditioni inhaerens, cum omnibus culturis insimul communionem habuit inde ab initio et per saecula. Quod sedulo revocandum est ut feliciter procedant missionarium Ecclesiae opus atque eius, ut ita dicam, inradicatio in quibuslibet vitae culturaeque mundi formis, et antiquis et modernis. Quanti hoc sit momenti in nostro mutationum tempore, neminem fugit.

c) Oportet ergo ut fidei signiferi intellectu et animo culturae divitias cognoscant. Omnes, sed particulariter laici, qui nostra aetate praecipui sunt culturae promotores, huic operi sese devoveant oportet. Unde apparet maximum momentum Institutorum culturalium, sicuti sunt scholae et universitates, in quibus Ecclesiae praesentia et influxus multum conferre possunt. Ceterum idem dicendum est, servata proportione, pro incoeptis quae pertinent ad turismum et ad ludos, generatim ad otii et feriarum organisationem. Et quomodo non cogitare ad reverendissimum Cardijn et ad alios promotores Actionis Catholicae qui quam optime meruerunt et de Ecclesia et de vera cultura?

Concludo. Harum rerum bene conscius, nomine commissionis mixtae, audeo n. 22 schematis XIII proponere (disceptationi et) benigno iudicio Patrum. Dixi.

24

EXC.MUS P. D. MAURITIUS CHOQUET

Episcopus tit. Diospolitanus inferior, aux. Capitis Haitiani

Ad n. 21. A. Mihi valde placet textus schematis qui sic sonat: « Quod vero ad numerum prolis attinet, ... ». Nam totus paragraphus agnoscit parentes esse instrumenta intelligentia procreationis, qui participantur Providentiae divinae in nutrimento ac educatione prolium et proinde debent esse procreatores responsabiles.

B. Mihi etiam valde placent interventiones em.morum cardd. Léger et Suenens, ac beat. patriarchae Maximi IV, eo quod dant amori coniugali ac eius expressioni completae locum quod ad eos in matrimonii fine pertinet; nam procreatio educatioque prolis non possunt se habere modo humano nec completo nisi amor antecedit, comitatur et consequitur: amor realis expressusque est necessarius ad procreationem ac praecipue ad educationem prolis.

C. Textus autem non est completus. Optandum est ut Concilium constituat aliqua principia generalia secundum quae licet coniugibus et confessori-

bus iudicare de situationibus practicis quae eis sese offerent. Proinde subiicio observationes sequentes:

1) Oportet primo coniuges velle admittere et educare omnes proles quas placet Providentiae eis confidere.

2) In realisatione istius divinae voluntatis debent considerare conditiones necessarias ad educationem prolium et iudicium eorum agere non quidem sub ductu egoismi sed secundum authenticam generositatem christianam.

3) Si iudicant quod istae conditiones cogent ut spatium inter partus interponatur, debent, in expressione sui amoris, necessariae ad proles iam natas educandas, agere non quidem propter meram delectationem, sed propter amorem cum delectatione, et igitur eadem principia applicantur ac de gula.

4) Quoad media ad partum evitandum, abortus damnatur.

5) Quoad usum substantiarum narcoticarum (sicut progesteron) oportet fiduciam habere in scientia medica quae potest iudicare de eorum efficacitate et effectibus noxiis ad totum organismum. De hac re, oportet theologia moralis sese liberet a qualibet « spermolatria », quae contradicit ipsam naturam ita prodigam seminum, quae tamen moriuntur nullam vitam causantes.

25

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CIVARDI
Episcopus tit. Thespiensis

1. *Circa la dignità della persona umana* (cap. IV, par. 20). *a*) Va benissimo il voto che « nella vita familiare e sociale sia riconosciuto l'eguale dignità e l'indole propria della donna ». Ma bisogna aggiungere una riprovazione per gli eccessi di un certo *femminismo,* che non riconosce « l'indole propria » della donna, pretendendo una *parità assoluta* di diritti e di doveri, che è contro natura, cioè contro la natura fisica e psichica della donna, mentre ostacola l'esercizio delle funzioni materne. In conseguenza la donna è impiegata in lavori ed esercizi sportivi troppo faticosi e pesanti, che, a giudizio di medici e di scienziati, cagionano disfunzioni sessuali, e dannose modificazioni morfologiche e psicologiche.

Sul problema femminile diede sagge direttive Pio XII nel discorso del 14 ottobre 1956, al Centro Italiano femminile. Propongo di riferirne la sostanza.

b) A proposito di esercizi sportivi, il Concilio dovrebbe dire una parola di riprovazione anche di certe *forme di pugilato* che normalmente mettono in pericolo, non solo l'incolumità fisica, ma pure la vita dei lottatori. In queste competizioni la vittoria è condizionata a una menomazione fisica dell'avversario; il che è contro la legge di natura, violando la dignità della persona umana. Una riprovazione contro questi eccessi del pugilato

e di altre forme sportive, che non rispettano la dignità dell'uomo, è attesa dal pubblico sano.

2. *Circa il matrimonio* (cap. IV, par. 21). Quello che è scritto in questo paragrafo, e più avanti alla pag. 29, righe 14-27, è occasione di equivoci, di false e pericolose interpretazioni. E tali interpretazioni ci furono, ed ebbero subito una vasta eco nella stampa, portando disorientamento in coscienze già, in gran numero, disorientate.

I progressi e i responsi della scienza, dell'antropologia, della sociologia, sono sempre ascoltati e tenuti presenti dalla Chiesa; ma non possono annullare i principi della legge naturale, la quale impone il dovere di non impedire *direttamente* il concepimento. Questo principio va affermato esplicitamente nel testo conciliare, affine di non rendersi complici, involontariamente, di errori e di pratiche peccaminose e gravemente dannose alla civile convivenza.

3. *Circa la vita economica e sociale* (cap. IV, par. 23) *a*) Occorre affermare che la proprietà privata ha una funzione non soltanto *individuale,* ma anche *sociale*; che la proprietà concede *diritti* ma impone anche *doveri.*

Occorre inoltre affermare che il *diritto alla vita* e il *diritto al lavoro* (che è un corollario del diritto alla vita) sono superiori al *diritto di proprietà.* Donde questo principio della morale cattolica, derivante dalla legge naturale: « *in extrema necessitate omnia communia* ».

I due principi sopra accennati sono troppo dimenticati dai cattolici; forse anche perché poco predicati e inculcati dal clero. Mentre sono indispensabili per una soluzione solida della *questione sociale,* tuttora pendente sul mondo, e del *problema della fame,* che angustia tanta parte dell'umanità.

b) La meta cui tende l'azione sociale cristiana è un sistema di *sicurezza sociale,* nel quale i lavoratori (e tutti hanno il dovere di lavorare) abbiano la garanzia di un pane sufficiente e confacente quando lavorano, e quando, per cause indipendenti dalla loro volontà, non possono lavorare. Ritengo molto opportuno che lo Schema faccia menzione di questa meta sociale, che rispecchia un alto grado di civiltà umana e cristiana.

c) Pio XI, nell'Enciclica *Quadragesimo anno,* chiama « pessimo disordine, che si deve con ogni sforzo eliminare », il fatto che « madri di famiglia, per la scarsezza del salario del padre, siano costrette a lavorare fuori delle pareti domestiche ».

Un rimedio a tale « pessimo disordine » — rimedio indicato dallo stesso Pio XI, e poi da Pio XII, e da Giovanni XXIII — è il cosiddetto *salario familiare,* che fu introdotto in parecchi paesi, ma in misura ancora inadeguata.

Anche il *disordine* e il *rimedio* suddetti dovrebbero essere ricordati nel nostro Schema.

d) Oggi il cosiddetto *tempo libero,* e il *turismo* — due fenomeni in continuo e rapido sviluppo — coinvolgono gravi problemi di pastorale e di apostolato; e perciò non possono essere ignorati nel nostro Schema, tenuta presente la finalità prevalentemente pastorale del Concilio.

Questi due fenomeni moderni sono ricordati nel *Sinodo Diocesano* di Roma, promulgato da Giovanni XXIII, rispettivamente negli artt. 685 e 707. Propongo che le sagge direttive contenute in questi articoli siano inserite, nella loro sostanza, nel nostro Schema.

26

Exc.mus P. D. THOMAS COORAY
Archiepiscopus Columbensis in Ceylon

Ad n. 21. I - In principio art. 21 optime dicitur « Personae societatisque humanae salus arcte coniungitur cum familia ». Et paulo post in eodem articulo additur « Civilis autem societas tunc floret cum floret familia ». Unde nihil est linquendum inaussum ut sanitas, sanctitas et stabilitas familiae omnimode tueatur et roboretur.

Multa hac de re possunt dici. Tamen ne abutar patientia vestra, Patres venerabiles, unum tantum punctum velim in mentem revocare nempe de munere materno in familia.

Certocertius pater-familias, ut caput familiae, primatum tenet in regimine familiali, sed in educatione et in formatione prolis praesertim ad vitam moralem influxus matris omnino superat influxum cuiuscumque aliae personae. Mater est sicut cor vitae familialis. Sub materna cura virtutes humanae in animo prolis seminantur in infantia, nutriuntur in adulescentia, proteguntur et maturescunt in iuventute.

Ad sananda ergo mala praesertim moralia quae tam praevalent in mundo huius temporis, optimum remedium erit solida formatio earum quae debent esse matres familiarum. Sed quam optima formatio nullius valoris erit, si mater habitualiter vel notabili temporis spatio vitam gerit extra familiam. Haec *absentia matris* a vita familiali est quasi quaedam aegritudo pessima in societate moderna. Variae sunt rationes. Sed principalis inter eas videtur esse ratio oeconomica. Multae familiae paupertate laborant. Salarium patris-familias insufficiens est ad familiae necessitatibus providendum. Unde necessitate compulsae matres familiarum laborem petunt in officinis vel aliis locis et consequenter a gremio familiali sunt saepe absentes.

Nemo est quin videat effectus pessimos qui sequuntur. Ex una parte educatio prolis vel est neglecta vel valde defectiva. Ex alia parte multa pericula exoriuntur, contra ipsam vitam familialem. Sequentia sunt quaedam exempla: 1) Pericula multa contra castitatem coniugalem mulierum exoriuntur. 2) Multae feminae gradatim evolvunt indolem ut ita dicam masculinam et spiritum independentiae, et ita recusant responsabilitates coniugales et maternas. 3) Discordiae in familiis sequuntur, et non raro finis est divortium civile et distructio societatis familialis.

Remedium, ut patet, est ut instituantur media necessaria ad praesentiam matris in familia tuendam. Talia sunt: *a*) salarium familiale pro patribus

familiarum; *b*) labor lucrativus qui domo perfici potest a matre familiae; *c*) subsidia socialia ex parte status, etc.

Evidenter si domini seu patroni officinarum debent persolvere salarium familiale et etiam maiorem numerum virorum conducere (propter absentiam mulierum ex officinis) maiori cum salario soluto non possent tam magnum lucrum seu emolumentum ex officinis obtinere. Sed nonne etiam hoc erit quod optimum. Eo ipso enim refrenatur capitalismus exaggeratus et simul habebitur remedium non parvum contra problema carentiae seu penuriae laboris (unemployment) pro viris et iuvenibus, quae penuria laboris causat tot mala moralia et socialia in societate huius temporis.

Erit nova orientatio in societate maximi quidem momenti in qua status civilis habet suas obligationes. Ecclesia autem potest per exhortationes, per actionem catholicam et alia opera Apostolatus laicorum novum hoc impulsum beneficum in mundo huius temporis creare, et ita saltem gradatim conditio matris ut reginae vitae familialis ad suam debitam dignitatem restituere.

II - Liceat mihi perpauca addere de usu matrimonii. Theologicum fundamentum hac de re petenda est non in convenientia humana sed tam in lege naturali quam in lege supernaturali.

Quantum ad legem naturalem: 1) In plantis: ipsissima organa coniunctionis sexualis evanescunt post fecundationem. 2) In animalibus: ista habent sua tempora et momenta. Extra illa tempora ne inclinationem quidem habent ad relationes sexuales nisi forsan in quibusdam animalibus domesticis quorum habitus ut ita dicam, artificiales redditi sunt ad obeundum necessitatibus humanis propter quas illa creata sunt.

Haec sunt saltem vestigia legis naturalis ex quibus patet finis relationum sexualium. Ea quae animalia ex lege quadam caeca agunt homo debet agere per electionem liberam sed responsabilem. Ne dicatur hominem differre ab animalibus. Certe homo differt propter dignitatem valde superiorem. Sed si homo omnino indigeat mediis mere animalibus ad tuendum amorem coniugalem homo evadit peior animalibus et est a sua dignitate degradatus.

Quantum ad legem supernaturalem: matrimonium est sacramentum, conditum a Christo ad exemplar suae unionis cum Ecclesia. Christus autem dilexit Ecclesiam et pro ea sese tradidit ad mortem, mortem autem crucis. Unde amor matrimonialis sicut et Christi amor debet fundari in sacrificio sui ipsius seu in cruce, non autem in sensualitate.

Si liceat dicere quod ob magna incommoda homo potest excusari ab obligationibus quae defluunt tam ex lege naturali quam ex supernaturalitate et quidem sacramentalitate matrimonii, quid dicendum de istis centenis millibus fidelibus qui propter fidem persecutionem patiuntur sine cibo, sine tectu, e patria expulsis, in vinculis, in carceribus... « in melotis, in pellibus caprinis »; licebitne pari ratione illis ob gravissima incommoda, immo ad salvandam vitam, negare fidem et excusari ab obligatione ad martyrium. Ve-

nerabiles Patres, nonne tunc erimus sicut illi de quibus Sanctus Paulus flens dixit eorum Deum non esse Christum crucifixum. Nos possumus omnia sapere, sed debemus sapere secundum sobrietatem, ut optime fecit em.mus cardinalis Alfrink.

27

EXC.MUS P. D. VICTORIUS M. COSTANTINI

Episcopus Suessanus

Caput IV schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* maximi momenti est, immo putamus illud princeps esse totius schematis; nam et propter argumenta quae tangit, et principia quae enuntiat, cunctorum hominum considerationem et attentionem pertrahit.

At perlegenti hoc caput dubium spontaneum in mente oritur: an scilicet tam multa et complexa argumenta expediat pertractare, an vero expediat quaedam tantum principaliora seligere et profundiore modo exponere.

Interim quaedam tantum puncta considerationi et examini subicimus ut aliqua afferamus adiumenta pro textu nostro perficiendo.

In pag. 21, n. 20, *ubi agitur de hominis dignitate.* Quaedam principia ponenda esse putamus quibus character sacer vitae humanae clarissime et fortiter affirmetur ita ut, et iure naturae, et positiva Dei lege, et evangelicis documentis, cuiuscumque hominis vita, sub sanctissimo Dei dominio habeatur et ad peculiarem missionem et ad bonum etiam communitatis ordinata existimetur.

Propterea reprobandae sunt theoriae, quae materialismo et nichilismo indulgent, quae tam saepe, ad homicidium et ad suicidium homines hodierni temporis, inducunt. Instanter veritas innuatur quod vita est semper donum Dei, quia brevis annorum series inaestimabile pondus gloriae operatur omnibus bona facientibus.

Ideo, maxime iuvenes, in familiari educatione iugiter edoceantur ad altiores fines vitam dirigere, praesertim ad bonum sociale promovendum totis viribus. Hoc et non credentes saepissime bene intelligunt et magni faciunt.

Quoad christianos vero sufficit recolere quod omnes homines filii Dei sunt, Christi sanguine redempti, ad eamdem gloriam per ipsius gratiam destinati, et Templum vivum Spiritus Sancti; quapropter vita, tam pretiosa, ad Dei gloriam et ad fratrum servitium quam maxime impendenda est, cum et urgeat Christi praeceptum amandi homines prouti Ipse nos amavit et tradidit semetipsum pro nobis. Nec et cruces, cum adsunt, nec tribulationes aegritudines ceteraeque infirmitates, impediunt quominus humanae familiae servitium amoris reddatur, immo aptissima media sunt, etsi dura, ad testimonium amoris, Christo rependendum.

Expressis verbis ergo reprobetur suicidium (quod hodie — triste signum temporis — tam frequenter accidit praesertim in nationibus ditioribus ut

ex statisticis comperitur), item et homicidium sive in sinu matris per abortum, etc., sive in homine iam nato.

Ex principiis de inviolabilitate vitae logice descendunt damnationes quae utique faciendae sunt contra bella, contra odia quae bella fovent, contra usum armorum nuclearium quae nec iustitiam laesam valent reparare nec damna illata, cum tot luctus et immanes desolationes causant ut ipsa humana species in discrimen irreparabile ponatur.

Haec omnia in textu nostro habentur, sed putamus utiliter illas affirmationes coniungi posse cum doctrina de inviolabilitate vitae.

Dein postquam crimina contra vitam humanam strenuissime deplorata sunt, bene gressus fit ad alia, ex. gr. ut mancipiorum servitus penitus tollatur (n. 20, lin. 22) ut dignitas et iura opificum magis agnoscantur, et similia.

Demum quae progressum favent commendentur ita ut percipiatur Christi doctrina non tantum ad aeternam vitam homines parare et ducere, sed pacem quoque in terris, gaudium, et prosperitatem oeconomicam fovere, cum in pace et concordia etiam in civili societate bona innumera adipisci queunt.

Ad n. 21. Argumentum breviori et clariore modo tractetur, veluti summula quaedam iurium et officiorum, quae logice inter se connectantur. Stylus sit velut telegraphicus, attenta peculiari materia de qua agitur; commentaria alii certe facient.

2. Matrimonii unitas et absoluta indissolubilitas pro baptizatis, rursus claris et simplicibus verbis adfirmetur. *Familiae* etiam qua tales, Christo testimonium reddant in caritate, operositate, et coniuges mutuam sanctificationem iugiter excolant. (In textu pag. 23, n. 1, lin. 13, expungantur verba, quia familia non est imago foederis amoris Christi et Ecclesiae, ut notavit iam card. Ruffini).

3. *Quoad filios.* Principium quod ab initio ponatur: filii scilicet Dei benedictio habendi sunt.

Alte repetatur nihil contra naturam adhibere licet ad filios vitandos.

Item expresse edicatur: quoad scientifica medicalia inventa in hac provincia, quae adhuc studio subiciuntur, nemo iudicium Ecclesiae praeveniat, quae peritis auditis, de liceitate vel minus decernet. Media autem anticonceptionalia per se adhibere non licet.

Nisi timores sint de physiologica vel psychologica minoratione prolis nasciturae, vel de aliis gravissimis adiunctis, coniuges nec facile, nec nimis numerum filiorum timeant; fiduciam habeant in divina Providentia, quia Deus nunquam derelinquit fidentes in Illo. Mos vero unum vel alterum filium tantum habendi (quod in nationibus ditioribus saepe invalescit), nisi causae graviores et licitae id exigant, probari nequit; id enim nec bonum societatis favet, nec ipsius familiae. Crebro compertum est quod vitia abundantius germinantur ubi exiguus filiorum numerus invenitur.

Ad n. 23. Quoad vitam oeconomicam et socialem (pag. 26-28, n. 23) haec adnotare et proponere audeo.

1. Fiant in textu minores sermones, et conceptus nudi et schematici exprimantur.

2. Iura hominum ad aliquam operositatem gerendam nitide affirmentur; (italice: il diritto al lavoro), ita ut, societas debeat quocumque modo omnibus civibus occupationem ad idoneam mercedem habendam providere. Si aliter provideri nequeat, minuatur merces (salarium, ut aiunt) ceteris functionariis, opificibus et negotiorum addictis, ut omnes minimum necessarium ad vitam ducendam saltem habeant. (In regionibus communismo subiectis, etsi absque necessitate, et saepe inhumano modo, haec solutio socialis saepissime habetur, ita omnibus civibus providetur. Per christiana principia caritatis et civilia principia solidarietatis ubique hoc, debito modo, faciendum esset, ut miseria arceatur et via occludatur ad atheum communismum).

3. Clare dicatur dominis et conductoribus et technicis fabricarum non licere percipere excessiva et immoderata stipendia, praesertim si christiani sunt, ne, dum ipsi nimis sumptuose vivunt, opifices, qui pondus diei et aestus deferunt, saepe ne convenientem quidem domum sibi et familiae propriae commodare queant. Proportione facta de responsabilitate et de statu sociali, stipendium largius certe percipiant, at moderationem servent, ne astronomica differentia intersit cum opificum stipendiis seu mercede.

4. Ex altera vero parte asserendum est quod «operistitio» (vulgo: sciopere, strike), non semper licitus habendus est, neque illi opifices facile indulgeant, praesertim quando et gravia incommoda civibus obveniunt et gravia damna toti communitati.

Numquam tamen aperte asseratur licitus « operistitio » (strike) ob politicas rationes tantum intentatus.

Haec affirmare schema nostrum ne timeat, quia signa temporum nostrorum et quotidiana rerum conditio haec exigunt; ne mundus dicat Ecclesiam opificibus non favere, neque ex altera parte, ipsa Ecclesia accusetur « facili demagogiae » indulgere.

Itaque quae sunt Caesaris, Caesari sint, quae sunt Dei, Deo.

Adhuc et alia adnotanda et proponenda essent, quae brevitatis causa omittimus.

28

Exc.mus P. D. ALFREDUS COUDERC
Episcopus Vivariensis

Ad n. 21. *Circa dignitatem matrimonii et familiae.* In aula prolata fuerunt verba iustissima et altissima ad exaltandam dignitatem matrimonii et familiae, et quondam cum vera eloquentia.

Sed mihi videtur quod in hac serie orationum laudativarum huius problematis quidam aspectus non fuerunt sufficienter signati, nec in tota realitate exposita gravia mala quae afficiunt matrimonium et vitam coniugalem. Certe existunt matrimonia voluntati divinae conformia; existunt familiae

fundatae super vitam vere christianam, cuius basis est lex divina, moralitas sincere christiana, exemplum rectum parentum, educatio seria et digna, respectus, oboedientia et affectio filiorum. Quae educatio filiis traditur per media consueta: scholae, religionis instructio, Sacramentorum frequentatio, etc.

Sed praeter eos focos exemplares, quam multi sunt alii qui dant spectaculum vitii et vitae scandalosae, in quibus regnant dissolutio morum, totalis oblivio legis divinae, omnia peccata contra fines matrimonii, sc. adulterium, divortium, onanismus, abortus, practicae contraconceptuales, et etiam polygamia plus minusve cognita. Evidenter haec vitia saepe sunt clandestina, sed non semper.

Iuventus est educata in lascivitate, in frequentatione locorum periculosissimorum, spectaculorum nocivorum. Quod dictum est de Polonia christiana dici potest de aliis nationibus christianis: «Il vizio dell'ubriachezza, di libidine, dei delitti di aborto, gli atti di incredulità sono divenuti una vera piaga nazionale, che rovina il popolo per due versi: coprono d'infamia la santità della natura umana, ed inoltre avviliscono l'anima, offuscano l'intelletto, indeboliscono la volontà ».

Adulti, matrimonio iuncti vel non, non sunt exempti ab his vitiis, et opinio publica confitetur flectionem moralitatis generalem.

2. Ecclesia non potest esse indifferens erga malum tam frequens et tam Regno Dei contrarium et animarum saluti nocivum. Pastores et ministri Christi non possunt oculos avertere ab his omnibus spectaculis.

Quaenam remedia efficaciter possunt obstaculum opponere malo tam generali?

1) Scopus Concilii impositus a S. Patre Ioanne XXIII et a Paulo VI est renovatio Ecclesiae. Quae renovatio non fit solummodo per praedicationem transitoriam doctrinae moralis revelatae, sed etiam per renovationem activam morum, per reeducationem populi christiani, per reditum ad virtutes christianas, et per veram sanctitatem promovendam. Nec dicatur Ecclesiam debere fugere pessimismum et semper sese ostendere matrem misericordem. Necesse est aperire oculos et videre malum quale se ostendit. Porro longa experientia ministerii apud animas cuiuscumque conditionis permittit reperire abusus et eorum gravitatem.

2) Educatio hominum, tam iuvenum quam adultorum, facienda est. Quaenam media efficaciter eam possent efficere? Omnia quae ab Ecclesia proponuntur sunt necessaria et efficacia: praedicatio doctrinae christianae, instructio catechistica, exercitia diversa Actionis Catholicae, revisio vitae, etc.

3) Alia media constituerentur per coetus seu associationes familiarum christianarum, ubi producuntur publicationes adaptatae, v. g.: « L'Anneau d'Or », « Tâches familiales », « Les Foyers Notre-Dame », et alia eiusdem generis. Qui omnes coetus multiplicantur in quibusdam regionibus, et propagant doctrinam christianam; attrahendo alias familias in recessibus, recollectionibus vel aliis coadunationibus sub directione sacerdotum specialisatorum, his mediis concurrunt educationi moralitatis publicae.

4) Modus valde efficax colendi matrimonium et praeparandi focos christianos est praeparatio effectiva iuvenum ad Matrimonium contrahendum ante celebrationem: « L'œuvre de la Préparation au Mariage », directa a sacerdotibus peritis et specialisatis, cum concursu quorumdam medicorum christianorum, adsistentium socialium, focorum particulariter informatorum. Existunt plura centra praeparationis in dioecesibus qui possunt praebere omnia documenta informationis. Experientia testatur hunc modum praeparationis matrimonii efficaciorem esse quam omnia alia media.

29

EXC.MUS P. D. ALBERTUS DEANE

Episcopus Civitatis Mariae

Creo que el esquema 13, ganaría muchísimo, si incluyera algunos de los hermosos principios que se encuentran en el *Adnexo* IV, pag. 35, y el contenido del n. 15, « De iure bona privatim possidendi », etc.

En efecto: hay hambre en las poblaciones del mundo. Millones mueren cada año por hambra, desnutrición, y por la mortandad infantil.

2. Hay falta o escacez de lugar vital.

3. Hay inmensas regiones, sobre todo en America Latina, en donde centenares de millones, y aun varios billones de seres humanos podrían vivir dignamente, y producir económicamente. Faltan en esos lugares la mano de obra (los hombres); y falta tambien el capital necesario.

Por lo tanto: insistir sobre la prevalencia de la ley natural sobre el derecho positivo. Pag. 35, *Adnexa,* dice: « Singularum nationum cives ad hoc vocari videntur, *ut mundi cives evadant* ». Optime.

Que el Concilio haga un llamado por lo tanto a una mundial reforma agraria. Que los gobiernos modifiquen sus leyes, para dar cabida a esos hermanos nuestros, que no tienen en donde ejercitar sus fuerzas vitales en el trabajo.

Asi habría lugar (espacio vital): habrá mayor abundancia, pan y comida y comercio. Mejor nutrición: menos miseria, mejor salud, mas felicidad entre los hombres, y por lo tanto mas paz!

Creo que con estos hermosos elementos de la ley natural, el Concilio tiene ideas directrices para todas las naciones y pueblos del mundo.

Los pueblos de la tierra agradecerá al Concilio por esta forma valiente de encarar los problemas con una visión mundial, fraternal de la humanidad.

30

EXC.MUS P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER

Episcopus Camposinus

Tria sunt quae in § 23 huius schematis veniunt. Ut videtur in schemate affirmatio nitida subordinationis ordinis oeconomici ordini morali, vindicatio dominii privati atque assertio hierarchiae socialis desiderantur.

1. Schema n. 1 huius § 23, declarat evolutionem oeconomicam, ne hominem opprimat, sub eius dominio esse debere, atque eadem ratione postulare in ordinatione evolutionis oeconomicae actuosas plurimorum partes.

Iamvero, quae in evolutione oeconomica hominum oppressionem impedit nec est proprie eius subordinatio hominis dominio, nec actuosae plurium partes in eius ordinatione. Ratio unica quae ordinem oeconomicum humanum reddit est eius subordinatio ordini morali, a quo rectitudo omnium humanarum actionum procedit, quaeque optime obtineri potest etiam cum pauci tantum de evolutionis oeconomicae ordinatione curant.

Recte ergo Leo XIII, et, cum ipso, Ioannes XXIII affirmare potuerunt causam in his rebus agi « cuius exitus probabilis quidem nullus, nisi advocata religione Ecclesiaque reperietur » (Litt. Enc. *Rerum Novarum* apud Litt. Enc. *Mater et Magistra*: *A.A.S.*, 53, p. 405).

Ne timeat ergo Concilium veritatem palam enuntiare, inseratque in suo decreto principium generale a quo rectitudo omnis ordinationis oeconomicae manat.

2. Aliud quod in dies oblivioni datur, atque proinde Concilium nitide proclamare debet, est ius dominii privati, illud nempe quod obiectum est duorum Legis Dei praeceptorum, et a Romanis Pontificibus ut ius naturale constanter vindicatur.

Certe omnia bona terrae a Deo condita sunt ut universo generi hominum utilitati sint. Sed praecise « ius dominii privati hominibus tributum est... ut huius instituti ope, bona quae Creator hominum familiae destinavit, huic fini vere inserviat ». Ita Pius XI (Litt. Enc. *Quadragesimo Anno*: *A.A.S.*, 23, p. 191).

Asserat ergo Concilium ius proprietatis cum duplici eius nota, nempe, quatenus ad bonum privatum et ad bonum publicum ordinatur, ita tamen ut una nota ab altera non separet. Praeterea, Concilium indifferens esse nequit coram systematibus quae ius dominii privati vel extenuant, vel negant aut destruere conantur. Ideo, non placet affirmatio illa generalis schematis (pag. 27, lin. 14/5), sc. « Ecclesia nulli systemati oeconomico obligatur ».

Verum quidem est quod Ecclesia proprium non habet systema oeconomicum; est tamen item verum quod Ecclesia, utpote iuris naturalis tutrix, omnia systemata oeconomica huic iuri repugnantia respuit et respuere debet, ut sunt systemata illa quae ius privati dominii non admittunt et abolere

nituntur. Inde Ecclesia silere nequit de systemate oeconomico Communistarum quod locum non dat dominio privato, quodque proinde in servitutem redegit fere tertiam partem humanitatis. Regimen enim Communistarum reprobandum est non solum quia atheum, sed etiam propter systema oeconomicum quod profitetur, iuri naturali atque proinde personae humanae omnino contrarium. Et haec est alia ratio cur pacifica inter Ecclesiam et regimen Communistarum impossibilis appareat.

Porro, finis propter quem Deus bona terrena condidit postulat non solum ut privatorum dominia in societate exstent, sed etiam ut possessiones non sint omnes eiusdem dimensionis. Quamvis ergo in votis sit ut numerus possessorum semper in dies multiplicetur, et magni faciendae sint possessiones parvae et mediae dimensionis, tamen bonum commune requirit ut etiam quoad bona materialia homines in classes diversas distribuantur, ut optime docebat Pius XII (Alloc. natalitia 1944: *Discorsi e Radiomessaggi,* vol. VI, p. 239). Bonum enim commune non obtinetur nisi societas abundet tum bonis quae ad vitam physicam potius pertinent, tum bonis culturae, scientiarum, artium, humanitatis, religionis, verbo, bonis animae. Immo illa his subordinanda sunt. In hoc enim praecise a brutis distinguitur homo quod ipse facultatum propriarum usu, res materiales in commodiorem excellentioremque vivendi modum vertit. Sic tantum intelligitur cur Deus aurum, argentum, gemmas, materias e quibus subtilia opera textilia conficiuntur, condiderit. Haec omnia, enim, ad splendorem vitae ordinantur ut optime explanabat Pius XII: « Ea omnia, ait tantus Pontifex, quae ad splendorem vitae conferunt, ea omnia quibus eventus iubilosi vel solemnes ornantur, ea omnia quae perennitatem ac nobilitatem spiritus in rebus materialibus refulgere faciunt aestimanda et veneranda sunt » (Alloc. ad IV Conv. Nat. Ital. Gemmariorum, *Discorsi e Radiomessaggi,* vol. XV, p. 492). Unde, christianorum sicut non est his in rebus immorari quasi in finem suum, sic item non est intentionem Domini in his rebus condendis parvipendere. Sub luce sapientis verbi Pii X consideranda est Ecclesiae paupertas, sicut bene exposuit Paulus VI in Litt. Enc. *Ecclesiam suam*: « studium paupertatis non impedit quominus rei oeconomicae momentum recte aestimemus eademque licite utamur, quae his temporibus maximum incrementum cepit et in qua innititur civilis cultus progressus » (Ed. Typis Polyglottis Vaticani 1964, p. 31).

Ut autem bona animae abundantia exstent, societas necessario inaequalibus apte dispositis classibus constare debet. Non enim omnes omnia quae bonum commune requirit facere possunt; nec, disponente Providentia, omnes ad omnia capaces sunt. Speciali modo bona culturae, artis, similium, non ab omnibus pari possunt; munus est enim delectorum virorum, seu melius selectarum familiarum quae traditione, urbanitate, perpolito spiritu, necnon et fortuna illis bonis gignendis idoneae inveniuntur.

In societate, proinde rite ordinata, opus est ut adsint classes cultiores quae incrementum bonorum animae procurando in totius populi vitam ita influant ut conviventia socialis nobilior semper et humanior evadat, sensus-

que classium modestiorum erigatur, sicque revera omnes de splendore vitae a bonis animae instaurato in societate suo modo participent.

Ne dicatur in huiusmodi societate castas tandem formari. Etenim, bonorum animae abundantia causa est elevationis ipsius populi. Sufficit quod classes spiritu christiano imbuantur.

Mens socialista, quae hodie generatim gubernia dominatur et classes sociales abolere cupit, incrementi bonorum animae curam unice Statui competere dicit. Status autem, ut frequenter docet Magisterium Ecclesiae, non est bona necessaria ad bonum commune producere, sed potius conditiones creare in quibus a membris societatis haec bona producantur. Hypertrophia actionis Status paci sociali et populi promotioni nocet (cf. *Pacem in terris,* ubi saepe S. P. Ioannes XXIII libertatem coetuum intermediorum commendat). Praeterea, quae a Statu fiunt, lege determinentur oportet. Lex autem relationes hominum, ut ita dicam geometrice, seu statice definit ad instar cuiusdam idealis generici, dum bona culturae, quamvis legi morali subiecta, ad divitias singulares ingenii humani ordinantur. Unde, vera progressio bonorum animae in regimine ubi libera otia non dantur impossibilis est.

3. Necessaria hierarchia in societate bene ordinata ex dictis patet. Liceat memorare Pium XII homines in classes sociales distributos populum vocare, et omnium omnimodam aequalitatem sub tyrannide legum, massam appellare (cf. all. natalitia 1944, *Discorsi e Radiomessaggi,* vol. VI).

Haec omnia ideis vigentibus in mundo huius temporis non suffragantur. Inde videtur schema ea vitare ne dialogus cum mundo impossibilis reddatur. Historia tamen teste, huiusmodi timor vanus dicendus est. Ecclesia, enim, a mundo graeco-romano audita est quamvis ei proponeret Christum crucifixum, scandalum et stultitiam (cf. *1 Cor.* 1, 23). Hic vero modus agendi, ait S. Pius X, virtutem suam non amittit (cf. Litt. Enc. *Iucunda sane*: *A.S.S.,* vol XXVI, p. 524/5). Ceteroquin, Ecclesia non potest ut placitis huius mundi se consonet doctrinam quam semper professa est derelinquere.

Itaque, emendationes quasdam textus propono:

1. N. 1. huius § 23 retractetur ita ut, posito principio generali de subordinatione ordinis oeconomici ordini morali, statuatur necessitas prae oculis habendi dignitatem personae in omni recta evolutione oeconomica. In partes autem actuosas assignando diversis hominum coetibus, ratio habeatur tum possibilitatis verae contributionis ad evolutionem oeconomicam, tum necessitatis unitatis regiminis in societate bonorum gignendorum (cf. Litt. Enc. IOANNIS XXIII, *Mater et Magistra*: *A.A.S.,* vol. LIII).

2. In n. 2, p. 26/7. Determinetur quomodo progressio recte ordinanda sit, vel cui evolutio oeconomica necessario subiicietur oporteat ne fructus malos pariat qui in textu memorantur.

3. In n. 3, p. 27, lin. 10. Post verbum « libertatis » addatur: « iustaque sociali hierarchia ».

4. In n. 4, lin. 11 s. Sententiae: « Deus bona terrae commune totius generis humani patrimonium constituerit » alia substituatur, cum genus hu-

manum non sit persona moralis cui aliquod patrimonium tribui possit. Dicatur, v. g. verbis desumptis e Litt. Enc. *Rerum Novarum* Leonis XIII: « Deus terram universo generi hominum utendam fruendam dederit ».

In eodem n. p. 27, lin. 12. Loco vocis « distribuendi » melius scriberetur: « acquirendi », cum sapientia populorum proprie non determinet modum distribuendi bona terrae, sed potius acquirendi vel occupandi.

Item, lin. 12, p. 27. Post verbum « constituerit » (vel « dederit » si emendatio supra proposita acceptetur) addantur haec vel similia: « qui finis nonnisi privatis dominiis obtinetur ».

Item, lin. 15, p. 27. Post verbum « obligatur » addatur: « reiicit tamen omnia systemata iuri naturali repugnantia ».

5. In n. 5, lin. 23, p. 27. Post verbum « humanae » addatur: « et coetuum legitimorum in societate exstantium ».

In eodem n. lin. 24, post verbum « discrimina » addatur: « iniusta ».

6. In n. 6, lin. 33, p. 27 supprimantur verba: « vere et efficaciter ». Aliter, videretur Concilium inculcare quod omnis societas, ad bona gignenda constituta, operarios teneretur ut veros socios ascire, quod nimium est et non demonstratur.

31

EXC.MUS P. D. ABILIUS DEL CAMPO Y DE LA BÁRCENA
Episcopus Calaguritanus et Calceatensis-Logrognensis

Ad n. 21. Problema de « dignitate matrimonii et familiae » gravissimum utique et delicatissimum est; tanti momenti tantaeque periculositatis ut mallem non loqui. Puto enim haec omnia non in aula sed in commissione speciali secreto et privatim tractari deberi. Timenda sane sunt mihique magni timoris motivum iam sunt tot et tot commentaria sine dubio inter fideles producta hac nostra publicitate conciliari. Attamen quia in aula sumus, liceat mihi breves quasdam animadversiones in textum nobis oblatum proponere:

I. In n. 21 frequentissime mentio fit de « amore coniugali », adeo ut a § 2 (pag. 23) usque ad finem numeri (pag. 24) non infra 15 phrases vel allusiones in textu occurrant. Amor coniugalis est idea centralis in schemate eiusque valor, necessitas et influxus tanti extollitur, ut *simplici* lectori — et plures habebimus simplices lectores — praedicari et proponi videatur tanquam *primum bonum,* cardo et fundamentum, forte etiam meta, finis et norma cui alia in matrimonio submittenda et a quo cetera omnia derivanda et mensuranda sint. Quid dicendum hac de re? Idea certe pulcherrima est. Eritne etiam accurate et undequaque vera?

Amor coniugalis magni quidem momenti est in matrimonio et ab omnibus, qua par est diligentia, enixe commendandus, fovendus et curandus, at caute simul et prudenter, ne quid nimis. Etenim etiam in re matrimoniali

recta datur hierarchia valorum et, quod ego sciam, in eius cuspide fortasse nequit collocari amor coniugalis, ac si meta sit et finis cui alia ordinari, fortasse et sacrificari debeant.

Amor coniugalis est utique vis motiva, impulsus psychologicus et, quatenus ad consensum libere praestandum movet, principium et causa *matrimonii in fieri* — indulgete mihi terminum scholasticum — at nec primum bonum, nec finis, nec *terminus ad quem* totius vitae matrimonialis.

II. Frequentissime, ut dixi, sermo fit de « amore coniugali », at, ut videtur, vix explicatur quae sit eius natura, quid importet et exigat quaeque illius ordinatio. Phrasis, ergo « amor coniugalis » nimis impraecisa et generica in textu apparet, quin sufficienter explicetur illius pondus et contentum, quod sine dubio habet vel habere debet. Hinc textus noster confusioni et subiectivismo in interpretatione ansam dare potest.

Sermo utique occurrit de « vero amore coniugali, de amore coniugali fideli atque puro, de tenero amoris cultu etc. ». Haec omnia, tamen, non videntur sufficere ad aequivocationes et possibiles errores praecavendos, eo vel magis quod: *a*) in ambiente et commercio sociali hodierno saepissime de « amore », sensu, ut plurimum, non sancto sermo fiat et *b*) in textu nostro silentium fere absolutum servetur de *obiecto, fine et qualitatibus essentialibus,* quae in traditione christiana ad nostros usque dies ab ordinatione naturali facultatis generativae derivantur.

Nihil ergo mirum si ab hominibus huius temporis, qui, certe in peccato originis concepti, sub concupiscentiae influxu et ad peccatum proni sunt, « amor coniugalis », in mundo abstracto idealis et realitas pulcherrima, hodiedum, in mundo nostro, deturpari et de passione sensuali et amore hedonistico, proh dolor!, sumi possit. Ulterior ergo explicatio et opportunior ponderatio in textu desideratur.

III. « Matrimonium — legitur in textu — non est merum procreationis instrumentum » (pag. 23, lin. 36). Certe quidem, nullaque, ut puto, datur difficultas in admittendo huiusmodi propositionem. De cetero verum est posse dari « prolis limitationem », datis sub conditionibus et circumstantiis, cogita casus *mutuae continentiae voluntariae etiam diuturnae.*

Difficultas vero occurrit, quando quaestio movetur de *conciliando usu matrimonii cum voluntaria et quaesita exclusione novae conceptionis in casu unionis de se foecundae et certo certius non sterilis.*

En problema, cui in proposito systemate morali de « amore coniugali » solutio, ultra quod iustum est, facillima datur, cum coniugibus usus conceditur matrimonii et praecise « ad fovendum amorem coniugalem mutuamque fidem firmiter servandam ». Fateor concessionem hanc nimis generosam videri. Qua de re velim notare: *a*) clarius explicandam fore doctrinam hucusque traditionalem de « fine primario » matrimonii; *b*) mirum certe esse nullatenus memorari Enc. *Casti Connubii,* de qua in schemate nequidem mentio fit, dum in *Annexo,* quando citatur, verba illius — et hoc est curiosum — aliquatenus mutantur; *c*) nimis absolutam videri affirmationem illam schema-

tis: « Quod autem ad numerum prolis attinet ultimum iudicium ad ipsos solos coniuges spectat » (pag. 29, linn. 18-19). Norma enim quadamtenus obiectiva stabilienda videtur, quin, meo iudicio, sufficiat loqui de « conscia responsabilitate secundum Dei dona verique amoris normam » (pag. 24, linn. 7-8).

IV. In pag. 24, § 4, linn. 13-17, agendo de difficultatibus matrimonialibus e diversis motivis oeconomicis, sociopsychologicis, civilibus etc. provenientibus, affirmatur amoris coniugalis intimam vim « aegre servari posse nisi ab iis, qui iam magnis dotibus personalibus ornati sunt ». Tacite, ergo, supponi videtur, pro vero amore coniugali in casibus ordinariis servando, necessarium omnino esse usum matrimonii. Hac de re haec solummodo audeo notare: *a*) ex tali affirmatione practica funestissimas ortas fuisse consequentias extra Ecclesiam catholicam ante aliquot decennia, non sine scandalo quorumdam etiam acatholicorum. Caveamus igitur ne similia nunc parentur, saltem indirecte, etiam inter fideles nostros; *b*) mirum videtur vix mentionem fieri de aliis auxiliis — v. g. oratio, sacramenta, gratia — quae coniugibus christianis semper praesto sunt; *c*) dum explicite asseritur vim amoris coniugalis absque usu matrimonii non posse servari nisi « ab iis qui iam magnis dotibus personalibus ornati sunt », implicite probari videtur opinio ab aliquibus iam insinuata, sed ut puto omnino reprobanda, secundum quam vita supernaturalis gratiae stadia admittit evolutiva, eamque plane et plene degi non posse, secundum omnes recti ordinis exigentias, nisi ab illis qui ad superiora stadia iam pervenerunt. Huiusmodi principio sic absolute admisso, dicendum foret ordinem moralem nonnisi pro hominibus magnis dotibus personalibus ornatis valorem et vigorem habere hincque diversa praecepta moralia facillime tamquam pro maiore parte hominum impossibilia aut saltem inadaptata reiicienda esse.

V. In eadem pag. 24, linn. 17-23, conflictus inter rationabilem regulationem prolis et tenerum amorem coniugalem iterum declaratur iterumque opus coniugale necessarium affirmatur, ad vitandum quod coniuges sibi velut extranei fiant, cum periculo pro fide coniugali et pro ipsa prole.

Quid dicendum? Fortasse integra paragraphus tono nimis absoluto decurrit et quidem tam in difficultatibus et periculis indicandis quam in exclusivo remedio proponendo. Altum enim silentium fit: *a*) de aspectu psychico et spirituali veri amoris coniugalis; *b*) de valore « castitatis » in vita matrimoniali; *c*) de mediis spiritualibus adhibendis ad difficultates carnis superandas. Difficultates utique erunt et coniugibus christianis obviam venient, matrimonium enim non est « paradisus recuperatus », at non ideo *onera coniugibus neganda sunt vel imminuenda.* Pari enim iure alia quoque praecepta excludenda forent et neganda.

Concludo. Plurima adhuc dici possent etiam *de minimis in n. 21* contentis. Quia vero res, quae in illo tractatur, valde periculosa est, opportunius erit eam studio « specializato » et secreto Comm. particularis transferre.

Unum tantum brevissimum addam. Methodus in argumento tractando adhibita in schemate apparet nimis « practicista, pragmatica et sociologica », a phaenomeno sociali ad principia arguendo, ac si, cum de ordinatione morali stabilienda sermo sit, *facta leges* et non e converso *leges facta mensurare debeant.*

Animadversiones adnexae:

Valor conciliaris adnexorum. Unicum schema conciliare, cui adnectuntur sic dicta *Adnexa* est schema *de Ecclesia in mundo huius temporis.* Haec *Adnexa* non sunt pars schematis neque in aula conciliari disceptabuntur. Attamen exhibentur ut *documentum conciliare.*

Iam in commissione mixta proposita est quaestio de valore huius documenti. In *Relatione circa rationem elaborationis schematis,* suggeritur ut *Adnexa* « tamquam aliquod commentarium officiale schematis in lucem prodeant » (*Schema,* pag. 41, alinea 3). A Secretario autem Concilii, die 2 octobris, in aula dictum est « Adnexa non habitura esse *valorem conciliarem* » (cf. *L'Osservatore Romano,* 2 oct. 1964, p. 2, col. 2). Et tamen Adnexa distributa sunt Patribus et hi « enixe rogantur ut Observationes seu Animadversiones secretariatui mittant, quarum auxilio dein commissio mixta conciliaris textum emendare valeat » (*Adnexa,* pag. 3).

Si autem hoc documentum non habet *valorem conciliarem,* cur Concilium de illo agit? cur exquiritur a Patribus ut mittant Animadversiones ut earum auxilio textus emendari valeat?

Periculum huiusmodi ambiguae methodi per se patet. Si enim Concilium ad documentum attentionem praestat et Patres conciliares rogantur ut ad perpoliendum textum collaborent, documentum non potest non habere aliquam saltem speciem valoris conciliaris. Auctoritas doctrinalis Concilii necessario compromittitur aliquo saltem gradu.

Hoc posito, ad attentionem Patrum conciliarium excitandam circa momentum horum *Adnexorum,* facimus sequentes observationes generales:

1. *Adnexa* complectuntur quaestiones difficillimas, valde complexas et maxime tangentes susceptibilitatem hominum nostri temporis, ut patet vel ex ipso eorum titulo: I. *De persona humana in societate*; II. *De matrimonio et familia*; III. *De culturae progressu*; IV. *De vita oeconomica et sociali*; V. *De communitate gentium et pace.* Neminem fugit quot et quam implexa problemata doctrinalia nondum matura in his argumentis lateant. Agitur enim de quaestionibus, circa quas sub respectu quo exhibentur in « Adnexis » scientia catholica est recentissima, ideoque in multis punctis adhuc est incerta, fluctuans, opinionibus personalibus obnoxia, nondum matura.

Potestne Concilium suam auctoritatem doctrinalem compromittere vel in minimo gradu, approbando ut documentum conciliare haec ampla *Adnexa* (constant 59 paginis), absque disceptatione et accuratissimo examine?

2. Doctrina in *Adnexis* recepta non semper est doctrina communis vel communior inter catholicos. Haud raro *Adnexa* reflectunt mentem unius tantum sectoris opinionis catholicae sententiasque huius sectoris ita exhibent ac si essent doctrina iam matura et recepta in Ecclesia. Exemplo sit *Adnexum II, De matrimonio et familia* de quo speciatim in observatione sequenti.

3. In quaestionibus gravissimis de matrimonio, non solum praescinditur a doctrina communi, verum etiam non satis attenditur (ne amplius dicam) ad magisterium auctoritativum Sanctae Sedis et RR. Pontificum.

Omittentes analysim de momento quod in *Adnexo* tribuitur conceptui indefinito « amoris coniugalis », a quo derivari videntur ordinatio matrimonii ad prolem et proprietates essentiales matrimonii (quod novum est in doctrina et prima vice in documento ecclesiastico consignaretur), attentionem ponimus tantum in modo proponendi doctrinam de finibus matrimonii et de exigentiis legis divinae in usu matrimonii, data eorum maxima gravitate.

A) De finibus matrimonii.

Doctrina de finibus matrimonii eorumque hierarchica ordinatione synthetice proponitur in canone doctrinali 1013 § 1. C.I.C. Cum vero circiter ab a. 1935 opiniones spargerentur quae hanc doctrinam subvertebant, Sanctum Officium, cum approbatione Pii XII, die 1 aprilis 1944, decretum edidit quo illas opiniones reiiciebat, clarius proponens doctrinam synthetice in c. 1013 enuntiatam. His indicatis, transcribimus textus horum documentorum et *Adnexi,* quo facilius comparatio institui possit:

Canon 1013 § 1

« Matrimonii finis primarius est procreatio atque educatio prolis; secundarius mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae ».

Decretum Sancti Officii, 1 aprilis 1944:

« An admitti possit quorumdam recentiorum sententia, qui vel negant finem primarium matrimonii esse prolis generationem et educationem, vel docent fines secundarios fini primario non esse essentialiter subordinatos, sed esse aeque principales et independentes. - *Negative* » (*A.A.S.,* 36 [1944], p. 103).

Adnexum II

« Custos vero sanctitatis matrimonii, S. Synodus, omnes homines bonae voluntatis alloquens, monet: Matrimonii naturae et ordinationi contradicunt asserta illorum qui opinantur procreationem et educationem prolis esse aliquid secundarium quod aliis bonis matrimonii postponi vel ab eis radicitus et arbitrarie separari liceat » (*Adnexa,* p. 22, alinea 2).[1]

Profundae differentiae inter doctrinam canonis 1013 ac responsi Sancti Officii et doctrinam in *Adnexo* propositam patent vel leviter legenti: Ex textu *Adnexi* sequitur non contradicere naturae matrimonii asserta illorum qui opinantur:

[1] *Adnexum* in hoc loco nullam refert citationem Magisterii Pontificii. Haud facile huiusmodi omissio excusari potest, cum in aliis quaestionibus minoris momenti nota soleat poni recentiores Magisterii Pontificii locos referens, praesertim Ioannis XXIII. Dixeris hanc omissionem consulto factam esse. Loci citandi in hoc textu sunt saltem sequentes: can. 1031 § 1, cum sit doctrinalis; Pius XII, Alloc. ad Praelatos Rotales, 3 oct. 1941 (*A.A.S.,* 33 [1941], p. 423); Decretum Sancti Officii, 1 aprilis 1944 (*A.A.S.,* 36 [1944], p. 103); Pius XII, Alloc. ad Obstetrices, 29 oct. 1951 (*A.A.S.,* 43 [1951], pp. 848 ss.).

a) Procreationem et educationem prolis non esse aliquid (aliquem finem) magis principaliter intentum a natura quam alia bona (alios fines) matrimonii;

b) bonum (finem) procreationis et educationis licere ab aliis bonis (finibus) aliquando separari, etsi non radicitus (?) et arbitrarie;

c) dari bona (fines) matrimonii quae non sunt essentialiter subordinata procreationi et educationi prolis;

d) dari bona (fines) matrimonii quae sunt bono (fini) procreationis et educationis prolis aeque principalia et separabilia, etsi non radicitus et arbitrarie.

B) De exigentiis legis divinae in usu matrimonii.

Adnexum agens de hoc puncto, remittit in nota ad Encyclicam *Casti Connubii,* praetermittens omnino magisterium Pii XII.

Quo autem facilius animadvertantur differentiae inter doctrinam exhibitam in « Adnexo » et illam propositam in Enc. *Casti Connubii,* transcribimus textus parallelos:

Enc. Casti Connubii	*Adnexum II*
« Cum igitur quidam, a christiana doctrina iam inde ab initio tradita neque unquam intermissa manifesto recedentes, aliam nuper de hoc agendi modo doctrinam sollemniter praedicandam censuerint, Ecclesia Catholica... altam per os Nostrum extollit vocem atque denuo promulgat:	« Custos vero sanctitatis matrimonii, S. Synodus, omnes homines bonae voluntatis alloquens, monet: ...
quemlibet matrimonii usum, in quo exercendo, actus, de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere, et eos qui tale quid commiserint gravis noxae labe commaculari » (*A.A.S.,* 22 [1930], p. 560).	Legi divinae et ordinationi matrimonii contrarius est etiam omnis deliberatus hominum interventus qui opus personae actui coniugali proprium vitiat; [6] nec convenire potest talis agendi modus integritati amoris coniugalis » (*Adnexum,* p. 22, alinea 2).[1]

Quam magnae differentiae intersint inter utrumque textum facile animadvertitur. Notamus tantum unam maximae gravitatis: Encyclica declarat esse contrarium legi divinae *quemlibet matrimonii usum, in quo exercendo, actus, de industria hominum,* NATURALI SUA VITAE PROCREANDAE VI DESTITUATUR. Adnexum vero declarat legi divinae esse contrarium *omnem deliberatum hominum interventum* QUI OPUS PERSONAE ACTUI CONIUGALI PROPRIUM VITIAT. Praescindentes ab incertitudine illius novi conceptus « *opus personae proprium* » nullibi definiti, locutio « *interventus* QUI OPUS PERSONAE ACTUI CONIUGALI PROPRIUM VITIAT », etsi posset sensu ampliore intelligi ita ut includeret quoque interventum

---

[1] Adnexum in nota 6 in qua citat Encyclicam *Casti Connubii* deberet dare citationem ex *A.A.S.* (vol. 22, 1930, p. 560), non vero ex Enchiridion Denzinger-Schönmetzer, in quo nescimus quo iure et criterio omissa sunt verba Encyclicae quibus affirmatur doctrinam quam nunc denuo R. Pontifex promulgat esse « *ab initio traditam neque umquam intermissam* ».

quo actus coniugalis naturali sua vitae procreandae vi destituatur ante vel post actum ipsum coniugalem, tamen sensu stricto, prout hic intelligenda est, non declarat contrarium legi divinae nisi deliberatum interventum qui vitiet *actum coniugalem ipsum, in se consideratum, seu dum ponitur* (v. g. per interruptionem actus, vel per eius positionem cum instrumento protegente). Non excludit interventum, qui extra actum ipsum coniugalem destituat actum sua vitae procreandae naturali vi.

Ut patet, hic praeiudicatur quaestio illa gravissima de « pillulis », ad quam sese referens R. Pontifex Paulus VI in sollemni allocutione ad em.mos Patres Purpuratos die 23 mensis iulii 1964, dixit: « È allo studio, diciamo, che speriamo presto concludere con la collaborazione di molti ed insigni studiosi. Ne daremo pertanto presto le conclusioni nella forma che sarà ritenuta più adeguata all'oggetto trattato e allo scopo da conseguire. Ma diciamo intanto francamente che non abbiamo finora motivo sufficiente per ritenere superate e perciò non obbliganti le norme date da Papa Pio XII a tale riguardo; esse devono perciò ritenersi valide, almeno finché non Ci sentiamo in coscienza obbligati a modificarle. In tema di tanta gravità sembra bene che i Cattolici vogliano seguire un'unica legge, quale la Chiesa autorevolmente propone; e sembra pertanto opportuno raccomandare che nessuno per ora si arroghi di pronunciarsi in termini difformi dalla norma vigente » (*A.A.S.*, 56 [1964], pp. 588-589).

Mens R. Pontificis, procul dubio, non est proponere conclusiones studii ad quod in hac allocutione sese refert, in « Adnexo » quodam conciliari, de cuius auctoritate tot dubia moveri possunt.

Estne igitur prudens ut Concilium haec *Adnexa* approbet ut *documentum conciliare,* etsi minimi gradus auctoritatis, cum in eis tot tantaque gravissima problemata tangantur atque plura ex eis modo parum perspicuo et aequilibrato exponantur, quin de eis adaequata disceptatio in Concilio fiat?

Cum ex alia parte nec opportunum nec possibile sit ut huiusmodi disceptatio nunc statuatur, non restat nisi una prudens via: scilicet ut Concilium prorsus ab his « adnexis » praescindat illaque remittat ad Commissionem Postconciliarem, quae, habita ratione Animadversionum quae a Patribus exhibitae sunt, documentum non conciliare conficiat, forma quam R. Pontifex aptiorem iudicaverit, promulgandum.

32

EXC.MUS P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES
Archiepiscopus Aquensis in Gallia

P. 21, n. 19, lin. 5, pro: « e luce Christi manantia », legere: *e luce fidei et rationis manantia. Ratio*: quia lux Christi proprie a fide percipitur. Sed textus omnes adloquitur homines, etiam eos qui praedicationem non receperunt. Lux Christi, scimus, illustrat et confortat etiam ipsam rationem quam hi homines interrogare, adiuvante Ecclesia, possunt.

Lin. 6, complexorum *et urgentium. Ratio* ad stylum attinet: eadem problemata quae docti rite complexa esse considerant, populi ut urgentia *pa-*

tiuntur; agitur nempe de fame, de bello, etc. Modus loquendi ad mundum maxime pro nostro schemate importat. Hic habetur parvum exemplum inter multa.

N. 20, lin. 8, pro: anxietate, legere: *desperationem. Ratio*: quia de hac agitur: Insuper anxietas statum initialem designat, cui sive spes sive desperatio respondet.

Lin. 12, legere: legibus *et moribus. Ratio* patet: lex sola non sufficit.

Lin. 13, legere: a quacumque servitute. *Ratio*: expressio insinuare videretur iustam servitutem aliquando dari.

Lin. 15, legere: ita *ut.*

Linn. 19-20, textus mutetur: *Christianorum vocatio est sub luce Evangelii, ita adlaborare, ut hoc germen fructus maturos edat. Ratio* est duplex: textus sic a non christianis intelligetur ac si christianismus esset conditio sine qua non ad hoc ut fructus maturi habeantur. Si mundum adloquamur, hoc fiat sine offensione. Insuper, in hoc, christiani sunt lux mundi, quasi munus propheticum habentes.

Lin. 30, legere: vitae *oeconomicae,* socialis. *Ratio*: quia, secundum *Mater et Magistra* ad dignitatem hominis hoc etiam necesse est.

Pag. 21, lin. 17 - pag. 22, lin. 3, quoad redactionem et stylum impressionem lectoribus infaustam dabunt, ac si ad praeteritum respicientes satisfacti simus. Re vera hi valores positivi dantur sed adhuc maxima pars hominum eis non fruuntur. Specialiter considerare debemus communismum impatientiam et ardorem suscitare ac animas ad munera futura adgredienda viriliter invitare. Caveamus ne stylus moderatus et temperatus sic intelligatur ac si debilis animae essemus. Non sufficit, in quadam descriptione symmetrica, elementa negativa etiam enumerare, ut habetur, p. 22, linn. 4-24. Bonum est promovendum, malum eradicandum: utrumque opus dynamice christiani fortiter adgredi oportet.

Pag. 22, n. 20, lin. 23, perversorum, *discriminationes diversas,* et toties. *Ratio*: sic loquitur de apartheid, de « castis », etc.

N. 21. Textus de matrimonio et familia in se pulcher est, sed valde aequivocus, hac nempe aequivocatione affectus, quae inde a primo capite totum schema pervadit. Sed hic ex ipso obiecto aequivocatio gravior efficitur. Nam quos directe schema adloquitur? De facto christianis loquitur modo per se non christianis incomprehensibili, contra intentionem n. 3, pag. 6, expositam. At matrimonium est institutio ordinis naturalis (*a*), a Christo Domino pro baptizatis ad dignitatem et perfectionem sacramenti evectam (*b*). Ex textu non clare patet quando de *a*) vel *b*) loquitur. V. g., pag. 24, tantum pro fidelibus fit sermo. Sed quid huiusmodi sermo ad alios confert? De hoc nihil.

E contra si etiam mundum adloquimur, uti decet, sermo primo fiat de his quae de omni matrimonio sunt vera, postea de matrimonio christiano,

quod ut perfectius pro omni mundo rationem exemplaris aliquo modo etiam induit, quod quandoque p. 23 suggeritur.

Quaestio agitur maximi momenti, quoad praeevangelizationem vel praeparationem evangelicam, quam dicunt. Nam scimus naturam rectam simul dispositionem ad gratiam et fructum gratiae sanantis esse. Duo debent affirmari. Ecclesia exinde operam dare debet ad hoc ut institutiones humanae, inter quas familia eminet, ita, quantum fieri potest, ad rectitudinem reducantur, ut via ad Evangelium praeparetur. Unde iam adhuc hodie omnes homines universaliter docere debet ac adiuvare.

Pag. 23, linn. 6-7, phrasis contradictionem implicat. Quomodo extra naturam illucescere potest *omnibus in fide* dum nondum omnes habeant fidem? Insuper verbum: sacer aequivoce sumitur, ut ex historia patet. Vita est sacra, sed hoc non directe ad pietatem refertur; sacramentum est sacrum. Sensus non est idem. Unde textus mutetur: Cum Christus institutionem matrimonii ad dignitatem sacramenti pro baptizatis elevaverit, christianis munus incumbit sacrae naturae familiae coram mundo testimonium dare.

Animadversio quoad phrasim: « quam homines pii numquam ignoraverunt »: hic modus loquendi hominibus hodiernis displicet, dum ex experientia historica forsan contrarium constet. Nam quaestio non versatur circa opinionem piorum hominum sed agitur de momento sociali familiae in hac vel illa societate. At patet fere semper haberi simul venerationem erga vitam uti sacram, et abusus (quos scimus ex peccato provenire), ut sunt polygamia, conditio mulieris, servitus filiorum sub potestate patrisfamilias, divortium, etc. Scimus v. g. hodie apud Sinenses multas mulieres et multos iuvenes sese a servitute familiae liberatos esse profiteri. Unde caute de factis loqui oportet.

Linn. 16-19: phrasis « Civilis... servet » veniat post: « Parentum... ponatur ». *Ratio*: educatio sese refert ad parentes christianos, de quibus quaestio est immediate supra. Postea de civili societate.

Linn. 20-24 bene exprimitur vocatio propria christianorum relate ad omnes homines. Sed haec idea inde a principio n. 21 clare ponatur: relate ad matrimonium, ut est institutio naturalis, matrimonium sacramentale indolem exemplaris induit, quia hoc modo etiam natura sanatur et roboratur in ambitu totius societatis.

Lin. 30 legere: *adlaborare satagent*. *Ratio*: facere oportet quod est possibile. Textus noster videtur sese prae primis ad regiones catholicas sese referre, dum christiani in pluribus regionibus perpauci sint.

Pag. 24, lin. 3, quae est sua familia? Familia humana vel Ecclesia? Iterum aequivocatio habetur. Lin. 4 usque ad finem tantum christianos adloquitur. Lin. 5, etiam non christiani non sunt caeco instinctui mancipati. Pro eis littera ut sonat offensiva est. Multa vera in lineis sequentibus dicuntur quae etiam pro hominibus rectis, non baptizatis, valent. Non est loquendum ac si haec rectitudo esset privilegium christianorum.

Lin. 35, legere: quae tamen *pro fidelibus* numquam. *Ratio* est eadem. Omnes adloquimur.

Unde totus textus sic emendetur ita ut clare pateat Ecclesiam *a*) omnes homines de matrimonio adloqui et *b*) specialiter fideles docere, qui dum specifice de sacramento matrimonii plene vivunt etiam alios adiuvant.

Ad n. 22. Opportunum esse videtur hunc textum denuo scribi. Nam elementa et aspectus essentialia culturae hodiernae nequidem nominantur.

V. g. post definitionem culturae, haec hodie specialiter sunt notanda: Scientia et ars technica hodie semper clarius illustrant quid significet dictum: *scire idem valet ac posse*. Unde hodiernus scientificus, *nolens volens,* cognitionem naturae quam acquirit quasi immediate ad applicationem practicam praeparat vel etiam vertit. Dominatio naturae per scientiam est factum sociale et ergo *politicum*. Unde scientificus modernus simul vindicare debet *libertatem inquisitionis* et acquirere *sensus propriae responsabilitatis politicae*. Nam quia scientia potentia facta est, potestas politica eam dominari intendit eaque uti. Hoc factum non est quid accidentale, sed ex ipsa natura practica scientiae modernae prorumpit. Unde non sufficit de dignitate personae tantum loqui. Oportet etiam hominem contra omnimodam « manipulationem » (ac si esset merum obiectum naturae) protegere. Non tantum agitur de physica nucleari, sed de biologia genetica, de psychologia, de sociologia, paedagogia, etc. Homo conditionatus, quem dicunt, et neo-collectivismus habent germina in ipsa cultura moderna. Unde ipsa conscia debet fieri de his possibilitatibus. Ad hanc conscientiam adipiscendam, schema nostrum, non respiciens ad culturam ut heri habebatur, sed prophetice quod futurum sit discernens mundum hodiernum adiuvare deberet. Normae desiderantur pro scientificis quoad inquisitionem liberam veritatis, eiusdemque liberam communicationem et ad responsabilitatem moralem et politicam scientificorum hominum. Quae normae vim obligatoriam forsan habebunt, mediantibus codicibus deontologicis vel legislationibus.

Deest in textu *sociologia culturae modernae*: ad hoc sequentia sunt notanda: *a*) verum est diversas culturas in contactum venire et aliquo modo sese miscere. Hoc est factum hodiernum maximi momenti. Sed modus huius contactus est saepe saepius tragicus, dum societates traumatizantur, ut aiunt, valoresque destruuntur.

b) Aliud factum est apparitio mediorum communicationis novorum (mass media) quae ex se possibilitatem diffusionis culturae ad omnes praebet.

c) Sed de facto usus horum mediorum duo pericula maiora prae se fert: dominatio totalis culturae, horum mediorum monopolii gratia, a Statu (v. g. Status sovieticus). Sub regimine capitalistico, usus horum mediorum ad lucra tantum adipiscenda, passiones blandiendo. Ita ut hae media apud populum vim nocivam et anti-culturalem exercent (la commercialisation de l'imaginaire, quod dicunt).

d) Verum est coetus ampliores ad culturam accedere, sed hi coetus adhuc minoritatem constituunt, dum simul homines conscii fiant, media

hodierna possibilitatem afferre diffusionis culturae ad *omnes*. Democratizatio culturae fit sic exigentia vehemens. Unde *tensio* habetur in societate moderna, nata ex differentia, quae patet, inter possibilitates reales ex mediis technicis ortae et situationem culturae, quae remanet privilegium, etiamsi ad plures extenditur. Communismus hac aspiratione utitur, sed haec aspiratio profundior est et etiam daretur sine communismo. V. g. analphabetismus fit hodie scandalum, quia possibilitas prima vice in historia datur eum delendi. De hoc nihil dicitur in textu. Immo gaudendo de progressu acquisito videmur inter privilegiatos connumerari (nationes divites, classes sociales mediae). Verus optimismus non est satisfactio de itinere facto, sed qualitas spei, ad possibilitates munus adimplendi in futuro respiciens.

Animadversiones particulares. Pag. 25, lin. 2, sed numerus adhuc maior hominis cultura frustratur (cf. recens inquisitio a J.O.C. facta quoad electionem activitatis futurae et quidem in regione diviti Europae occidentalis), in analphabetismo versatur, dum aliorum conditio in peius fit. Satisfactio textus non convenit.

Linn. 2-4 haec necessaria comparatio culturarum remanet privilegium aliquorum doctorum; sed generaliter culturae, non inquantum ab eruditis examinantur, sed inquantum in populis vitaliter existunt, quando sese obviam veniunt, vulnerantur et crisim ineunt.

Linn. 4-6, haec distinctio a christianis percipitur. E contra in multis regionibus non occidentalibus adhuc remanet saecularis confusio, cum cultura elementa religionis includat.

Lin. 9, qualis est ista necessitas? In campo culturali, necessitas est quasi conceptus relativus.

Linn. 15-18, quae hic dicuntur de arte non conveniunt, ac si ars medium esset ad problemata exprimere. Ars valorem finis habet, speciatim in aetate moderna, cum in arte detur experientia metaphysica (quandoque luciferiana), immo quasi religiosa. Iam ex se habet valorem contemplativum. Notandum hic nihil haberi in n. de contemplatione, cum multae perantiquae culturae sensum contemplationis magni faciant. Ars non ad hoc ordinatur ut libertas servatur, sed colendo artem per se homo libertatem invenit, quod valde differt.

Lin. 19 quid est progressus culturae? Sensus termini debet melius definiri. Nam cultura designat opera culturae, ubi caute de progressu loquendum est, vel participatio socialis hominum bonis culturae; in hac participatione progressus datur et dari potest et debet.

Linn. 20-28 non sunt tam clarae; quis sit ordo valorum, a quibus coli debet, a lege, a potestate publica? Si, v. g. de operibus culturae in ordine artis loquamur, fatendum est quandoque affirmatio auctoritativa valorum a potestate publica sterilitatem afferre posse, dum ad creationes validas fovendas requiratur spontanea libertas. Insuper quomodo se habet hic ordo valorum in societate moderna pluralistica? Si datur, est magis ex con-

sensu practico quam ex conceptionibus communibus. Cultura plures aspectus includit, quos melius discernere oporteret.

Lin. 26, quoad otium. Aliquid dici oportet de his quae in detrimentum hominis fiunt in cultura multitudinis (culture de masse).

Linn. 36 et 38: Ecclesia et religio pro eodem sumi videntur, cum relatio inter religionem et culturam diversificetur secundum diversas religiones.

Linn. 38-39, hic textus de arte non est ad rem, cum apologeticam iustificationem sapiat. Ars aliter se habet in cultura sacrali ac in cultura, sicut est cultura moderna, suae legitimae autonomiae conscia. Factum modernum, e contrario, hoc est: processu inde a 4 saeculis orto et non accidentali ars ex ambitu religionis exiit. Causae huius facti sunt multiplices, et non omnes negativae, ut v. g. memorata conscientia propriae autonomiae.

Lin. 41, non sufficit hoc affirmare, cum multi coaetanei contrarium putant. Hic etiam rapide dirimitur problema valde complexum.

Pag. 26, linn. 1-13, denuo textus aequivocus habetur, cum non sit clarum quos adloquatur.

Lin. 3 quae est haec viva traditio, cuius ordinis?

Lin. 5, religio sumitur pro ipsa Ecclesia.

Linn. 5-6, hoc valet pro solis christianis, sed multi sunt culturae signiferi, et quidem optimi, non-christiani, pro quibus haec obligatio, ita expressa, nihil significat, dum ad fidem nemo obligari possit.

Linn. 7-9, idem dicendum: colere in lumine Christi valet pro solis christianis.

Si schema solis christianis loqui intendat, hoc clare dicatur. Si intendat etiam omnibus hominibus loqui, ita christianos adloquatur ut alii etiam intelligere possint.

Pag. 26, n. 23, linn. 14-25, forsan, ante omnia, « rationalizatio », quam dicunt consideranda est, vel etiam « programmatio ». Est nempe quartum elementum aliis profundius (magna ex parte socializatio rationalisationem sequitur).

Lin. 29, verba: « bonae voluntatis » deleantur. Conveniunt in introductione Litterae Encyclicae, sed ut expressio habitualis despectum sapiunt.

Pag. 27, linn. 11-19, clarius deberet dici etiam quandoque mutationes radicales necessarias esse, v. g. reformatio agraria. Multi sunt pauperes qui scandalizantur, ac si Ecclesia « statum quo », quem dicunt ante omnia veneraretur, proprietatem abusivam ut sacram considerans.

Lin. 41 et s. optime adloquuntur christianos in fine.

Re vera hic n. 23 bene illustrat quomodo Ecclesia potest omnibus hominibus et christianis loqui. Hoc exemplum sequi deberet in aliis partibus schematis.

Pag. 29, n. 24, linn. 5-13, forsan mentionem explicitam facere nationalismi, concordiae inter populos laesivi.

Linn. 14-30, hic vel n. 21 supra loquendum esset de familia ut existit cum suis deformationibus et abusibus, ut sunt polygamia, aetas non adulta mu-

lieris eiusque subiectio. Problema demographicum ut in pluribus ponitur in regionibus ubi institutio familiaris deformata habetur. Textus coniuges considerat ac si in matrimonio monogamo, cum aequalitate utriusque, etc. viverent. In nova redactione de quaestione matrimonii collaboratio anthropologi et sociologi videtur necessaria.

Pag. 30, linn. 9-10, verba: « influendo... auctoritatis » deleantur, quia male intelligentur, immo scandalum suscitabunt in multis regionibus, ac si Ecclesia potentia politica esset.

Legere: *responsabilitatem in re politica plene assumendo.*

N. 25, linn. 20-21 corrigantur, quia non intelligantur, cum non sat explicite loquantur. Nam Ecclesia duo affert quae non sunt eiusdem ordinis. In suo mysterio a Spiritu Sancto pacem quae exsuperat... etc., recipit et gustat; agitur de vita proprie theologali quae non est directe elementum pacis politicae de qua directe agitur in textu. Sed potest dici quod vita Ecclesiae ordinem naturalem ab alto illuminat et confortat. Secundo, in sua doctrina sociali principia docet ad pacem humanam adstruendam. De hoc secundo aspectu in textu directe agitur. Phrasis ut sonat a multis accipietur ut pia declaratio sine sensu praeciso.

Linn. 25-26, fortius debet dici hoc esse munus gravissimum et quasi principalius.

Pag. 31, linn. 8-12 non plene concordant cum iis quae optime infra, linn. 25-35 dicuntur. Nam suppressio armorum nuclearium non potest concipi nisi ut pars programmatis ad suppressionem, licet progressivam, belli. Ex opinione multorum peritorum in re militari et politica de facto haec arma non amplius supprimi possunt, in hoc sensu, quod, bello inito, etiam si antea accumulatio talium armarum destructa fuerit, statim denuo construi possunt.

Unde logice, n. 2 (linn. 1-12) deberet melius post n. 3 (linn. 13-35) venire.

Lin. 23, expressio non est sat nervosa: non agitur de melioribus rebus, sed de fame et miseria exstirpanda, quod munus omnes prae praemis obligat. Vehementius loquitur *Pacem in terris*. Quae hic habentur sunt optima sed stylus sapit magis dissertationem quam cor Ecclesiae pacem vehementer exoptans.

Pag. 32, *conclusio*. Eadem dici debent ac pro prooemio et cap. I, scilicet non semper patet sub quo aspectu homines adloquitur. V. g. linn. 4-8 non specifice obiectum schematis respiciunt.

Linn. 20-21 non conveniunt dum quasi excusationem afferre videntur. Ratione muneris praeevangelizationis, Ecclesia ut serva omnium ad munera adgredienda partem suam sumit.

Lin. 22, deleantur verba bonae voluntatis. Linn. 22-25 deleantur ratione allata lin. 20. Linn. 31-35 deleantur quia sic intelligentur ac si collaboratio Ecclesiae in opus humanum sit merum medium ad Missionem.

Idem dicendum de pulchris textibus Scripturae, p. 33.

Concludendo, proponimus ut Concilium institutum creat, cuius munus

sit mundum hodiernum cognoscere mediis scientificis. Hodie tale institutum necesse est, cum mundus continuo immutetur, problemataque nova semper surgant. Utrum post 10 vel 20 annos schema nostrum adhuc mundo respondebit? Unde inquisitio incessans desideratur.

33

EXC.MUS P. D. IOSEPH DESCUFFI
Archiepiscopus Smyrnensis

Ad pag. 22 n. 4. Post difficillimam quaestionem iam in hac aula opportune et feliciter introductam *regulationis nativitatum,* liceat mihi aliam, et istam, temporibus nostris crucialem etiam, attentioni vestrae deferre, scilicet *de divortio,* argumentum quod plures audiendo horrescunt, sed quod in Concilio, nos Patres, tractare debemus, ut oecumenismum praeparemus et expectationem mundi expleamus.

Scitis, Patres sapientissimi, Ecclesiam latinam ab initio usque nunc strenue divortium condemnasse. Dum Ecclesiae orientales, ab initio etiam, cum non erant adhuc seiunctae, divortium acceperant et usque ad tempora nostra admittunt. Eodem modo protestantes divortium recipiunt. Mundus vero acatholicus et non christianus de indissolubilitate matrimonii non curat.

In Ecclesia latina doctrina de indissolubilitate absoluta matrimonii est certa et fidei proxima, sed non est de fide nec divina nec ecclesiastica.

Conc. Lugdunense II (1274) et Conc. Florentinum de divortio siluerunt. Post Florentinum Eugenius IV admissit separationem in casu adulterii. In Conc. Tridentino, maioritas Patrum, 12 exceptis, Ecclesias orientales directe condemnare non auserunt, ita ut, dogmate eluso, quaestio ut disciplinaris esse visa est.

Duo textus s. Matthaei in quibus incisum « nisi ob fornicationem » clare expressum est, sunt authentici et proclamari debebant a s. Matthaeo in sua catechesi ad populum hebraeum, qui a « libello repudii » laxius abutebantur, dum s. Petrus et s. Paulus in eorum catechesi per Marcum, Lucam et Paulum ipsum scripta, evangelizabant populos a lege romana rectos, in qua quaestio non fit de divortio. Usque nunc explicatio scientifica et apodictica textus s. Matthaei a studiosis nondum inventa est. Quare licebit considerare: *non* ut obscurum et contrarium doctrinae aliorum Evangeliorum textum s. Matthaei, sed illum, aut additicium aut completivum, in quo Dominus Noster, in sua infinita misericordia, dum *indissolubilitatem matrimonii* asserit, et libellum repudii abrogat, attamen, excipere dignatus est casum divortii « ob fornicationem », ut infelicis coniugis innocentis et filiorum derelictorum misero statui, ab altero infideli coniugi in discrimine posito, et familiae crudeliter distructae, remedium, iuvamen et rehabilitationem praebeat.

Cum hac benigna et mitiore interpretatione saltem instructi, quae dogmatibus non contradicit, melius dialogum cum Ecclesiis seiunctis et cum

non-catholicis et non-christianis excipere poterimus, non sub respectu dogmatico, sed sub respectu disciplinari, et ad modum alicuius conciliationis sperandum erit.

Ex altera parte, multi infelices coniuges, pravitati consortis traditi, et multi orphani, familia integra orbati, tanquam Matrem et Magistram, Ecclesiam cum gratitudine contemplabunt, quae eos a tantis calamitatibus, peccatis et doloribus salvabit.

Propono: 1. Ut Patres Commissionis Biblicae reverenter rogentur ut velint, si possibile est, sententiam dare de vera, historica et scientifica interpretatione textus s. Matthaei.

2. Ut Patres Commissionis Iuris Canonici, ad instar aliarum causarum, admittere velint in praxi instantiam nullitatis ob *iniustum, affectatum et continuatum* adulterium, unius coniugis, durante matrimonio.

3. Ut recognoscantur leges iurisprudentiae circa matrimonium, praesertim de valore consensus, et detur maior consideratio promissioni unitatis et vitae communis, quae, sicut, et plus quam consensus, est etiam de essentia matrimonii.

Ego, prae oculis habens misericordiam Dei qui toleravit Prophetarum polygamiam et libellum repudii, Christumque Samaritanam Magdalenam et mulierem adulteram absolventem; necnon muneris pastoralis zelo, et animarum salutis ac hodie Unionis necessariae fovendae motus, ut minuantur in mundo scandala et peccata, cum spe consolationis et tuitionis derelictorum et afflictorum, sine timore fovendi licentiam maiorem illa qua societas moderna laborat sub strictiore disciplina, concludo cum hac declaratione quam multi infelices expectant temporibus nostris; quae declaratio adiungi poterit in 2° schematis Adnexo pag. 21 in fine n. 5: Matrimonium est quaedam participatio amoris ac potentiae Dei creatoris et simul signum dilectionis Christi cum sua Ecclesia. Illud imponit homini munera nobilissima sed gravissima, in coniugio indissolubili adimplenda. Quae cum gratia divina perfici possunt. At cum magna sit fragilitas et inconstantia humana, ad vitanda mala quae ex divortio proveniunt, Christus Ecclesiae suae dedit potestatem iudicandi de validitate et de stabilitate coniugalis unionis, ut gravioribus familiae malis mederetur.

34

Exc.mus P. D. ALBERTUS CONRADUS DE VITO
Episcopus Lucknoviensis

Ad n. 21. 1. Dei praeceptum « Crescite et multiplicamini » non tantum refertur Adamo et Evae et hominibus temporis acti, sed est permanens praeceptum.

2. Verba « Et erunt duo in carne una » clare videntur esse consequentia praecepti supra enunciati. Immo ea verba clarissime indicant unionem per-

fectam mentis et cordis et etiam physicam, quae per se finem perfectum habet, nempe prolis conceptio.

3. Matrimonium christianum ratio est distinctionis animalium copulam inter et aliorum hominum matrimonium. Ipsius sanctitas et perfectio in schemate ampliori modo affirmandae essent. Sacramentum et unio Christi cum Ecclesia extollenda sunt.

4. Amor coniugum christianorum debet esse sanctus atque in matrimonio sanctificatus. Pro christifidelibus impossibile est modo pure naturali agere omnesque actiones ad Deum dirigendae sunt. Ipsi ergo in matrimonio amorem amicitiae, amorem caritatis habere debent ac, praecipue in debito matrimoniali reddendo cum gratia agere debent. Debitum debet esse sanctum uti amor filiorum et ceterae coniugum actiones sancta sunt.

5. Amor christianorum coniugum simpliciter naturalis concipi nequit; implicite saltem finem supernaturalem habere debet, etiamsi e caritate perfecta non prodeat.

6. Foecunditas non est essentialis conditio ad debitum reddendum; ideoque matrimonium validum est etiamsi compartes steriles sint. Quaestio tamen non est utrum foecunditas sit vel non conditio ad liceitatem debiti, sed quaestio est utrum licitum sit vel non foecunditatem supprimere.

7. *Est-ne licitum vel illicitum foecunditatem supprimere?* Foecunditas maximum Dei donum est hominibus datum ad humanae creaturae perfectionem et ad propagationem generis humani. Ideoque nemo ius habet foecunditatem supprimendi sterilitatem inducendo, etiamsi haec temporanea esse possit. Eodem modo ac non est licitum supprimere alias facultates, v. g., audiendi, videndi, loquendi, etc. ita nullo modo licet foecunditatis facultatem supprimere, sterilitatem inducendo.

8. *Daturnè causa sufficiens ad suppressionem foecunditatis inducendam?* Principia quae aliarum facultatum protectionem regunt hic applicari debent. Nempe mutilatio vel suppressio alicuius membri humani vel facultatis humanae propter causam proportionate gravem tantum permitti possunt. Generatim talis causa totius corporis vitam respicit, cum agitur nempe de protectione vel salute aliorum membrorum. Ita, v. g., quis oculi remotionem permittere potest ad tollendam causam infectionis in capite; mulieris ovaria removeri possunt ad vitam mulieris salvandam.

Potestne vero uti causa seu ratio sufficiens considerari pro partiali foecunditatis suppressione, praeter rationes communiter allatas, numerus excedens filiorum, familiae paupertas, etc.? Quando agitur de mutilatione seu suppressione aliarum facultatum, vitae totius corporis salvandae tantum consideratur ratio sufficiens. Ideoque a pari affirmari debet in nostro quoque casu.

Suntne rationes adductae revera existentes vel graves?

9. *Numerus filiorum?* Si filiorum numerus ratio sufficiens esset ad foecunditatem supprimendam, tunc Deus, Christus et Ecclesia iam ab initio mundi vel ab Ecclesiae initio omnes homines de hac re instruere debuis-

sent. Uti Deus dixit: « Crescite et multiplicamini », ita debuisset etiam parentum munus quoad filiorum numerum statuere.

Omnino ridiculum est dicere quod pro Adamo et primis hominibus fuisset necessarium multos filios procreare, dum nunc temporis minimus filiorum numerus iam causa sufficiens est a matrimonii muneribus excusatione.

Iura et munera eadem esse debent pro omnibus hominibus, eodem modo pro primo ac pro ultimo; ipsa etenim connexa sunt cum natura et persona humana. Si mulier hodierna uti ius suam foecunditatem coarctare posset, tunc dici debet quod hoc ius Evae quoque pertinebat. Cur denique Deus, Christus et Ecclesia tot millia millium hominum per tot centena millia annorum hanc crucem imposuerunt? Hoc omnino iniustum esset, ideoque impossibile.

10. *Paupertas?* Potius quam de numero filiorum multi sermonem faciunt de paupertate qua maior pars hominum hodie afficitur. Experientia tamen nos docet pauperes minime esse deterritos a filiorum numero nec ab ipsamet paupertate. Illi, generatim, filios donum Dei aestimant et magno cum amore et gaudio inter ipsos sua bona materialia dividunt. E contra sunt divites qui plus quam duos filios nolunt habere. Et unica vera ratio inveniri debet in concupiscentia bonorum huius mundi. Ipsi bona plus quam sufficientia habent ad gaudia vitae assequenda et augenda, ad animalia acquirenda et nutrienda, ad vitam socialem magnis cum expensis colendam, etc., sed filios habere nolunt. Eorum vita coniugalis infelix et miserrima est, immo saepe saepius extra matrimonium felicitatem quaerunt!...

11. *Miseria rerum materialium, cibus deficientia et alia huius generis,* non iam ab iis qui in miseria vivunt, uti causae necessariae ad prolis limitationem adducuntur, sed tantum a Guberniis civilibus vel ab iis qui, etsi divites, ad suis vitiis indulgendum, probare ac defendere exoptant principium de liceitate infoecunditatis obtinendae.

Miseria generatim pendet ab inaequali bonorum temporalium distributione, a iustae retributionis labori debitae deficientia, etc. Si Gubernia civilia, potentates et divites, speciatim « capitalistae » aequo modo iustitiam socialem administrarent, tunc miseria abesset.

Cibus deficientia pendet a causis humanis quae artificiales sunt. Terra non est aeque distributa; agricultura non satis curatur; multis in locis immensae terrae extensiones dantur quae agriculturae non subiiciuntur; saepe terrae fructus propter abusivas legis applicationes destruuntur; denique multis in locis dantur quoque sic dicti « vegetariani » qui cibum a Deo datum sumere nolunt vel sinunt animalia segetes destruere.

Miseria et cibus deficientia sunt mala ab hominibus causata et quae facile de medio tolli possent.

12. *Fidei, spei et spiritus evangelici* carentia est unica et vera ratio cur dentur homines qui, a passionibus dominati, saltem ad tempus mulieris foecunditatem supprimere volunt. Haec suppressio verbis speciosis « suspensio temporanea » vel « foecunditatis retardatio » vocatur. De facto tamen tum

retardatio tum suspensio nihil aliud sunt nisi facultatis generativae suppressio. Eo quod facultas generativa maxima sit inter physicas facultates a Deo hominibus datas pro definito fine, uti vidimus sub n. 2, et uti patet ex Theologia Morali. Pro suspensione foecunditatis eaedem causae requiruntur ac eae quae mutilationem iustificant.

Ideoque illicita est foecunditatis suppressio vel retardatio nisi a causis supra allatis iustificetur.

13. *Consectaria perniciosissima* a « pillulae » usu provenire possunt in mundo huius temporis, qui fere totus in perversionem lapsus est.

Iuventus nostrae aetatis, quae quam maxime a vitae concupiscentia dominatur, si scit usum « pillulae » licitum esse, illo uteretur iam ante matrimonium et sic vita christiana destrueretur.

Novelli coniuges possent « pillula » uti ob diversissimas rationes et sic radicitus matrimonium christianum destrueretur.

Illi qui ab aliquo tempore matrimonio iuncti sunt et felicitatem non invenerunt, facile essent victimae huius farmaci.

Si foecunditatis suspensio licita esset, tunc ipsa facile duceret non tantum ad adulterium, sed et ad promiscuitatem vitae.

Pastores, confessarii, et laici sive catholici sive christiani sive non-christiani pro certo habent quod ista consectaria moralitatem et vitam socialem in hodierna societate destruerent.

Ad n. 22. 1. In schemate dicendum est quid verbum « *rite* » significet, vel saltem dicatur quod vera cultura legi Dei et Ecclesiae contraria esse nequit.

2. Certe non debemus esse tantum laudatores temporis acti et scientiarum progressum ignorare vel negligere, thesaura tamen temporis acti laudanda et servanda sunt et pari tempore dicendum est qua ratione et quo modo culturae progressus perficiendus seu promovendus est.

3. Methodus scholastica, Philosophia scholastica, speciatim Theologia scholastica, non sunt spernendae ac multo minus relinquendae, sed tantum adaptandae hominum huius temporis intelligentiae.

4. Aberrationes huius temporis quae sub nomine « artis » veniunt, omnino reiciendae sunt. Fideles protegendi sunt ab abstractismo, a pragmatismo, a technicismo, a scientiarum exactarum nimia exaltatione, a musica quae in gemitibus et sexualismo tantum consistit, et a similibus quae nihil aliud demonstrant nisi aberrationes mundi moderni.

5. Relate vero ad culturam aliquorum populorum, quae super religiones non-christianas fundatur, commendentur quidem schematis textus, sed, uti factum est in constitutione *de Liturgia,* hic quoque addatur conditio, scilicet: « ... ne inducat in errorem vel superstitionem, aut sit contra legem divinam et legem naturalem ».

6. Casus Galilei a multis Patribus relatus est, mihi tamen videtur nimia cum exaggeratione. Tribunal Ecclesiasticum nihil dixit de validitate vel minus scientiae a Galileo inventae, sed tantum opposuit quod Galilei S. Scrip-

turam adduxerit ad novitatem suae scientiae probandam. Qui quidem modus agendi etiam nunc temporis intelligi potest.

Ad n. 23. Vita oeconomica et socialis est revera problema maximi momenti pro nostra aetate seu pro mundo huius temporis. Rectores Rerum publicarum, Gubernia civilis societatis, Praesides sodalium politicarum, et viri qui magnum influxum in populum habent, continuo huius perdifficilis problematis solutiones proponunt. Immo ipsi amplissimis verbis promittunt paupertatem e medio tollere et, aequa bonorum distributione effecta, omnibus hominibus vitam iucundiorem se esse daturos.

Schema nostrum de vita oeconomica et sociali in cap. IV, n. 23 sermonem habet, principia ethico-socialia tradendo. Solutio tamen problematis videtur nimis theoretica et inadaequata. Omnes homines in toto orbe terrarum a Concilio de hoc vexato problemate, a quo pax et vita hominum in hoc mundo pendet, solutionem practicam adaequatamque expectant.

Maxima pars nostrae aetatis hominum in extrema miseria seu indigentia vivunt; multi ex eis vel sine opere sunt, vel merces seu retributio adaequata eis negatur. Immo in multis regionibus, praecipue in Asia, Africa, et in regionibus ubi libertas civilis extincta est, plurima pars hominum in servitute inhumana vitam agunt.

Sinatis mihi ex epistula cuiusdem missionarii in Africa haec pauca legere verba: "Our land is the poorest in the country, a sandy bushy one, with a great lack of water. The people are most primitive and underdeveloped. They live in severe misery, practically naked and unable to raise cattle because of the tzetze fly disease. The every day diet of our people is maize, salt and water. It is very hard to endure seeing these poor, sons of God, near starvation" (*Mission,* October 1964, p. 6).

Ea quae dicuntur de maiore parte populorum Africae dici quoque debent de illis qui in Asia vivunt. In India ex quadringentis quinquaginta millia millium hominum, saltem quadringenta millia millium in maxima paupertate, ne in miseria dicam, vivunt. Quamvis, ut ab alio Patre iam dictum est, Constitutio Reipublicae Indiae omnes cives aequales declarat, et Mahatma Gandhi vitam suam ultro dedit pro eadem ratione, de facto tamen, septuaginta milliones sunt sic dicti paryas, seu outcasts, senza casta; centum septuaginta milliones pertinent ad inferiores castas, seu low castes, caste basse, nempe laboribus ignobilibus ratione nativitatis ligatis, tali modo ligati ut si non evadunt christiani, nullam habent spem sese sublevandi in civili societate, et nobiliora munera exercendi. Omnes isti, filii Dei, in miseria extrema vivunt. Pretium laboris pro ipsis, in mense, generatim non excedit Summam Rupiarum 50, i. e. Dollars 10 vel L. 10.000, quae summa sufficere debet pro tota familia, saltem quinque personarum, viventes in unico cubiculo aut capanna, simul cum animalibus, si qui sunt.

Ecclesia ad tot centena millia millium hominum sublevandos media materialia non habet. Sed etiamsi media materialia haberet, atque opera misericordiae corporalia pleniori modo exerceret, non posset tamen problema so-

ciale totius mundi solvere, miseriam quae tot milliones hominum in servitutem redigit de medio auferre, ac homines ad fraternitatem universalem ducere, panem quotidianum illis praebendo.

Christus Dominus, Creator mundi, qui quotidie panes et pisces multiplicare poterat ad hominum miseriam sublevandam, numquam media materialia promisit et obtulit. E contra omnibus cuiuscumque temporis hominibus media tantum spiritualia ostendit: « Facilius est camelum per foramen acus pertransire quam divitem in regnum caelorum intrare... Videte lilia campi quae non serunt neque nent... Aspicite volatilia caeli... quanto magis Pater vester qui est in caelis curam de vobis habuerit?... Beati pauperes spiritu quia ipsorum est regnum caelorum... ».

Unica, vera, efficax, practica solutio problematis socialis a Christo data est, quae quidem non reposita fuit in divitiis huius mundi, sed in filiali amore et fide Divinae Providentiae, in evangelicae paupertatis spiritu, in caritate ac fraternitate quae in Christo Domino homines coadunat.

In hac quoque re, historia magistra vitae esse debet. Apostoli et patres nostri Romanum imperium subiugarunt, veteremque mundum converterunt non mediis materialibus, sed evangelicis mediis a Christo pauperibus praedicatis. Si ergo nos mundum huius temporis, quod totus in materia versatur, ad Christum iterum ducere volumus, debemus iterum simplicem Evangelium praedicare et in praxim ad vitam huius temporis applicare; puritas vitae, paupertas evangelica, fraternitas christiana; beatitudines, spes in Divina providentia mundo huius temporis necessariae sunt. Hoc modo Patres nostri servos servitute plena et perpetua (slaves, schiavi) a subiectione potentatum et divitum liberarunt, immo ipsos potentes et divites ad servitium Christi et pauperum allicerunt.

Ista ergo est solutio problematis socialis, quae nos ad mundum huius temporis ostendere debemus. Divina Providentia, puritas vitae, paupertas spiritus, Beatitudines evangelicae, caritas Christi, qua nos liberati sumus, pauperes et servi huius temporis quoque liberabit a servitute mundi qui a materia, a machinis, et sic dicto progressu scientiarum obcaecatur.

35

Exc.mus P. D. HENRICUS DIAS NOGUEIRA
Episcopus Cabralopolitanus

In hac mea brevi elocutione tantum ad cap. IV, n. 25, alineam 2 schematis sub discussione me referam.

Mihi omnino placet quod in Vaticano II, et praecise in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis,* de illicito armorum nuclearium usu, sermo fiat. Nam si quodlibet bellum, ob immanes calamitates sive physicas sive morales quae necessario ab eo proveniunt, maximae anxietati Ecclesiae sem-

per est, quanto magis bellum nucleare seu atomicum. Revera, hoc bellum, etsi tantum adhuc fere in expectatione est, iam populis apparet tamquam horrendum phantasma quod tranquillitatem ab orbe terrarum omnino tollit et inter Nationes amicitiam penitus destruit.

Verum est schema nostrum de bello nucleari iam gravia proferre in hoc numero. Textus autem sub iudice, mea humili sententia, maiore vi condemnatoria praeditus esse debet.

Sacrosancta Synodus omne quodcumque bellum in absolutum proscribere non valet, etsi in eius arctissimis votis est id evanescere ab ambitu Iuris Gentium tamquam aptum instrumentum ad differenda inter Civitates vel inter politicas factiones dirimenda, ut clare deducitur ex alinea 3 huius n. 25. Modo autem solemniori et inaequivoco bellum nucleare expresse, ut totaliter et absolute nefandum, damnare debet. Eius crudelitas et iniustitia numquam legitimari poterunt.

Ideoque declarare debet Vaticanum II super Civitatum Moderatores gravissime impendere ne arma nuclearia parari sinantur, quoniam eorum mera apparatio incitamentum, vel saltem periculum, eorumdem usui constituere potest.

Praeterea omnino arcendum est ab hominum conscientia principium sic dictae « pacis armatae », secundum vetus proloquium: « si vis pacem, para bellum ». Hoc principium, acceptum in societate prae-christiana, absolute abhorrere debet a civitate christiana, in qua idea universalis ac generalis fraternitatis ab Evangelio enatae, omnibus hominibus, semper inculcanda est.

Institutiones internationales ad pacem et cooperationem inter civitates fovendas existentes, maxime Organizatio Nationum Unitarum, vulgo O.N.U. vel U.N.O., continuo et incessanter earum « bona officia » in hunc scopum ita dirigere debent ut immanis potentia sic dicta « vis atomica » ad pacificos fines in humanitatis bonum eiusque felicitatem, semper et exclusive ab omnibus adhibeatur.

Propterea proponere audeo quod textus sub discussione, hoc vel alio simili modo, compleatur:

I. In lin. 2 et ss., pag. 31, ubi legitur: « Quamvis, exhaustis omnibus pacificae tractationis subsidiis... (etc.) ac propterea scelestissimus coram Deo et hominibus iudicandus est » (scilicet, armorum nuclearium usus) addantur verba: « et haec Sacrosancta Synodus sic eum iudicat ac damnat ».

II. In fine huius alineae, post verba: « sed etiam ut arma nuclearia vel alia similia roboris perniciosi omnino extirpentur et supprimantur », addantur haec alia: « Et Organizationes internationales vehementer exhortantur suas vires in hunc scopum dirigere, ita ut vis atomica unice ad fines pacificos, in generis humani bonum eiusque felicitatis incrementum, semper et exclusive ab omnibus adhibeatur ».

36

EXC.MUS P. D. EUGENIUS D'SOUZA
Archiepiscopus Bhopalensis

Ad n. 21. Neminem nostrum fugit huius schematis momentum. Apologeticam valde positivam Ecclesiae constituet, si de praecipuis problematibus recte loquitur, apologeticam vero negativam, si impressionem dat irrealismi vel insufficientiae. Ante omnia ergo oportet ut problemata recte et complete ponantur.

Ideo laudandi sunt auctores schematis et non vituperandi, quod luciditatem et fortitudinem habuerunt ad problema moralitatis coniugalis sincere describendum, praesertim cum vix ullum sit inter homines huius temporis magis agitatum.

Problema moralitatis coniugalis gravissimum vocandum est, in sua extensione, quod tot homines collective et personaliter afficit, et in suis consequentiis religiosis, nam non tantum permultos non valde ferventes, sed etiam non paucos qui ante matrimonium boni catholici erant, post aliquot annos a sacramentis primum, deinde ab Ecclesia avertit. Hoc iam dudum novimus. Sed ultimis annis magis magisque intelligitur gravissimum esse in seipso, id est tam intricatum, tot quaestiones ponens, tot problemata nondum matura involvens. Immo nonnulla nova elementa recenter in eo ponendo intraverunt, ut est explosio demographica, repercussio mundialis, et impraesentiarum terrifica, foecunditatis singulorum matrimoniorum. Hoc factum per progressum hygienae et medicinae nuper inductum est.

Sinatis me quasdam ex his multis quaestiones vobis enumerare. Praecipuae ex his quaestionibus ab aliis Patribus iam prolatae sunt et ideo non repetendae. A peritis philosophiae ethicae quaeritur: Quid est « natura » in ente rationali, per intellectum potentia creativa praeditum? Quid est ergo lex naturae? Quousque se extendit et quo sensu immutabilis dici potest? A psychologis quaeritur: Quid est momentum, valor, sensus sexualitatis in ente psychosomatico, sub aspectu personali, interpersonali et sociali? A moralistis quaeritur: Estne finis matrimonii primario procreatio, quam sequi debet educatio in quantum fieri potest, an primario educatio, seu efformatio personarum humanarum, quae ut patet, nasci debent ut educari possint? Quaenam vita coniugalis normaliter in parentibus requiritur ut secundum leges sanae psychologiae educatione fungi possint? Aliis verbis, quid habet in foecunditate praecedentiam, aspectus biologicus, an aspectus complete humanus? Quaerunt sociologi: Quaenam sunt in hac materia exigentiae boni communis et quomodo cum iuribus personae componi possunt?

Praetermitto quaestiones ordinis medicalis ut ad maxime fundamentales deveniam. Quaerunt theologi: Quid de hac re dicit Scriptura, et quomodo ad mentem cuiusque auctoris sacri interpretari debet? Quomodo scimus utrum quod in hac re traditionem vocare solemus, indubitanter depositum

fidei referat, an opinionem cuiusdam Patris, in casu Sancti Augustini, opinionem in acri polemica pelagiana elaboratam cuius praesupposita neoplatonica in luce recentioris theologiae biblicae vix admitti possunt, et cui alii Doctores Ecclesiae, praesertim Sanctus Albertus Magnus, non plene consentiunt? Exstatne de hac re documentum infallibile Magisterii an non?

Neminem latet gravitatem ipsam problematis recenter permultis reflexionibus et studiis ansam dedisse quarum nonnulla vix in stadio initiali versantur.

Ideoque schema sapientissime hortatur omnes quorum competentiae interest, ut cum theologis allaborent ut complexus ordo a Providentia naturae inditus altius in dies exploretur, aliis verbis, ut de vero sensu quo lex naturae interpretari debeat fiat sincera inquisitio. Peritis etiam in rebus biblicis, patrologia, historia theologiae versatis relinquatur libertas in hac re indagandi et fructum studiorum publicandi.

Dixerit quispiam: quaelibet sint facta a scientia allata, Ecclesia doctrinam mutare non potest quam tenet e Scriptura et Traditione, et quam Magisterium etiam per Encyclicas docuit.

Cui respondeo: sub influxu alicuius facti, Ecclesia adduci potest ad examen criticum modi quo Scripturam interpretandam sibi esse putabat, instituendum. Hoc decursu historiae evenit v. g. cum doctrina de usura, de cosmographia, de libertate religiosa, de salute infidelium. Hoc ultimum, quod cum nostro problemate specialem similitudinem habet, paulo amplius exponere fas est.

Proficiscentes a textu Pauli ad Romanos capite decimo, iam quidam, non vero omnes, Patres post-apostolici requirebant ut quis salvari posset, fidem in Christo explicitam, quam ceteroquin censebant omnibus hominibus possibilem nam « in omnem terram, ait apostolus, exivit sonus eorum », nempe praedicatorum Evangelii.

Quam doctrinam Sanctus Augustinus, in sua polemica contra Pelagium, additis variis rationibus theologicis, systematisavit. Eius influxus tantus fuit ut omnes fere post eum idem dixerint. Etiam Sanctus Thomas qui tamen doctrinam fidei implicitae evolvit, asserit eam tantum pro paganis ante tempus apostolicum mortuis sufficientem fuisse. Cum Evangelium ubique terrarum praedicatum fuerit, nemo inculpabiliter extra Ecclesiam visibilem remanet. Quae opinio communis quasi canonisata est in Concilio Florentino, ut videre est in Denzinger n. 1351. Ergo Scriptura, Traditio et Magisterium conspirare videbantur. Et paulo post Christophorus Colombo Americam repperit, cum innumeris populis ad quos evidenter numquam Evangelium pervenerat. Huius novi facti tamen theologi primo saeculo nonnisi lente rationem habuerunt, praesertim augustiani. Gradatim tamen evolutio facta est et quid Ecclesia nunc teneat, invenitur initio textus emendati propositionum de activitate missionali.

Ecclesia numquam mutabit suum nuntium de Deo et de hominum salute. Sed ubi in sua doctrina facta materialia et concreta includit, obnoxia

est datis quae scientia humana statuit. Saeculo decimo sexto scientia geographica Ecclesiam ad revidendam doctrinam induxit. Cur non hoc etiam possit scientia psychologica, medicalis, sociologica, demographica?

* * *

De proposito elegi verbum « revidere », « reconsiderare », non vero « repudiare vel reicere ». Distinctio summi momenti est.

Et hoc dicendo praeiudicium quoddam dissipare intendo. Quandoque auditur vel in periodicis legitur: in Concilio sicut et foris duae positiones inter se confligunt: positio quae doctrinam traditionalem Ecclesiae defendit et positio contraria; quasi essent duo extrema opposita. Haec conceptio rerum prorsus falsa est. Hic in aula formulatur tantum vel via media, vel unum extremum, nempe rigidae doctrinae. Alterum extremum a nullo prorsus defenditur, ne implicite quidem, nempe extremum hedonismi, pro libidine sexuali plena iura exigentis.

Sed qui viam mediam proponunt notaverunt signa temporum, nempe favorem quem hic hedonismus invenit. Memores illius adagii: tanto periculosior est error quidam quo maiorem partem veritatis continet, hanc partem veritatis, nempe quod vita sexualis in matrimonio quendam valorem in se habet, in conceptionem christianam amoris integrare volunt.

Perniciosus communismus iste tantum successum non haberet si non quosdam valores propugnaret. Ideo non habet sensum communismum impugnare velle per intensificationem capitalismi. Sic non expedit hedonismum impugnare per strictiorem rigorismum.

Ad synthesim superiorem, ut luculenter em.mus card. Suenens exposuit, tendere volumus. Synthesis thesi non opponitur, nisi in quantum thesis nimis unilateralis est. Sic doctrinae traditionali Ecclesiae nullatenus adversamur, nisi in quantum quorundam factorum realium non sufficientem rationem habere possit.

Confidimus quod Spiritus Sanctus, qui datus est Ecclesiae ut ei dynamismum vitae infundat, tuto nos inducet in omnem, id est semper crescentem veritatem.

37

Exc.mus P. D. CLAUDIUS DUPUY
Archiepiscopus Albiensis

Ad n. 23. Progressus technicarum et scientiarum, de die in diem, universalior et velocior, hodie movet, non evolutionem mundi simpliciter dictam, sed profundam mutationem in multis ordinibus. Sed frustra quaereretur usque in hanc diem, ordo quidam secundum quem evolutio, et mutatio illa regeretur: videtur cupiditatem, sive individuam, sive collectivam, saepe anonymam, potestatis, divitiarum et fruitionis bonorum temporalium quasi solam esse potestatem, ut ita dicam, rectricem evolutionis ingentis ge-

neris humani huius aetatis. Exinde provenit ut simul ac res evolvuntur et mutantur, ubique et incessanter, ingentia oriuntur incommoda, dolores, oppressio quibus debiles et destituti imprimis subiiciuntur. His detrimentis gravibus, laedentur etiam hi quibus perturbationes fruuntur.

Iuxta textum propositum, Sancta Synodus, postquam in mentes omnium veritatem hanc primam in mentem revocaverit, scilicet Deum terram omnibus hominibus dedisse ut in ea et ex ea vivent et in eius cognitione et amore iuxta vocationem personalem suam crescant, affirmare postulatur, mundi progressum, nec mera fortuna nec sola cupiditate individuali vel sociali regi posse, sed rationabili ordine iuxta quem omnes homines, id est unusquisque homo sine exceptione, vitam vere humanam degere possit. Itaque, « civilisatio » futura, synthetice et clare praesentata, civilisatio incrementi esse debet in solidaritate et universali participatione. In solidaritate, cum singuli de omnibus sine distinctione finium, stirpis vel classis, curam habebunt; in participatione universali, quia singuli iuxta proprium modum et capacitatem partes suas tenebunt in ordine evolvendo et perficiendo, et etiam in fructibus huius ordinis fruendis. Ita in numeris 23 et 24 quae in generali placent.

His dictis et consequenter, aliquas emendationes hic tamen proponere humiliter audeo seu ut textus roboretur seu ut aliquae obliviones reparentur.

1. Pag. 27, lin. 8: necessarium videtur dicere, et quidem cum insistentia, incrementum oeconomicum toti personae humanae profuturum esse quin omittatur momentum illius principii, nempe plenitudinem personae non in sola fruitione materialium consistere, neque in salute corporali vel in mera cultura temporali, sed in apertione ad bona spiritualia et quidem supernaturalia, quae saepe impossibilis evadit sive ex nimia paupertate, sive ex quibusdam inhumanis laboris conditionibus, sive ex abusu laboris systematice extento sine ratione die dominica.

2. Mirum est quod nonnisi duae lineae ad mulierem et ad eius singularem indolem alludunt, cum tamen, mulieres mediam partem saltem humanitatis constituant. Summus Pontifex Ioannes XXIII, piae recordationis, in Litt. Enc. *Pacem in terris* iam affirmaverat inter signa temporis eminere accessum mulierum ad vitam publicam. Necesse esse videtur, ut promotio mulieris faveatur, indolem mulieris propriam affirmare et eius particularia problemata sine nullo detrimento eius dignitatis humanae, aequalis dignitati viri, etiamsi munera amborum in societate plus minusve differunt; affirmare etiam eius libertatem, praesertim in electione vocationis suae, et ius ad participationem progressus generalis, in omnibus campis; ius eius ad munus suum exercendum in familia, si talis fuerit electio sua, quin nimiis necessitatibus materialibus impediatur.

Sine his affirmationibus, nostrum schema videretur scriptum esse a viris pro viris tantum, et futurae civilisationi deessent divitiae particulares, et magni momenti, quae ex iusta promotione mulieris oriri possunt et de-

bent. Mundus et Ecclesia in quodam modo crescere nequeunt a viris tantum, sed a viris et mulieribus, modo complementario semper agentibus. Ne obliviscamur mulierum. Cogitemus Beatam Mariam Virginem, cogitemus tot et tantas mulieres sanctas et cogitemus, venerabiles Patres, matres nostras. Optabile esset, ut, in nova huius schematis exaratione, peritae mulieres etiam consulantur.

3. Cum in futuro ordine rerum unusquisque partes suas plene habere debeat, denuntianda videtur haec iniustitia gravissima qua non raro afficiuntur illi qui propter voluntatem efficaciorem participandi in associationibus omnino comprobandis, labore suo spoliari videntur.

4. Item rapinam erga communitatem committunt illi qui praetextu iurium sacrorum proprietatis privatae non permittunt fructificationem agrorum multitudini valde necessariam; illi etiam qui futiliter, nonnisi excessivo nationalismo moti, migrationibus omnino necessariis obicem ponunt; illi tandem qui sine labore vere efficaci contendunt ditari speculationibus de bonis sic dictis immobilibus quorum proprietas illis sine reali compensatione evenit.

5. Numquam talis civilisatio solidarietatis et participationis universalis efficietur, si desunt homines spiritu novo imbuti. Consequenter educatio iuvenum in omnibus institutionibus, etiam, immo praesertim catholicis, ad hoc tendat ut nemo pro se tantum et solus laborare intendat, sed semper curet de labore qui sit servitium et cooperatio.

6. Non concipiendus est novus ordo ut quid staticum, quietum semel pro semper instauratum. Pax socialis et internationalis sane in tranquillitate ordinis consistit sed ordo non est « statu quo », est semper instaurandus et iterum componendus, cum mutationes incessantes in nostra conditione temporali partes diversas personarum et rerum diversique modo determinent.

7. Cum Christo in Evangelio quem tam fideliter etiam in hoc secuti sunt Patres Ecclesiae, vehementer denuntiemus avaritiam et amorem immoderatum divitiarum et quidem non solum individuam, sed avaritiam collectivam hodie persaepe grassantem. Sunt etenim gentes, quae superabundantia divitiarum tranquille et sine anxietate fruuntur, quae ad se finaliter non pertinent, cum multitudinibus hominum necessariae essent. Utile est traditionalem doctrinam de usura revocare et de bono usu divitiarum, secundum quam supervacuum ad communitatem reddendum est.

Si civilizatio futura his principiis christianis imbuta erit, facilius et optime obsequium fiet gloriae Dei, quia sicut dixit S. Irenaeus « Gloria Dei, vivens homo ».

1. *Evolutio toti personae debet profectui esse.* Pag. 27, lin. 18, addatur et mutetur post « personae humanae »: « quae altiora et quidem spiritualia divina anhelat, et non tantummodo quadam plenitudine bonorum materialium culturalium huiusce temporis perficitur ».

2. *Quaestio de iuribus operariorum.* Pag. 27, lin. 36, omittere « per delegatos »; deinde post « valde pendet » lin. 38 addere duo puncta et: « quod

praesertim fit per delegatos suos libere electos, tam ad proprias consociationes dirigendas quam ad dialogum cum aliis ducendum, in illis muneribus quidem implendis omnino exemptos a coactione etiam morali, ut esset v. g. exclusio ab incoepto ».

3. *Quaestio de migrationibus.* Pag. 29, lin. 17: post « impendenda sunt » addere: « et sine discriminatione praesertim stirpis largus pateat aditus ubique terrarum iis qui fructuosius in alienigena terra laborare cupiunt vel practice coguntur ».

4. *Quaestio de bonis iniuste detentis.* Pag. 27, lin. 15, addere post « obligatur »: quin tamen coram manifestis iniustitiis, ut sunt effrenata speculatio, egoistica retentio bonorum non cultorum, oppressio opificum... etc.; tacere valeat ».

5. *Quaestio de iuvenibus.* Pag. 18, § *f*) sic mutetur: « Iuvenes christiani e quibus dies crastina pendet maxime, omni egoismo seposito et formatione adaequata eis impertita in omnibus scholis etiam et praesertim catholicis, fortiter et effusius suam fidelitatem erga Evangelium comprobantes, hominibus nostri temporis tam maioris iustitiae cooperationem praebeant. Meminerint propterea in eligendo vitae genere... etc. ».

6. *Quaestio de pace incessanter construenda.* Pag. 30, lin. 19, post « maxima sollicitudine » addatur: « constanter ». Lin. 20, post « pax » addatur: « opus quidem laboris semper iterati et incessantis, quia pax non est " statu quo " perpetuum ».

7. *Quaestio de avaritia nationum.* Pag. 29, lin. 13, post « percupiunt » addatur: « attentae sint nationes ne cadant in avaritiam collectivam de qua non minus quam de individuali, verba Domini contra immoderatum amorem divitiarum valent ».

8. *Quaestio de adnexis.* Adnexa declarentur « commentarium officiale » textus schematis.

De mulieribus: Novus paragraphus addatur schemati in n. 20, et emendationes sequentes introducantur in textu:

Pag. 9, lin. 6, addatur post « homo », illa verba « et quidem in diversitate sua fundamentali seu complementaria utpote vir et mulier ».

Pag. 9, lin. 10, post « homine » addatur: « Societate viri et mulieris genus humanum super orbem terrarum servatur et propagatur in admirabili quadam et foecunda unione amoris; divitiae propriae unicuique sexui tam in familia quam, generalius loquendo, in tota societate humana sese complent ad dominium imaginis Dei exercendum super creationem ».

Pag. 21, lin. 10, ponatur « sexus » ante « stirpis ».

Pag. 21, linn. 20 s. In illa enumeratione ponatur primo quae mulieris promotionem respiciunt.

Pag. 22, lin. 11, inseratur: « Specialiter dignitas et iura mulieris saepe saepius magis theoretice quam practice agnoscuntur si tamen agnoscuntur. Cum enim littera legis circa conditionem mulieris sine dubio in variis genti-

bus semper progreditur, conditiones sociales, praeiudicia, discriminatio oeconomica mulierem quasi ad ordinem inferiorem, etiam nostris diebus non raro reducunt ».

Pag. 23, lin. 3, post « testimonio vitae » inseratur « tum agnitione partium mulieris in tota vita familiari ».

Pag. 26, lin. 36, inseratur: « nec in hoc negligantur magni profectus qui ex hodierna promotione mulieris oriuntur ».

Votum: peritae mulieres in nova schematis exaratione consulantur.

38

EXC.MUS P. D. NICOLAUS ELKO
Episcopus Pittsburgensis Ruthenorum

In cap. IV schematis, de quo nunc fit disceptatio, agitur de praecipuis muneribus a christianis nostrae aetatis implendis.

Mea animadversio respicit praecise numerum 21 schematis, in quo loquitur de dignitate matrimonii et familiae. Antequam autem de n. 21 loquar, liceat mihi in mentem revocare ea, quae in n. 20 de dignitate personae humanae dicuntur. In citato numero legitur: « Huius aetatis homines, haesitantes inter spem et anxietatem, id praesertim desiderant, ut plene et sincere agnoscatur personae dignitas, et quidem *ab omnibus et in omnibus...* ».

Si igitur, dignitas personae humanae agnoscenda sit « ab omnibus et in omnibus », sequitur, quod huic obligationi omnes homines obtemperare tenentur, non solum in quotidiano consortio vitae humanae, sed etiam in doctrina exponenda principia, praesertim iuris divini, quod est ipsa ratio divinae sapientiae, quae est directiva omnium actionum humanarum in finem, clare ac lucide enucleanda sunt.

Quam ob rem, non sufficit blandis verbis, ad instar piae considerationis, dicere, quod Ecclesia agnoscit desideria et studia hominum bonae voluntatis, ut vita privata atque publica rationem habeat huius dignitatis personae, sed oportet imprimis *investigare* et cognoscere causas propter quas huius aetatis homines inter spem et anxietatem haesitant, quae omnia in hoc schemate negligenter et supine oblivioni dari videntur.

Iam vero, neminem latet, doctrinam atheismi dialectici aeque ac sic dicti capitalismi, sive privati sive statalis, esse fundamentum materialismi practici in hac nostra aetate ubique terrarum grassantis. Ex doctrina enim materialismi dialectico-practici necnon ex principiis capitalismi utriusque generis procedit etiam causa quae natura sua tendit ad destructionem ordinis naturalis, a Deo omnipotenti sapientissime sanciti, ideoque ad destructionem dignitatis personae humanae et, proinde, etiam ad destructionem dignitatis et sanctitatis matrimonii necnon familiae.

Huic autem Oecumenico Concilio, ignorare non licet, quod nostris temporibus de dignitate ac sanctitate matrimonii et familiae acriter agitur extre-

mis, spiritui christiano saepe contrariis argumentis. Ideo iure meritoque desideratur, ut principia ex sana philosophia et ex solida theologia catholica de dignitate ac sanctitate matrimonii et familiae deducta, clare exponantur, contra doctrinam atheismi dialectici necnon sic dicti capitalismi. Ratio, quia, uti sat notum est, causa primaria crisis matrimonii et familiae hodie in eo praecipue consistit, quod coniuges, saepe spiritu materialismi practici et nimio egoismo imbuti, putant, legem a Divino Conditore in natura humana insitam nullius esse valoris. Transgressio vero legis divinae, teste sana doctrina morali catholica, suos effectus habet non solum in ordine ethico individui et societatis, verum etiam in ordine publico et sociali humani generis. Etenim, asseclae doctrinae atheismi dialectici, denegando principia iuris divini naturalis et positivi, docent, quod relationes intimae inter viros et feminas per se nullis regulis seu normis subiacent aeque ac inter animales, a quibus progenies humana ortum ducere praetenditur.

Concludendo dico, si Deum diligimus et episcopos Ecclesiae sanctae, catholicae et apostolicae necnon successores Apostolorum nos esse agnoscimus, pro miseranda conditione, in qua permulti coniuges hodie inveniuntur, nobis valde dolendum est. Et non solum dolendum super hac re sufficit, sed exemplum Redemptoris nostri Iesu Christi et Sancti Pauli, Apostoli gentium, fideliter sequentes, debitum fraternae caritatis et sensus responsabilitatis quam coram Deo habemus de salute animarum nostrae pastorali curae concreditarum, quarum Pastores nos esse credimus, a nobis exigit, ut et remedia et auxilia christifidelibus ad salvandam dignitatem et sanctitatem matrimonii et familiae praebeamus.

Quapropter, praeter sollemnem condemnationem et proscriptionem atheismi dialectici necnon capitalismi, ad sanam doctrinam catholicam de dignitate personae humanae indeque etiam de dignitate matrimonii et familiae firmiter affirmandam, humiliter peto, si ita Sanctissimo Papae nostro Paulo VI, feliciter regnanti, ita placuerit, ut constituatur specialis Commissio pro non credentibus, cui demanderetur munus non solum tractandi quaestiones doctrinales theoreticas de atheismo dialectico et de sic dicto capitalismo, sed etiam solvendi problemata concreta ad efficaciter impediendam deprecabilem diffusionem materialismi practici in universo orbe terrarum, ut homines nostrae aetatis tandem aliquando cognoscant et agnoscant faciem Ecclesiae eiusque praesentiam in mundo huius temporis.

39

Exc.mus P. D. IOSEPH FADY
Episcopus Lilongwensis

Ad n. 21. Puisque le problème est posé, il faut l'aborder avec courage et trouver une solution juste et équitable. Nous dérober à ce devoir nous rendrait ridicules et incompétents aux yeux du monde.

I - Les confesseurs et les gens mariés demandent une solution.

C'est un problème qui engendre tant *d'anxiété* chez les confesseurs et chez les *époux*.

Pour les uns et les autres la confession devient un sujet de trouble. *Est-ce normal?*

II - S'engager dans l'état de mariage avec la législation présente sur la procréation demande plus de courage et d'abnégation et de sacrifice en ce qui concerne le 6e commandement que d'embrasser la vie religieuse.

Est-il normal que les commandements demandent plus de sacrifices que les conseils?

III - Nous faussons les consciences. La chasteté est une vertu morale et essentiellement humaine. Les fautes contre cette vertu sont moins graves que celles commises contre les vertus théologales de Foi, d'Espérance et de Charité. Les péchés de la chair sont les moins graves parmi les péchés mortels, parce que les plus humains (je sais bien qu'ils sont les plus dangereux, mais cela, ne change pas la gravité au point de vue théologique).

Est-il normal que les fidèles engagés dans le mariage s'exposent à la damnation éternelle à cause de ce péché?

IV - Les conséquences de la législation actuelle: elle crée des désunions dans la famille, de vraies tragédies.

En plus la grande majorité des époux et épouses vivent en état de péché mortel par suite des sacrifices « héroiques » qui leur sont imposés.

Est-ce normal que les commandements de Dieu exigent un héroisme continu? Notre Seigneur a dit: Mon joug est doux et léger.

V - Beaucoup de chrétiens abandonnent les sacrements, d'autres quittent l'Eglise, d'autres convaincus de la nécessité d'embrasser la Foi dans l'Eglise catholique y renoncent à cause de la législation actuelle sur la procréation. *Est-ce normal?*

VI - Finalement on a trop insisté sur le « crescite et multiplicamini ».

Quand jeune homme et jeune fille se recherchent pour fonder un foyer c'est avant tout le besoin d'aimer et d'être aimés, de trouver un soutien mutuel. Psychologiquement et chronologiquement cela se passe ainsi.

La procréation se pose plus tard. Pour l'amour de Dieu, pour les confesseurs et les jeunes époux trouver une solution.

En Afrique le problème se pose aussi parmi les évolués, mais aussi parmi les autres.

Je parle ici surtout de mon expérience de confesseur en Europe.

40

Exc.mus P. D. IOSEPH FENOCCHIO

Episcopus Apuanus

In schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis,* praesertim in cap. IV, quo problemata oeconomica passim attinguntur, forsan locum habere poterit, si alibi in discussione non venerit, quaestio satis gravis sub aspectu pastorali, circa prohibitionem operum servilium diebus festis de praecepto.

1. Ni fallor, finis istius legis fuit non solum vacationem a labore imponere ut cultui Deo debito et bono animae sua dies assignetur, sed etiam ad tutelam servorum, quorum dignitas humana et nativa aequalitas cum hominibus liberis hoc praecepto vindicabatur.

2. Progrediente autem societate, et praesertim nostro tempore, conceptus laboris funditus evolutus et immutatus est. Lex enim qua homines ad opus exercendum tenentur, exceptionem non patitur; dignitas operis summa elatione extollitur, ita ut progressus huius aetatis suam distinctivam notam habeat ut « civiltà del lavoro », et aliqua Respublica sua Constitutione dicatur « in labore fundari »; omne inde opus seu labor pari honore habetur.

3. Accedit quod fructus seu emolumentum operis, progressu artis technicae, novam omnino formam sumpsit. Simplici impulsu electrico, hodierna aetate, machinae totius opificii in motum ponuntur cum notabilibus proventibus et absque fere labore humano.

4. Multae artes sic dictae liberales non minorem fatigationem, quamvis praesertim intellectualem et psychicam, quam opera manualia exigunt. Insuper ludi quos dicunt sportivos, absque dubio non tenuiorem erogationem (dispendio) virium important quam labor officinae vel agrorum.

5. Hae considerationes evincunt legem abstinentiae, diebus festis, a solis operibus servilibus, omnino obsoletam et reformandam esse.

6. Si dominica dies et hodie, sicut transactis temporibus, habenda est ut dies Domini et animae, in qua non lucrum mundi sed aeternitatis quaerendum est, tunc lex reformetur eo sensu ut quodlibet opus lucrativum, etiam artium liberalium, studiorum, ludorum cuiuslibet generis, prohibeatur. Secus enim lex quae, Moysis tempore, dignitatem, libertatem et iura servorum — idest illorum hominum qui ad opera manualia attributi erant — voluit defendere, fieret causa verae iniustitiae in eos, quatenus dum cetera opera, quamvis lucrativa et etiam corpus graviter fatigantia, permittuntur, labor ipsorum, et tantum ipsorum prohiberetur. Lex huiusmodi nonne iniusta et absurda exsisteret?

7. At prohibitio, saltem sub gravi, cuiusvis operis, nostris diebus opportune sustinetur? Praesertim postquam Ecclesia, vere benigna mater, facultatem tribuit satisfaciendi praecepto de audiendo Sacro etiam die sabbato? Nemo est qui ignoret formam activitatis in nostra societate ta-

lem esse ut notabilis numerus hominum, sive artibus liberalibus deditorum sive opificiis, etiam die dominico necessitatem habere operandi; ipsos praeterea, multiplicibus activitatibus quibus se dedunt diebus festis, etiam recreationis causa, magis fatigari quam suetis laboribus infra hebdomadam; eosdem denique ex altera parte magis magisque eo tendere ut die dominico plena ac totali libertate frui queant. Haec problemata satis complexa videntur.

8. In examine huius argumenti mentionem feci de recenti facultate aliquibus locis concessa satisfaciendi Sacro die sabbato. Haec concessio non immunis exsistit a gravibus periculis. Si quae hodie solummodo exceptio est, paulatim fiet regula aut mos generalis, dies Domini, mox et necessario, sua significatione, expressione et finalitate evacuabitur.

Quapropter humiliter propono: 1) Deleatur ut obsoleta distinctio inter opera servilia et opera liberalia. 2) Praeceptum grave de abstinendo a laboribus vel supprimatur, vel ad praeceptum leve reducatur, exceptis, forsan, paucis diebus sollemnioribus. 3) Videat Concilium non opportune facultas satisfaciendi Sacro, die sabbato extendi queat, an potius insistendum sit in traditionali lege ad nomen et rem diei Domini salvanda. Si autem extensio concedenda videatur, haec certis, clare definitis et omnino restrictis limitibus contineatur.

41

Exc.mus P. D. ANGELUS FERNANDES

Archiepiscopus tit. Neopatrassensis, coad. c.i.s. Delhiensis

De problemate pacis firmandae liceat mihi paucas proferre animadversiones.

De pace quando agitur, ante omnia de qua specie fiat sermo, clare statuatur. De pace enim evangelica, quam mundus dare non potest, directe non loquimur, sed de illa politica et internationali pace realisanda in mundo et per mundum, peccato adhuc obnoxium etsi a Christo redemptum.

Pax politica, etsi sublimitatem pacis evangelicae non attingat, etsi per virtutes evangelicas caritatis, humilitatis et patientiae non directe sit acquirenda, tamen in seipsa aliquid bonum est et valde desiderabile.

Pendet autem ista pax politica minus ab assensu interiori legi quam a conformitate externa et proinde per vim est legitime praeservanda ab auctoritate quadam cui soli vis huius exercitium competit.

His diebus, fere ubique terrarum communitas politica nationalis aliquando pacificata est. Idem dici non potest de communitate internationali. Causa videtur esse absentia auctoritatis ab omnibus acceptatae cui soli competeret coercitio. Scientes illam auctoritatem non existere, nationes in bellum infeliciter intendunt ut in medium ad querelas resolvendas. Sic proh dolor bellum evadit quasi instrumentum necessarium et indispensabile ad

iura in campo internationali vindicanda. Hoc autem quid indicat nisi deficientiam quamdam in praesenti structura communitatis internationalis? Hanc omni conatu removere omnis homo bonae voluntatis ut officium habet.

Mera desiderii pacis expressio, ampla collectio documentorum doctrina plenorum non multum prodest. In rem deducenda sunt haec desideria per institutionem quandam concretam. Loco belli, opus est scilicet instituti alicuius, charactere legali et politico insigniti, ad dissentiones inter nationes componendas.

Verum quidam est evolutionem talis instituti ad ambitum Ecclesiae directe non pertinere, sed fovendo in favorem eius opinionem publicam, multum iuvare potest Ecclesia. Sic primatus nationalis complementum acciperet, nec periculum et obstaculum bono communi nationum constitueret.

Si enim in mundo bella adhuc vigent, non est ob penuriam principiorum moralium, sed propter inopiam institutionum internationalium ad dissensiones solvendas vera potestate praeditarum.

Quod ad bellum nucleare attinet, distinguendum inter bellum quod vocant totale et partiale. De bello atomico univoce loqui non posse, evolutio technologica nos docet. Vis destructiva armorum atomicorum, technologia hodierna, aut minui aut augeri potest. Nisi omnia elementa technologica, politica et strategica simul praesentantur, non est nostrum a priori de bello sic dicto nucleari nonnisi principia valde generalia proferre.

Quaedam nunc de « pacifismo ». Etiamsi eum non tam facile suum facere potest status civilis, nihilominus dignoscendus est ut expressio quaedam spiritus prophetici proindeque in forma purificata, pro individuis exceptionalibus merito approbari licet.

Saepissime iste pacifismus indirecte ipsi Evangelio debetur, quod verum est etiam in casu insignis Indiae filii Mahatma Gandhi.

Insuper pacifismus opinioni publicae contra bellum adiumentum praestare potest, quod non est spernendum. Ad Ecclesiam autem pertinet eam purificare et opinionem publicam versus instituta internationalia et conamen ea perficiendi dirigere. Ut ordinis moralis custos, Ecclesia et individuis et communitatibus hanc obligationem inculcet.

Sic, venerabiles Fratres, quin in campo politico ingrediatur, Ecclesia ad pacem politicam promovendam multum conferre potest. Viam ei sternit notabile pacis desiderium quod ubique terrarum homines manifestant. Triplici autem modo per eam incedere potest Ecclesia, scilicet, opinionem publicam creando, spiritum propheticum pacifismi recte evaluando, et evolutionem institutorum internationalium quam maxime adiuvando.

Sed dixerit quispiam: « Estne Ecclesiae activitatibus cum politica connexis se immiscere? Principio dictum est pacem politicam esse ordinis diversi ac pacem Christi. Hanc solam fovere proprium est Ecclesiae ».

Cui responderi potest. *Pacem in terris* provehere Ecclesiae est. Quia pax Christi et pax huius mundi inter se simul in continuitate et in discontinuitate versantur.

In discontinuitate primum. Pax quae in Deo eschatologice tantum invenietur, talis est quam « oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit ». Est donum gratuitum ex plenitudine Dei promanans. Ideo intensive et qualitative superat omne quod conatus humanus attingere potest, unde discontinuitas inter utramque intercedit.

Sed ex alia parte homo est imago Dei, et « cum Caritas Dei diffunditur in cor eius per Spiritum Sanctum qui datus est ei », ea quae ipse facit, ad plenum donum Dei praeparandum contribuunt, immo quodam sensu iam initium huius doni sunt. Ut bene vidit Karl Barth, catholicismus firmiter adhaeret « analogiae entis », immo haec est quasi cardo catholicismi.

Sic pax in terris praesertim per exercitium virtutum caritatis et iustitiae, magis firmatur, est praefiguratio pacis caelestis, et hic est aspectus continuitatis. Ecclesiae ergo competit eam omnibus spiritualibus mediis fovere. Caritate Christi compulsa quam fortiter faciat!

42

EXC.MUS P. D. ALBERTUS ALOISIUS FLETCHER

Episcopus Petriculanus

In pag. 24, lin. 32, post verba « cum theologis adlaborent » legantur verba « ut media difficultates solvendi inveniri possint, salva semper lege naturae quae, ut constat ex ordinario infallibili ideoque immutabili magisterio Ecclesiae, contraceptionem illam artificialem prohibet; solutiones practicae etc. ». *Ratio*: praeter ea quae a Summis Pontificibus dicta sunt, *omnes* libri theologiae moralis in seminariis adhibiti, sub vigilantia Sanctae Sedis et *totius* episcopatus adprobati, contraceptionem artificialem esse contra legem naturalem affirmant; idque in materia non tantummodo speculativa, sed practica, quae animas tot fidelium afficit; ita ut per saecula *omnes* pastores animarum et confessores, fidentes se cum Ecclesia sentiisse, fideles illum actum esse intrinsece malum, graviter peccaminosum docuerunt. Innumeris impoenitentibus hac in re absolutionem sacramentalem negaverunt.

Quomodo Ecclesia dicere potest ullum legis naturae principium immutabile esse, si natura humana ita « evolvens » concipiatur ut lex immutabilis inana et vacua fiat?

Forsitan usus pillulae illius contraceptivae ex principio duplicis effectus in quibusdam casibus licitus declarari possit. Sed auctoritas magisterii Ecclesiae in rebus moralibus omnino deficiet, nisi sine mora haec auctoritas doctrinam traditionalem iterum affirmet.

43

Exc.mus P. D. FRANCISCUS FRANIĆ

Episcopus Spalatensis et Macarscensis

N. 21 nostri schematis qui agit de dignitate matrimonii et familiae in quibusdam punctis doctrinae laude dignus est, meo humili iudicio, et in quibusdam aliis punctis radicitus est reformandus.

1. Post maturiorem reflexionem submisse puto laudandam esse, cetera praetermittam, doctrinam schematis, quae « amorem tenerum » coniugalem integrare conatur in doctrinam catholicam de matrimonio. Quae doctrina inveniri potest quoque in operibus quorumdam scriptorum modernorum.

Et revera « amor tener » de quo redactores valde praeoccupati esse videntur, magnum valorem habet, sicut et ceterae res temporales a Deo creatae et a Christo redemptae nec illas despici fas est Christi sequaci. Alioquin iure meritoque a mundo nostri temporis propter alienationem a valoribus temporalibus et naturalibus accusari possemus.

2. Attamen redactores schematis mihi videntur « amorem tenerum coniugalem » nimis extollere, ac si teneritas constituat elementum essentialem amoris et amor tener finem primarium matrimonii.

a) Imprimis « amor tener », de quo in schemate, videtur esse infimus gradus caritatis. Utique iste infimus gradus non est despiciendus, sed honorandus, quia ordinarie cum ipso incipit caritas. Nam gratia non destruit naturam, sed eam perficit et super eam construit. Forsan nostri fideles quandoque, non recte intelligentes verba Christi de despiciendis rebus temporalibus, praesertim nos sacerdotes et episcopi, non satis aestimavimus huiusmodi res temporales, inter quas invenitur etiam amor tener, cum quo ordinarie incipit non solum matrimonium sed etiam omnis vera amicitia. Et ideo forsan quandoque dedimus occasionem materialistis, ut nos de alienatione a rebus temporalibus accusent.

Sed periculum est pro nobis non tantummodo parvipendendi res temporales, sed etiam eas plus aequo aestimandi. Aequilibrium autem in praxi attingere est res valde difficilis. Nam idem Deus dicit: « Honora patrem tuum... » et: « Qui non oderit patrem suum... ».

Mihi praecise redactores exaggerare in valorizatione « amoris teneris coniugalis » videntur. Nam textus noster numquam de « caritate » coniugali loquitur, quae caritas sequi debet « amorem tenerum » et constituitur magis ex unione animarum, sicut iam Aristoteles docuit, quam in unione corporum. Sed magis quam Aristoteles nos docet Concilium Tridentinum, caritatem coniugalem nempe perficere amorem naturalem.

b) Praeterea scimus mundum ab Ecclesia non quaerere, ut instruatur de « cultu amoris coniugalis » — ut litteraliter dicit schema —, sed potius quaerit quomodo caritas coniugalis retineri cum gratia possit in suis proble-

matibus coniugalibus. Quaerit ergo mundus principia quaedam quae eum in solvendis istis difficillimis problematibus vitae modernae adiuvare possint. Schema enim nimis immoratur in consolationibus et exhortationibus.

3. In specie mihi magnam difficultatem parit textus in pag. 24, linn. 19 et 20, praesertim si intelliguntur in luce Adnexi II, pag. 21, n. 6. Ibi « amor tener coniugalis » ita extollitur, ut locum sumat iuris ad procreandam prolem, quod ius usque adhuc, secundum doctrinam communem theologorum et documenta Romanorum Pontificum, finis primarius matrimonii habebatur. Non debemus nimis quaerere amorem tenerum in hac vita, quae saepe est dura et essentialiter in observatione mandatorum consistit.

Unde humiliter propono, ut isti textus aliquatenus attenuentur et ad doctrinam traditionalem Ecclesiae reducantur. Nam doctrina huius numeri quandoque etiam periculosa esse poterit pro ipsa indissolubilitate matrimonii christiani, ex meo humili iudicio, et pro recta solutione spinosissimi problematis de foecunditate matrimonii.

4. Magna difficultas mihi exoritur etiam ex verbis in pag. 23, in lin. 36 contentis, ubi dicitur: « Matrimonium non est merum procreationis instrumentum ». Unde humiliter rogo, ut haec verba simpliciter ex textu expungantur, quia saltem valde ambigua.

a) Videntur enim ista verba significare procreationem prolis seu ius ad procreationem prolis non posse esse, etiam sine amore tenero, sufficiens motivum essentiale pro matrimonio in suo esse constituendo.

b) S. Paulus dicit de muliere: « ... salvabitur per filiorum generationem », non vero per amorem tenerum. Nonne maxima dignitas mulieris et viri in generanda atque educanda prole consistit!

c) De cetero, fratres carissimi, permittatis mihi ut sincere dicam: ego inveni ista verba apud philosophum russicum Vladimirum Lenin, qui istis verbis utebatur in sua sic dicta pugna pro liberatione mulieris a servitute « medioevali ». Hoc tamen erat primis temporibus marxismi. Nunc autem mundus marxisticus laudat et promovet familias cum numerosa prole.

5. In fine humillime et candide debeo dicere, me maxime, ut pastorem animarum, doctrinam de foecunditate matrimonii et de problemate demographico confundere.

In articulo etenim, de quo agitur, nullibi laudantur familiae cum numerosa prole, quae etiam pauperes, in Providentiam divinam tamen profunde confidentes, non propter utilitates oeconomicas, sicut suspicatur *Adnexus* II, puta in familiis agricolarum, sed vere propter conscientiam christianam, numerosam prolem suscipiunt et cum summis sacrificiis educant. Quod silentium gravis defectus mihi videtur.

Nam a nobis laudantur episcopi et sacerdotes, laudantur religiosi et laici, Iudaei et Mahometani, laudantur etiam non credentes qui in bona voluntate sunt, tantummodo non laudantur a nobis familiae cum numerosa prole.

In pag. 24, in linn. 4-26, doctrina de istis problematibus, salvo me-

liori iudicio, mihi non videtur esse recta. Eadem doctrina, sub alio tamen respectu, repetitur in pag. 29, ubi perperam dicitur, submisse puto, iudicium de numero prolis spectare ad ipsos coniuges.

Immo in linn. 10-13, in pag. 24, suggeritur, sub specie plenae et consciae responsabilitatis in procreatione prolis, de facto limitatio prolis, ob indicationes — uti vulgo dicitur — « paedagogicas et oeconomicas, salutem quoque mentis et corporis, bonum ipsius familiae... ».

Quaedam saltem ex istis indicationibus tam labiles sunt et tam faciliter falsae interpretationi conscientiae individualis obnoxiae, ut nulla regula obiectiva amplius haberi poterit.

Timeo scandalum, saltem pro mea dioecesi cuius testis sum. In mea etenim dioecesi familiae adhuc habentur sanae et cum numerosa prole, etsi plerumque pauperes sunt. Cur ergo usque adhuc ipsis praedicavimus doctrinam christianam de matrimonio et familia secundum encyclicam Pii XI *Casti connubii!*

Revera istae nostrae familiae, quae sol terrae et lux mundi sunt, putare possunt, se esse derelictas etiam ab Ecclesia et materialistas iure divulgare instrumenta anticonceptionalia.

Adhuc addere tantum desidero, quod semper nos docuimus, terram hanc habere sufficientes divitias, etsi forsan hoc de aliqua particulari regione dici non potest, ut possit nutrire omnes homines qui nascuntur. Opus est tantummodo melioris et iustioris distributionis divitiarum, sicut docet Papa f. r. Ioannes XXIII in suis encyclicis *Mater et Magistra* et *Pacem in terris*.

Mundum revera Christi amore prosequi debemus. Sed ex altera parte principia certa nostra derelinquere non possumus, etiamsi mundus nos crucifigat.

Liceat mihi quaedam dicere de cap. IV, n. 23: De vita oeconomica et sociali, et quidem magis ex experientia pastorali, quam ex libris.

Quoad problemata quae ibi pertractantur, praesertim si in luce Adnexi IV considerantur, quaedam laudanda sunt, quaedam vero adhuc desideranda.

1. Etenim in locis citatis doctrina socialis christiana ulterius evolvitur iuxta principia ex encyclicis Summorum Pontificum, praesertim Ioannis XXIII, f. m., de re oeconomica et sociali agentibus, desumpta. Laudandus est sane iste progressus; quia Ecclesia tamquam mater pauperum, et doctrina et re ostendere debet se revera talem esse et non mancipium divitum.

Certe in re oeconomica et sociali Ecclesia tantummodo principia et orientationes dare potest, applicatio vero practica et technica ad laicos catholicos spectat, qui hac in re propriam responsabilitatem adsumere debent.

2. Haec doctrina oeconomica et socialis, quae in schemate et in Adnexo IV docetur, est maximi momenti pro Ecclesia in mundo nostri temporis. Nam praecipuus adversarius ideologicus Ecclesiae marxismus atheus

hodie exhibetur, qui sua doctrina pauperes seducit. Ex meo tamen humili iudicio Ecclesia marxismum numquam superare poterit sustentando systema capitalisticum, sed tantummodo ope nostrae doctrinae socialis, quae iura operariorum et in genere pauperum sapienter et audacter promovet.

3. Imprimis nos episcopi nostrique sacerdotes vocati sumus, ut in mundo nostri temporis testes huius doctrinae simus verbo et opere. Nam Christus paupertatem evangelicam non docuerat imprimis S. Benedictum, S. Franciscum, S. Dominicum et S. Ignatium, sed apostolos suos eorumque successores, id est nos episcopos. Saltem ergo nos episcopi hanc doctrinam in praxim deducere debemus, si volumus, ut mundus nobis credat. Alioquin marxistae cum eorum magistro Carolo Marx dicent nobis: « Vos catholici semper bene loquimini, sed numquam facitis vos ipsi quod aliis praedicatis ».

4. Debemus tamen valde cavere, ne mundus hac nostra doctrina abutatur in sua propaganda ad suos fines malos consequendos. Cavendum est, ne simplices fideles, immo et laici catholici scientia praediti et ipse noster clerus incipiat credere, Ecclesiam nimis ad mundum accessisse in hoc campo, immo ad ipsum marxismum accessisse. Hoc verum non est. Nam hic non agitur de conservatismo aut progressismo, sed de doctrina christiana traditionali.

Ideo humiliter propono, ut in textu schematis addantur argumenta ex S. Scriptura et sacra Traditione divino-apostolica et ecclesiastica, quibus argumentis clare probare debemus nostram doctrinam socialem logice procedere ex veritatibus revelatis et habere propriam evolutionem et vitam.

Propter eandem rationem propono, ut art. iste 23 et Adnexus IV ita compleantur, ut doctrina socialis catholica a doctrina marxistica clare separetur, indicando differentias profundas inter utramque, at indicando etiam quidnam veri et boni in marxismo inveniri potest. Haec est conditio necessaria pro dialogo cum mundo marxistico instituendo. Nam tandem aliquando hoc maximum problema nostri temporis serio aggredi debemus. Nec putandum est, marxismum non esse dignum adversarium huius sacrosancti Concilii.

5. Ulterius submisse propono, ut in schemate et in Adnexu IV particulariter et specifice sermo quoque instituatur de *superfluo* in bonis terrenis, iuxta desiderium Papae Ioannis XXIII, in nuntio initio huius Concilii nobis expressum; in quo nuntio Papa promisit Concilium tractaturum esse de hoc problemate, immo ipse Papa aliquod principium de hac quaestione enucleavit sequentibus verbis: « Dovere di ogni uomo, dovere impellente del cristiano è considerare il superfluo con la misura delle necessità altrui... ». In schemate vero nihil explicite et expresse de hoc gravi problemate, quod sub respectu practico considerari potest fulcrum totius problematis socialis. Mundus enim hodie quaerit ab Ecclesia utrum licitum sit acquirere ipsum superfluum et divitias, an non; utrum et quanam virtute obligatus sit dives ad superfluum in aliorum utilitatem impendendum. Hae sunt quaestiones tandem aliquando dirimendae et declarandae. Quia

quousque moralistae catholici dissentiunt circa haec problemata, in praxi conscientia christiana privatur sua luce et vi. Quousque manet in nostris manualibus Theologiae moralis sententia ut probabilis, etiam his ultimis annis in nonnullis Universitatibus catholicis defensa, scilicet quod neque in extrema necessitate positiva obligatio iustitiae sit dare superfluum pauperi extremam necessitatem patienti, in praxi conscientia christiana necessaria certitudine in re tam gravi caret, cum pessimis consequentiis practicis, non tantum pro vita sociali et valore efficaci doctrinae socialis Christi, sed etiam cum detrimento pro salute aeterna individuali!

Solutione huius problematis de superfluo Ecclesia multum conferre posset in praxi pro solutione quaestionis socialis et problematis fame morientium in mundo.

Alioquin ipse Summus Pontifex Paulus VI, f. r., expresse misit nostrae Commissioni doctrinali postulatum, ut de hoc problemate tractaretur iuxta desiderium « altissimae personalitatis ».

Nec dicatur rem non esse satis maturam. Nam iam adsunt studia circa fontes quoad hoc problema et etiam viri peritissimi non desunt. In traditione nostra huius doctrinae positio et solutio invenitur (cf. H. Lio, *Estne subvenire miseris obligatio iustitiae?,* Romae, New York, Bruxelles, 1957). In fine audeo proponere duo: *a*) ut advocentur pro his quaestionibus de re oeconomica et sociali studendis adhuc alii periti variarum scholarum, in specie illi qui circa theologiam virtutis paupertatis studia profundiora perfecerunt; *b*) ut doctrina socialis Ecclesiae clarius et fortius integretur cum virtute paupertatis evangelicae.

Concludo verbis philosophi russici Nicolai Berdjajev: « Si Deus iustitiam socialem ope filiorum suorum facere non poterit, faciet eam ope diaboli ».

44

Exc.mus P. D. BRUNO FRATTEGIANI
Archiepiscopus Camerinensis

Ad n. 21. Valde commendandum quod dicitur de agnitione difficultatum quas coniuges bonae voluntatis experiuntur. Optime de hoc etiam in Adnexis p. 22. Sed prorsus necessarium est ut hac mente imbuantur confessores qui persaepe in hac materia rigorismum irrationabilem et sequuntur et exercent, quod rationem scandali et desperationis solet adducere.

Moneantur ergo confessores, etiam a Concilio, ut una cum prudentia et maxima in principiis servandis fidelitate, paternam adhibeant caritatem. Bonum propositum, gratia et misericordia Dei suffultum, non potest confundi cum certitudine metaphysica non peccandi de cetero. Recidivi non possunt considerari et tractari rigidius hac in provincia quam in alia. Ne fuerimus « geometrae peccati », sed boni satores fidei et sanctae fiduciae. Non tantum septies sed septuagies septies.

Ad cap. III, n. 18 (*de dialogo*). Compescatur, in caritate, vivissima illa tensio quae minus magisve latenter dividit *progressistas* a *conservatoribus*. Rem negare — eo quod Ecclesia non sit Status et Concilium non sit « parlamento » — est simpliciter ridiculum. Nihil mirum quod sint, et in Ecclesia, qui magis insistant in deposito servando et, e converso, qui potius studeant deposito sancto temporibus sancte aptando. Quod autem imprimis servandum est, hoc est principium fraternitatis: « in omnibus caritas ». Solent *progressistae* ut fatuos (stupidi) et ignorantes despicere *conservatores*; hi autem, quod deterius est, illos ut haereticos indigitant. Deterius dico. Etenim « qui dixerit fratri suo racca (stupido) reus erit concilii, qui dixerit fatue (rénégat — Bible de Jérusalem) reus erit gehennae ignis ». Concilium etiam Dominus noster aggressus est, gehenna autem est... « un'altra cosa ». Hoc meminerint oportet etiam non pauci sanctissimi episcopi, quos v. g. vidimus contra defensores collegialitatis scindere vestimenta sua. *Dialogus incipiat ab intra.* (Mi si permetta di ricordare il disgustoso episodio dell'attacco contro il Pontificio Istituto Biblico. Una vergogna, sub specie zeli!).

45

EXC.MUS P. D. FERNANDUS GOMES DOS SANTOS

Archiepiscopus Goianiensis

Ad n. 21. Loquar nomine 75 episcoporum Brasiliensium et aliarum nationum. Sed quid dicam? Utique, nomine episcoporum Brasiliensium qui et loquendi et suffragium ferendi ius habent; sed revera vox quam nunc audituri estis, non tantum nostra est. Per os nostrum nunc vobis loquuntur, venerabiles Patres, pluries centenae millium christifidelium qui nobis, ore et scripto, anxie et indesinenter exoptant, ut tandem aliquando, quaestio de vero et totali fine matrimonii christiani eiusque usu, ita proponatur ut, temporibus hodiernis in quibus vivunt, vitam normalem in matrimonio ducere valeant, quin ut peccatores a vita Sacramentorum et Gratiae arceantur.

Non loquimur, venerabiles Patres, nomine eorum qui, de praeceptis Dei non curantes, viam suam, secundum eorum propria placita elegerunt, et quorum nihil omnino interest ea quae a Concilio dicentur vel forte non dicentur.

Non eorum nomine loquimur, quorum Deus sexus est, et ideo nec audiunt nec audire cupiunt ea quae fieri oportent ut verum Deum et quem misit Pater Iesum Christum Filium suum, quique via, veritas et vita omnibus est hominibus in spiritu et veritate agnoscant.

Nomine eorum loquimur christifidelium qui christiani sunt, quique ad authenticam vitam christianam ducendam, omnes suas vires impendunt; quapropter ab omnibus ut veri christiani habentur et laudantur, nobis tantummodo catholicae Ecclesiae ministris exceptis, qui eos peccatores iudicamus et a Sacramentorum usu prohibemus.

Nec tempus nec locus hic est problematis solutionem investigare ac proponere. Ast, ea qua par est humilitate, sed ea quoque qua par est sinceritate ac fortitudine, ne a nostro deficiamur officio, vestro pastorali zelo quae sequuntur votum ac testimonium subiicimus:

Testimonium hoc est: in nostris regionibus, et in vestris quoque, ut putamus, pluries millies christianorum sunt qui Panem caelestem non manducant et ad Poenitentiae Sacramentum non accedunt.

Cuius omissionis et gravissimi damni praecipua et maxima causa est: intimus sincerus, irresistibilis eorum conscientiae sensus impossibilitatis componendi id quod ab eis, sub peccati poena exigitur, cum eorum vitae coniugalis realitate. Existimant enim quod, ex defectu sufficientis examinis, aliquid eis ut praeceptum divinum imponitur, quod reapse a Deo non est, cum Deus impossibilia non exigat.

Votum autem est: ut quae ab em.mo card. Suenens, cui gratulamur, heri propositum fuit, gratia Dei, ad effectum deducatur. Nempe: 1) quod commissio conciliaris arcte collaboret cum commissione a Summo Pontifice feliciter instituta ad amplum et profundum examen horum problematum; 2) quod commissio illa ad latissimam disquisitionem procedat apud moralistas optimae notae et ex toto universo orbe, apud scientificas facultates universitarias variarum disciplinarum, apud laicos viros ac mulieres, apud coniuges christianos; 3) quod nomina membrorum illius commissionis cognoscantur ita ut abundantissimas informationes recipere possint et totum populum Dei vere repraesentent; 4) quod in linea fidei et in linea ethicae naturalis et veritatis scientificae illa commissio laboret secundum spiritum quo Concilium problemata haec tractare intendit; 5) quod elementa ab hac commissione collecta Magisterio Supremo subiiciantur.

[*Adhaeserunt etiam*] Agnelo Rossi, Adelmo Cavalcante Machado, João Rezende Costa, João Batista da Motta e Albuquerque, Helder Pessoa Camara, João de Sousa Lima, José de Medeiros Delgado, José Vicente Tavora, Vicente Scherer, Antonio Zattera, Ruy Serra, Manuel Pereira da Costa, José Alberto de Castro Pinto, Milton Pereira, Hugo Bressane de Araujo, Vicente Marchetti Zioni, Belchior da Silva Neto, Salomão Ferraz, João José da Motta e Albuquerque, Edmundo Luiz Kunz, Vicente de Araujo Matos, Augusto Carvalho, Paulo Rolim Loureiro, Gerardo Ferreira Reis, David Picão, Clemente José Carlos Isnard, Antonio Batista Fragoso, Walfrido Teixeira Vieira, José Lamartine Soares, Jorge Marcos de Oliveira, Bernardo José Bueno Mieli, Luiz Victor Sartori, Walmor Battu Wichrowski, José Medeiros Leite, Manoel Tavares de Araujo, Waldyr Calheiros de Novais, Francisco Austregésilo de Mesquita, José Adelino Dantas, Antonio Barbosa, Henrique Gelain, José Thurler, João Hoffmann, Claudio Colling, Augusto Petró, Joaquim de Lange, José Melhado Campos, Romeu Alberti, Pedro Felipak, Aniger Francisco Maria Melillo, J. B. Przyklenk, B. Nolker, A. Lorscheider, J. Ryan, H. De Angelis, M. Gaviola, A. De Castro, L. Yañez, F. Tiago, E. Fedders, R. Lui, J. Schuck, J. Home, G. Nkalanga, H. Buly, J. Almici, A. Malbois, A. Vial, J. Tielbeeck, P. Bouckaert.

46

EXC.MUS P. D. FORTINUS GÓMEZ LEÓN
Archiepiscopus Antequerensis

Iuxta prooemium totius schematis XIII, S. Synodus alloquitur filios Ecclesiae, et simul exprimit optare ut audiamur a fratribus christianis a nobis seiunctis et a ceteris hominibus quibuscum habemus communem sortem in rebus prosperis et adversis... communem conatum progrediendi. Fateri tamen debemus etiam magnam multitudinem catholicorum etsi sub lumine revelationis in hoc mundo ambulamus ignorare, vel saltem non satis intelligere, naturam et conceptum dignitatis personae humanae, quae praesertim in cap. IV debet esse et est basis colloquii Ecclesiam inter et omnes homines. Ut omnes talis dialogus alliciat, necessarium omnino est ut omnes intelligere possint et ponderare hanc suam dignitatem esse et inveniri iuxta sensum Ecclesiae in singulis hominibus conceptis vel natis de muliere, sive infantibus, adultis vel senibus, sive viris et mulieribus, sapientibus et rudioribus, potentatibus et servituti subiectis, praecise eo quod omnes habeant humanam naturam, et hac ratione valorem incomparabilem pretiosiorem omnibus thesauris huius mundi visibilis. Omnes quidem homines usu rationis praediti sentimus in nobis esse aliquid intimum inviolabile quod ceteri omnes agnoscere debent ut dignum veneratione, quod consistit in eo quod sumus rationales, liberi, conscii et responsabiles nostrorum actuum, personas scilicet individuas et independentes; hinc experimur quod emanat ius aliquae faciendi vel omittendi, quod sine iniustitia ab aliis laedi non potest, et simul nobis mensuram praebet ad agnoscenda aliorum hominum iura: « alteri ne feceris quod tibi fieri non vis »; facultates nempe superiores: intellectum, voluntatem, responsabilitatem.

Notio ergo personae etiam in ordine naturali pro catholicis ipsis elucidari debet rationibus naturalibus primo, quaedam ad captum omnium hominum, supernaturalibus praeterea quibus appareat Deum, conditorem naturae humanae, ob suam bonitatem et amorem voluit per Filium suum Unigenitum illam perficere et elevare. Haec quidem hic evolvere necesse non est eo quod in commissione perspicue et meliori modo fieri potest; definitio et motiva seu argumenta mihi videtur posse desumi ex propria conscientia, ex sensu communi, ex auctoritate immo et ad hominem speciatim cum relatione ad illos qui non obstante crasso materialismo quem profitentur, loquuntur de iuribus quando dominantur et de officiis eorum qui dominationi vel inviti subiiciuntur. Haec omnia non apologetice sed descriptive. Haec breviter putavi dicenda, quamvis plurima iam dicta sint in aula.

47

Exc.mus P. D. PAULUS GOUYON
Archiepiscopus Rhedonensis

Ante omnia vellem dicere quantum adhaereo toto corde interventionibus heri factis ab em.mo card. Alfrink et exc.mis DD. Ancel et Guilhem.

In n. 25 « de pace firmanda », schema nostrum merito hortatur « omnes et praecipue ii, qui in opinionem publicam influxum exercent », ut collatis viribus adlaborent sanctae causae pacis servandae (pag. 30, linn. 36-40).

Nonne autem conveniens esset, ut omnes episcopi humillime agnoscant officium sacrum sibi hac in re proprium, et firmiter spondeant, tale officium fidelissime adimplere, et omnia ita coordinare, ut eorum actio plenam obtineat efficacitatem?

Dicam huius officii primo fundamentum, secundo modum adimplendi.

1. Fundamentum. Non est quidem episcoporum sicut Christi iudicare de querelis circa bona temporalia. « Homo quis me constituit iudicem aut divisorem super vos? » (*Lc.* 12, 14). Sic respondet Iesus ei qui de huiusmodi arbitrio eum interrogat. Proinde in epistola ad Romanos Paulus agnoscit plenam competentiam auctoritatis civilis in hoc campo ei proprio (*Rom.* 13, 1-7).

Hic vero ministerium episcoporum est ministerium reconciliationis et unitatis.

a) Primo inter christianos. Sicut testatur Matthaeus in ipso textu qui auctoritatem in Ecclesia constituit. « Si autem peccaverit in te frater, dic Ecclesiae... Quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in caelo » (*Mt.* 18, 18). In epistolis pastoralibus, Paulus discipulos suos carissimos exhortatur ut assumant hoc munus. « Admone illos, dicit ad Titum, neminem blasphemare, non litigiosos esse, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines » (*Tit.* 3, 2).

b) Secundo ministerium reconciliationis inter omnes homines. Paulus ad Timothaeum scribit: « Obsecro fieri orationes pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate » (*1 Tim.* 2, 1-2). Quod amplius est: debent episcopi omnes homines convocare ut in Ecclesia coadunentur ad « instauranda omnia in Christo » (*Eph.* 1, 10) et sic prosequi opus Christi qui « ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum... inimicitias solvens in carne sua... et reconciliet ambos in uno corpore, Deo per crucem » (*Eph.* 2, 14-16) ita ut deinceps « non sit gentilis et iudaeus, Barbarus et Scytha, servus et liber » (*Col.* 3, 11).

2. Quomodo nunc episcopi huiusmodi ministerium adimplere possunt?

Omnes perfecte norunt, quomodo durante primo bello internationali, episcopi cuiusvis ex nationibus tunc praelium in fratres gerentibus, altis-

sime proclamabant, quod Deus pugnabat pro eorum patria propria, et victoriam daturus erat eorum exercitibus.

Unica et quidem magna vox tunc audita est, scilicet vox Pontificis Benedicti XV, qui conabatur mentes hominum supra nationales conflictus elevare; sed neque ab ipsis christianis intellecta est intentio eius. Deinde non cessaverunt Pontifices cum crescenti auctoritate proclamare doctrinam christianam de pace inter populos, et eorum exemplo sequentes, episcopi diffuserunt ubique cum multo maiori intensitate pacificum nuntium ex cathedra Petri auditum. Attamen, num dici potest, quod episcopi decursum recentiorum eventuum praeviderint?

Episcopatus ex variis nationibus vivebant nimis separati ab invicem. Necessarium fuit Concilium hoc Vaticanum II ad detegendam, iam ex prima die, fraternitatem nostram, quae aspectus erat valde humanus collegialitatis nostrae. Numquid autem ad nostram primam solitudinem cras redibimus? Quantum utile esset pro bono pacis, si coadunationes fraternae fierent de natione ad nationem, si contactus regulares haberentur inter talem et talem conferentiam episcopalem! Nonnumquam itinera fiunt inutilia; utilissimae autem essent peregrinationes episcoporum quatenus pacis apostolorum. Hoc modo dissipare possemus incomprehensiones, magis aestimare nostras divitias spirituales, omnibus exhibere exemplum proficuum, in hoc mundo creare ambitum novum « Beati pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona ».

Ex huiusmodi contactibus magis magisque roboraretur nostra voluntas pacis firmandae; ex eis traheremus incitamentum, ut argumentum pacis in nostra praedicatione iterum atque iterum perpendamus, verbum Domini enucleando: « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur »; pariter tales contactus nobis maiorem animum praeberent ad christianos adiuvandos, qui paci servandae operam impendunt (et hic in mente habeo internationalem motum: « Pax Christi ») necnon ad subsidium praestandum cuilibet sincero conatui ex parte hominum bonae voluntatis. Cum auxilio nostrorum fidelium produceretur in opinione publica impetus potens et continuus pro pace servanda, qui usque ad ultimum terrae altius resonaret.

Tempore periculi possemus declarationes communes facere, vocem repercutientes Successoris Petri, et populos nostros edocere de calamitatibus imminentibus, necnon nostris propriis rectoribus statuum exponere, si de bello incipiendo cogitarent, quantum sceleratum esset, ad conflictum armatum recurrere. Abhinc quinquaginta annos, potuerunt hoc modo episcopi ex America meridionali bellum valde imminens continere, et in ipso loco confinii, de quo contestatio erat inter duas nationes, immensam statuam erexerunt in honorem Sacratissimi Cordis.

Quatenus episcopi gravissimam habemus responsabilitatem in pace firmanda; etenim ministri sumus caritatis, apostoli sumus Illius qui pacem vult dare mundo; « pax quae exsuperat omnem sensum »; heredes sumus

praestantissimae traditionis, quae bellum semper habuit tanquam calamitatem maximam, eo magis quod in dies crescit nocibilitas conflictus armorum.

A Moderatoribus populorum id solum exigere possumus, quod facere ipsi nos prompti sumus. Proinde, exemplum esset pulcherrimum simplicitatis et humilitatis, si nos omnes hic agnoscere vellemus officium nostrum proprium. Utinam appareat in ipso textu schematis tale testimonium!

48

EXC.MUS P. D. RENATUS GRAFFIN

Archiepiscopus tit. Misthiensis

Ad n. 25. Secundum desiderium expressum ab em.mis moderatoribus, circa quaestionem de armis nuclearibus, has meas observationes scripto tantum tradam.

Schema damnat — et iuste quidem — usum armorum nuclearium, utpote instrumentorum mortis quae sine proportione sunt cum finibus quas sibi potest proponere bellum etiam legitimum. Sed schema non satis insistit in damnatione armorum classicorum, quae non potest seiungi a damnatione armorum nucleariorum quin adsit, iuxta non paucos peritos, periculum novi mundialis conflictus similis illo quem cognovimus in bello 1939-1945. Nam bellum nucleare et bellum classicum intime uniuntur.

Etenim secundum peritos in hac re, nunc temporis non datur pro momento possibilitas ulla comprimendi proiectilia atomica adversarii, neque ulla spes immediata habetur inveniendi aliquid quod possit talia proiectilia aerea cohibendi, saltem pro proximo futuro. Si talia proiectilia continentur in navibus submarinis, vel si in profundo terrae abscondita sunt, nullum est medium quo incipiens bellum atomicum possit impedire talionem a parte adversarii (représailles, rappresaglie). Igitur dicendum est quod hic timor talionis nunc suadet omnibus ne incipiant bellum atomicum, et augmentum huius potestatis talionis inter duas potestates vel nationes habet veluti effectum stabilizationis.

E contrario, si manemus in campo armorum classicorum, habetur tendentia ad instabilitatem. Nam si aliqua potentia cogitat de recursu ad bellum, tentatio eo fortior erit quo maior erit sua spes victoriae; quae spes iterum eo maior erit quo superior apparet potentia exercitus, materialis bellici, et praeparationis. Ambae partes possunt aestimare se habere hanc superioritatem, et sic incrementum armorum classicorum producit instabilitatem, id quod incrementum armorum nucleariorum non potest producere.

Id quod, in his 20 ultimis annis, impedivit initium magni conflictus, fuit exsistentia armorum nucleariorum, quae stabilivit situationem inter Orientem et Occidentem, prae timore ne conflictus classicus fiat aliquando nuclearis, si scilicet, unus ex adversariis, ad vitandam imminentem cladem, arma nuclearia uti tentaverit.

Dicendum est igitur quod si nunc arma atomica complete destruerentur (id quod URSS et Cina desiderant, quia habent potentiam classicam armorum ingentem), conflictus classici mundiales iterum fierent possibiles.

Conclusio: Ex his quae dicta sunt, apparet quod condemnatio belli atomici insufficiens est, nisi damnetur etiam et eodem modo, usus armorum classicorum. Damnare arma nuclearia, quin damnentur alia, periculum gigneret: 1) viam aperiendi bellis mundialibus; 2) suadendi christianos bonae voluntatis ut theses communismi mundialis sustineant pro suppressione armorum, cum omnibus periculis spiritualibus et moralibus quae ex hac actione communi cum marxismo oriri possunt.

49

Exc.mus P. D. AEMILIUS MAURITIUS GUERRY

Archiepiscopus Cameracensis

Ad n. 25. Pag. 30 (nn. 2 et 3) effrenatam armorum constitutionem optime arguit et increpat. Petit ut tollantur nuclearia arma. Effectus praesertim describit huius accelerati armorum apparatus. Gratias doctissimis peritis!

Sed hoc problema tam grave est tantumque hodie instat, ut necessarium videatur a Concilio fortiter proclamari altissimas rationes, propter quas crimen est et dementia haec magis ac magis de die in diem crescens armorum constitutio. Mundus universus operam Concilii ex tali declaratione respiciet spectabitque.

I - *Altissimae rationes positionis nostrae.* 1. *Optio praecipua inter duas conceptiones mundi et de relationibus inter populos.* Hic effrenus cursus ad arma apparanda, ut praecipuam optionem, implicat quod relationum internationalium conceptio eligatur, quae vi materiali, violentiae triumpho, armorum perhorrida potentia fundetur.

Humanam christianamque conceptionem relinquit internationalium relationum, reiicit, recusat. Dei propositum violat pessumdatque, quod generis humani atque populorum communitatis unitatem vult.

2. *Hac optione civilis cultus terribiliter recedit, redeunt pessima barbaries,* lexque dicta « de la jungle », ad nihilum rediguntur conatus omnes ad populos melius admovendos, ut sese mutuo intelligant, mutuoque sese adiuvent. Comprimitur et reprimitur quod abhinc sexaginta annis inceptum est, quod ab omnibus simul suscipi deberet, ut humanus ordo strueretur vitalis, iustus, fraternus. Ad se rapiunt Statuum opes scientiaeque pervestigationes et impediunt quin ipsae operibus pacis serviant: et hoc ut bellum parent. Mentes animosque pavore pascunt, diffidentia, dissentione, passionibus quae usque ad odium incitantur.

3. Denique ad summam quaestionis transeamus: de hoc nempe agitur: utrum superstes erit immensa pars generis humani, an peritura est, cum

verum sit, ut in schemate dicitur (par. 25, 16, 1) quod « novis perterreatur armis quae totam familiam humanam delere possunt ».

II - *Obiectiones*. 1. « Quod dictum est supponit omnes populos promptos esse ad cohibendum apparatum armorum. Porro sunt Status quid illud denegant et armare pergent ». R. Certe, universalem ab armis discessionem volumus, sed iam in cordibus populorum pacis voluntas adest. Porro populorum conscientia magna vi crescenteque gaudet, cui potestas publica advertere debeat. Iam aliunde aliquae pactiones ad sistendas nuclearias experientias conclusae sunt.

Nobis episcopis incumbit officium hanc publicam conscientiam formandi, ipsamque edocendi de periculis quae vitam populorum in discrimen adducunt.

2. « Sed Statuum principes ius omnino habent et officium aestimandi, ipsos munere suo obligari, ut nuclearia arma possideant et struant, ad alias nationes a bello dissuadendas ». R. In temporibus nostris, ubi res in contentionem veniunt, rerumque utilitates in conflictu ponuntur? Utique, munus suum adimplent pro potestate propria.

Sed animadversiones istae nosmetipsos impedire non debent quin missionem munusque nostrum adimpleamus pro re spirituali, sociali et humana. Non enim impediverunt Summos Pontifices quin alte firmiterque loquerentur. Stat omnium Pontificum continua traditio coram effrenata armorum constitutione. Concilium sibi debet eam non interrumpere. Coram illis, qui tantum potentiae armorum confidunt, de fide in amoris potentiam testes sumus.

Concludo. Cursus ad arma generi humano constantes imminet ut tremendum periculum. Quamvis nolint, nationes, aliae alias sequentes, infurialem cyclum trahentur ad excogitandum et fabricandum arma semper magis ac magis exitialia pro destructione. Qui statibus praesunt coguntur, ad bellum parandum, amplissimos sumptus impendere, quos reservare mallent ad pacem struendam, ad conditiones in commodius mutandas pro suis populis et pro nationibus quae bonis oeconomicis parum sunt praeditae. Sed in competitione nimis immittuntur, ut liberari possint ab illa fatali constrictione. Qua de causa, spiritualium potestatum concursu indigemus, ut istum ad mortem cursum contineamus.

Non agitur ut praesides populorum iudicemus qui, in rerum praesentium contextu, aestimare possint se in statu legitimae tutelae esse, seipsisque officium esse armandi.

Agitur, quod ad Ecclesiam attinet, ut supra populorum proelio conclamet ad conscientias excitandas. Votum meum est ut Concilium Oecumenicum, omnium Summorum Pontificum exemplo, acribus verbis ipsum ad arma cursum denuntiet, atque rationes altissimas exponat, propter quas crimen sit adversus humanum genus necnon adversus divinum consilium de humana communitate.

50

EXC.MUS P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE

Episcopus Flaviobrigensis

In questionibus gravissimis de matrimonio, non solum praescinditur a doctrina communi, verum etiam non satis attenditur (ne amplius dicam) ad magisterium auctoritativum Sanctae Sedis et Romanorum Pontificum.

Omittentes analysim de momento quod in *Adnexu* tribuitur conspectui indefinito « amoris coniugalis », a quo derivari ordinatio matrimonii ad prolem et proprietates essentiales matrimonii (quod novum est in doctrina et prima vice in documento ecclesiastico consignaretur), attentionem ponimus tantum in modo proponendi doctrinam de finibus matrimonii et de exigentiis legis divinae in usu matrimonii, data eorum maxima gravitate.

[*Cf. pag. 230 ad 232*].

Graves sunt consequentiae quae ex hac doctrina derivari possunt. Proinde res serio consideranda est.

51

EXC.MUS P. D. GEORGIUS HAKIM

Episcopus Ptolemaidensis

Vellem aliquas animadversiones circa conclusionem huiusce schematis facere.

Ante omnia noto, quod idem apparet ibidem defectus ac in prooemio generali indeque nihil prodesset modificationem circa initium schematis instituere, nisi idem quoque fiat quoad finem eius.

Invenimus enim ibi denuo illam — ut ita dicam — imaginem concentricam, quae a Papa et Concilio exit et per regiones (zonas) periphericas se usque ad ultimum terrae punctum (radium) se extendit.

Imago ista — ne dicere quidem id oportet — factis contraria est; nam, etsi mystice loquendo Ecclesia quidem in corde mundi ponatur, re tamen vera (phaenomenologice) non ita est. Collocatur Ecclesia potius in peripheriis, est Ecclesia in diaspora. Quapropter committitur error, confundendo duos hos aspectus. Error iste adhuc ingravescit, in quantum in hoc schemate regit modum tractandi quaestionem de praesentia Ecclesiae in mundo. Exordium sumere oportet ab Ecclesia missionaria, quae novam terrae evangelizationem exercet. Nisi aspectus iste, a principio usque ad finem revideatur, dubito, an aliquis indifferens vel agnosticus, aut atheista et incredulus, immo ipse quoque fidelis aliquam patiantur inde emotionem. Iterum apparebit illis hoc ut lingua temporis transacti.

Altera animadversio. Conclusio haec debito caret vigore. Ecclesia siqui-

dem est pro mundo, et schema praesens culmen apostolicum Concilii ante oculos ponit. Re quidem vera intendimus obtinere reconciliationem Ecclesiae cum humanismo moderno, construere pontes versus humanitatem indifferentem, hostilem, seu breviter non-christianam; beneque novimus hunc laborem fore longum, complexum ac difficilem. Undenam hauriemus vim ad initiandum et prosequendum hunc dialogum et statuendam hanc Ecclesiae praesentiam in mundo, nisi ex amore? Mundus debet sentire hunc nostrum amorem, tunc etiam, quando resistit nostrae fidei, immo et nostro amori.

Estne possibile, ut amicitia evolvatur inter christianos et musulmanos? inter catholicos et incredulos? inter catholicos et christianos aliarum Ecclesiarum? Utcumque, Ecclesia semper paratam se ostendere debet ad exhibendum signum illud, quo veri discipuli Domini dignoscuntur. Amare mundum, hoc est velle illi bonum. Enimvero, primum illud quod Ecclesia mundo profano sub aspectu religioso offert, est sua amicitia. Stabilito hoc principio amoris universalis qua fundamento pro isto dialogo, tunc Ecclesia exponit mundo, quaenam sunt illa bona, quae illi procurare intendit specialiter nostris temporibus, v. g. dignitas personae et familiae, elevatio humanitatis, pax et unio; immo, nec negligendum est illud quasi somnium fraternitatis universalis, desiderium illud orbem terrae in unum coadunandi unitatemque familiae nationum efformandi. Nullum maioris momenti problema humanitatis amicitiae huic extraneum esse potest, ut sunt: sic dicta reconciliatio racialis, superpopulatio, fames, efformatio novarum nationum, instauratio oeconomiae humanae, assistentia populis pauperioribus, auxilium praestitum refugis, uno verbo: ordo, pax et felicitas populorum.

At vero, Ecclesia non utitur amicitia hac qua medio expugnationis hominum ad fidem. Certo certius non est indifferens relate ad conversionem hominum ad fidem; verumtamen officium eius consistit in proclamatione nuntii revelati et in exhibitione signorum amoris, res vero est Dei ipsius agere intra conscientiam humanam.

Ecclesia habet ergo obligationes erga seipsam, habet illas quoque erga homines et religiones nostri temporis, specialiter post institutionem Secretariatus pro religionibus non-christianis et ratione itineris Sancti Patris ad civitatem Bombay; et sic, Ecclesia, dato testimonio amoris, dat nunc probationem suae sinceritatis et puritatis huius amoris. Utique, exhibitio amoris potest quandoque esse fictitia, et mundus hodiernus valde perceptibilis est huius facti. At vero, testimonium amoris, intactam reliquentis libertatem, fallere non potest. Ecclesiae amor non est medium propagandae, expugnationis, productionis augmenti, sed est signum praesentiae Dei inter homines; quod vero amplius est et superat hoc, subest potestati ipsius Patris luminum.

Quamobrem necesse esset invocare hic doctrinam Concilii circa libertatem religiosam. Hoc eo vel maioris ponderis est, quod mundus devenit, et quidem pro longo tempore, interreligiosus. Hoc quoque signum temporis

nostri est. Proinde, ut melius a mundo recipi et intelligi possimus, oportet illi manifestare, quomodo actio nostra procedere debeat per respectum ad magnas non-christianas religiones, Islamismum nempe, Hinduismum et Buddhismum — ostendere illud etiam in relatione ad Ecclesias christianas non-catholicas, — et finaliter exhibere etiam nostrum modum procedendi erga legislationem Statuum marxismo addictorum, qui admittunt quidem propagandam anti-religiosam, non autem sinunt propagandam religiosam. Agendo ita, in additamento adiumentum afferre poterimus Ecclesiae catholicae et aliis non-catholicis, quae retro Vallum Ferreum (Cortina di ferro) existunt.

Propono igitur: ut nova elaboretur conclusio, comprehendens duas sequentes partes principales:

I. « Exhibitio caritatis », id est bona quae Ecclesia vult principaliter pro mundo profano et religioso nostri temporis. (Hoc idem est ac summarie exponere magna requisita capituli quarti, quod — ut obiter dicam — incorporari deberet longo schemati, concepto secundum lineas omnino simplices, scilicet: Ecclesia, Homo, Materia, Historia).

II. Secunda pars exponere posset breviter positionem Ecclesiae circa libertatem religiosam.

Talis mundus idealis, in quo exstarent homines liberi sub gratia constituti, est praecise id ad quod Ecclesia pertingere pergit et stabilire in terra intendit. Et pro hoc scopo praeparat caelos novos et terram novam, nam caelum est regnum hominum, qui consummaverunt suam liberationem in Dei praesentia. Tale est ultimum verbum amoris victoriosi.

Si ergo volumus, ut hoc schema a principio ad finem attentionem hominis moderni evocet, oportet illud construere secundum ordinem « manuductionis ».

52

EXC.MUS P. D. VILLELMUS HART
Episcopus Dunkeldensis

Ad n. 3. Cum gaudio receptum est nuntium de formatione Commissionis peculiaris ad ea, inter alia, consideranda quae vias legitimas prolis limitandae respiciunt, Patribus conciliaribus relicta magis generali consideratione circumstantiarum quae nostro tempore talem limitationem suadere videntur.

In schemate autem, ut proponitur, videtur desiderari affirmatio clara et explicita principiorum generalium de usu matrimonii ex documentis Pontificiis deprompta, qualis invenitur in « Adnexa », pag. 22, linn. 4-10. « Custos vero sanctitatis matrimonii, S. Synodus omnes homines bonae voluntatis alloquens, monet: Matrimonii naturae et ordinationi contradicunt asserta illorum qui opinantur procreationem et educationem prolis esse aliquid secundarium quod aliis bonis matrimonii postponi vel ab eis radicitus et arbitrarie separari liceat. Legi divinae et ordinationi matrimonii contrarius est

etiam omnis deliberatus hominum interventus qui opus personae actui coniugali proprium vitiat: nec convenire potest talis agendi modus integritati amoris coniugalis ».

Proponere igitur auderem ut haec paragraphus in novam redactionem huius partis schematis introducatur. Ratio est quia ob quasdam opiniones quae passim in libris et ephemeridibus divulgantur, et confessarii immo et fideles in dubiis versantur utrum doctrina traditionalis in hac re adhuc suam retineat validitatem.

53

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS HENGSBACH
Episcopus Essendiensis

Interventio mea respicit ultimum « alinea » n. 23. Ibi legimus: « Verumtamen ab ipsis, qua christianis, praecipue exspectatur, ut inter terrenas activitates sint testes fideles Christi, iusto valorum ordini, quem alte proclamant, vere addicti, imbuti Beatitudinum spiritu, qui totam vitam eorum pervadat atque inflammet ». Quid haec verba concrete significant? Liceat mihi, ad hanc quaestionem aliquas reflexiones proponere et conclusiones practicas addere.

a) Reflexiones quaedam. 1. Certo spiritus beatitudinum includit spiritum paupertatis evangelicae, de qua iam saepe in hac aula sermo erat. Ad eam haec pertinent: agnoscere valorem omnia transcendentem regni Dei; communicare propria bona cum egenioribus ex caritate fraterna; spem ponere in providentia Patris caelestis magis quam in divitiis; participare quodammodo in vitae condicionibus eorum quibus testimonium praestamus; configurari cum Christo, qui seipsum pro nobis exinanivit; vera libertate animi erga bona materialia credibiles manere apud eos, inter quos vivimus.

2. Concretae formae huius paupertatis variantur; aliae sunt apud eos, qui in abundantia vivunt, aliae apud inopes; omnes vocantur, non tamen omnes ad eandem formam externam.

3. Quaedam formae hodie magis commendandae sunt. Duas velim explicite nominare: *Prima* est promptitudo ad renuntiandum praesertim in iis regionibus, ubi bona oeconomica hominibus cotidie oblata crescunt. Apud non paucos enim cum crescente oblatione crescit cupiditas. Immo haec insana cupiditas a multis stimulatur, v. g. per inhoneste commercialisatam televisionem. *Secunda* est promptitudo ad laborandum et quidem ad bene laborandum. A labore vivimus non solum nos ipsi, sed vivunt etiam opera praecipua assistentiae socialis et misericordiae. Pauperem esse in sensu Evangelii hodie concrete saepe consistit in communicatione spontanea fructus laboris cum aliis. Haec veritas in ipso Evangelio iam continetur.

4. Societates religiosae in Ecclesia talem paupertatem evangelicam vivant oportet, quae nostris temporibus signum sit recti usus bonorum oeco-

nomicorum. Ad hoc in multis requiritur vera reformatio iuris et praxeos paupertatis. Quae reformatio etiam peritos in scientiis sociologicis et oeconomicis versatos praerequirit, qui apti sunt iudicare, quomodo spiritus constitutionum et regularum in hodiernis adiunctis efficaciter incarnari possit.

5. Sunt in Ecclesia Latina ordines praesertim laicorum, e. g. equitum a Sancto Sepulchro, qui huius vere evangelicae paupertatis novum exemplum dare possint. Formae ab iis conservatae optimis ex nostris laicis adaptatione indigere videntur ad exigentias nostrorum temporum. Spiritualitas eorum ex fontibus suis renovata novas formas invenire deberet generositatis et liberalitatis in servitium aliorum.

b) *Conclusiones.* 1) Inseratur in textu invitatio ad promptam renuntiationem coram crescente copia bonorum oeconomicorum et ad ethicam laboris strenui ac diligentis. 2) Ponantur in eo etiam fundamenta quaedam reformationis societatum religiosarum quoad paupertatem, et statuta et praxes quoad ordines equitum et similes.

* * *

Ut textus n. 23, qui inscribitur « De vita oeconomica et sociali », melius intelligatur, quaedam dicere velim de eius genesi, contento et difficultatibus.

I. *De genesi textus.* Inter fontes eius eminent duo schemata, alterum a commissione doctrinali in fine laboris commissionum praeparatoriarum parata « de ordine sociali », alterum a commissione de apostolatu laicorum, quae etiam aliquod caput « de ordine oeconomico et sociali » confecerat. Cooperatores horum textuum vere periti erant in Litt. Enc. Pontificum, quae de rebus socialibus agunt. Cum nostro textui non addita sit aliqua documentatio, non apparet, quod principia in eo contenta ex litteris socialibus, praesertim Pii XII et Ioannis XXIII assumpta sunt.

Post secundam sessionem forma textus profunde mutata est. Necessarium erat sequi normas in commissione mixta pro nova forma textus conciliaris elaboratas. Haec nova forma respondere debuit principiis priorum trium capitum huius schematis. Altera ex parte solum quaedam puncta maioris momenti retinenda erant, remissa ampliore explicatione materiae ad respectivum Adnexum.

Membra subcommissionis erant ex Gallia, Tanganyka, Brasilia, Jugoslavia, Hispania, Cechoslovakia, et ex Germania. Inter peritos erant aliqui, qui optime noti et meriti sunt in actione sociali Ecclesiae sive in ambitu suae nationis sive internationali. Insuper consilia petivimus a numero non parvo laicorum expertorum in scientiis socialibus et oeconomicis variarum regionum.

II. *De his quae in textu continentur.* N. 23 aliquos aspectus tantum valde generales proponere potuit. Continet duas partes: *In prima parte* tamquam « signa temporum » in sensu schematis, ut patet, intellecta, recensentur

haec: 1) factum socialisationis ad mentem Litterarum Encyclicarum *Mater et Magistra*; 2) tendentia inter optimos homines crescens ad ordinem magis humanum et universalem; 3) insertio activitatis oeconomicae et socialis omnis conscientiae maioris unitatis generis humani, agnita tamen quoque legitima diversitate. Quem statum bona sequuntur et mala.

In altera parte, ut bona promoveantur, malis obsistatur, septem principia fundamentalia, doctrinalia simul et practica, ponuntur, scilicet: 1) Ordinetur evolutio oeconomica ad dominium omnium hominum, qui, quantum fieri potest, in ea actuose participent. 2) Ad bona progressionis oeconomicae omnes accessum habeant, nullo discrimine individuali vel collectivo habito. 3) Inseratur evolutio oeconomica incremento totius personae humanae eiusque valorum supremorum. 4) Adaptentur continuo formae appropriationis, productionis et distributionis bonorum oeconomicorum essentialibus finibus omnium hominum eorumque unitati. 5) Minuantur discrimina et differentiae oeconomicae et sociales, quae offendunt contra socialem iustitiam. 6) Integrentur operarii, vere propriam responsabilitatem exercendo, et in suis inceptis oeconomicis et in hodierna societate. 7) Adlaborent christiani ad haec omnia in praxim deducenda, agnoscentes iustum valorum ordinem et spiritum Beatitudinum in Sermone Montano.

III. *De difficultatibus textus.* Quaedam difficultates nostrae redactionis nos ipsos non effugiunt:

1. Estne, spectatis tantis differentiis in mundo universo, electio nostrarum aspectuum et orientationum, recta et aequilibrata? An quaedam supplenda sunt, quaedam aliter accentuanda? Rationem quidam habere studuimus et problematum extraeuropaeorum, extraoccidentalium, etiam populorum sub regimine atheistico constitutorum. Supplete tamen, venerabiles Patres, quae scripsimus, latiore vestra experientia.

2. Iam indicavi, doctrinam socialem Magisterii contineri in nostro textu. Debetne hoc explicitius fieri?

3. Iam de titulo disputari potest, praesertim si alios numeros capitis quarti respicimus, v. g. de dignitate personae fovenda, de promovenda cultura necnon solidaritate familiae populorum. Estne melius dicere: « De vita oeconomico-sociali » quam « de vita oeconomica et sociali »?

4. Si Adnexum respectivum inspicitis, suntne forte quaedam, quae fusius ibi exponuntur, in textum conciliarem assumenda et quaenam?

5. Si in textu dicitur Ecclesiam nullo particulari systemati oeconomico alligari, vox « systematis » non intelligitur sensu philosophico, sed technico, eodem modo sicut dicimus Ecclesiam non alligari determinatae structurae politici regiminis. Evidens est, quod principia moralia in omnibus systematibus oeconomicis semper sancte servanda sunt.

6. Haud parvam in his rebus difficultatem creat lingua latina. Qui differentias vere graves quorundam locorum ex recentibus Litteris Encyclicis socialibus in textu latino et in versionibus modernis attendit, non mirabi-

tur, nos cum forma latina nostri textus, qui originarie latinus non erat, nondum esse plene contentos, immo aliquae phrases ita fere inintelligibiles evaserunt; sed studebimus, ut latinitas quoque perficiatur, non tamen ignorantes, quos limites aliqua lingua classica intellectui illarum distinctionum praebet, quas solae linguae recentes exprimunt.

7. Fortasse aliquis quaerit, cur non magis citaverimus Sacram Scripturam? Respondeo: principia in nostro numero contenta imprimis pertinent ad ius naturale. Ideo etiam in Lit. Enc. *Pacem in terris,* quae ab omnibus tamquam exemplares considerantur, pauciores adhuc citationes continentur in respectivis partibus quam in nostro capite quarto.

Iuvate nos, Patres venerabiles, vestra eruditione, doctrina atque experientia pastorali, ut et haec Pars schematis eam formam assequatur, quam postulat momentum rei tractatae in dialogo Ecclesiae cum mundo huius temporis.

54

EXC.MUS P. D. ALOISIUS EDUARDUS HENRIQUEZ JIMENEZ
Episcopus tit. Lamdiensis, aux. Caracensis

Ad n. 21. Ad matrimonii theologica fundamenta penitius cognoscendi, oportere mihi videtur accurate distinguere:

a) Inter fines matrimonii (causam finalem) et causam formalem ipsius. Amor coniugalis non in ordine finis, sed in ordine causae formalis matrimonii reponi videtur.

b) Procreatio et educatio aeque sunt finis primarius matrimonii. Usque nunc pondus fere totum in procreatione reponitur, ita ut educatio veluti in penumbra remaneat.

c) Multoties, praesertim in mundo hodierno, conflictus inter hos duos aspectus finis primarii, nempe procreationem inter et educationem, oriri videntur. Si procreationi multiplici indulgetur, filiorum educationi damnum infertur. Potestne vere dici procreationem matrimonii primariam finalitatem adimplere quando ab ipsa rectam et humanam filiorum educationem eliditur?

Proinde educationem, ut finem primarium matrimonii, magis magisque in lucem collocare oportet.

d) Amor coniugalis in ordine causae finalis matrimonii poni non potest. Non ut finem prosequitur; sed ipse matrimonio confert formam et dignitatem vere humanam. Dici non potest finem secundarium et subordinatum procreationi. Valor est in se ipso; ideoque uniones inter steriles matrimonium non elidunt, immo ipsum honestum et dignum et sanctum faciunt.

Consideratio amoris coniugalis ut in ordine causae formalis matrimonii viam patere potest ad profundiorem et clariorem investigationem theologicam de ipsa natura matrimonii, etiam ut sacramentum Novae Legis, nempe ut a Christo Domino elevatum et sanctificatum, ac instrumentum sanctifica-

tionis pro coniugibus effectum. Etiam sub hac luce doctrinam de consensu matrimoniali, ut causa matrimonii, hucusque nimis iuridicam, revisere oportet.

Propono: 1) Ut in futuro textu, educatio ut finis primarius matrimonii in apricum tuto ponatur; et ne conflictus, qui inter ipsam et procreationem non raro oriuntur, sileantur. 2) Clare distinguatur inter ordinem causae finalis et causae formalis. Amor autem coniugalis in ordine causae formalis doceatur et investigetur.

55

EXC.MUS P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET

Episcopus tit. Doritanus, prael. null. Cluniensis

Cf. vol. III, pars VI, pag. 217-219.

[*Subscripserunt etiam*] M. Alves de Pinho, arch. Luanda; D. Gomes Junqueira, ep. Nova Lisboa; João Crisostomo, aux. Viseu; Emmanuel, arch. Eborensis; Ernestus, arch. ep. Coimbra; Antonio, ep. tit. Febriana; M. de Jesus Pereira, aux. Coimbra; Sebastianus, ep. Beira; Enricus, ep. Vila Cabral; Manuel, ep. Aveiro; José, ep. tit. Egee; Ernesto, ep. Inhambane; P. Tavares, ep. Macao; David, ep. Funchal; J. Ferreira, praef. ap.; F. Rendeiro, ep. Faro; F. Dias, ep. Luso; Antonius, ep. tit. Ombi; M. Guerreiro, ep. Nampula; João, ep. Leiria; Manuel, ep. Silva Porto; A. Cosme do Amaral, ep. aux. Porto; Francisco, ep. Quelimane; Pompeu, ep. Malanja; J. Bonfiglioli, arch. tit. Darnitanus, coad. Syracusa; J. Dell'Omo, ep. Acqui; A. Pirotto, ep. Troia; A. card. Larraona; Arturus, ep. Albacete; C. Pechuan, ep. Cruz del Eje; F. Muguerza, ep. Orán; L. S. Tomé, ep. Mercedes; M. Blanchoud, ep. Rio Cuarto; J. Ferro, ep. Concepción in Arg.; J. R. Pulido, ep. tit. Cirro; E. Peyron, ep. Comodoro Rivadavia; B. E. Rodriguez, aux. Rosario; A. Rencoret Donoso, arch. Puerto Montt; R. Arrieta, ep. Tilaran; A. Torres, ep. Catamarca; E. Principe, aux. Santa Fé; B. Mels, arch. Luluabourg; Antonio, ep. Porto; Manuel, ep. Coria-Cáceres; F. Azcárate, aux. La Habana; I. Di Stefano, ep. Sancti Rochi; Adolfo, ep. Camagüey; E. Boza Mazvidal, ep. tit. Vinda; G. Esorto, arch. Bahía Blanca; E. Menéndez, ep. San Martin; J. Dominguez, ep. Matanzas; A. Schell, ep. Lomas de Zamora; L. A. Olano y Urteaga, ep. tit. Lagina; A. Riesco, ep. aux. Pamplona; M. Solá, ep. tit. Colofone; J. Chalup, ep. Gualeguaychú; R. Primatesta, ep. San Rafael; E. Segura, ep. tit. Carpi; I. Larrañaga Lasa, ep. Pingliang; E. Angelelli, ep. tit. Listra; C. Cafferata, ep. San Luis; J. Medina, aux. Mendoza; J. Gottau, ep. Añatuya; J. Lahiguera, ep. Huelva; P. Lyons, ep. Sale; J. O'Collins, ep. Ballarat.

Animadversiones additae:

Ad Prooemium. a) Novus ordo proponitur, et accurate describitur, quo textus schematis integre servatur, sed magis logice, uti opinor, dispositus;

b) *additur affirmatio,* quam fundamentalem puto, ut manifestetur efficacitatem *actionis christianorum in mundo* vim suam *accipere ab unione eorum cum Christo,* qui est lux et salus mundi.

a) *Ordo idearum exponitur et describitur*:

1. Ecclesia, Christi vestigia sequens, cunctas mundi spes, gaudia et luctus sua facit (par. 1 completa).

2. Ecclesia perscrutatur signa temporum quasi vocem Dei, et in bonis et miseriis huius temporis, lumine fidei, mandatum caritatis adumbrat, quae est solutio problematum actualium (par. 2, usque ad lin. 9, pag. 6).

3. Ecclesia in historia mundi agnoscit actionem Spiritus Sancti, qui ad Christum ducit, lucem et salutem mundi (pag. 6, linn. 9-13 et 31-36); unde Ecclesia docet omnem efficacem actionem illo fundamento niti oportere, quod in vita interiori seu supernaturali consistit, ex qua Ecclesia propriam vim haurit ut in mundum apte influat.

Tertia paragraphus ergo sic se haberet: « 3. S. Synodus vero, in variis eventibus totius generis humani operationem Divini Spiritus *agnoscens* — qui mundat corda hominum, renovat faciem terrae, et inter mundanas vicissitudines diversis viis ad Christum perducit —, ipsum solum Christum, verum Deum et hominem, intendit, qui est lux et salus mundi, e quo et per quem omnibus omnia bona profluunt (cf. *Io.* 8, 12; 12, 46) et Ecclesia sua fungi potest missione pro mundi vita.

« His ducta rationibus S. Synodus aperte profitetur, iam ab initio huius documenti, omnem actionem et efficacem influxum christianorum in mundum huius temporis ab illo fonte promanare et illo fundamento niti, quo homines Christo intima coniunctione uniuntur, atque proprie vita interior seu supernaturalis nominatur.

« Vita enim supernaturalis gratiae, a Christo promanans, est fons uberrimus, unde Ecclesia suas supernaturales vires haurit; via propria, qua in mundum venit Spiritus Sancti influxus; radix fecunda, qua omnis actio religiosa et socialis Ecclesiae alitur; certissimum denique praesidium et semper reviviscentis roboris causa, qua Ecclesia munitur inter profani huius saeculi difficultates (cf. PAULUM VI, Enc. *Ecclesiam suam*).

« Inter infirmitates et in spiritu crucis, christifideles visibilem efficere debent in mundo praesentiam Christi, qui humili vita et morte amorem Patris erga mundum manifestavit et, resuscitans a mortuis, ad dexteram Patris sedens et pro nobis interpellans, suo amore vivificat Ecclesiam et mundum » (ex par. 4, pag. 6, linn. 36-39).

4. Nunc dicendum esset ad quos S. Synodus alloquatur, prout invenitur in par. 3 schematis (pag. 6, linn. 16-30).

5. Tandem optime quae in pag. 7 inveniuntur, dicenda sunt ut Concilium declaret, quasi per summarium, quid Ecclesia intendat dum alloquitur mundum huius temporis.

Sed textus propositus in pag. 7 obscurus saepe videtur et *titulo indiget,* quo explicite manifestetur connexio numerorum cum capitibus subsequentibus.

Rationes, quibus ordo proponitur, non alio fundamento nituntur nisi ut lectori clarius pateat quid in Prooemio Concilium dicere intendit.

Addita vero sunt quaedam verba, quibus declaratur Ecclesiam omnem vim haurire, ut in mundum feliciter influat, a vita interiori seu unione cum Christo. Rationes huius additionis deducuntur:

a) *Ex ipsa rei natura,* scilicet *ex natura Ecclesiae* qualiter mundo hodierno exhibenda est. Concilium ad hoc convocatum est, iuxta mentem Summorum Pontificum qui illud indixerunt, ut vultus Ecclesiae originaria pulchritudine magis splendeat et mundo innotescat; non intendit ergo haereses damnare, sed novum

spiritus vigorem Corpori Mystico infundere, et Ecclesiam societatem visibilem purgare a defectibus et miseriis membrorum, atque ad virtutem incitare. Sed *arma* omnium *potentissima,* quibus Ecclesia seipsam *renovare* et mundum in Christo instaurare potest, *est sanctitas seu vita supernaturalis a Christo profluens, quam mundo transmittere debet.*

Ecclesia enim renovabitur, non has vel illas leges sanciendo, haec vel illa artificia seu methodos operandi innovando, sed seipsam ad Christi exemplar componendo, ita ut ipsi firmius adhaereat, diligentius pareat, fidelius imitetur. « In hoc vertitur, ait Paulus VI, eius renovationis vis; in hoc eius metanoia...; in hoc demum eius perfectionis exercitatio » (*Ecclesiam suam,* p. 28).

b) *Ex opportunitate in hodiernis adiunctis.* Nostris enim diebus, praesertim ex Concilii et Magisterii Pontificii influxu, sub ductu Spiritus Sancti, magna eaque laudanda renovationis sollicitudo totam Ecclesiam pervasit. Sacerdotes et laici novas et efficaciores agendi rationes inquirunt et a Concilio spectant, ut mundum renovent. Sed ne ista pacifica et renovata Christi agmina aerem verberent vel insidiatas et periculosas ingrediantur vias, officium Concilii est perspicue describere finem, obiectum et arma seu media huius certaminis. Aliter periculum est ne in solis structuris temporalibus mutandis omnes vires insumant, ignorantes vel oblivioni vertentes renovationem interiorem hominis praecipuam esse vim Evangelii, etiam ad ipsas structuras temporales innovandas, prout luculenter attestatur historia antiqua et experientia recens.

Nisi hic ordo teneatur, absurde Ecclesia verba Christi recitaret: « Regnum meum non est de hoc mundo », « Quaerite primum regnum Dei »; et perdifficile explicari posset cur Salvator mundi, antequam gratiam adoptionis revelaret et ad poenitentiam invitaret, non proclamasset renovationem socialem, servitutis abolitionem, tyrannicae oppressionis damnationem, vel optimas et necessarias inventiones, quibus conditio humana et pauperum aerumnae sublevantur. Perdifficile etiam esset explicare qua ratione Apostoli, magistri nostri, non humanam culturam et scientiam, sed stultitiam crucis mundo praedicaverunt, et ad populum venerunt « in ostensione spiritus et virtutis » (*1 Cor.* 2, 4).

Certe aliud periculum est vitandum, ne hodierni apostoli falsam et sterilem spiritualitatem colant, qua detineri possent ne fructus caritatis mundo praeberent et iustitiam exercerent. At contra tale periculum optima erit cautio doctrina in schemate proposita.

Nunc ergo reale, non fictum periculum manet ne, sub influxu hodierni pragmatismi et materialismi, fideles vitam supernaturalem et vim divinae gratiae parvi pendentes, solam renovationem materialem et terrenos progressus intendant, quando mundum instaurare in Christo nituntur.

Ad pag. 13, lin. 7. Loco verbi « sanam », postulo ut dicatur « harmonicam ». *Ratio*: Mihi videtur aptius vocabulum ad exprimendam cooperationem inter Ecclesiam et Statum civilem.

Ad pag. 13, linn. 10-13. Loco textus qui his lineis comprehenditur, haec formula, si placet, adhibeatur: « Omnia et sola media habens, Evangelio secundum temporum et conditionum diversitatem propria, quod etiam in bonum civile redundat ». *Ratio*: vitandus est parallelismus inter Evangelium et bonum omnium, quasi essent duo bona diversa.

Ad pag. 13, linn. 25-28. Hic agitur de materia ad Ius Publicum Ecclesiasticum pertinente, scilicet de relatione inter Ecclesiam et Statum (cf. linn. 7-8 eiusdem paginae, et etiam pag. 123-124 schematis *de Ecclesia*, n. 36, a linea « propter ipsam... », ad verba « ... merito reiicitur ». Placet quidem ut directe agatur de officio sacrorum pastorum non ignorandi « res temporales Deo esse subiectas » (linn. 36-40), sed valde etiam *placeret ut aliquid directe et aperte diceretur potestatibus civilibus de officio suo res temporales ordinandi secundum Dei consilia et praecepta.* De hoc argumento schema omnino silet, dum Romani Pontifices rem luculenter docuerunt.

His non obstantibus, libenter fateor doctrinam huius par. 12 optimam esse et praestantissimam in schemate.

Ad pag. 19, linn. 17-40 et pag. 20, linn. 1-14. Tota paragraphus quae agit « De dialogo eiusque conditionibus » multos conceptus repetit. Oportet ergo eam *pressius et densius exprimi.* Prae oculis habere oporteret optimum documentum a Paulo VI datum, nempe Enc. *Ecclesiam suam* in his quae de dialogo dicit, cuius etiam ordo logicus et argumenti distinctio exemplo nobis esse deberent.

Ad pag. 19, lin. 22. Textus, ubi legitur: « Vera etenim caritas, memor propriae debilitatis »..., ita componatur: « Vera etenim caritas, memor *humanae debilitatis...* ». *Ratio*: non enim vera caritas, sed humana natura debilis est.

Ad pag. 21, lin. 9. Textus hoc modo compleatur: « ... agnoscatur personae humanae dignitas, quae ad imaginem Dei mirabiliter creata et in Christo mirabilius reformata (vel instaurata) est, et quidem... ». *Ratio*: haec verba, ex Offertorio Missae desumpta, perfecte exprimunt unde haec personae humanae dignitas originem ducat, et hanc explanationem optime complere possent.

Ad pag. 23, lin. 16. Videtur omittendum esse verbum « sincera ». Forsan eius loco aptius diceretur « vera ». *Ratio*: verbum « sincera » non videtur aptum huic loco, licet ethymologice idem fere significet ac « vera ».

Ad pag. 26, lin. 37. Melius forsan diceretur: « ordinatus locus detur conatibus... ». *Ratio*: sic omnis sensus vitiosus et liberalisticus devitaretur.

Ad pag. 27, lin. 2. Dicendum esse videtur « nullo habito discrimine sive *classis* sive stirpis sive mundi regionis... ». *Ratio*: oportet addere *classem,* ut descriptio magis completa evadat.

Ad pag. 27, linn. 2-5. Verbis quibus liberalismus quem « Manchesterianum » vocant, consideratur, logice aliquid addendum esset, ut etiam communismus reiiceretur; scilicet: « Nec evolutio oeconomica ut suprema et prima lex historiae et ordinis socialis urgeri potest ». *Ratio* patet.

Ad pag. 27, linn. 27-28. Claritatis gratia, melius diceretur: « ... iniustum est excludere operarios a progressu isto et a iusta perceptione fructuum... ». *Ratio* patet.

Ad pag. 27, lin. 34. Addatur « et fructu », ita ut textus dicat: « ... ut socii in communi opere *et fructu...* ». *Ratio* obvia est.

Ad pag. 29, linn. 20-21. Textus ita compleatur: « ... solutiones... quae moralitatis parvam vel nullam rationem habent, iura et dignitatem personae humanae graviter laedunt, etc. ... ». *Ratio* obvia est.

Ad pag. 29, linn. 22-27. Textus loquitur de profectibus scientificis ad prolem rationabiliter limitandam, quorum *validitas* bene probatur, et quorum *moralitas* in nullum dubium vocatur.

Sed valde desiderandum, immo necessarium videtur ut declaretur quid requiratur ut moralitas profectus scientifici huius generis in nullum dubium sit vocanda. *Rationes*: schema loquitur in abstracto de profectibus scientificis et opportunum quidem non est ad concreta descendere. Attamen, sicut scientiae proprium est, ut omnes agnoscunt, de eorum validitate iudicare, sic affirmare oportet munus esse Ecclesiae proprium de moralitate horum profectuum scientificorum ultimum iudicium ferre.

Millies millium hominum, etiam christianorum et catholicorum, his profectibus scientificis de facto utuntur, quin Pastores vel confessarios et conscientiarum moderatores de hac re audeant consulere, etiamsi magna anxietate spiritus turbentur. Confessarii et moderatores spiritus merito sperabunt Pastores Ecclesiae principia fundamentalia moralitatis hac de re affirmaturos esse in Concilio.

Oportet ergo *exponere principia* tenenda ad rectum iudicium de moralitate pronuntiandum, vel *documenta invocare* a Magisterio Pontificio prolata vel in futurum proferenda.

Ad pag. 30, lin. 22. Forsan textus melius componeretur hoc modo: « Haec S. Synodus, *officio proprio* atque supplicibus vocibus undequaque ad se pervenientibus obsecundans, etc. ... ».

Ad pag. 27, linn. 11-24. Textus par. 4 et 5 complendus et modo clariori redigendus mihi videtur. Sumens ergo praecipua elementa, quae in textu continentur, collaborandi animo, hanc novam redactionem propono, in qua *linea infra deducta* notantur ea quae adduntur vel reformantur: « 4. Cum Deus bona terrae commune totius generis humani patrimonium constituerit, *modum vero ea* distribuendi (*quo necessitates omnium, dignitas et securitas personarum familiarumque et ordo socialis attendantur*), populorum sapientiae relinquerit, formae et institutiones quibus *iusta* distributio, productio, appropriatio in actu *deducuntur,* valde variare possunt. *Ab Ecclesia nulla ordinatio damnatur, dummodo ipsorum bonorum naturae et finibus conformetur,* quippe quae vere omnium hominum utilitati et ipsi unitati fovendae destinentur ».

« 5. Cum vero procul dubio hodie differentiae oeconomicae et sociales in multis *gravissime* contradicant *iustitiae* et essentiali unitati generis humani, omnes sane conatus *continenter, prudenter ac fortiter* suscipiendi sunt *ad formas et institutiones historicis conditionibus et necessitatibus adaptandas,* ut *dignitate, securitate et iuribus personae humanae familiaeque servatis,* et ratione habita propriae indolis uniuscuiusque populi, *iniusta* discrimina

quam citissime removeantur. Sic restitutio consilii Creatoris *benedictionem Dei supra societatem portabit* ».

Ratio generalis: Haec tota paragraphus *maximi momenti historici* est. Maxima ergo cura est elaboranda. Etenim propter *iniustam distributionem* bonorum, multa mala societati supervenerunt, et nostris diebus periculum materialismi historici (Communismi) crevit in toto orbe terrarum.

In concreto, *a*) In par. 4 addimus illa verba « *quo necessitates omnium, dignitas et securitas personarum familiarumque et ordo socialis attendantur* », ut saltem modo condensato haec exprimantur: fines bonorum, rationes quae distributionem et appropriationem ipsorum iustificant, limites huius appropriationis.

b) *Ius ad proprietatem privatam limites habet.* Ratio habetur de distributione bonorum secundum doctrinam a Ioanne XXIII propositam in Enc. *Mater et Magistra.*

Certissime *proprietas privata legitima in semetipsa est,* nam exigitur ex necessitatibus, securitate et dignitate personae humanae.

Etiam *proprietas privata essentialiter* seu *intrinsece subordinatur communi destinationi bonorum,* cuius est particularis actuatio. Sed necesse est etiam ut statuatur *principium limitationis ipsius proprietatis privatae seu principium ipsius distributionis* modo clariori, etsi generico.

c) *Mens liberalistica reiicienda.* Mentalitas quaedam liberalistica loquitur de *sacralitate* proprietatis privatae, et modo quidem absoluto, unde proprietas privata omnino *intangibilis* consideranda esset. Sed revera, quod intangibile est habendum, ipsa persona humana est, securitas et dignitas eius, seu area autonomiae propriae, non vero proprietas (seu potius abusus proprietatis) quae tollit vel aufert areas alienas.

d) *Id postulat ipse ordo socialis. Intangibilitas proprietatis iustificari vult ex bono civitatis et ex ordine sociali servando.* Sed revera distributio iniusta proprietatis in periculum ponit eversionis et ordinem socialem et ipsam institutionem proprietatis privatae, ut ex historia veteri et ex hodierno communismo videre est.

Inde sequitur quod auctoritas socialis, cui competit, nomine societatis, formas et institutiones proprietatis determinare, potest decernere ut aliqua pars bonorum superabundantium, eorum qui nimis sumptuose et profuse vivunt, veniat in remedium et utilitatem illorum qui omnibus carent.

e) *Difficultas solutionis iustae. Solutio iusta et aequa vere difficilis est,* et hanc difficultatem textus agnoscere debet, unde addimus « continenter, prudenter ac fortiter » et alia similia verba. Solutio tamen *necessario* inquirenda est. Opinio enim generalis est apud viros probos et rectos, quod actualis distributio bonorum et ipsa, uti vocant, « structura » societatis, in his quae ad proprietatem spectant, non respondet consilio Dei Conditoris generis humani.

56

EXC.MUS P. D. CAROLUS M. HIMMER

Episcopus Tornacensis

Art. 23, sub n. 4, pag. 27. Optatur ut « formae et institutiones quibus appropriatio, productio ac distributio bonorum terrae in actum deducatur, continenter, prudenter ac fortiter adaptentur » attendendo ad finalitatem ipsorum, scilicet « utilitatem omnium hominum ». Haec verba sat generalia videntur continere invitationem ad investigandas et in actu reducendas formas magis concretas. Liceat ergo hic unum verbum facere de forma vitae sic dicta communitaria.

1. Recordetur prius quod Ecclesia ab initio et in decursu suae historiae communitates sub ductu spiritus evangelici ortas fovere solebat. Conferantur Actus Apostolorum ubi describuntur primi christianorum coetus. Sic cap. 2, 44. « Omnes etiam, qui credebant, erant pariter et habebant omnia communia. Possessiones et substantias vendebant et dividebant illa omnibus prout cuique opus erat ». Etiam cap. 4, 32: « Multitudo autem credentium erat cor unum et anima una: nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia ». Tempore posteriori fuerunt communitates monachorum et communitates familiarum (saepe consociatae) quae pro magna parte Europam construxerunt.

2. Hodie autem inveniuntur adhuc christiani non tantum religiosi sed etiam laici (uxorati vel non uxorati) qui eadem inspiratione moti similes communitates extruerunt et in ipsis vivunt vel ea erigere volunt. Hae vero communitates sic intelligendae sunt quod earum membra ita inter se uniuntur ut ipsorum bona materialia sint eis communia: unusquisque communitati affert secundum capacitatem propriam et unusquisque accipit secundum quod sibi opus est. Ut patet hae communitates christianorum nituntur in hoc principio ordinis religiosi et christiani scilicet quod eorum unio fraterna in Christo et in Ecclesia eos ducere debet usque ad communionem bonorum non tantum spiritualium sed etiam materialium.

3. Haec tentamina quorumdam christianorum constituunt etiam reditum ad formam magis naturalem valorisationis communis bonorum (exploitation commune des biens) uti adhuc viget pro sat magna parte in cultura africana aliisque locis ubi etiam finis intentus non est lucrum (le profit) sed satisfactio indigentiarum uniuscuiusque (des besoins de chacun). Sit per transennam dictum: magis ad haec attendendo Ecclesia intelligentiam faciliorem haberet vitae formarum institutionumque horum populorum et proinde etiam accessum efficaciorem ad ipsos.

4. Etiam si praevidetur has formas vitae communitariae futuras esse non multas sed paucas, non propterea eaedem reiiciendae sunt: e contrario sustinendae sunt. Etenim in aliquo mundo uti nostro qui lege durissima

lucri, immo dictaturae internationali pecuniae nimis dominatur (cf. *Mater et Magistra*), exemplum harum communitatum est maximi momenti in quantum alios concives trahet ad convertendum eorum modum vitae in hac lege lucri fundatum atque ad huiusdem effectus perniciosos mitigandos.

5. Ceterum, uti videre est, haec forma vitae communitaria praesertim in eodem ambitu hodierno ubi ardet effrenatum desiderium lucri individualis, nequit generatim perseverare secundum propositum initiale sine gratiae divinae auxilio et Spiritus Sancti virtute. Unde hae communitates erunt signa: per eas ipsa doctrina Ecclesiae circa finalitatem communem bonorum materialium clarius manifestabitur et ipsa eadem Ecclesia fiet modo concretiori lumen gentium.

Concludo. Pag. 27, lin. 19, addatur: Itaque gaudet Ecclesia quod laici, uxorati vel non, exempla primorum christianorum imitantes, ita prudenter simul ac audacter sese uniunt ut omnia bona inter eos communia sint et partem bonorum qua sibi quisque opus sit accipiat atque omnes in spiritu caritatis et paupertatis vivant. Hae formae vitae communitariae fovendae sunt praesertim apud populos ubi adhuc vigent, eas renovando secundum Evangelii spiritum.

[*Subscripserunt etiam*] J. Nkongolo, adm. ap.; Paulus Zoungrana; B. Mels; U. Morlion, ep. Baudouinville; P. Achkar, arch. tit. Laodicea di Siria; O. Sevrin, ep. tit. Mossina; F. Scalais; F. Van den Bergh; F. Lehaen; J. Frijns; J. Van Cauwelaert; G. Bouve; G. Béjot; P. Boillon, ep. Verdun; A. Fragoso, ep. Crateús; Joseph, arch. Fortaleza; Emmanuel, ep. Caicó; A. Carvalho, ep. Caruarú; J. Lamartine Soares, ep. tit. Fussala; V. de Araújo Matos, ep. Crato; Iosephus Maurus, ep. Iguatú; Raimundo, ep. tit. Uzali; J. V. Távora, arch. Aracajú; D. Picâo, ep. tit. Tois; W. L. Schmidt, ep. Chapecó; Severinus Marianus, ep. Pesqueira; Acacius, ep. Palmares; G. Warmeling, ep. Joinville; J. Hoffman, ep. Frederico Westphalen; X. Geeraerts, ep. tit. Lagania; J. Murphy, arch. Cardiff; G. Flahiff, arch. Winnipeg; E. Youakim, ep. Zahleh; A. Dachtou, arch. Urmya; J. Bassoul, arch. Homs, R. Arrieta, ep. Tilaran; J. Cheikho, arch. Sehna; E. Daddi, ep. Mossul chald.; A. Rabban; Th. Reis, ep. Zaku; J. Tawil; D. Hayek, arch. Alep Sir.; H. Capucci, sup. gen.; J. Malouf, ep. Baalbek melch.; A. Sana, ep. Aqra; A. Farah, ep. Tripoli melch.; C. van Melckebeke, ep. Ningsia; A. Perraudin, arch. Kabgayi; J. Blomjous, ep. Mwanza; J. Cornelis, arch. Elisabethville; A. Makarakiza, ep. Ngozi; M. Ntuyahaga, ep. Bujumbura; J. B. Gahamanyi, ep. Butare; L. Bigirumwani, ep. Nyundo; J. Sibomana, ep. Ruhengeri; F. Esser, ep. Keimoes; V. Haelg, ep. tit. Baia, abb. n. Ndada; A. Ancel, aux. Lyon; H. Gand, coad. Lille; P. M. Puech, ep. Carcassonne; G. Huyghe, ep. Arras.

Art. 25, n. 2. Agitur hic de iudicio ferendo super bellum in hodiernis circumstantiis. Tres animadversiones.

1. Videtur hic textus, lin. 3 et s., quadam incohaerentia seu contradictione vel saltem quadam obscuritate laborare. Duo enim videntur affirmari quae simul componi non possunt: ex una parte declaratur posse dari bella

defensiva iusta, ex altera vero condemnatur absolute usus armorum nuclearium.

Impossibile enim est quod bellum defensivum efficaciter ducatur sine armis nuclearibus ab eo qui his armis iniuste impugnatur.

Haec res est ita momentosa ut responsionem nullatenus ambiguam requiri videatur. Non apparet esse aliud effugium nisi in condemnando omni bello nucleari vel saltem exigendo in bellis defensivis moderamen inculpatae tutelae includens abstentionem ab omnibus armis quorum effectus est destructio totalis et nullo modo temperabilis (incontrôlable).

2. Ceterum utile esset magis determinare quid intelligendum sit per « iura iniuste impedita ». Nonne haec graviora esse debent propter periculum semper hodie timendum belli atomici; v. g. uccisio alicuius stirpis, persecutio certa et generalis pro tota natione cum suppressione libertatis...?

3. Quidquid sit de formula adhibenda, mundus non intelligeret quod Concilium quaestionem de pace tractans etiam per summa capita bellum et arma atomica non clare condemnaret. Nequit enim Concilium positionem in hac re eligere quae saltem menti Ioannis XXIII non responderet. Ipse autem clare inter alia declaravit: « Quare aetate hac nostra, quae vi atomica gloriatur, alienum est a ratione bellum iam aptum esse ad violata iura sarcienda » (Litt. Enc. *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 [1963], p. 291).

4. Non sufficiunt autem declarationes etsi solemnes Summi Pontificis vel episcoporum, vel Concilii quibus explicite et clare damnantur usus et fabricatio armorum nuclearium. Haec condemnatio est utilissima et necessaria et non debemus timere eam saepissime repetere. Oportet tamen simul adlaborare ut fideles nostri huic doctrinae adhaereant modo ita firmo et practico ut coniunctim cum aliis christianis et omnibus civibus bonae voluntatis creent et promoveant in omnibus terrae nationibus *opinionem publicam* huic usui et fabricationi armorum nuclearium totaliter sese opponentem. Ut aiebat em. card. Bea: « Omnes christiani simul faciunt quasi 1.000.000.000 hominum per universam terram dispersos. Vos potestis imaginari quid hoc pro humanitate significaret si omnes isti in completa unitate agerent relate ad quaestionem sicut illam armorum nuclearium ».

57

EXC.MUS P. D. IOSEPH HÖFFNER
Episcopus Monasteriensis

Ad par. 23 haec animadvertere velim:

1. Par. 23 de vita oeconomica et sociali tractat, quin conceptus clare definiantur. Conceptus non eo lucidiores evadunt, quod nomen adiectivum « verum » addatur, sicut in schemate fieri solet; passim enim de « vera » evolutione oeconomiae (pag. 20, lin. 13), de « vero » incremento (pag. 21,

lin. 5), de « vera » responsabilitate (*Adnexa,* pag. 5), de « vera » cultura (pag. 25, lin. 20), de « vero » amore (pag. 23, lin. 25), de « vera » pace (pag. 30, lin. 29) sermo est. Additio vocabuli « verum » saepe signum confusionis conceptuum est. Scire volumus, quid praecise sit « vera » evolutio, « vera » responsabilitas etc. Investigavi, num saltem in adnexis hi conceptus clarius definirentur. Attamen in pag. 5 adnexi hoc dictum mirum inveni: « Sine vera responsabilitate nemo potest esse persona et membrum communitatis ». Si hoc verum esset, homines mente aegrotantes et propria responsabilitate carentes non essent personae et membra societatis, quod consequentias perniciosas haberet. Schema, ni fallor, in aliquibus locis nimis « existentialistice » sonat.

Imprimis in hac paragrapho clare determinandum est, quid sub his formulis: « vita socialis », « actio socialis », « res socialis », « progressus socialis », « ordo socialis » concrete intelligendum sit. Logice loquendo et ad mentem Encyclicarum *Rerum novarum, Quadragesimo anno, Mater et Magistra* ordo et vita socialis nihil aliud est quam ordo et vita societatis humanae. Ordo vero et vita societatis « velut in sinu suo » (*Rerum novarum,* n. 37) tum vitam culturalem, tum vitam oeconomicam comprehendit, quia vita socialis ut *genus* habenda est, vita autem culturalis et oeconomica ut species eius. Inde non licet vitam culturalem et vitam oeconomicam et vitam socialem simpliciter et pari ratione iuxtaponere, sicut in schemate fit. Vita oeconomica vitae sociali nec iuxtaponitur nec contraponitur, sed pars eius est. Dispositio igitur capitis quarti mutanda est.

2. Pag. 27, lin. 14 dicitur: « Ecclesia nulli particulari systemati oeconomico obligatur ». Ne hoc valde generale dictum erronee intelligatur, attendendum est, quod systema oeconomicum collectivisticum negans ius proprietatis privatae doctrinae sociali Ecclesiae contradicit. Si unus vel pauci homines plena et suprema potestate totum systema oeconomicum reipublicae gubernant, dictaturam exercent non tantum in re oeconomica, sed etiam in ambitu educationis et culturae et scientiarum et religionis, ita ut libertas et dignitas personae humanae in discrimen vocentur.

3. Quae de vita laboris hominum nostri temporis in schemate dicuntur, conditionibus societatis modernae non iam correspondent. Schema enim supponere videtur in societatibus industrializatis quasi omnes homines in « processu productionis » et « in officinis » (pag. 27, linn. 31-33) operam suam dare. Revera autem vita oeconomica cum processu productionis non coincidit. E contra, in societatibus evolutis numerus hominum in processu productionis laborantium propter usum machinarum et propter automationem de anno in annum relative diminuitur, dum numerus eorum, qui in transportatione et in distributione bonorum et in aliis officiis vitae oeconomicae operam dant, valde accrescit. Notandum etiam est vitam laboris nostris temporibus nullo modo ad rem oeconomicam coarctatam esse. Nam millia millium hominum in administratione publica, in cura pro infirmis, in investigatione scientifica, et in multis aliis officiis non oeconomicis, prae-

sertim in educatione, formatione et instructione iuventutis operam dant. Sicut in saec. XIX problema operariorum — vel sic dicta quaestio socialis — omnium animos movebat, ita in secundo dimidio saec. XX quaestio de promovenda educatione et formatione iuventutis — hodie numero vehementer accrescentis — problema gravissimum est, tum in nationibus iam evolutis, tum in nationibus minus evolutis. De his quaestionibus schemati silere non licet.

4. Pag. 24, lin. 14 de difficultatibus « sociopsycho*logicis* » sermo est. Loco « sociopsychologicis » dicatur « sociopsychicis »; nam sociopsychologia *scientia* est; sponsi autem non habent difficultates scientificas, sed *psychicas*.

58

EXC.MUS P. D. THOMAS HOLLAND

Episcopus Salfordensis

Loquor de « lege Dei » in linn. 25-28, pag. 24. Prorsus necessarium iudico illam amplius determinare; amplius quam in adnexa. In hunc finem libenter acciperem principium ab exc.mo relatore art. 21: scil. nil admittendum quod opponitur naturali orientationi actus coniugalis vel destruat eius vim significandi amorem personalem et coniugalem.

Iam (in limine disceptationis de hoc schemate in genere) quaesitum est: quae *est* doctrina catholica de usu matrimonii, quasi magna quaestio sine cuius solutione multa in schemate destituuntur omni pondere.

Estne quaestio omnino aperta? A quibusdam, certe, ex omni ordine in Ecclesia, tractatur quasi ita aperta esset.

Unusquisque respondebit iuxta conscientiam suam. Testimonium meum reddo post adaequatum, ut spero, conamen ad intelligendam aliam partem. Humiliter et firmiter dico: *quaestio non est aperta.* Quidquid sit de illis casibus, sibi a Summo Pontifice reservatis (pro sapientia sua), ubi agitur, ut puto, de *applicatione* principiorum, ipsa principia firma manent. « Lex Dei », seu doctrina catholica, est et erit illa proposita in Encyclicis Pii XI *Casti connubii* et ab eius successore confirmata. In quantum rem iudicare possum, haec doctrina praesefert omnes notas magisterii ordinarii universalis. Non enim potest haberi melior panis quam qui ex farina fit: nec clarior usus praedicti magisterii quam qui in hac doctrina habetur.

Qui hoc negant, incipiunt provocare ad collegialitatem. Non negant omnes pastores concorditer cum capite doctrinam hanc docuisse: dubia tamen movent de qualitate consensus. Forsan, dicunt, effectus fuit inertiae, vel nimiae reverentiae erga tantos Pontifices?

Duo hic dicenda sunt: 1) legenti *Casti connubii* evidens est Pium XI conscie et explicite se fecisse vocem traditionis catholicae; 2) principium collegialitatis non impedit quominus caput Collegii hoc *per se, motu proprio* faciat. Petrus enim confirmat fratres. Quid quaeso dicendum erit de decisione quoad quaestiones Summo Pontifici nunc reservatas? Non loquetur

maiore vi quam suus predecessor. Eritne ergo expectandum donec unusquisque nostrum faciat crisim personalem eius doctrinae et consulat gregi suo?

Saltem suffragium meum non est datum pro huiusmodi collegialitate. Actum esset semel et pro semper de magisterio ordinario et universali.

Doctrina illa praeterea non est proposita (ut videtur supponi) nude et scholastice, sine debita ratione humanae conditionis. Explicite tamen colligata est cum duabus veritatibus quae infrequentius audiuntur in praesenti discrimine: scil. 1. quod nec hodie Deus impossibilia iubet, cum, sicut in ceteris difficilibus mandatis, orantibus non deest cum adiutorio gratiae Eius; 2. quod pastores vere miserentur super turbam quando viam mandatorum ostendunt, nam vere est via vitae; nec alia via progrediuntur viri et mulieres ad personalem perfectionem et gaudium tranquillae conscientiae.

Certe non aliter quam cum his duabus veritatibus proponenda est hodie doctrina traditionalis; immo medicina misericordiae, si unquam, nunc ab Ecclesia est materne applicanda. Aperte admittamus ulteriores desiderari progressus in applicatione principiorum, nec ullum subsidium scientificum praetermittendum esse ut res iuste solvantur. Hic et nunc offeramus illam instructionem, illam methodum (nimis leviter a multis consideratam) quibus boni coniuges problema solvere possunt intra fines doctrinae traditionalis. Oremus, penitentiam agamus, anxiemus, compatiamur super multitudinem sicut nunquam in historia: nam tempora mala sunt pro illis qui volunt caste vivere.

Si vero e contra silentio nostro aperimus portam ad ulteriora dubia de doctrina *Casti connubii,* quae alia doctrina magisterii ordinarii secura erit? Quomodo ipsa Ecclesia eadem maneret cum Ecclesia saeculorum?

Non semel in historia Ecclesia salvavit civitatem terrestrem quia filii eius fideles ipsi et Deo inveniebantur, et renuentes viam mortis auctores fuerunt sanarum solutionum, non sine afflatu divino.

Ut illa foecunda fidelitas ingeniorum catholicorum apte stimuletur in servitium societatis, unum praerequiritur: clara cognitio viae vitae, seu Legis Dei.

Concludo ergo postulando ut expressio « Lex Dei » in locis praeindicatis congrue amplificetur.

[*Adhaeserunt etiam*] Beck George, arch. Liverpool; Black James, ep. Paisley; Cowderoy Cyril, ep. Southwark; Cunningham James, ep. Hexham e Newcastle; Dwyer George, ep. Leeds; Ellis Edward, ep. Nottingham; Foley Brian, ep. Lancaster; Grasar William, ep. Shrewsbury; Gray Gordon, arch. S. Andrews e Edinburgh; Grimshaw Francis, arch. Birmingham; Hart William, ep. Dunkeld; Heenan John, arch. Westminster; McGee Joseph, ep. Galloway; McGill Stephen, ep. Argyll e the Isles; Murphy John, arch. Cardiff; Parker Thomas, ep. Northampton; Petit John, ep. Menevia; Restieaux Cyril, ep. Plymouth; Rudderham Joseph, ep. Clifton; Scanlan James, arch. Glasgow; Wall Bernard, ep. Brentwood; Grant Charles, ep. tit. Alinda; Hornyak Augustine, ep. tit. Ermontis; Pearson Thomas, ep. tit. Sinda; Tickle Gerard, ep. tit. Bela; Ward James, ep. tit. Sita; Wheeler William, ep. tit.

Teudali; Maloney David, ep. tit. Ruspe; Rush Francis, ep. Rockhampton; Muldoon Thomas, ep. tit. Fessei; Mahon Gerald, SG S. Ioseph M. Hill; Mansourati Ignazio, arch. tit. Apamea di Siria; Civardi Luigi, ep. tit. Tespia; Quinn Augustine, ep. Kilmore; Philbin William, ep. Down e Connor; O' Boyle Patrick, ep. Killala; Finn Richard, ep. Ibadan; Boisguérin Renatus, ep. Suifu; Hagan James, ep. Makurdi; Moloney Michael, ep. Bathurst in Gambia; Dery Peter Poreku, ep. Wa; Power William, ep. Antigonish; Crawford John, ep. tit. Caffa; Flores Martin Jaime, ep. Barbastro; Ryan James, ep. tit. Margo; Piñera Carvallo Bernardino, ep. Temuco; Gran Willelm, ep. tit. Rafia; Hacault Antonio, ep. tit. Media; Raymond Leonard, arch. Nagpur; Billington Vincent, ep. Kampala; McCann Owen, arch. Cape Town; Conway William, arch. Armagh; Farren Neil, ep. Derry; Morris Thomas, arch. Cashel; O'Doherty Eugene, ep. Clogher; Walsh Joseph, arch. Tuam; Rodgers Joseph, ep. Killaloe; Dooley John, arch. tit. Macra; Dunne Patrick, ep. tit. Nara; Thomas Albert, ep. Bathurst; Fernandes Angelo, arch. tit. Neopatrasso; Cordeiro Joseph, arch. Karachi; Gleeson James, arch. tit. Aurusuliana; Hall Frederick, ep. tit. Castra; Hettinga Nicholas, ep. Rawalpindi; Vos Jan, ep. tit. Cnido; Buis James, ep. tit. Astipalea; de Reeper John, ep. Kisumu; De Wit Cornelio, ep. tit. Amiso; Peeters Julius, ep. Buea; Ireland James, praef. ap. Falkland Islands; Davies Colin, praef. ap. Ngong.

59

Exc.mus P. D. EDUARDUS JETTÉ

Episcopus tit. Tabenus, adm. ap. s. p. Joliettensis

Le schéma sur l'Eglise dans le monde touche, au n. 21, pp. 22 ss., un sujet d'une brûlante et tragique actualité. La morale conjugale.

Il semble s'orienter vers une solution acceptable, v. g. p. 23, ligne 9; il assigne comme une des fins du mariage « mutuum viri et mulieris adiutorium »; p. 24, lignes 13 et 14, il reconnaît « sponsos... multis et gravibus ipsos praepediri difficultatibus »; il souhaite enfin, p. 24, lignes 32 et 33, que l'on travaille pour que « complexus ordo a Providentia naturae indutus altius in dies exploretur ».

Malheureusement, il n'ouvre aucune porte de sortie. Pis encore, il confirme implicitement un état de choses apparemment inacceptable pour la conscience universelle. Tant que l'interprétation rigoriste et arbitraire (?) de la loi naturelle était le fait de théologiens — même éminents — on pouvait espérer, mais si l'Eglise elle-même, dans un Concile, vient apposer un sceau définitif sur une porte déjà fermée, ce sera plus qu'une immense déception, ce sera une irréparable perte de confiance et de prestige pour celle qui a mission de conduire les hommes à leur salut. A l'intérieur, on doutera encore plus du bien-fondé de ses exigences qui condamnent un nombre incalculable d'âmes à vivre dans le péché mortel; à l'extérieur, on aura nettement l'impression que ce n'est pas là la voix de Dieu.

Le malaise semble venir d'une lointaine confusion entre l'abus d'un plaisir sensible et son légitime usage. Pendant des siècles, on a éloigné de

l'union eucharistique les époux qui venaient de pratiquer l'union conjugale. Pour les Jansénistes, même le baiser de la mère à son petit enfant était suspect. La méthode Ogino-Knaus a d'abord rencontré de vives appréhensions, sinon une sourde hostilité. Ce n'est qu'hier qu'on a osé parler tout haut d'une honnête régulation des naissances.

Aujourd'hui, on devrait enfin parler ouvertement du devoir de l'amour conjugal et du droit qui en découle, même dans les cas où il existe un devoir sérieux d'éviter une prochaine procréation. La saine et nécessaire évolution de la morale catholique en est rendue là. Si nous n'agissons pas aujourd'hui, cela se fera demain et l'Eglise portera l'accusation d'être toujours un siècle en retard et de brandir abusivemente l'épouvantail de la damnation.

Le rôle d'un Concile est de fixer des principes d'une certitude absolue. Les détails d'application regardent la conscience individuelle éclairée par des théologiens prudents et compétents.

Et nous voici au nœud du problème: jusqu'ici le grand principe qui a dominé la morale conjugale était le suivant: la fin naturelle du mariage est la procréation et l'éducation des enfants. Cette fin est évidente, on l'appelle « première ». On en reconnaît une autre aussi, dite « secondaire » et qui est la pratique d'un amour conjugal honnête.

Ce qui est troublant, c'est qu'on accorde au mot « secondaire » un sens voisin de « négligeable » et au mot « première », un sens d'exclusivité telle qu'elle semble absorber toute la finalité du mariage et que la pratique de l'amour conjugal doive toujours et sub gravi éviter ce qui s'opposerait à la procréation — même dans les cas où cette procréation est moralement à éviter.

Il semble aventureux de déclarer en Concile et au nom de Dieu que l'importance de la fin dite première l'emporte à ce point sur celle de l'autre, et de consacrer ainsi définitivement une réglementation morale dont la conscience universelle regarde les conséquences avec étonnement.

1. Une fin dite « première » qu'il est impossible d'avoir en vue dans l'immense majorité des cas, v. g. quand l'épouse est déjà enceinte ou que l'un des conjoints est stérile, fin à laquelle on accorde une sorte d'exclusivité alors qu'on est libre de l'exclure délibérément, quand les époux, pour de bonnes raisons, choisissent les périodes agénésiques.

2. Une autre fin dite « secondaire », alors que par nature — pas nécessairement par vice — l'homme tranche sur le reste de la création par une propension très marquée à multiplier ses relations conjugales bien plus que le nombre de ses enfants; « secondaire », alors que cette fin, à elle seule, justifie pleinement de très nombreux mariages où la procréation est impossible.

3. Des pays entiers où les prêtres n'osent plus parler du problème en chaire et craignent de se l'entendre poser au confessional.

4. D'autres pays, moins évolués, où l'on en parle encore avec le résultat qu'une masse de fidèles ne croient plus à cet enseignement et « s'arrangent

avec le bon Dieu », qu'un grand nombre d'autres, plus dociles, acceptent l'enseignement et se résignent à vivre en état de péché mortel en attendant l'âge libérateur et qu'une faible minorité réussit à surnager à coup d'héroïsme.

Le Concile est-il justifié de consacrer définitivement ce statu quo en déclarant même implicitement (cf. v. g. p. 24, ligne 25, « dum legem Dei inculcant ») que l'enseignement tel que donné dans nos grands Séminaires est l'interprétation absolument sûre et certaine de la loi naturelle?

Ne répondrait-il pas mieux aux vœux du Créateur en entrant courageusement dans l'évolution en cours et en s'abstenant de maintenir une interprétation trop rigide de la fin naturelle du mariage? Il suffirait pour cela de laisser aux théologiens la liberté de présenter une formule plus nuancée, plus réaliste, celle-ci par exemple: la pratique d'un amour conjugal honnête et normalement fécond.

Est-il bien établi que, dans la pensée de Dieu, la fin du mariage n'est pas unique (« erunt duo in carne una »), avec deux résultats à obtenir selon les lois de la prudence et de la générosité?

Des abus? Il y en a partout, mais cette fois le monde les imputerait à la faiblesse humaine plutôt qu'au rigorisme d'une Eglise qui se veut présente au monde par la charité. L'exemple des couples généreux serait plus entraînant parce que aux yeux de la multitude, ces couples prendraient figure de héros et non pas de naïves victimes.

Cette formule, semble-t-il, trouverait un fidèle écho dans la conscience universelle, reflet du plan divin; elle s'adapterait à notre époque où le problème se pose de façon plus aiguë; elle serait même l'écho de la voix de Dieu: lors du premier mariage, Dieu dit: « Faciamus ei *adiutorium* simile sibi », et, à des millénaires d'intervalle, le Verbe de Dieu ajoute: « Erunt duo in carne una ».

N.B. Le soussigné s'abstiendra de parler en séance régulière, crainte d'un scandale dans la presse; il ose à peine écrire, conscient de ses limites, mais il se croit dans l'obligation de le faire, obligation d'autant plus grave que, après avoir vu un grand nombre d'évêques de différents pays et quelques théologiens de grand renom, il constate que la plupart ont le même sentiment. Il croit son devoir accompli en s'en remettant au jugement de la Commission chargée de ce schéma. Que l'Esprit-Saint l'assiste.

60

Exc.mus P. D. NARCISSUS JUBANY ARNAU
Episcopus Gerundensis

Ad n. 21. Schema nostrum ad hoc tendit: ut Ecclesia *colloquium* instituat cum *omnibus hominibus* nostri temporis, absque ulla distinctione, ita tamen ut doctrina Ecclesiae solide, substantialiter integra, plene conformis

cum traditione et magisterio proponatur, ne forte ex hoc colloquio cum omnibus hominibus, christifideles — ad quos praeprimis colloquium nostrum dirigi debet — grave nocumentum patiantur.

Iam vero ad hunc finem apte consequendum, quando « de dignitate matrimonii et familiae » sermo fit in cap. IV, 21, *verum signum nostri temporis* perfici debet, quod homines nostrae aetatis ducat ad facilius et plenius capiendum quantum doctrina Ecclesiae de matrimonio et familia conferre possit ad problemata quae nostro tempore ipsos maxime angunt recte solvenda.

In schemate signum seu nota characteristica nostri temporis quod attinet ad matrimonium et familiam, supponitur et asseritur esse « amor coniugalis ». Hoc absque probatione supposito, conamen fit structurandi doctrinam Ecclesiae de matrimonio et familia — immo, et de morali sexuali universa —, super fundamentum « amoris coniugalis ».

Attamen, schema accipiendo « amorem coniugalem » ut fundamentum seu ut cardinem structurae matrimonii et familiae, incurrit in haec incommoda:

1) Discedit ab expositione huc usque traditionali, inde a S. Augustino ad Pium XII, iuxta quam structura matrimonii in suis cardinibus fundamentalibus nitebatur in ordinatione naturali primaria matrimonii et familiae ad procreationem et educationem prolis. Huiusmodi cardines sunt: hierarchia et essentialis subordinatio finium matrimonii, proprietates essentiales unitatis et indissolubilitatis, exigentiae legis divinae in usu matrimonii, notio copulae coniugalis ex qua pendet notio inconsummationis pro concedenda dispensatione super rato, et notio impotentiae seu incapacitatis sexualis naturalis ad matrimonium contrahendum, elementa essentialia consensus matrimonialis.

2) Introducit fundamentum novum in doctrina — quod prima vice in documento magisteriali consignaretur —, insufficiens ad structuram matrimonii in tota sua complexitate sustentandam et explicandam, et quod maxime periculosum est pro morali coniugali et totius vitae christianae, cum potius exaltet aspectus hedonisticos matrimonii quam eius inderogabiles exigentias naturales a Deo Creatore statutas et a Christo Redemptore firmatas ac elevatas.

3) Reflectit spiritualismum quemdam vagum ac aliquantulum exaltatum, qui dum pro christifidelibus est deficiens et periculosus quia non satis exhibet exigentias ascesis et mortificationis christianae, pro non christianis facit doctrinam matrimonii et familiae, quae fundamentaliter est iuris naturalis, prorsus inintelligibilem et arcanam ob nimiam insistentiam in symbolismo supernaturali matrimonii christiani.

4) Non tangit quaedam problemata nostri temporis quae maxime violant « dignitatem matrimonii et familiae », verbi gratia divortium, labefactionem fidelitatis coniugalis, violationem legis divinae in usu matrimonii, et in conservanda vita iam generata, ac si schema non auderet doctrinam ca-

tholicam circa matrimonium in tota sua integritate proponere quia ab hominibus nostri temporis ut nimis rigida parumque conformis cum exigentiis humani amoris iudicatur.

5) Eligit ut « signum nostri temporis » aliquid quod non est signum magis characteristicum matrimonii et familiae in nostra aetate. Nam si matrimonium et familia considerantur prout de facto in mundo hodierno existunt cum tanta facilitate ad divortium faciendum, tanta indulgentia ad connivendum adulterio, tanta indisciplinata libertate omnium membrorum familiae, nemo affirmare poterit, proh dolor, « amorem coniugalem » constituere signum nostri temporis quod possit homines nostrae aetatis ad colloquium cum Ecclesia ducere eosque iuvare ad doctrinam christianam cognoscendam et intelligendam.

Signum nostri temporis, quemadmodum in toto fere schemate affirmatur, est « dignitas personae humanae », quae utpote intelligentia et voluntate libertatis praedita, iura et officia habet « a sua ipsius natura directo et una simul profluentia ». Quae propterea, « ut generalia et inviolabilia sunt, ita mancipari nullo modo possunt » (IOANNES XXIII, *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 55 [1964], p. 259).

Conscientia dignitatis humanae secum fert non solum *conscientiam iurium inviolabilium,* sed etiam *conscientiam officiorum* inderogabilium personae humanae, quae certe fundamentum cuiuslibet consortii humani vitaeque consociatae constituunt.

Doctrina ergo de dignitate matrimonii et familiae structuretur oportet in nostro schemate — dato huius fine specifico — super fundamentum dignitatis personae humanae cum suis iuribus et officiis fundamentalibus, quo obtinebitur doctrinae expositio non solum solida minimeque recedens a doctrina traditionali, sed etiam comprehensibilis et acceptabilis pro hominibus hodiernis, siquidem eis exhibebitur sub vero signo nostri temporis.

Ordo logicus expositionis posset esse hic:

1. Homo ius habet inviolabile eligendi vitae statum quem praeoptet. Iure ergo gaudet inviolabili ineundi matrimonium ad familiam propriam constituendi. Hoc iure, utpote ab ipsa natura profluente, a nulla humana potestate privari potest. Cum tamen homo in societate vivat, Auctoritatis publicae est ius subditorum ad matrimonium protegere, id cum exigentiis boni communis ordinare ac iuridice disciplinare etiam per leges irritantes vel inhabilitantes si et in quantum necessarium sit ad bonum commune efficaciter protegendum et promovendum. Pro baptizatis auctoritas competens est Ecclesia; pro non baptizatis potestas civilis.

2. Homo est liber ad ineundum matrimonium familiamque propriam condendam, at non pendet ab eius arbitrio naturam mutare matrimonii societatisque familiaris cum sua specialitate specifica suisque proprietatibus essentialibus, cum hae determinatae sint immutabiliter in suis elementis essentialibus ab ipso Deo, Auctore naturae. Inter *officia* fundamentalia homi-

nis est ut huic ordini naturali se humiliter subiciat eumque reverenter servet. Hoc exigit ipsa dignitas personae humanae.

3. Fines et valores matrimonii ac familiae plures sunt iique omnes maximi momenti tum pro felicitate terrena ac salute aeterna singulorum familiae membrorum, tum pro stabilitate, pace, prosperitate et progressu cuiuslibet societatis humanae. Inter hos fines et valores, habentur plures ab ipsa natura statuti ideoque immutabiles. Hi etsi omnes sunt a natura intenti non tamen omnes sunt aeque principales et inter se independentes. Finis et valor matrimonii ac familiae a natura principaliter intentus est ut novi homines convenienter generentur, bene educentur aptique efficiantur pro communitate sociali. Praeter hunc finem et valorem primarium matrimonii et familiae, alii plures fines et valores habentur ab ipsa natura statuti qui immediate felicitatem personalem coniugum intendunt, at omnes sunt fini et valori illi primario essentialiter subordinati. Hi omnes fines et valores non possunt modo exigentiis naturae humanae congruenti obtineri et protegi, nisi matrimonium et familia gaudeant *unitate et indissolubilitate.* Hae proprietates matrimonii ab ipsa missione familiae exiguntur, ideoque sunt ei essentiales (hic posset proponi doctrina de absoluta indissolubilitate matrimonii rati et consummati, et de intrinseca indissolubilitate matrimonii cuiuslibet, cum confusio magna habeatur circa sic dictum « divortismum Ecclesiae »).

4. Familia est nucleus socialis in quo vita humana oritur et genus humanum propagatur. Hoc fit per actum personalem et conscientem utriusque coniugis, qui in officio procreationis adimplendo non caeco instinctu sed conscia responsabilitate duci debent. Quoad numerum vero filiorum uniuscuiusque familiae, Ecclesia, etsi semper et etiam nunc consideravit prolem numerosam tanquam singularem Dei benedictionem, tamen plene agnoscit plures esse posse rationes quae prudentem prolis limitationem suadeant. Ad moralitatem vero mediorum quod attinet, doctrina christiana « inde ab initio tradita neque umquam intermissa » docet « quemlibet matrimonii usum, in quo exercendo, actus, de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere et eos qui tale quid commiserint gravis noxae labe commaculari » (Pius XI, *Casti connubii*: *A.A.S.*, 22 [1930], p. 560). Coniuges prae oculis habeant Deum impossibilia non iubere, facientibus vero quod est in se ipsum non denegare gratiam.

5. Omnis vita humana valorem sacrum habet et quidem iam ab ipso momento, quo oritur et existit. Immo ab ipso momento quo incipit existere ius inviolabile habet ad vitam. Unde eum nondum natum supprimere degradationem personae humanae secum fert immo et dignitatem communitatis hominum offendit.

6. Ipsa dignitas humana exigit ut hi valores — sive matrimonii sive familiae — qui ab Ecclesia catholica semper edocti et propugnati sunt, a quacumque Auctoritate humana recognosci et protegi debent.

7. Familia christiana est imago et participatio foederis amoris Christi

et Ecclesiae (cf. *Eph.* 5, 32), ita ut coniuges in ipsa matrimonii institutione, et factum inveniant propriae elevationis et medium quo testimonium Christi in mundo praestare queant.

In particulari, quoad schema nostrum haec observanda sunt:

a) *Quoad ea quae omittuntur*. 1. In schemate silentio absoluto praeteritur gravissimum *problema divortii*. Iam vero hoc est primum Concilium Oecumenicum quod de matrimonio agit postquam in populis christianis introductum est divortium, a saec. XVIII. Si Concilium hac occasione explicite ac firmiter hoc non reprobat, ei connivere videbitur. Praeterea hoc silentium multum nocere potest catholicis qui contra divortium acriter pugnant in illis nationibus ubi lex civilis nondum illud admittit at continui conatus fiunt ad illud introducendum. Doctrina quoque de absoluta indissolubilitate matrimonii rati et consummati clare et explicite proponi deberet, cum non desint nostris diebus qui circa eam iam dubium movere incipiant.

2. Quoad castitatem coniugalem, silentium servatur circa fidelitatem Dei qui « facientibus quod est in se non denegat gratiam » ac legem moralem servandam, etiam in adiunctis extraordinariis. Ex schemate videretur deduci continentiam absolutam in matrimonio esse impossibilem etiamsi haec exigatur ut unicum medium servandi legem divinam. Nulla invitatio habetur ad temperantiam forte indispensabilem ad solvendos conflictus morales vitae coniugalis. Nullum verbum de necessitate orationis et aliorum mediorum ascesis christianae. Immo in pag. 24 lin. 15 s. habetur haec affirmatio: « ... Sancta Synodus sincere agnoscit multis et gravibus ipsos (coniuges) praepediri difficultatibus... quibus perdurantibus amoris coniugalis intima vis fidei servatrix et personarum perfectrix, aegre servari possit, *nisi ab iis, qui iam magnis dotibus personalibus ornati sunt* ». Unde deducenda erit quaedam impossibilitas moralis observandi legem divinam in quibusdam stadiis inferioribus vitae christianae, etsi fideles omnia faciant quae moraliter facere possunt cum auxilio gratiae. Unde ulterius deducendum est eos non peccare interim subiective in violatione obiectiva legis divinae, quemadmodum in nonnullis scriptis recentioribus satis clare ab aliquibus insinuatur. Potestne Concilium probare suo silentio et hac periculosa formula tales tendentias et insidiosas insinuationes? Immo si non sapienter occurrit clara propositione doctrinae catholicae, eis connivere videbitur.

3. In schemate laudibus extollitur « generosa foecunditas » matrimonii (pag. 23, lin. 11 s.; pag. 24, lin. 1 s.). Attamen in re adeo gravi et actuali non exponitur integre doctrina Ecclesiae. Recte quidem insistitur in obligatione coniugum implendi « munus procreandi... *cum plena et conscia responsabilitate* ». At alto silentio praeteritur norma moralis, iuxta quam actus coniugalis numquam potest sua vi generativa destitui iuxta doctrinam traditionalem fortiter defensam in magisterio pontificio, praesertim Pii XI et Pii XII. Hoc silentium in mundo huius temporis, seu in circumstantiis

concretis actualibus, non potest non confusionem idearum fovere et in detrimentum magisterii pontificii cedere.

b) *Quoad textum ipsum schematis.* Pag. 23, lin. 11 et ss.: « ... unde *per ipsos* filii, immo et proximus et totus ambitus in quo desit familia, *inveniant* sanctitatis et salutis viam ». Haec affirmatio non potest theologice probari. Exaggerat munus familiae in ordine ad salutem et sanctificationem, praesertim circa proximos et totum ambitum in quo degit familia. Praeterea illud « *unde* » videtur facere derivare hoc munus familiae ex fine personalis sanctificationis et communis Dei glorificationis, qui matrimonio assignatur in linea praecedenti, quod quidem probari non potest.

Pag. 23, linn. 24 s.: In hac descriptione amoris coniugalis desideratur explicita affirmatio hunc amorem fovere ac manifestari quoque immo et maxime in mutuo sacrificio ad continentiam totalem servandam, si haec exigitur ne violetur lex divina.

Pag. 23, lin. 39: « Attamen talis est amoris coniugalis indoles, *ut* matrimonium natura sua ordinetur ad prolis procreationem et educationem ». Ordinatio matrimonii ad prolem, quomodo deducitur ex indole amoris coniugalis? Quaenam est ratio huius consequentiae?

Pag. 23, lin. 34: « Nil sane foecundius amore coniugali fideli atque puro, ad profectum ipsorum coniugum, atque ideo societatis et ipsius Ecclesiae ». Haec affirmatio est exaggerata ac minime congruens in documento conciliari.

Pag. 24, lin. 7: Agendo de numero prolis asseritur fideles scire se Deum glorificare et seipsos perficere si munus procreandi implere satagunt cum plena et conscia responsabilitate, « secundum Dei dona verique amoris normam ». Haec formulatio adeo vaga et incerta sine expressa relatione ad ordinem naturalem et ad reverentiam huic ordini debitam in qualibet manifestatione amoris coniugalis, confert ad augendam incertitudinem et confusionem iam existentem. Affirmandum aperte est consciam responsabilitatem in procreando debere exerceri non tantum secundum Dei dona verique amoris normam, sed secundum exigentias legis divinae, neque posse haberi verum amorem coniugalem, nisi revereatur in usu facultatis sexualis ordo eius naturalis ad procreationem, non solum ex regula ordinaria et habituali in adiunctis non exceptionalibus, verum etiam in omni actuatione facultatis generativae quatenus dependet ab opere hominis libere agentis.

Pag. 24, lin. 17: Iam supra reicimus assertum « ... nisi ab eis qui *iam magnis dotis personalibus ornati sunt* », utpote valde periculosum.

Pag. 24, linn. 24 s.: Haec ultima paragraphus prorsus omitti posset et forte oporteret. Suscitat enim spem circa solutionem problematum moralium quae forte solvi saltem immediate non poterunt. Haec falsa spes non potest non augere exasperationem eorum qui hodie in adiunctis coniugalibus difficilibus inveniuntur.

Summarie ergo concludendo meum votum, propono: 1. Textus n. 21 « De dignitate matrimonii et familiae » cap. IV schematis, ex toto reformetur, accipiendo ut cardinem tractationis non « amorem coniugalem » — quem-

admodum fit in textu actuali —, sed « dignitatem personae humanae », quae et verum signum nostri temporis est et solidum fundamentum praebet ad totam doctrinam de matrimonio apte extructurandam et modo hominibus nostri temporis acceptabili exponendam. Doctrina integre, clare, vitatis formis vagis et ambiguis exponatur. Cura maxima habeatur ne Concilium videatur doctrinam novam inducere. Citentur fontes magisterii et in quantum natura et finis huius schematis permittunt ipsa verba magisterii, quae saepe traditione veneranda sunt consecrata, conserventur. Si aliqua quaestione a doctrina recepta recedendum esset, Concilium de hoc recessu plenam conscientiam habeat oportet, data gravitate materiae quae hic tractatur.

2. Si autem textus non funditus mutaretur, tunc propono sequentes observationes: *a*) Cum in « mundo huius temporis » divortium constituat praecipuam violationem publicam legis divinae contra « dignitatem matrimonii et familiae », Concilium de hoc problemate expressis verbis agat oportet, ne eius silentium pro conniventia habeatur.

b) Ubi schema agit de difficultatibus quibus ad verum amorem coniugalem servandum coniuges saepe praepediuntur (pag. 24, linn. 13 s.) expresse affirmari debet, possibile esse omnibus « facientibus quod est in se » observare continentiam perfectam in vita coniugali si quando haec sit unicum medium non violandi legem divinam.

c) Ubi agitur de conscia responsabilitate in munere procreandi adimplendo (pag. 24, linn. 4 s.), claris verbis affirmetur exigentia legis naturalis prohibentis quemlibet usum matrimonii in quo exercendo, actus, de industria hominum, naturali sua vi vitae procreandae destituatur, iuxta doctrinam traditionalem et magisterii praesertim Pii XI et Pii XII.

d) Textus integre corrigatur, eliminando omnes formulas ambiguas aut quae minus exacte doctrinam referunt.

* * *

Omnes observationes quas fecimus circa schema, valent a fortiori pro « Adnexo » II, in quo doctrina de matrimonio et familia, in schemate brevius exposita fusius evolvitur, at iisdem tendentiis imbuta iisdemque lacunis et defectibus laborans.

Immo quaestio generalior et in se gravissima suscitatur: Potestne Concilium de his quinque « Adnexis » in quibus tot quaestiones adeo difficiles, immaturae, implexae maximeque tangentes susceptibilitatem hominum nostri temporis tractantur, aliquam responsabilitatem vel minimam sibi assumere, quin illa adnexa accuratissimo examini subiciat? — Dictum est haec *Adnexa non habere valorem conciliarem.* At si ita est, cur rogantur Patres ut observationes et animadversiones circa illa ad secretariatum mittant, ut textus emendari valeat? Documentum ita elaboratum velis nolis non potest non habere saltem aliquam speciem valoris conciliaris. Auctoritas doctrinalis Concilii necessario aliquo saltem gradu compromittitur. Periculum huiusmodi ambiguae methodi in proponenda doctrina, per se patet. Nullum aliud schema huiusmodi « adnexa » habet. Quod attinet vero ad nostrum « De Ecclesia in mundo huius temporis », specialis ratio adest ne « Ad-

nexa » ulla admittantur absque disceptatione conciliari, quia agitur de quaestionibus, circa quas, sub respectu quo exhibentur in schemate et in Adnexis, scientia catholica est recens, ideoque in multis punctis est incerta, fluctuans, opinionibus personalibus obnoxia, nondum matura.

Ut de *Adnexo* II tantum loquamur, et suppositis observationibus quas fecimus ad schema circa momentum quod tribuitur « *amori coniugali* » in structuratione doctrinae de matrimonio et familia, attentionem suscitamus solummodo ad doctrinam quae in « Adnexo » proponitur circa fines matrimonii et exigentias legis divinae in usu iurium coniugalium, data eius maxima gravitate.

Imprimis omnino reprobanda est sollemnitas magisterialis formulae introductoriae: « Custos vero sanctitatis matrimonii, S. Synodus, omnes homines bonae voluntatis alloquens, monet ». — Si hoc documentum non habet valorem conciliarem, quomodo permitti potest ut talis forma magisterialis, vix umquam in hoc Concilio adhibita, hic adhibeatur?

Post hanc sollemnem introductionem, proponitur pressis verbis ac si ageretur de declaratione authentica, doctrina de finibus matrimonii et de exigentiis legis divinae in usu coniugii.

1. *De finibus matrimonii.* Adnexum dicit: « Matrimonii naturae et ordinationi contradicunt asserta illorum qui opinantur procreationem et educationem prolis esse aliquid secundarium quod aliis bonis matrimonii postponi vel ab eis radicitus et arbitrarie separari liceat » (*Adnexa,* p. 22 lin. 2).

Ex hoc textu igitur sequitur non contradicere naturae matrimonii asserta illorum qui opinarentur: *a*) Procreationem et educationem prolis non esse aliquid (aliquem finem) magis principaliter intentum a natura quam alia bona (alios fines) matrimonii; *b*) bonum (finem) procreationis et educationis licere ab aliis bonis (finibus) aliquando separare, etsi non radicitus (?) et arbitrarie; *c*) dari bona (fines) matrimonii quae non sunt essentialiter subordinata procreationi et educationi prolis; *d*) dari bona (fines) matrimonii quae sunt bono (fini) procreationis et educationis prolis aeque principalia et independentia.

Iam vero haec doctrina est longe diversa a doctrina synthetice proposita in canone 1013 § 1, qui est doctrinalis: « Matrimonii finis primarius est procreatio atque educatio prolis; secundarius mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae ». Et a doctrina decreti Sancti Officii 1 aprilis 1944: « An admitti possit quorumdam recentiorum sententia, vel qui negant finem primarium matrimonii esse prolis generationem et educationem, vel docent fines secundarios fini primario non esse essentialiter subordinatos, sed esse aeque principales et independentes. - *Negative* » (*A.A.S.,* 36 [1944], p. 103). Pius XII hanc doctrinam pluries repetivit ut sese opponeret doctrinis recentioribus (cf. *A.A.S.,* 33 [1941], p. 423; 43 [1951], p. 848).

Concilium non potest nec indirecte quidem approbationem aliquam dare doctrinae quae adeo profunde mutat structuram matrimonii, sine accurato examine serioque studio. Esset imprudentia haud excusabilis.

2. *De exigentiis legis divinae in usu matrimonii.* De hoc puncto scribit Adnexum, immediate post verba citata: « Legi divinae et ordinationi matrimonii contrarius est etiam omnis deliberatus hominum interventus qui opus personae actui coniugali proprium vitiat; nec convenire potest talis agendi modus integritati amoris coniugalis » (*Adnexa,* p. 22 a lin. 2).

In nota remittit ad Encycl. *Casti connubii.* Transcribimus locum, quo facilius comparatio institui possit:

« ... Ecclesia catholica... altam per os Nostrum extollit vocem atque denuo promulgat: quemlibet matrimonii usum, in quo exercendo, actus, de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere, et eos qui tale quid commiserint gravis noxae labe commaculari » (*A.A.S.*, 22 [1930], p. 560).

Quam profundae differentiae doctrinales dentur inter utrumque textum facile animadvertitur:

Encyclica declarat esse contrarium legi divinae « quemlibet matrimonii usum, in quo exercendo, actus, de industria hominum, *naturali* sua vitae procreandae vi destituatur ». Adnexus autem declarat legi divinae esse contrarium « omnem deliberatum hominum interventum *qui opus personae actui coniugali proprium vitiat* ». In hac formulatione doctrinae habetur incertitudo magna circa illum novum conceptum « opus personae proprium », nullibi definitum. Sed etiam praescindendo ab hoc, locutio « interventus *qui opus personae actui coniugali proprium vitiat* », etsi posset sensu ampliore intelligi ita ut includeret quoque interventum quo actus coniugalis naturali sua vitae procreandae vi ante vel post actum ipsum coniugalem destituatur, tamen sensu stricto, prout hic intelligenda est, non declarat contrarium legi divinae nisi deliberatum interventum qui vitiet *actum coniugalem ipsum, in se consideratum, seu dum ponitur* (v. g.: per interruptionem actus, vel per eius positionem cum instrumento protegente). Non excludit interventum, qui extra actum ipsum coniugalem destituat actum sua vitae procreandi naturali vi.

Ut patet hic resolvitur quaestio illa gravissima de « pillulis », ad quam sese refert S. Pontifex Paulus VI in sollemni allocutione diei 23 mensis iunii 1964, dixit eam esse in studio ac promisit: « Ne daremo pertanto presto le conclusioni nella forma che sarà ritenuta più adeguata all'oggetto trattato e allo scopo da conseguire » (*A.A.S.,* 56 [1964], p. 588).

Concilium non potest permittere ut quaestio adeo gravissima et in qua Romanus Pontifex manus apposuit, praeiudicetur immo et resolvatur in documento quod speciem aliquam habet documenti conciliaris, et de cuius auctoritate tot dubia moveri possunt.

Conclusio. Quod attinet ad *Adnexa,* cum Concilium non possit de illis disceptare neque ex alia parte prudens sit ut aliquam vel minimam responsabilitatem de illis sibi sumat, non restat nisi ut Concilium ab illis prorsus praescindat — et hic expresse dicatur oportet ad vitandas confusiones —, illaque remittat ad Commissionem post Conciliarem, quae habita ratione Animadversionum quae a Patribus conciliaribus exhibitae sunt, documentum non conciliarem conficiat, forma, quam Summus Pontifex aptiorem iudicaverit, promulgandum.

In particulari. Adnexum II, « De matrimonio et familia » non potest probari nisi corrigatur iuxta correctiones in schema inducendas. Doctrina quam proponit circa fines matrimonii atque circa exigentias legis divinae in usu iurium coniugalium, utpote longe recedens a doctrina huc usque a Magisterio proposita, quaestionemque gravissimam de usu mediorum anticonceptionalium furtive praeiudicet, omnino omittenda est in « Adnexo » nisi prius in schema, post disceptationem conciliarem, recepta fuerit.

* * *

N. 21, qui de dignitate familiae et matrimonii pertractat, veluti « in petram scandali » nostri schematis conversus est. Ratio est quia de quaestione gravissima agit.

Sane *finis* schematis hic est: a) *colloquium instituere* cum christianis et cum omnibus hominibus bonae voluntatis. Iamvero, iuxta verba Pauli VI, in colloquio « veritas cum caritate, intellegentia cum amore » copulari debent: quod quidem non semper res facilis est.

b) ex alia parte, iuxta relatoris verba, n. 21 *synthesim doctrinalem* tradere vult, quae sponsos christianos conducere possit ad sanctitatem acquirendam.

Difficultas quidem *praecipua* consistit in hoc: *veram syntesim doctrinalem cum caritate* hominibus tradere. Ad quod sequentes observatiónes forte inservire poterunt:

1. Probe distinguendum est inter *veritatem certam* et *meram hypothesim*: illa doceri potest cum auctoritate; non autem secunda.

2. Multa dicta sunt in magisterio Romanorum Pontificum, praesertim in litteris encyclicis, de matrimonio et familia: quare certo cognoscendum est *utrum* et *quousque* possibile sit ab eorum doctrina recedere. Sc. de valore dogmatico magisterii pontificii gravissima quaestio ponitur.

3. Etiam clare distinguendum est quisnam sit *valor theologicus* nostri schematis: omnia enim sollemniter a Concilio promulgata, acervum doctrinae constituunt, *a quo in futuro recedere non licebit.*

Consequenter: Concilium, docens de matrimonio et familia, perspicue cognoscat prius oportet, *utrum scientifice et theologice ea quae docentur matura et certa* sint.

Hoc requiritur hac ratione: quaestio princeps in hac materia est illa *de matrimonii finibus,* quae maximum momentum habet in triplici plano, *theologico, morali et iuridico.* E. g. *in plano iuridico,* a recta intellegentia finium matrimonii multa pendent: verbi causa, notio copulae coniugalis, ex qua ratio inconsummationis ad concedendam dispensationem super rato; notio impotentiae ad matrimonium contrahendum; elementa essentialia consensus matrimonialis, etc.

Quid ergo? Quisnam esse debet labor Ecclesiae? Tacere? nullo modo, quia omnino non licet.

1. Sane, erga matrimonium et familiam — eodem modo ac erga alios valores vitae humanae — Ecclesia suum mysterium *praesentiae et servitii* perficere debet. Propter hoc existit in mundo et ad hoc per Apostolos missa est praedicare omnes gentes: ut Ecclesia fiat praesens, sua quidem praesentia sanctificatrice.

2. Quando Ecclesia matrimonium et familiam contemplatur et hominibus alloquitur, debet simul haec tria demonstrare: *a*) suam *solidarietatem cum mundo,* debitum familiae valorem tribuendo; *b*) suam *separationem,*

realitates terrestres vero amore contemplando in plena visione mysterii creationis; *c*) suum optatum omnia *recapitulandi* in Christo.

Iamvero sequentia negari non possunt, quia constituunt *vera facta* nostri temporis: ex una parte, difficultates quas homines patiuntur ad integram moralitatem servandam in vita matrimoniali, quum tot tantaque sint, sive *in ordine idearum* sive *in ordine morum,* quae bonae voluntati vere officiunt; ex altera parte, actualis existentia solidae investigationis theologicae — vera consideratione et attentione dignae —, quaeque difficilem quaestionem de finibus matrimonii *retractat* ac *sub nova luce* proponit.

His omnibus positis censeo: 1) quaestione de re matrimoniali ac familiari — quae profunde tractari debent a Concilio, quia id omnino exigitur a *caritate* quam colloquium supponit —, praeter ea quae in hoc schemate exponi possunt, et debent, *complete et profunde* pertractentur *in schemate* « *De Matrimonii Sacramento* ». Praecedat quidem profunda illa investigatio quam Em.mus Suenens postulabat.

Ratio est haec: quaestiones de matrimonio, *in ordine morum,* eamdem attentionem merentur ac illae quaestiones quas, *in ordine fidei,* Concilium disceptavit v. g. quoad fontes revelationis aut quoad collegialitatem. Imo et investigatio circa fines matrimonii, uti iam supra dictum est, perspectivam *valde mutare* potest, sive in plano morali sive in plano iuridico.

2) In nostro autem schemate, ea quae dicuntur in n. 21, sub alio ordine proponantur, ut homo nostri temporis veluti *manuduci* possit e sua problematica actuali ad mysterium matrimonii christiani integre intelligendum.

Ideae hunc ordinem habere possent, fundatae *in dignitate personae humanae*. Summatim expono:

a) Homo ius habet inviolabile ad eligendum vitae statum quem praeoptet. Iure ergo gaudet inviolabili ineundi matrimonium ad familiam propriam constituendam.

b) Familia diversos aspectus habet, oeconomicum, culturalem et moralem. Valor horum aspectuum elucet ex missione, quam familia habet: haec autem alia non est, nisi novos homines procreare, educare et aptos efficere pro communitate sociali.

c) Matrimonium veluti cellulam essentialem constituit, e qua vita humana oritur et genus humanum propagatur. Iamvero filiorum procreatio fit per actum personalem et conscientem viri et mulieris, in quo exercendo iura et obligationes in eis revera dantur.

d) Omnis vita humana valorem sacrum habet et quidem ab ipso momento, quo existit. Sane eam supprimere atque mutilare degradationem personae humanae secumfert, immo et dignitatem totius communitatis hominum offendit.

e) Ipsa dignitas personae humanae exigit ut hi valores — sive matrimonii sive familiae — qui ab Ecclesia catholica semper propugnati ac edocti sunt — a quacumque auctoritate humana recognosci ac protegi debent.

f) Familia christiana est imago et participatio foederis amoris Christi et Ecclesiae, ita ut coniuges in ipsa matrimonii institutione, et factum inveniant propriae elevationis et medium quo testimonium Christi in mundo praestare queant.

61

EXC.MUS P. D. PETRUS KALWA
Episcopus Lublinensis

I. Nonnulli Patres in discussione super hoc argumentum de dignitate matrimonii et familiae iam animadverterunt, et quidem merito, illic deesse solidum fundamentum theologicum, ex quo tamquam ex fonte profluerent dissertationes et exhortationes ibidem contentas. In hac mea interventione vellem ostendere: *a*) causas, undenam hoc provenit, et *b*) media apta ad hoc defectum reparandum.

II. Causa principalis huius infelicis eventus ex eo provenit, quod materia de re matrimoniali in quattuor diversis schematibus tractatur sed occasionaliter tantum et per modum applicationis practicae nullibi tamen funditus et ex professo.

a) De matrimonio enim tractatur in schemate *de apostolatu laicorum,* ubi societas coniugalis et familiaris uti obiectum et campus actionis apostolicae indicatur et exhortationes innectuntur ad hanc actionem apostolicam persequendam.

b) De matrimonio et familia tractat nostrum schema, uti iam diximus, in cap. I n. 21. Idem schema tractat materiam matrimonialem et familiarem etiam in Adnexo II et quidem uberius quam in ipso schemate principali, attamen eodem modo sociologico, psychologico et pastorali, sine profundiori argumentatione theologica et superficialiter.

c) Tractatur materia matrimonialis in schemate de ecclesiis orientalibus, ubi hierarchis orientalibus, datur facultas dispensandi a forma canonica in matrimoniis mixtis contrahendis.

d) Et denique tractatur de nostra materia in speciali schemate de matrimonii sacramento, sed proh dolor! schema hoc ex professo de matrimonio tractans continet 2 tantum paginas.

III. Talis dismembratio materiae et dispersio inter 4 schemata repetitiones superfluas producit et est causa principalis superficialis et non coordinatae tractationis materiae tam magni momenti.

Matrimonium enim uti sacramentum sociale est maximi momenti in vita Ecclesiae, fundamentum est enim et fons familiae christianae, in qua nova membra Ecclesiae nascuntur et educantur. Matrimonium christianum hisce temporibus multas vicissitudines adversas patitur et fideles a Concilio media salutaria ad has difficultates vincendas et ad animas trepidas confirmandas

expectant. Lucem desiderant ac adiumentum a Concilio etiam sacerdotes curam animarum exercentes, ut necessitatibus coniugum christianorum consulere possint.

IV. Uti remedium aptum ad defectus circa superficialem, non coordinatam tractationem materiae matrimonialis eliminandas propono:

Expositionem huius materiae in uno schemate funditus et ex professo tractandae. Materia haec enucleatur non solum: *a*) sub respectu iuridico uti nunc est in praesenti schemate, sed etiam, *b*) sub respectu theologico, ubi ostendatur signum unionis Christi cum Ecclesia sponsa sua et signum externae gratiae sacramentalis pro tota vita coniugum; *c*) sub respectu sociali in relatione ad modernam vitam; *d*) sub respectu pastorali, qui respectus pastoralis suam efficacitatem expendere debet non solis remediis naturalibus et adiunctis vitae socialis hodiernae assumptis, sed praesertim aspectu supernaturali ductus in gratia Dei fundamentum ponens.

In systematica coordinatione et expositione materiae matrimonialis sub omnibus respectibus super indicatis maxime iuvabit illud principium manuductorium S. Augustini: de bono fidei, prolis et sacramenti. Tractatus tali modo confectus et in forma decreti conciliaris promulgatus aliis schematibus fundamentum praebebit, qui in particularibus quaestionibus a se tractatis remissiones opportunas ad illud facere possint.

62

Exc.mus P. D. RUDOLFUS KOPPMANN

Episcopus tit. Dalisandensis in Pamphylia, vic. ap. Vindhoekensis

Ad n. 23. In n. 5 auspicatur ut evolutio oeconomica, cuius conditiones antea explicatae reperiuntur, omnibus hominibus et coetibus propitius sit, absque discrimine stirpium et regionum, ita quidem ut progrediente tempore differentiae sociales penitus evanescant...

Iamvero, caput mihi videtur inniti in ratione potius unilaterali iudicandi res oeconomicas, ac si causa differentiarum oeconomicarum necnon paupertatis qua non pauci homines in hoc mundo affecti sunt, unice in ipso ordine oeconomico (vel potius in eius perturbatione) resideret.

Sane, iustitia socialis est lex suprema ordinis oeconomici, industrialis et commercialis; ideo Ecclesia non solum formam depravatam capitalismi, qui rebus contra hominem abutatur, sed etiam communismum damnat quippe qui dominium privatum contra ius naturae deneget et abolere conetur. Magnae Encyclicae Sociales RR. PP. clare de his rebus locutae sunt.

Quod si iustitia socialis aliquando in mundo ad plenum effectum revera deducenda sit, num tunc quaevis differentia socialis dispareat? Nonne eiusmodi spes vel suppositio contradicit tam ipsi personae humanae quam rerum veritati qualis ex historia nota est? Etenim:

a) « Pauperes semper habebitis vobiscum »! Quamdiu natura humana lapsa contribuit ad rationem personalem hominis determinandam, differentiae sociales nunquam ex integro deerunt; erunt econtra pauperes et divites, sicut erunt homines pigri et laboriosi seu assidui... Omnibus quidem occasio praebenda est ascensus socialis, sed cum, immo antequam, sermo fit de elevatione sociali opificis et de eiusdem participatione in ipsa officina, *verba facienda sunt de habitu morali seu ethico opificis* necnon *de dignitate laboris* sub ratione christiana. His enim attentis fiet ut opifices ceterique, qui inter debiles vel pauperes sub aspectu sociali adnumerantur, non mercedem tantum seu pretium pro labore hebdomadae perceptum rationem et mensuram propriam habeat, sed responsabilitatis quoque pro vocatione sua ac pro loco laboris seu officina sibi conscius sit. *Miseria in mundo non semper iniustitiam socialem causam saltem unicam habet.*

b) Nec deest realitas in mundo quae huiusmodi considerationem comprobet. In nonnullis enim regionibus, praesertim quidem in iis quas « subevolutas » appellares, homines nondum adepti sunt rationem vel habitudinem propriam, sive naturalem sive christianam, ad laborem suum huiusque conditiones. Laborem seu operam potius habent ut onus malumque necessarium, ita ut non raro eo usque tantum laborant quantum sufficit ad vitam quotidianam in tuto ponendam, quin de et pro futuro tempore provideant. Evolutione sane rapidissima oeconomiae industrialis et technicae ultimis decenniis peracta ii homines a vita et adiunctis consuetudinariis in propria stirpe avulsi sunt et in urbes emigraverunt, ubi nunc persaepe in conditionibus asocialibus vivere coacti sunt. Homines simpliciores eiusmodi ambitum novasque vitae conditiones nondum sustinere didicerunt, neque ex adverso valorem pecuniae et proprietatis pro merito aestimare. Si casu felici plus merentur quam pro vita quotidiana indigent, facile in vitium alcoholismi delabuntur, quod sane periculum gravissimum pro populis nondum plene adultis monstratur.

Cum igitur progressus socialis exoptatur et de conditionibus socialibus in mundo huius temporis sermo instituitur, eiusmodi rerum ratio praetermittenda non est. Illi homines non tam maiori lucro seu salario iuvandi sunt quam *educatione sociali* et *professionali* congrua. Evolutio nonnisi lenta et organica eiusmodi populos ad felicitatem perducere valet. Non iuvat *saltum* temptare evolutionis plurium saeculorum quae istis hominibus deest, cum ipsam naturam eiusque defectus transilire non possimus.

Iamvero, *de ista educatione professionali* necnon *de morali laboris aestimatione schema nostrum silet.* Silet pariter de magno munere Ecclesiae in isto campo — maxime quidem in territoriis Missionum — ubi scholis congruentibus necnon coetibus professionalibus homines et technice instituat eosque christianam laboris rationem, contractus laboris et alia id genus doceat.

Unde conveniret pauca de non unica hac rerum ratione in mundo dicere, forsitan inter nn. 5 et 6, quibus labor christianus tamquam testimonium peculiare credentium necnon medium aptum ad christianam hominis imagi-

nem perficiendam commendaretur... necnon opificis responsabilitas christiana ratione concepta inculcaretur.

Eiusmodi condicionibus positis, opifices iusto gaudentes loco dignitateque sociali de lucro pariter iusto participare possunt et debent...

Simili ratione, prout in n. 16, sub littera *a*) declaratum est: « Necessarium est, ut christifideles meliorem in dies notitiam et cognitionem acquirant de necessitatibus spiritualibus, moralibus, culturalibus et materialibus omnium hominum, reiecto omni discrimine stirpis nationis vel conditionis »: quod si recta ratione eiusmodi necessitates cognoscere nitamur, *differentias necessitatum* hominum praetermittere non poterimus...

* * *

Hoc caput schematis nihil dicit de classe operariorum quae hodie grave exhibet problema morale et pastorale, scil. *de operariis peregrinis* - migrant labor - Gastarbeiter...

Factum enim, quod permulti opifices a magnis centris industrialibus attracti regiones patrias relinquunt atque alio se conferunt operae et lucri causa, necnon problemata quae inde promanant, non ad solas Europae regiones limitata sunt, sed etiam in terris missionum, maxime quidem in Africa Australi, et ibi iam ab annis, notantur et angustias causant. Millia enim indigenarum qui dicuntur e regionibus patriis, ubi modus vivendi et sese gerendi moribus vel legibus tribus seu stirpis reguntur, fodinas et officinas operae quaerendae causa adeunt ibique per temporis spatium plus minus longum permanent quin tamen domicilium novum constituant. Nam potius quam in domibus propriis, in tuguriis communibus, v. *Compounds,* habitant, a familia nativa necnon a vitae consuetudinibus separati...

Iustitia socialis postulare videtur ut huiusmodi operariis copia detur non singulatim tantum vel separatim, sed coniunctim cum propria familia, uxore et prole, ad locum laboris transmigrandi atque inibi sub condicionibus vitae degendi quae homine et familia dignae sint eisque congruant. Itaque, sub n. 6 huius capitis et partis 23, ubi sermo est de iniustitia quae operarios excludat « a iusta perceptione fructuum laboris communis » eosque e contra « quodammodo in servitutem sub iugo propriorum operum » redigat — hoc loco mentio quoque fiat de modo persaepe inhumano quo opifices habitare coguntur necnon de vitae ratione prorsus indigna ipsis imposita; datores vero operae seu qui homines et maxime peregrinos ad operam praestandam conducunt de gravi obligatione monendi sunt qua hac in re erga proprios operarios tenentur utpote socios Deique filios sicut et ipsi...

63

EXC.MUS P. D. NICOLAUS LAUDADIO
Episcopus tit. Alamiliarensis, adm. ap. Gallensis

Opportunum videtur revocare non tantum generice sed adamussim principia moralia de officiis vitae coniugalis, circa quae non parva exstat confusio idearum necnon expectatio ex parte sive fidelium sive infidelium.

I. *De amore coniugali ut fine matrimonii.* Distinguendus est amor caritatis ab amore coniugali qua tali. *Amor caritatis,* qui unit cum Deo et propter Deum cum aliis hominibus, coniuge quoque et filiis, quatenus ad eius imaginem creatis et ad eius similitudinem perficiendam vocatis in visione et gaudio beatitudinis supernaturalis, est vere *finis vitae humanae, etiam coniugalis.*

Amor vero coniugalis, qua talis, qui regulatur virtute castitatis, non est finis, sed sicut ipsa amicitia humana et castitas, sive coniugalis sive virginalis, est *medium* ad caritatem obtinendam.

Finis autem immediatus matrimonii proprie dicendus est *filius*: finis immo *unicus* et totalis, *tribus* relucens aspectibus.

Quare non sunt fines matrimonii concipiendi separatim ut autonomia gaudentes, sed eius varii aspectus coordinandi et subordinandi sunt ad invicem.

Etenim, cum neque vir neque mulier valeant separatim procreare filios, ineunt societatem coniugalem, cuius vinculo constituuntur causa filiorum in actu primo. Causa autem continet effectum, licet non necessario illum producat; et vicissim effectus praecontinetur idealiter in causa. Finis est primus in intentione et ultimus in exsecutione. Ideo filius, realiter generatus, seu ut effectus, non pendet a sola voluntate seu ab actu humano coniugum: quare non est finis solius amoris coniugalis. Sed quatenus praeexsistit in intentione naturae ut ideale amoris coniugalis et ut forma, qua coniugium constituitur, filius est finis unicus et totalis, quem quaelibet actuatio vitae matrimonialis, sive sexualiter sive aliter exhibitae, semper exprimere debet, sicut actus secundus derivat a primo.

Ideo, licet coniuges sint steriles, vel alio impedimento, etiam morali, praepediantur ne generent filios, possunt sibi invicem mutuum amorem coniugalem exprimere, etiam actibus sexualibus, dummodo saltem partialiter prosequantur obiective finem talis specificae actuationis, seu, forma et finis cuiuslibet activitatis coniugalis, qui est filius, exprimatur in actu secundo. Quod si contra positive talis finis excludatur, etsi partialiter, frustrando e. g. generativam virtutem actus coniugalis aut impediendo concordiam necessariam ad filios alendos et educandos, tunc etiam verus amor coniugalis destruetur, qui humanus, rationalis et medium ad caritatem supernaturalem esse debet.

Porro finis iste non tantum generice et confuso modo tota vita coniugali exprimi debet, sed singulis actibus humanis, specifice coniugalibus, realizari debet aliquo modo: quia actio humana est expressio personae.

Ut ista regula vitae coniugalis clarior proponatur, filius considerari debet sub triplici aspectu: ita ex unico fine matrimonii triplex exsurgit finalitas vitae coniugalis, quam etiam partialiter obsecundare licet, frustrari autem nefas est etsi partialiter.

Filius enim corpore, anima et spiritu supernaturali quodammodo constat. Ad corpus generandum et alendum, coniuges ius perpetuum et exclusivum in corpus ad actus per se aptos ad prolis generationem sibi mutuo dant et exercent. Anima, a Creatore immediate condita, committitur parentibus, ut amanter suscepta colatur et plene humana fiat educatione. Ad hoc non sufficit singulorum parentum amor erga prolem, cuius sana educatio fundatur in securitate, quam solus amor reciprocus parentum inter se et erga prolem praebent. Ideo parentes vinciuntur vinculo indissolubili, quod etiam actibus sexualibus consummatur et fovetur.

Hac ratione et concupiscentia invenit remedium, seu fit humana. Quia, sicut corpus vivificatur anima rationali, ita concupiscentia sexualis fit humana et licita, quatenus obtinet finem seu rationem suam in castitate coniugali, quae est medium amoris caritatis parentum inter se et erga prolem.

Vocatio ad filiationem divinam filii exigit correspondentem dignitatem in eius causa, seu in parentibus. Qui augent vitam gratiae, quae est coniugium inter Deum et hominem, sacramento, quo amor inter Christum et Ecclesiam significatur et renovatur.

II. *De sterilizatione directa ope pillulae.* Amandatis medicis quaestionibus de efficacia pillulae progestinicae, num tantum sterilizans an etiam abortiva, ut quidam cogitant, consideranda sit, Concilium opportune aget de moralitate sterilizationis directae, sive temporaneae, sive perpetuae. Etenim quidam vellent extendere principium totalitatis, quo membrum corporis abscinditur in bonum totius corporis, ad mutilationem seu suppressionem functionis generativae ad salvandam harmoniam coniugalem. Sed merito quaeritur num amor coniugalis non possit aliter salvari absque expressione sexuali amoris, et num remaneant adhuc castae vel rationabiles illae actuationes sexuales, quibus ex intentione efficaci ablata sit efficacia generativa.

64

Exc.mus P. D. IULIANUS LE COUËDIC
Episcopus Trecensis

Caput quod continetur sub n. 23 valde necessarium erat, quia impossibile est mundum hodiernum concipere si non attentissime consideretur neologismus ille, quem « socializationem » vocant, quemque bene distinguere debemus a « socialismo » et ab eius sequelis.

Socializatio consideranda est tanquam character specificus et quasi forma nostri temporis. Hucusque homo erat sui iuris, et ad seipsum referebatur.

Sane, iam Aristoteles docuerat, hominem per naturam esse socialem, sed in illo tempore, civilis cultus tam parum evolutus erat in ordine intellectuali, oeconomico et a fortiori technico, in multis regionibus extra mediterraneos, ut vita possibilis esset in solitudine, procul a qualibet societate; unusquisque etenim poterat subvenire suis exigentiis, utpote adhuc valde elementariis.

Hodie autem homines non amplius vivere possunt prout solitarii, a societate separati. Evanuit individuum, sicut erat tempore antecessorum nostrorum. Finem suum perfectum assequi non amplius potest sine societate. Et certe iustificari valet talis normalis evolutio. Etenim societas homines comprehendit et dirigit, et melius etiam eos coadunat et collatis viribus impellit ad bonum commune, ut peroptime notavit prima paragraphus n. 23.

Attamen, proh dolor! deplorandus est in hac iusta et opportuna via ad socialismum abusus qui per se oriri potest et de facto nonnumquam oritur.

Individuum, etenim, non amplius est quod esse deberet, scilicet: creatura Dei, imago creatoris, et sub hoc respectu subiectum iuris necnon et obligationis, « per se vivens », ut clare exprimitur vocabulo « personae ». Eo magis magisque tendit, ut numerus quidam efficiatur in una immensa additione, ex qua tamen subtrahuntur ea omnia quibus tamquam homo existebat. Finem proprium amplius non habet. Etiam sub nomine « boni communis » aliud non invenitur ac dissimulatio tyrannidis socialis. Ex hoc sequitur non proprie mors ipsius individui, quod remanet tamquam numerus quidam in una serie indefinita, sed mors personae; quia reapse personam humanam occidere volunt.

In talibus adiunctis vocabulum « libertas » prorsus aliud significat ac in philosophia perenni, et a fortiori in philosophia cartesiana. Libertas immolata est aequalitati.

Nunc autem, proprie quando libertas sic evolvitur ut paulatim evanescit, aequalitas non retinet sensum humanum; aliquid animale efficitur, et contraria fit desideratis etiam primariis psychologiae humanae.

De hoc testificari posset quaelibet materfamilias. Filios parturit qui in eisdem cunabulis unus post alterum recumbunt, et sibi tamen dissimiles exsistunt. Sic iam ab initio inter eos adest differentia, quae cum decursu temporis fit eorum character distinctivus. Bonum commune id felicissime praestat, quod huiusmodi differentiis utitur et ad utilitatem omnium coadunat. Et in hoc apparet vera sapientia, quae perspicit quomodo in immensum differunt ab invicem socializatio et socialismus, veritas psychologica et error.

Infeliciter non dici autem potest, quod inter populos unus sit, qui non imbuatur usque ad intima cordis hac philosophia aequivoca socialismi.

Perpauci homines talem philosophiam superant, quoniam ex ea sunt adeo comprehensi et efformati, ut incapaces fiant personaliter existere et per seipsos iudicare. Adeo pars efficiuntur multitudinis sive per iuxtapositionem sive per additionem, ut halitum respirent maioritatis, ex notione additionis adductae, et quoniam timent, ne sui iuris remaneant, talem maioritatem denique fideliter insequuntur.

Nunc autem societas ad id destinatur, non ut personas paulatim ad nihilum redigat, sed ut personis media praestet emergendi et efflorescendi.

Aliunde mirandum est quomodo mundus huius temporis, qui vult esse suavis, sed reapse durus est et implacabilis, non durat et non evolvitur nisi suscitando, modo suis principiis plane contrario, tales homines qui subito apparent, et aequalitatem negant, necnon etiam proh dolor! libertatem aliorum, et turbas regunt dum bono communi absolute fallacem significationem tribuunt. Huiusmodi homines personalitatem habent exceptionalem, sed hoc provenit ex facto, quod propriam naturam effugiunt, et individua eis subiecta ita regunt, ut characterem personae vel etiam individui plane amittunt.

Quod necessarium esset, ad veram notionem boni communis restaurandam, in hoc sisteret ut societati huius temporis exhibeatur quod dirigi possit et quod personalitas magni valoris possibilis sit, quin personalitas aliorum minuatur, sed e contra per testimonium exempli ex multitudine anonyma extrahatur. Tale fuit munus sanctorum, ad quod perveniendum esset per strictam analysim distinctionis inter socializationem et socialismum, et ad quod allusio quaedam fit in ultima par. n. 23.

Etenim, plus quam dici posset, Sancti cuiusvis temporis mutaverunt individua simplicia in personas valentes, non solum ex eo quod eis attulerunt virtutes supernaturales Fidei, Spei et Caritatis, sed etiam dum eis demonstraverunt quod huiusmodi virtutes fundamentum habent in valoribus naturalibus. Et hoc fecerunt, sic manifestantes quantam haberent personalitatem exceptionalem, eo magis quod non sine tribulationibus ingentibus hunc scopum obtinuerunt.

Nullus etenim hoc negari posset. Persecutiones subierunt, quia eodem modo ac alii exstare non voluerunt, id est non pure et simpliciter tamquam individua, sed tamquam personae apparere intendebant.

Eis qui vitam Sanctorum examinaverunt bene notum est quod in ultimo saeculo, nobis quasi coaetaneo, curiae episcopales (ut non plus dicam) cum miratione et etiam cum scandalo notaverunt quomodo novi homines eorum rerum visionem et praevisionem evertebant. Huiusmodi homines nullomodo incedunt in processione clericorum, unus post alterum, in loco sibi assignato, pedepressim progredientes. Ex processione exeunt: quod magnopere perturbat uniformitatem classicam, et ut ita dicam, simplificationem praepositorum qui censum habent et relationes perficiunt.

Hi homines vere intellexerunt naturam aequalitatis dum ei sese submiserunt, dum vitam aliorum condividebant, etiam pauperrimorum, et dum propriae regulae fideliter adhaerebant; sed ex altera parte, sese extulerunt supra turbam anonymam, dum in se usque ad consummationem exceperunt virtualitates propriae naturae et indolis. Sancti constituunt veram et perpetuam aristocratiam qui populos salvat dum eos elevat indesinenter supra seipsos.

Propterea rogarem commissionem quae schema XIII revisura est, ut in textu bene exponatur differentia inter *individuum* et *personam,* et sic demon-

strare quod Sancti habuerunt sensum perfectum et quam maxime completum boni communis et verae socializationis.

Et hoc minime est aliqua praedicatio, sed vera conclusio, in forma analysis philosophicae, quam resumit philosophus gallicus Bergson quando exhibet quomodo solummodo Sancti capaces sint conferre hodierno mundo aliquod supplementum animae.

65

EXC.MUS P. D. CAROLUS MACCARI

Archiepiscopus episcopus Montis Regalis in Pedemontio

Quid dicendum de n. 23 nostri schematis? Primus animi sensus, qui sponte occurrit legenti textum, inclinaret ad sententiam negativam: « non placet ». Sed, cum schema receptum fuerit tamquam basis disceptationis, quaedam adnotationes et vota proponam, quae fortasse haud inutilia esse poterunt in eodem schemate refundendo.

1. Textus in genere desideraretur, et expolitior quoad formam et accuratior quoad conceptuum expositionem ordinemque. Aliqua tantum exempla: *a*) notio « socializationis » (linn. 17-19) nimis generica apparet, immo incompleta et aequivoca: textus enim eam configurare videtur ut phaenomenon quasi « mechanicum », quod liberae hominum electioni eorumque dominio eximitur iuxta placita « materialismi dialectici »; *b*) Ea quae dicuntur de tertia « nota » evolutionis socialis (linn. 22-26) vix intelleguntur in periodi enucleatione et in verborum usu: quid praecise significatur his verbis « activitates oeconomicas inserere... culturae »? Pariter, in eadem pagina lin. 38, loco « conatibus spontaneis singulorum », nonne seligenda esset dictio magis propria et idonea? *c*) In pag. sequenti, linn. 14-15, legimus: « Ecclesia proinde nulli particulari systemati oeconomico obligatur »; quae verba aut nil dicunt aut nimis dicunt, quia, si verum est Ecclesiam qua societatem religiosam nullum systema oeconomicum suum per se facere, falsum est ipsam quasi neutram remanere posse in re tanti momenti cum nemo ignoret systemata quoque oeconomica regi informarique principiis (v. g. liberalismi, marxismi, etc.), circa quae Ecclesia indifferens esse nequit.

2. Titulus huius numeri, nempe « de vita oeconomica et sociali », non placet. Melius fortasse diceretur: « de vita sociali et oeconomica », vel « de vita sociali et de re oeconomica », vel « de re sociali et oeconomica » (ut in Litt. Enc. PII XI *Quadragesimo Anno*). Ratio huius inversionis clara est: « sociale » magis patet quam « oeconomicum » idque superat ac logice praecedit. Nec putandum est heic agi de quaestione tantum grammaticali vel logica: textus ita insistit in momento primario condicionis oeconomicae relate ad totam quaestionem socialem, quod videatur aliquatenus propensus ad hanc solvendam praecipue mediante rei oeconomicae evolutione. Mens huiusmodi certe aliena fuit a praeclaris membris commissionis, at in materia tam acriter

disceptata, non solum dubium sed etiam aequivocationis possibilitas sedulo vitanda sunt, eo vel magis quod « solutio oeconomistica » problematis socialis haud raro viris quoque catholicis periculose arridet.

3. Primum ex septem principiis, quibus christifidelium operosa participatio in vita sociali ordinatur, optime asserit: « Evolutio oeconomica, ne hominem opprimat (adderem: « et in servitutem redigat »), sub ipsius dominio permanere debet ». Hoc autem servitutis periculum, semper imminens et grave, christifideles effugere poterunt tantum si « quam plurimi ex omni societatis gradu et ordine admittantur ad partes actuosas » in muneribus socialibus suscipiendas? Ad praecavendum hoc periculum minime sufficere videtur, larga, indiscriminata, immo universalis et actuosa civium participatio in ordinanda atque evolvenda vita oeconomica, sed praeterea et in primis requiritur quod talis participatio sit omnino libera, sit bene conscia iurium officiorumque in ordine sive naturali sive supernaturali, sit semper intenta in horum bonorum irradiationem ac defensionem. Tristis « collectivismi » historia docet!

4. Secundum principium affirmat veri progressus notam fundamentalem, qua scilicet « cunctis hominibus et coetibus » prodesse debet, nulla omnino habita discriminatione. At quaeri potest, utrum ad progressum hac ratione ordinatum sancte servandum, satis sit generice affirmare: « nequaquam ergo evolutio oeconomica sibi ipsi relinqui debet ». Meo submisso iudicio, huiusmodi principium, si contra placita « liberalismi » valet, recipi certo nequit in sua extensione indefinita quasi ad favendam doctrinam et praxim « socialismi » seu « statalismi ». Tota igitur periodus linn. 2-5 in pag. 27 inclusa, non solum clarius enucleanda est, sed etiam complenda, ne dubium exurgat de quadam favorabili inclinatione (« simpatia ») erga systemata socialia, quae Ecclesia catholica probare non potest. Quod magis necessarium apparet, si contextus generalis nostri schematis prae oculis habeatur et speciatim consideretur principium sextum in pag. 27 quo firmiter opportuneque iura operariorum vindicantur quin tamen verbum de eorum officiis deque iuribus operam conducentium et locantium dicatur. Ecclesia, mater et magistra, debilium ac pauperum nunquam a defensione destitit, at semper sanctum habuit, contra « classium oppositarum » marxisticam doctrinam, in societate mutuam « ordinum » conspirationem instaurandam ac servandam esse.

5. Ne igitur quae de vita sociali et oeconomica heic dicuntur incerta maneant ac periculosae interpretationi obnoxia, textus reficiatur oportet et quidem ratione magis completa, ordine magis systematico et doctrina magisterio sociali Ecclesiae magis conformi. In specie, expresse affirmanda videntur aliqua principia classica in sociologia catholica, nempe: *a*) principium « subsidiarii officii » ad interventionem rei publicae et consociationum quod spectat; *b*) natura individualis et socialis sive dominii sive operae; *c*) natura moralis etiam quaestionis socialis; *d*) mutua fraternaque conspiratio ordinum in societate ad idem bonum commune consequendum.

66

EXC.MUS P. D. ANDREAS MAKARAKIZA
Episcopus Ngoziensis

Nomine conferentiae episcopalis de Rwanda et de Burundi.

In cap. IV schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* loquitur de dignitate personae fovenda. Haec quaestio nobis maximi videtur esse momenti et multis aliis quaestionibus subest. Etenim, dignitas humana est bonum maximum desideratum ab omni homine modo quasi connaturali. Populi nostri potius quam bona materialia immo et spiritualia recognitionem suae dignitatis a nobis rogant et quocumque modo obtineri volunt.

Fundamentum huius desiderii est tam naturale ut omnibus patet sine probatione. Homo intelligentiam voluntatemque habens debet omnibus viribus suis prosequi dignitatem suam eiusque recognitionem ab aliis hominibus. Hoc desiderium Concilium suum facere debet et claro modo mundo notum facere, nam consequentiae huius facti multiplices et multiformae sunt.

Recognitio practica huius dignitatis omnium hominum est prima conditio pacis mundi et communionis fraternae hominum omnium stirpium et classium socialium.

Negatio practica aut theoretica huius dignitatis necessario modo causam dat bellis, odiis et violentiis.

Sufficit legere et audire quae his diebus ipsis fiunt in diversis partibus mundi ut practice probetur hoc factum.

In hoc interventu tamen non volumus loqui de discriminatione necnon de iniustitiis provenientibus ex negatione dignitatis hominum in quacumque parte mundi, sed potius de altero aspectu huius quaestionis, nempe de auxiliis praestandis populis pauperibus.

In hoc adiutorio praestando maxime recognosci et respectari debet dignitas hominum ac populorum etiam pauperum. Clare sit omnibus populis divitibus quod populi pauperes non tantum desiderant dona transitoria (consummationis nempe), sed maxime possibilitates seipsos adiuvandi propriis viribus. Dona transitoria necessaria esse possunt, sed semper aliquomodo humiliant qui eos recipiunt, sed semper aliquomodo contrariae sunt dignitati humanae et maxime dignitati populorum.

Dona transitoria data hominibus qui sciunt quod seipsos adiuvari possent, semper cum animo aliquomodo amaro accipiuntur, quia dignitati humanae contraria sunt, quia eleemosinae esse videntur.

Hoc maxime sentitur a populis qui vident se in regionibus suis habere divitias naturales, quae divitiae tamen extrahuntur et alibi feruntur ita ut pars maxima earum utilitatis aliis, nempe populis iam divitibus prosit.

Attamen, si populi divites modo reali et in omni respectu dignitatis humanae populos pauperes adiuvari volunt, hoc modo stabili faciant, et in quantum fieri potest, implantent industrias ipsas in regionibus pauperibus, ma-

xime in iis ubi materiae primae inveniuntur et extrahuntur. Hoc modo praebebunt ipsis populis pauperibus media se ipsos adiuvandi, plene respectabunt dignitatem horum populorum, recte fovebunt progressum socialem, et hoc modo ipsae nationes pauperes modo stabili de his beneficiis disponent qui aliter principaliter ipsis nationibus divitibus prosunt.

Hic non amplius agitur de donis transitoriis aut de eleemosynis, sed de quadam iustitia sociali: regiones quae materias primarias possident privari non possunt a maxima parte beneficiorum ex his materiis primariis profluentibus.

Hic agitur de iustitia inter nationes, quae iustitia impedit quin aliquae nationes in sinu suo concentrentur maxima pars industriarum mundi; qua ipsa iustitia superfluum aliquorum in adiutorio degentium uti debet. Hoc adiutorium permanens permaxime necessarium est nationibus qui incipiunt suam evolutionem oeconomicam et socialem.

1. Ut infrastructurae necessariae omni vitae sociali et oeconomicae inveniantur. Haec infrastructurae sunt tam physicae quam sociales. Physica sunt media communicationis, energiae et aliquando irrigationis. Socialia sunt media instructionis, media sanitaria et media ad evolutionem communitariam necessaria.

Haec elementa infrastructurae deberent praeberi modo gratuito vel quasi gratuito ut possibilia evadant populis in initio suae evolutionis oeconomicae degentes.

2. Media necessaria ad vitam oeconomicam ipsam maxime sunt industriae. Quamquam ab omnibus intelligitur quod personae, societates et nationes hae media praebentes suam partem beneficiorum rogant, tamen maxima pars eorum remanere deberet in natione adiuta et uti deberet ut amplificetur et sustineatur ipsa industria implantata (gallice: réinvestissement).

Maxime curetur ne hoc adiutorium eveniat medium alicuius dominationis politicae quae esset neocolonialismus ut ait Papa Ioannis XXIII felicis memoriae in sua Encyclica *Mater et Magistra,* insuper maxime esset contraria dignitati humanae.

Necessaria quoque evadit missio hominum peritorum in materiis industrialibus necnon formatio ipsorum nationalium ut suas responsabilitates assumere possint in hoc campo.

Populi ipsi hoc modo adiuti acquirere debent aliquam austeritatem vitae necnon stabilitatem politicam et socialem ut adiutoria praestata suam finem obtineant, necnon protectio contra nationalizationes intempestivas necessaria est.

Sed qua maxima cum gratitudine accipient populi pauperes hoc adiutorium permanens significans prosperitatem suarum regionum et suorum subditorum.

Venerabiles Patres, adiutorium verum semper debet fieri in omni respectu dignitatis humanae et maxime in hoc est in populis ipsis detur possibilitas seipsum adiuvandi modo permanenti.

Hoc expresse et clare affirmetur a schemate nostro, immo ipsis verbis Ioannis XXIII.

67

EXC.MUS P. D. GEORGIUS MANRIQUE
Episcopus Orurensis

In n. 23. Grato animo in hoc numero schematis tractatam invenimus sic dictam « quaestionem socialem ». Tamen, ut pastor, pater et testis immediatus cuiusdam partis gregis et populi Dei, conscientiam exonerare ante Commissionem Concilii de hac re tractantem, mihi fas sit, illo quidem intentu ut ipsi commissioni, ut organo Concilii, perveniat et angor et clamor conditionis vitae terrenae eorum, meae curae pastorali commissorum, qui ut nos sunt filii Dei, et quorum personae et vitae valorem habet proprium filiorum Dei.

Qui clamor et angor, alia ex parte, ad Ecclesiam et ad Concilium exsurgit ex plus quam tertia parte populationis terrae hisce nostris temporibus in similibus adiunctis versante.

Porro coram hanc tragicam et urgentissimam realitatem, quae in schemate hac de re dicuntur, sunt principia nimis generalia, ideoque nimis abstracta, quae tamquam piae considerationes et exhortationes in auribus christianorum sonant, « ut in posterum res melius se habeant... », nullo modo adaequata gravitati et urgentiae status rerum cui remedium poni potest et debet ex parte omnium. Qui fame pereunt non diutius spectare possunt...

Humiliter ergo, urgente nostra conscientia pastorali, commissioni liceat haec suggerere: ad hoc ut schema spiritu *realistico* et *evangelico* redigatur, has ideas sive capita contineat oportet:

1. Ecclesia plene conscia est et magno dolore afficitur de statu et conditione terrena tot filiorum suorum qui fame pereunt, iniustitia aliorum hominum opprimuntur et modo infrahumano vivere adstringuntur tum privatione iniusta bonorum materialium tum ex maxime privatione bonorum spiritus, ut instructionis, promotionis culturalis, etc.

2. De qua re, ut Mater, semper sollicita fuit, ut ex Magisterio constanti RR. Pontificum constat, praecipue a Leone XIII (*Rerum Novarum*) et Pio XI (*Quadragesimo Anno*). Et insuper *Mater et Magistra* et *Pacem in terris* a Ioanne XXIII.

Capita praecipua huius doctrinae socialis Ecclesiae memoranda sunt, quae certo certius etiam et nunc sunt valida et eius applicatio pollet.

3. Rerum tamen novarum hodiernarum gravis status Ecclesiam urget ut denuo claro vehementiorique sermone mundum universum alloquatur praecipue vero filios suos ac omnes homines bonae voluntatis, illos praesertim qui, vel quia rem publicam auctoritative gerunt vel quia fontes oeconomiae in propriis manibus detinent, conditionem terrenam tot hominum et populorum in melius mutare possunt.

4. Dum diversa capita concreta solutionis Concilium proponit, gravissima

et urgentissima officia cuicumque hac in re atque in hoc historico momento docere debet, tum operariis, tum patronis, tum societatibus oeconomicis, tum statibus ac auctoritatibus civilibus, tum societatibus internationalibus tum et ipsimet Ecclesiae.

5. Ecclesia non tantum agnoscit sed et laudat incoepta nonnullarum nationum in hunc finem vertentia. Attamen:

a) omnes nationes hortari debent ut actione consociata huic problemati studeant ac iuxta vires et possibilitates remedium apponant;

b) similiter omnibus memorari oporteret ut in hac actione internationali conducenda, spiritu magis humano ac christiano impellantur quam finibus egoisticis, dominationis politicae, paternalisticis ac si immediatam eleemosynam materialem elargirent ut hi populi in orbitam influxum suae actionis politicae collocentur et in ipsa permaneant.

Finis praecipuus harum subventionum talis esse debet ut paulatim his populi subevoluti iam non indigeant eosque ita adiuvare ut in essentialibus sibimetipsis sufficiant tum in campo oeconomico, politico et sic in ceteris.

68

Exc.mus P. D. IOSEPH M. MARLING

Episcopus Civitatis Jeffersoniensis

1. Apte animadvertit schema nostrum homines huius temporis vere exoptare et sincere quaerere agnitionem dignitatis humanae personae, et ei oppugnare causas extrinsecas, infra pag. 22 enumeratas, quas sane inter crimina hodierna agnoscimus. Aliae res autem huic dignitati obsistunt, quae ex intima natura huius aetatis sunt, et ad quas superandas mundo adiumento esse debemus. Ex progressu oriuntur, saepe individuum suapte natura et quodammodo inculpabiliter constituunt particulam minutissimam in turba magna vel in massa anonyma. Inter quas sunt productio hodierna ingens et vasta, machinalis executio laboris, facultas omnem vitam uno ictu destruendi, incrementum demographicum sane velox, ingens multiplicatio incolarum in magnis urbibus, reipublicae proclivitas ad gubernaculum paternum. Huius conditionis intelligentiam ostendere debet nostrum schema, quia ita explicatur illud taedium vitae quod hodie multos afficit, eos despoliantes notione finis supernaturalis, et quidem naturalis. Ad hunc torporem superandum praebet religio et praesertim Ecclesia Christi remedia principalia.

2. Si hodie sunt qui sine dubio exaggerant circa incrementum demographicum, et ideo sese privant visione iniustitiae socialis in mundo vigentis, tamen admittendum est quod hoc est problema reale in praesenti historia atque integro novum, quod minatur millibus hominum relate ad eorum necessitates non tantum physicas (cibum, vestimentum, domum), immo etiam culturales (capacitatem recipiendi educationem, animum relaxandi, familiam erigendi cum quadam dignitate). Quaeritur utrum sit praematurum admit-

tere quod *in posterum* incrementum demographicum exigere posset aliquam formam obligationis contrahendi matrimonium provectiori aetate, atque limitandi numerum natorum per continentiam periodicam. Citando hoc principium, non hodie profecto sed (si unquam) tantum in futuro applicandum, viam sternimus ad dialogum cum hominibus huius temporis circa causam, quam vere molestam et quidem minacem reputant.

Nonnulli Patres iam observabant verba in schemate, ex Sacra Scriptura tracta, esse pauca. Via quae sternitur pro solutione christiana incrementi demographici, exigit ut *magna cum vi* affirmentur verba Christi evangelica, quae habentur apud S. Matthaeum, 6. Non conclamare firmiter et strenue haec verba est gravis error. Attamen plane addendum est quod nos digni tantum efficimur divino adiutorio quando omnia exequimur, quae in nostra potestate sunt pro solvendo problemate socialiter et oeconomice.

3. Maioris momenti autem, et relate ad priorem quaestionem initium sapientiae, est nostrum iudicium fundamentale de ordine hodierno sociali et oeconomico. Cuius notabilem partem simpliciter et firmiter condemnare debemus. Si luctus et angor in mundo universo nos non inclinabit ad positionem assequendam, quam multi radicalem appellabunt; fidem plurimorum praesertim pauperum violabimus. Paucis egregiis sententiis non obstantibus, videtur quod in hac re schema nostrum nimis leniter loquatur. In spiritu recentium Pontificum postulare debemus integram ordinis socialis et oeconomici restaurationem, sine qua homines consequi non possunt dignitatem personalem, dignitatem familiae, bona matrimonii, necnon pacem in diebus nostris.

4. Schema deberet peculiari modo animum advertere ad eos qui agros colunt. Agricolae etiam in divitioribus regionibus laborantes, a problematibus maximi momenti cruciantur, quae ita afficiunt totam structuram oeconomicam, ut alleviatio famis pro millibus hominum semper in dies difficilior evadat. Ioannes Papa XXIII, cum hoc tam grave problema intellexisset, notabilem partem Enc. *Mater et Magistra* ad hanc materiam dedicavit. Opportune videtur in schemate saltem pauca verba contineri circa hoc argumentum. Non est necesse ut enumerentur omnia specifica problemata, cum ipsa sint ab omnibus cognita, qui circa hodiernum mundum gravitate quadam studia impendunt.

5. In admonitionibus faciendis divitioribus hominibus, sive individualiter sumptis, sive in nationibus coadunatis, ut ipsi adimpleant propriam obligationem in pauperes adiuvandos, ne obliviscamur in memoriam nostram redigendi eadem principia a nobis, i. e. a dioecesibus et ordinibus religiosis, apprime observanda. Certe conscii sumus oppositionis, quam ubique pauperes exercitant contra Ecclesiam, ex eo quod nostrae Institutiones, aedificia praediaque, quae ad nos pertinent, nostraque vivendi forma, non semper videntur manifestare illam intellectionem principiorum, quae ceteris suggerimus.

In conclusione spero quod in futuro imminuatur quidquid in cap. I, II, III tractatur, et habeatur ad modum introductionis considerationum, quae in cap. IV et in *Adnexis* continentur.

69

Exc.mus P. D. EDUARDUS MASON

Episcopus tit. Rusicadensis, vic. ap. de El Obeid

De cap. IV ad n. 4. Hic explicatur realis difficultas quae fere ab omnibus nunc ventilatur de componendo dissidium inter difficultates procreationis praesertim ob rationes oeconomicas, et debitum coniugii ad mutuum solamen cum castitate christiana matrimonii servanda. Nulla practica solutio offertur sed sponsi invitantur ad cooperationem cum theologis et peritis in *ordine Providentiae explorando,* innuendo quod solutio conflictus sit possibilis et vicina!

Sequentes observationes mihi videntur faciendas esse:

1. Expositio eiusdem difficultatis quae fit in *Adnexo* II, pag. 21, n. 6 mihi plus placet quam quae in schemate fit.

2. Estne prudens aut psychologice validum innuere quod solutio huius difficultatis proxima sit ?

3. Quare non laudantur et robore firmantur illi coniuges qui immemores egoismi et solatii huius mundi, divina Providentia fisi, maximum donum Dei quod est *vita* communicant generose filiis? Nonne pauperes in hac re generosiores sunt quam divites? Nonne africani et asiatici in hac eadem re opinantur quod *vita* etiamsi pauper vel afflicta melior est quam negatio *vitae?*

4. Cum haec quaestio sit essentialiter humana cur non discutitur etiam argumentis humanis? Praesertim illius quod si incolae Europaei et Americani sese steriles volunt fieri, per non-procreationem filiorum, eorum regiones ab aliis numerosioribus occupabuntur?

Nonne dedecus est quod Ecclesia catholica in hac quaestione videatur tenere opinionem quae a divitibus invecta est et ab ipsis saepe proponitur?

70

Exc.mus P. D. MARIUS MAZIERS

Episcopus tit. Augustopolitanus in Phrygia, aux. Lugdunensis

In n. 23 capitis schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* asseritur in par. 4, lin. 14: « Ecclesia proinde nulli particulari systemati oeconomico obligatur ».

Verbis illis enuntiatur principium maximi momenti quoad actionem Ecclesiae in mundo hodierno. Sed infeliciter, in conscientia operariorum, sive ruri sive in civitatibus, Ecclesia consideratur prout necessario colligata eis, qui dominium oeconomicum detinent, et tale dominium exercent pro commodo unico parvi numeri hominum vel nationum.

Nonobstante doctrina tam luculenter a Pontificibus proclamata, iam ab encyclica *Rerum Novarum* usque ad *Pacem in terris,* Ecclesia nullomodo apparet in sua missione promovendi conditiones operariorum, vel tuendi eorum iura, et manifestandi eorum dignitatem.

Propter iniustitiam, cui obnoxii sunt, multi quaeritant in communismo fontem fallacis fiduciae, et in eo fundamentum doctrinae mysticae invenire credunt ad actionem efficacem evolvendam.

Cur autem res ita sic se habent? Non est nunc tempus hac de re disserendi, sed factum constituit, quod Concilium perpendere debet; et quidquid de tali quaestione dicetur a Patribus, doctrinae Pontificum fideliter adhaerentibus, magnum habebit momentum ad maiorem iustitiam introducendam in organizatione laboris, sed etiam ad Evangelium annuntiandum inter operarios mundi universi.

Proinde, par. 6 et 7 huius capitis, vitam oeconomicam et socialem respicientes, cum maiori firmitate exarandae sunt, ratione habita recentioris expositionis doctrinae pontificalis in *Mater et Magistra* et *Pacem in terris.*

Pro certo habendum est, quod quaevis consociatio pro labore exsequendo tunc plenum successum habebit, si in organizatione laboris ad opus commune vocatur intelligentia operariorum necnon eorum responsabilitas.

Ius operariorum partes habendi, non solum in emolumentis eorum activitatis, sed etiam in directione laboris et rei oeconomicae, aperte proclamandum est.

Validitas institutionum, quarum gratia operarii responsabilitatem exercere possunt in variis activitatibus organizationis oeconomicae, fortiter affirmanda est.

Attamen, plane inutile esset, principia denuo in mentem evocare, si per concursum activum christianorum non efficerentur regula vitae socialis et oeconomicae. N. 7 denuo enuntiat talem responsabilitatem christifidelium. Attamen, modo magis praeciso declarare debet, quod christianus, sive sit conductor laboris, sive sit operarius, ut Christi assecla in hoc agnoscitur, quod maxime attendit promotioni personali et collectivae pauperrimorum.

Christianus beatitudinem in solitudine minime invenire potest.

Si scientia et doctrina fruitur, eas condividere debet cum iis, qui in ignorantia versantur.

Si tempora futura cum securitate respicit, quia bonis materialibus locupletatur, tunc curam habere debet de iis qui propter inopiam de crastino die angustiam patiuntur.

Si gaudet de responsabilitate in institutione moderanda, vel consociatione laboris dirigenda, tale gaudium condividere debet cum eis, qui de sua conditione mere instrumentali taedium sentiunt.

Si tam felix est, ut in gradu sociali magis magisque ascendat, tunc cogitare debet de modo quo simul et proprium ambitum elevare possit.

Summatim dicendo: dum sibi conscii sunt, quod omnia obtinuerunt a

Deo, maxime curandum est christifidelibus, ut omnes homines efficiantur participes bonorum, quae a Deo pro omnibus hominibus creata sunt.

Conclusio. Si omnes christiani magis eo tendunt, ut in quolibet campo activitatis temporalis ab eis promoveantur pauperrimi hominum, tunc Ecclesia vere apparebit tanquam liberatrix hominum a servitute, et vere dici poterit: « Pauperes evangelizantur ».

71

Exc.mus P. D. IOANNES IOSEPH McELENEY
Episcopus Kingstonensis

Cap. IV huius schematis legitimis fidelium exspectationibus non respondebit nisi ambiguitates quarumdam sectionum sedulo removeantur. Afferre liceat aliqua saltem exempla huiusmodi ambiguitatum quarum correctio maxime urget:

1. Pag. 23, linn. 12-16. Ea quae in pag. 23, linn. 12-16 dicuntur, ultra omnem mensuram vaga sunt. Matrimonii fines, beneficia, proprietates et symbola indiscriminatim et modo valde confuso permiscentur. Huiusmodi assertiones vagae et ambiguae ab unoquoque ad lubitum et placitum proprium intelligi ac explanari poterunt.

2. Pag. 23, linn. 18-19. Propositio quae in pag. 23, linn. 18-19 posita est, non in recto affirmat quod conscientia subiectiva (etiam erronea) parentum unica est ratio quae formam educationis legitime determinat; tamen quin leges interpretationis violentur, propositio praecise in hoc sensu intelligi poterit. Ipsa enim ita ambigua est ut dici nequeat certo continere errorem doctrinalem; simul autem eadem ambiguitas talis est ut quis errorem doctrinalem exhinc libere eruere atque defendere possit.

3. Pag. 23, lin. 23. Ubicumque bonum inveniatur, illud libenter agnoscam. Sed in dubium revoco sapientiam et prudentiam assertionis quae in pag. 23, lin. 23, habetur. Nam, proh dolor, extra Ecclesiam nimis frequenter inveniuntur notiones erroneae circa amorem coniugalem.

4. Pag. 24, linn. 17-23. Ea quae in pag. 24, linn. 17-23 dicuntur, consolationi erunt illis qui « ethicam situationis » applicare velint ad moralitatem matrimonialem.

Iterum stricte probari nequit quod in hac sectione propugnatur « ethica situationis »; tamen qui « ethicae situationis » favent, haec verba praecise in tali suo sensu interpretari poterunt tamquam indicationem quod valores morales absoluti iam relinquuntur.

Simul in hac eadem sectione exaggerato modo sermo fit de frequentia problematis maxime ardui hac in re. Clare enim in hisce schematis verbis implicatur iudicium quod casus extremus — in quo nempe simul infantes

evitandi sunt, abstinentia impossibilis est et methodus rhythmi adhiberi nequit — est casus hodie communis.

5. Pag. 24, linn. 24-26. Eadem ambiguitas etiam invenitur in pag. 24, linn. 24-26.

6. Pag. 29, linn. 19-20. Intentio propositionis quae in pag. 29, linn. 19-20, legitur, in contextu concreto dicere intendit quod societas civilis non habet ius ad tale iudicium parentibus imponendum. Ambiguitas autem in eo est quod hic implicatur, nempe quod nulla revera dantur criteria obiectiva quae parentes in proprio iudicio efformando observare debent. E contra, insinuatur quod tale iudicium efformari debet secundum solam praeferentiam subiectivam personalem.

Concludendo affirmo quod huiusmodi ambiguitates e schema expurgandae sunt; quod si non fiet, inter alia etiam ipsa doctrina Ecclesiae circa illiceitatem methodorum anticonceptionalium pessumdabitur, saltem in ordine practico.

72

Exc.mus P. D. IOANNES CAROLUS McQUAID
Archiepiscopus Dublinensis

N. 21, pag. 24, lin. 9, dicatur potius « iudicium prudentiae ab Ecclesia recte edocti sibi efformabunt ».

N. 21, linn. 25-26: nonne ministrorum Ecclesiae praecise est conflictus solvere iuxta legem Ecclesiae praescriptaque S. Sedis? Quare, immutandus est textus ne deficere videatur ipsa Ecclesia quae nescit ministros suos recte ediscere.

N. 24, pag. 29, linn. 18-19: textus uti sonat, praesertim cum in linguas vulgares conversus erit, viam coniugibus aperit omni generi confusionis, necnon agendi modo aliquoties nefasto. Nec sufficit monitio in lin. 25 contenta. Certo certius linn. 18-19 in ephemeridibus perperam e textu avellentur.

73

Exc.mus P. D. FREDERICUS MELENDRO
Archiepiscopus Nganchimensis

Pag. 22, ante num. 21. *a*) Optandum valde est ut paragraphus inseratur, in qua efficaciter improbentur scandalosa morum corruptio iuventutis et exaggerata quae eis conceditur licentia: commendatis simul opportunis remediis ad tot mala a iuvenibus avertenda.

b) Altera etiam adiungenda esset paragraphus de hodierna, quam vocant, familiae desintegratione, per nimiam libertatem filiis a parentibus con-

cessam, per defectum paternae vigilantiae supra eorum mores, per ipsorum parentum negligentiam in procuranda pro posse felicitate intra familiam, per omnium familiae membrorum conamina ad sibi procurandam relaxationem sine testibus eiusdem familiae.

Pag. 23, n. 21, ante lin. 6 (vel alio aptiori loco) censeo omnino necessarium ut inserantur ea quae sequuntur: « Matrimonium est vere et proprie dictus contractus inter virum et mulierem, ad procreandam et educandam prolem initus, qui inter baptizatos a Christo Domino evectus est ad Sacramenti supernaturalem dignitatem ». Post hoc principium omnino oportet ut aliqua addantur de matrimonii christiani proprietatibus.

Rationes. Mirum sane videtur, quod neque in schemate nec in Adnexis occurrat verbum *contractus*: dum e contra, de amore coniugali longus latusque fit sermo usque ad satietatem. Inde non immerito quis deducere posset et pro certo habere, in matrimonio, iuxta schema, omnia ab amore coniugum pendere, omniaque cum eodem amore vel stare vel cadere.

Ne ergo praeposterus huiusmodi conceptus diffundatur de matrimonii natura, quasi illud non sit verus contractus veram obligationem iuridicam inter coniuges gignens, sed reducatur ad quamdam coniunctionem affectionis maritalis, quae deesse potest et de facto multoties deficit: atque ut praecaveantur perniciosissima consectaria, quae ex negata matrimonii natura contractuali merito timeri possunt: oporteret ut clarissimis verbis vera matrimonii contractualis natura in schemate asseratur.

Quod ad matrimonii proprietates attinet, unitas et indissolubilitas aperte atque enixe inculcentur oportet. Praesertim affirmanda est matrimonii indissolubilitas, cum hodie frequentissime labefactetur per sic dicta « divortium et matrimonium civile », quae tamquam horrenda plaga omnium fere nationum execranda sunt.

Pag. 23, lin. 6, verbum « pii » omittendum videtur.

Pag. 24, linn. 4-36. Res, quae in illis tractantur, difficultate non carent. Modus eas proponendi legenti apparet esse nimis vagus, generalis, abstractus et obscurus. De hac re vel non est agendum vel clare et funditus integra Ecclesiae de ea doctrina explicanda est. Principia et criteria concreta ac dilucida de hac re ab omnibus exspectantur. Normae etiam practicae prudenter sunt enucleandae.

Pag. 26, n. 23. Alia paragraphus necessario addenda videtur, in qua esset agendum: *a*) De supernaturali fiducia in Dei providentia, iuxta illud: « Quaerite primum Regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis » (*Mt.* 6, 33).

b) De christiana sobrietate in vita observanda, iuxta illud: « abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo » (*Tit.* 2, 12).

c) De compescendo immoderato luxu et de moderanda effrenata siti voluptatum in spectaculis, ludis etc. iuxta illud: « velut irrationabilia pe-

cora... voluptatem existimantes diei delicias: coinquinationes et maculae deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes » (*2 Pt.* 2, 12-13).

Pag. 26, in eodem n. 23. Alia paragraphus exoptatur veluti nostris diebus omnino necessaria, in qua ageretur de *Actione politica,* seu de ratione qua christifideles tenentur adlaborare in muneribus publicis quaerendis, exercendis, perficiendis, atque ab influxu pernicioso mentalitatum atheisticae, materialisticae, laicisticae, liberandis.

Pag. 27, lin. 2. Post vocem « discrimine », addatur « sive classis ».

Pag. 27, lin. 5. Addi oportet: « Nec evolutio oeconomica ut suprema et prima lex historiae et ordinis socialis urgeri potest ». *Ratio*: ut communismi et materialismi doctrina de hoc damnetur.

Pag. 30, lin. 27. Dicatur: Pax stabilitur imprimis iustitiae observantia, atque mutua amicitia...

74

EXC.MUS P. D. THOMAS VILLELMUS MULDOON

Episcopus tit. Fesseitanus, aux. Sydneyensis

Ad n. 25. 1. Re sobrie et penitus deliberata, tota mente et voluntate adhaereo iis omnibus quae ab exc.mo D. Hannan, episcopo aux. Washingtonensi, et ab exc.mo D. Beck, archiepiscopo, eadem die, scilicet 10 novembris, prolata sunt.

2. Prematur, quaeso, hic conceptus: auctoritas suprema civilis strictam obligationem moralem ex iustitia ortam habet *defendendi* populum suum ac nationem suam contra iniustam *aggressionem.* Si igitur — quod Deus avertat — aggressor instrumenta bellica nuclearia adhibet, auctoritas suprema civilis nationis violatae strictam obligationem erga populum suum haberet *eiusmodi* adhibendi instrumenta bellica nuclearia quae *necessaria* indicarentur ad iniustum aggressorem repellendum.

Nonne *amor patriae* ac *defensio libertatis* et *dignitatis humanae* inter optimas virtutes naturales numerari debent? Num igitur aliquis populus vel natio, contra quem iniustus aggressor teterrima instrumenta nuclearia adhibet, debet tranquille et placide sedere dum hostis infensissimus eum systematice destruit? Omni vi et conatu igitur adlaboremus ut *omnia* instrumenta bellica nuclearia ab *omnibus* penitus destruantur: sed caveamus *ne interim* destruamus sanum realismum christianum super sanam theologiam moralem fundatum.

3. Observatio magni momenti, quam nemo alius, ni fallor, in aula fecit, haec est:

Sedulo curent christiani, et praesertim pastores animarum, in unaquaque natione, ut *rectam conscientiam efforment circa oboedientiam civilem auctoritati Status praebendam, ne caeco quodam instinctu auctoritati civili in omnibus oboedire parati sint.* Si enim « signa temporum » scrutari sincere volumus, hoc signum nos percellere debet: Hitler, in Germania, tamquam partem

praeclarissimam haereditatis suae accepit *longam historiam oboedientiae civilis penitus exaggeratae et ideo erroneae*. Factum historicum plane est quod in illa natione christiana, pro maiori parte civium, defuit conscientia vere christiana relate ad *rectam* oboedientiam civilem. Ex hoc facto vere lamentabili tot tantaque exorta sunt pro genere humano scelera nefanda. Conscientia christiana misere defecit.

Si igitur omnes et singulos ad pacem perpetuo restaurandam sincere urgere volumus, verbis explicitis strenuisque in omnibus, sed praesertim in episcopis ceterisque animarum pastoribus, inculcemus omnimodam necessitatem *constanter evigilandi* ne exaggeratam ideoque falsam oboedientiam civilem auctoritati supremae praebeant.

75

Exc.mus P. D. HANNIBAL MUÑOZ DUQUE
Archiepiscopus Neo-Pampilonensis

Ad n. 21. Schema continet orientationem in hoc argumento novam, moralis matrimonialis, quam personalisticam dicunt. Mirum est in tali argumento numquam commemorari documenta lucidissima Pontificum. Angustiam gignit, ex adverso, approximatio huius expositionis ad mentem protestantium. Id intendo illustrare. Iter est longius, sed necessario percurrendum, ut mea assertio pateat.

I. *Conferentia anglicana ad Lambeth a. 1920*: *a*) Gravi angustia consideravit diffusionem theoriarum familiae hostilium; *b*) solemniter praevenit adversus media artificialia ad impediendam generationem; *c*) firmiter tenuit finem primarium matrimonii esse continuationem stirpis.

Conferentia a. 1930: *a*) Reaffirmavit finem primarium matrimonii esse procreationem filiorum; *b*) confirmavit momentum dominii suiipsius, reflexum et conscium, in vita coniugali; *c*) ubi clare percipitur obligatio limitandi aut evitandi conceptionem, praecipuam et obviam methodum declaravit continentiam perfectam; sed ex ratione solida eam evitandi, probavit alias methodos, dummodo adhibeantur in luce principiorum vitae christianae.

Motivum novae resolutionis fuit: in matrimonio, praeter finem primarium, est alius secundarius. Quando primarius est exclusus, non sequitur secundarium esse excludendum. Tamen graviter admonuit: « Christum expetere heroismum; ad quem, ex illius virtute, servitores eius possunt pervenire ».

Episcopi lutherani in Suecia a. 1951: *a*) Matrimonium repetit significationem imprimis ex communitate stabili et profunda inter virum et feminam; *b*) expressio felicissima talis communitatis potest haberi in relationibus coniugalibus; *c*) consequenter, « usus anticonceptionalium mediorum potest in certis casibus locum habere ».

Igitur brevi concludendo: Primum sustinetur firmiter finis procreativus matrimonii sancte servandus in omni actu coniugali. Deinde aliis valoribus

agnoscitur vis ad legitimanda media artificialia pro impedienda generatione. Tertio extollitur communitas vitae, in actu coniugali expressa, tanquam significatio principalis matrimonii. Inde anticonceptionalibus patet via in coniugio.

II. Enc. *Casti connubii,* intendendo declarationem *iuris naturalis* et provocando ad doctrinam christianam « iam inde ab initio traditam neque unquam intermissam », gravissimis verbis declaravit « quemlibet matrimonii *usum* (ergo non ipsam copulam, dumtaxat) *in quo* exercendo, actus, de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere » (*A.A.S.,* 1930, p. 560). Et paraphrasis Pii XII. Sic referebat « la legge fondamentale dell'atto e *dei rapporti coniugali*: Ogni attentato nel compimento dell'atto o nello sviluppo delle conseguenze, avente per scopo di privarlo della forza ad esso inerente o di impedire la procreazione di una nuova vita, è immorale » (*A.A.S.,* 1951, p. 843).

Agnoscuntur, praeter procreationem et educationem, alii secundarii fines « ut sunt mutuum adiutorium, mutuusque fovendus amor (notetur amorem expresse nominari subordinatum), et sedatio concupiscentiae; quos intendere coniuges minime vetantur, dummodo salva semper sit intrinseca illius actus natura, ideoque eius ad finem primarium ordinatio » (*A.A.S.,* 1930, p. 561). Qui fines, quocumque nomine eos designemus, ut iterum declaravit Pius XII, sunt « essentialiter subordinati », ratione ergo inaequali; ideoque nunquam possunt solvi « ab essentiali subordinatione » ad procreationem et educationem (*A.A.S.,* 1941, p. 423).

Agnoscitur amor coniugalis, et ei assignatur in christiano coniugio quidam principatus nobilitatis (*A.A.S.,* 1930, pp. 547-548). Sed hic amor a Pio XII *expresse declaratus est subordinatus* procreationi et educationi, in hoc quod spectat manifestationes eiusdem in vità sexuali (*A.A.S.,* 1930, p. 561; 1951, pp. 848-849).

Agnoscitur difficultas in exercitio rationabili vitae coniugalis (non conflictus inter vim amoris et tenerum amoris cultum et regulamentationem prolis, sicut in schemate). Sed cavendum omnino ne funestae exterarum rerum conditiones funestiori errori occasionem praebeant. Nullae enim exurgere possunt difficultates quae mandatorum Dei actus, ex natura sua malos, vetantium obligationi derogare queant. *In omnibus rerum adiunctis possunt* coniuges gratia Dei roborati castitatem a turpi macula illibatam in coniugio servare (*A.A.S.,* 1930, p. 561). Et Pius XII, rememorata doctrina catholica Tridentini: « È fare un torto agli uomini e alle donne del nostro tempo lo stimarli incapaci di un continuato eroismo » (*A.A.S.,* 1951, p. 847).

Interventus in usu vel ad usum coniugii (etiam « ad usum », bene notetur) « qui sibi proponit tamquam finem vel tamquam medium reddere impossibilem generationem » (*A.A.S.,* 1958, pp. 734-735), sive sensu morali sterilizatio sit, sive biologice suspensio ovulationis — hoc est accidentale — continet «gravem violationem legis moralis et consequenter illicitam, in qua neque Ecclesia habet potestatem dispensandi » (*A.A.S.,* 1951, p. 844). Et talis interventus habetur « si ovulatio *detinetur* (temporaliter) ad prae-

servandum uterum et organismum a sequelis praegnationis quas sustinere non valet » (*A.A.S.*, 1958, p. 735).

Doctrina Ecclesiae proclamans « legem fundamentalem actus et relationum coniugalium », utpote ex iure naturali derivata, « hodie *plene viget,* sicuti antea, eademque et in posterum semper *vigebit* » (*A.A.S.*, 1951, p. 843).

III. *Schema Concilio propositum*: 1. *videtur aequiparare,* ponere in eodem ordine, procreationem-educationem et mutuum adiutorium (ad quod hoc loco pertineret amor). Nam, praeter hos fines coordinate consignatos, *etiam* (quasi in alio ordine) mutuam sanctificationem vult designatam.

2. *Verus amor coniugalis*: *a*) non describitur per relationem ullam ad procreationem in linn. 24-26; *b*) immo, videtur non habere relationem necessariam ad eam, quia matrimonium concretum aliquod sine prole « suo fundamentali valore suaque indissolubilitate non privatur » propter defectum illius (linn. 38-39), quasi amor independenter a procreatione, habeat rationem indissolubilitatis; *c*) *attamen* matrimonium natura sua ordinatur ad prolem (linn. 40-41); sed ordinatio, ut illud « attamen » et verba sequentia indicare videntur, non tam habetur ex ipso instituto matrimoniali, independenter vel abstractive ab amore coniugali, sed ex eo quod « attamen talis est amoris coniugalis indoles »; *d*) ut patet ex *c*), amor est fundamentalis valor in matrimonio; et quidem saltem tam fundamentalis quam proles; potius aliquid magis fundamentale, ex redactione textus; *e*) amor coniugalis, « indissolubiliter fidelis » (lin. 28) — ut videtur ex sua indole, cum tamen totus sit ab actu humano determinatus, ideoque revocabilis —, significatur tamquam ratio indissolubilitatis matrimonii in lin. 39; etenim matrimonium concretum sine prole, cum habeat valorem fundamentalem amoris (ideo?) indissolubilitate non privatur.

3. *Actus sexualis necessarius,* saltem lato sensu, affirmatur pro coniugibus nondum « magnis dotibus personalibus » ornatis, tum ad servandam intimam *vim amoris* coniugalis, tum ad *tenerum amoris cultum* (pag. 24, linn. 15-20). In hoc latet, non solum exaltatio impropria talis actus, verum etiam depressio verae caritatis. Quoties coniuges vere christiani, mulieres praesertim, amore longe maiore feruntur ad invicem, quando vident consortem fideliter contineri ne profanationem faciat tori coniugalis per onanismum, trahendo alterum ad mortem animae!

4. *Munus procreandi* cum plena conscientia et responsabilitate, praesentatur quidem secundum conceptum verum in se ipso; sed videtur continere impulsum ad limitandam prolem. Desideratur saltem ut, secundum traditionem Ecclesiae, aliquid diceretur magis aperte de fiducia in Providentia divina et de generosa cooperatione prudenti cum illa (non videtur esse satis quod dicitur, quasi furtive, in pag. 23, lin. 15; pag. 24, lin. 2), non reticita obligatione procreandi prius quam peccato se maculent coniuges. Qua obligatione admissa, difficile admittetur sententia pag. 24, linn. 18-19 in tali generalitate: responsabilitatem, dico, expressam « vi cuius proles saltem ad tempus augeri nequeat ».

5. *Possibilitas castitatis* fideliter observandae exponitur (pag. 24, linn. 13-17) modo parum congruenti cum traditione et cum manifestationibus Pontificum (cf. *A.A.S.,* 1930, p. 561; 1951, p. 847). Et ex Adnexo maior obscuritas obtinetur.

6. *Ascesis christiana,* etiam heroica, ad quam possunt esse obligati, cum capacitate mediata vel immediata, omnes coniuges, pallidissime insinuatur in pag. 24, linn. 35-36. Iam vero summi momenti pastoralis est compellere coniuges ad eam exercendam, ut praeparentur pro sacrificiis quae fidelitas veri amoris coniugalis frequenter potest ab eis exigere. Sic fecerunt Pius XI (*A.A.S.,* 1930, pp. 547-548, 561-562, 583) et Pius XII (*A.A.S.,* 1951, pp. 846-847), sicut olim faciebat etiam Conferentia Lambeth.

Posset quis ex *Adnexo* II exspectare complementum vel claritatem in his punctis. Sed in Adnexo hae animadversiones novum et multo maius fundamentum inveniunt ut denuo nova vi proponantur et ulterius ducantur. Sed de Adnexo hic non agitur.

Breviter concludendo: *a*) Ecclesia, usque ad Concilium, proclamabat finem principalem matrimonii esse procreationem et educationem prolis. *b*) Agnoscebat alios fines et valores personales institutionis matrimonialis, in concreto amorem; sed eos (etiam amorem) declarabat minus principales, essentialiter subordinatos procreationi; unde nunquam possint executioni mandari violata ordinatione relationum sexualium de industria hominum (in ipso momento unionis, vel ante, vel post), ut effectus naturalis unionis carnalis impediatur. *c*) Agnoscendo difficultates in quibus saepe inveniuntur coniuges ad servandam castitatem coniugalem (non « conflictum » regulationis prolis cum « vi amoris » vel cum « tenero cultu amoris »), admittebat et promovebat studia quae possint iuvare eos etiam in ordine naturali; sed semper servata reverentia et intangibilitate ipsius activitatis sexualis, nullo momento artificialiter a naturalibus effectibus devianda. *d*) Urgentia castitatis in omni eventu et in quibuslibet circumstantiis affirmabatur, simul cum possibilitate omnibus data ad eam plene adimplendam.

In schemate, autem, conceptio classica matrimonii non retinetur; ea scilicet in qua coniugii obiectum, fines operis, proprietates a Deo ipso in ipsa natura, determinata sunt; unde hominibus optio datur ad non nubendum, sed non ad mutanda ea quae natura ipsa determinantur. Nova orientatio — infelix quidem et periculosissima quoad possibiles consequentias, maxime nostro hoc tempore — proponitur sub signo veri amoris coniugalis. Et super fundamento labili, structura matrimonii labiliter sustentatur. Significatio prolis in hac institutione notabiliter deprimitur. E contra partes amoris ita exaltantur, ut iam multi extra Concilium consequentias eruant pro morali coniugali, quas in ecclesiis protestantibus eadem via procedentibus, iam plerique eruunt. Consequentiae quae apud Pium XII adhuc declarabantur contrariae iuri naturali; quae tamen sub analysi profundiore schematis, et praesertim *Adnexi* II difficulter poterimus effugere.

Unde schema videtur collocari in linea evolutionis doctrinalis quam ha-

buit institutio matrimonialis apud protestantes ultimis decenniis. Retinet prolem ut finem *maxime specificum* (cf. *Adnexum* II); sed certo non maxime principalem matrimonii. Reticendo de ea principalitate, ideoque et de consequentiis moralibus inde derivatis in traditione catholica, extollit amorem coniugalem tamquam valorem *fundamentalem* institutionis, propter quem sustineantur etiam matrimonia sterilia. Puto ex eius lectione logice concludi amorem non esse mere coordinatum cum servitio erga prolem, sed huic supponi superiorem. Anglicani, quin pervenerint ad talem primatiam tribuendam amori ex sola nimia exaltatione aliorum valorum a prole diversorum, consequentias eruebant pro liceitate anticonceptionalium. Si ulterius non proclamat schema virtutem integram, etiam heroicam si casus ferat, non esse retinendam, sed potius agit de difficultatibus, immo conflictibus, coniugum inter amorem illum principalem per usum coniugii fovendum et responsabilitatem regulandi prolem, considerare oportet num non simus proximi illis funestissimis consequentiis in quas incidit iam protestantismus, a quibus nos gravi admonitione avertere voluerunt Pius XI et Pius XII.

[*Subscripserunt etiam*] G. Layek, arch. Alep. arm.; A. Trujillo Arango, ep. Jericó; J. de Jesus Pimiento, ep. Garzón-Neiva; B. Arango, ep. Baranca Birmeja; A. M. Ocampo Berrio, arch. Tunja; H. Rueda, ep. Bucaramanga; A. Rubio Diaz, ep. Sonsón; J. Laschi Gonzalez, adm. ap. Concepción in Parag.; M. A. Medina, ep. Montería; J. Martinez Vargas, ep. Armenía.

76

Exc.mus P. D. THOMAS BERNARDUS PEARSON

Episcopus tit. Sindensis, aux. Lancastrensis

Cum munere fungar Assistentis Ecclesiastici ab Hierarchia Angliae et Cambriae pro omnibus associationibus mulierum illius regionis deputati, ex mea experientia anticipare possum quomodo n. 21 huius schematis, prout nunc stat, ab eiusmodi mulieribus accepturus sit.

Hisce ipsis diebus, dum haec schema a nobis agitatur et variae opiniones coniecturales interim in ephemeridibus sparguntur, en excerpta quaedam ex litteris quae ipsae mulieres mihi scribuntur.

« Nihil peius esse posset quam declaratio conciliaris verbis quovis modo ambiguis prolata. Post tantum animi angorem mentisque confusionem iam in hac re suscitatam, nihil nunc quaerimus nisi normas simplices et perspicuas verbis cuilibet personae ordinariae patentibus expressas.

« Ecclesiae est nos docere quomodo principia moralia christiana in situationibus difficilibus humanis sint applicanda. De hisce moralitatis principiis fundamentalibus Ecclesia sane mentem suam non mutat; potest tamen et debet deliberare quomodo haec principia applicari debeant, tempore nostro, quando nova fere quotidie a scientia revelantur.

« Sententiam Concilii definitivam expectamus. Quum Concilium locutum fuerit eiusque sententiam Summus Pontifex approbaverit, tunc tandem et non antea doctrinam Ecclesiae certam habebimus, *eique constantes* nos geremus ».

En sincera populi Dei fidelitas; quidquid in ordine speculativo pro suo munere excogitent theologi, vox quam populus anxie cupit audire nihil est nisi vox authentica ipsius Christi, suis per magisterium Ecclesiae loquentis.

Cur, in citatis litteris, mentio fit de « animi angore » et de « mentis confusione »? Quia hucusque, principia iuxta quae ferventes catholici matrimonio iuncti, vitam suam coniugalem ordinare satagerunt, ea semper fuerunt, et sunt, quae in Litt. Enc. *Casti connubii* sunt tradita.

Sane apud nos, ubi catholici parvam minoritatem constituunt fortemque et constantem doctrinae contrariae propagationem subeunt, nunquam facile fuit, nec est, ista principia catholica fideliter servare. Attamen, catholici nostri, pro notabili parte, assidua sacramentorum, imprimis Eucharistiae, frequentatione roborati, et mutua collaboratione in associationibus confirmati, istis principiis *Casti connubii* fideles permanserunt.

Quae cum ita sint facile quis potest sibi fingere confusionem inter mulieres nostrarum associationum, et praesertim inter eas quae alias ducunt, quando pervulgabantur opiniones in libris, in ephemeridibus nostris, etiam a catholicis scriptis quae in trutinam revocabant principia tam sancta, tam intima *Casti connubii.*

Mense iulii huius anni, Directrices Consilii Nationalis Mulierum Catholicarum quasdam normas membris suis, ipsis instantibus, communicaverunt.

Omnia notatu sunt digna, sed brevitatis causa, en duo. Nostrarum associationum duces saepe debent Auctoritates civiles adire de rebus quae populi moribus, speciatim iuvenum, praeiudicium afferunt. Quum apud illos ministros civiles nihil valet nisi argumenta in ipsa natura hominis fundata, dictae directrices magni ponderis faciunt solidam cognitionem principiorum iuris naturalis. Etsi hodie de vero conceptu illius multum disputetur, nihilominus, si schema nostrum de eo prorsus taceret, ipsum fundamentum moralitatis reiicere videretur.

2. Solutio difficultatum hodiernarum ponitur, ab iisdem mulieribus, in ampliori conceptu responsabilitatis parentum, prae mente simul habentibus omnibus vitae coniugalis aspectibus.

Sed spectata confusione in hac re orta, satis certe non est solummodo dicere pagina vicesima tertia, linea trigesima nona, « talis est amoris coniugalis indoles ut matrimonium, natura sua ordinetur ad prolis procreationem et educationem », praetermissis illis principiis fundamentalibus, unde deducitur norma recte agendi secundum *Casti connubii.* Haec principia bene a nostris mulieribus intellecta sunt, neque in votis est ut doctrina Ecclesiae mutetur, sed potius reaffirmetur, sed verbis quae simul patefaciunt quam plena sit vita matrimonialis coniugum, qui eam in sua totalitate generose plenaque cum

responsabilitate amplectuntur, ideoque abundante Dei gratia in omni vicissitudine adiuvantur.

Concludo, iterum citando ab ipsis mulieribus in mundo hodierno militantibus hic et nunc... « Nihil nunc quaerimus nisi normas simplices et perspicuis verbis cuilibet personae ordinariae patentibus expressas... Cum Concilium locutum fuerit eiusque sententiam Summus Pontifex approbaverit, tunc tandem et non antea doctrinam Ecclesiae certam habebimus, eique constantes nos geremus ».

Illarum petitioni responsum dare negligere non possumus, nos quorum est magisterium Ecclesiae declarare. Omni qua par est misericordia et sympathia, documentum nostrum ita exarare debemus ut locus non detur cuiusve dubio.

77

Exc.mus P. D. ANDREAS PERRAUDIN

Archiepiscopus Kabgayensis

Loquor nomine conferentiae episcopalis de Rwanda-Burundi et etiam aliquorum aliorum episcoporum qui huic interventui subscripserunt.

Ad n. 23, 4° et 24: Schema XIII, licet condiciones potius occidentales respiciat, generatim nobis placet. Optamus tamen ut in quibusdam ad condiciones africanas aptius accommodetur et speciatim ut, sive in textu, sive in quaestionibus adnexis aliquantulum longius tractentur tam quaestio de proprietate quam praesertim quaestio de evolutione nationum quae in rebus oeconomicis sunt minus auctae.

I. *Ius privatim possidendi,* quod obtinet in occidente, regredi nobis videtur infra nostras dominii formas africanas magis communitarias. Dominium altum communitatis (in sua forma africana) meliori modo in tuto ponit familias et faciliorem reddit adaptationem ad varias familiae necessitates quam systemata occidentalia. Haec quaestio, quae iam in rerum rusticarum regione oritur, eo vel magis solutionem poscit, quod, urbibus praerapide sese extendentibus, loca aedificanda et aedes aedificatae lucrosae paucorum divitum speculationi saepe inserviunt. Idcirco magni interest, ut Concilium talem speculationem amplissime in nationibus egentioribus grassantem firmiter reprobet.

Huc accedit ut, si systema proprietatis occidentale introducatur, populi africani, cupiditate privati lucri pellecti, a consuetudinibus mutui adiutorii antiquitus traditis recedant. Provideatur ergo, ne conatus incepta oeconomica consociandi seu systema cooperativum ordinem communitarium traditionalem evertat, sed ut illum prudenter ad novas necessitates accommodet et gradatim provehat.

II. Altera quaestio capitalis agitur *quomodo nationes Africanae recentiores ex inopia et penuria ad sufficientem rerum copiam proficere possint.*

Ex una enim parte populi nostri insufficienter vel male plerumque nutriuntur et in miseris habitaculis commorantur incertumque victus experiuntur. Ex altera parte hi populi tam rapide augescunt, ut numerus incolarum intra viginti quinque vel ad summum triginta quinque annos duplex futurus sit. Praeterea maior incolarum pars sunt iuvenes, minus viginti annos nati, quibus non solum victus suppeditandus est, sed etiam institutio et occupatio.

Propterea coram nostri temporis societate: 1. Firmiter iterum affirmetur ius ad bona terrae, ubicumque inveniuntur, ad *totum genus humanum,* omnibus divisionibus posthabitis, pertinere.

2. Una cum avaritia privata *etiam avaritia collectiva nationum opulentiorum damnanda est.* « Quis avarus est? » interrogat Sanctus Basilius in celebri homilia in illud dictum Evangelii secundum Lucam: « Destruam horrea mea, et maiora aedificabo » et respondet « (Avarus est) qui rebus, quae satis sunt, contentus non est » (*MG* 31, 275 C). Etenim qui bonis abundant, ministri effecti sunt Dei et administratores conservorum (cf. *ibid.* 263 C). Periculum est, ne pauperes dilectionis, pauperes fidei in Deum, existiment ventri suo praeparata esse omnia (cf. *ibid.* 263 C; 275 A).

3. Ab omnibus et singulis nationibus *superflua* (ea scilicet quae necessitatis metam excedunt) impendenda sunt usui eorum, qui necessariis carent; omnes enim omnino populi mutuo inter se coniuncti sunt et alii ex aliis pendent. Proinde ex hac nova iustitiae socialis intelligentia populi egentiores auxilia poscunt non tamquam eleemosynas sed tamquam debita ex aequitate.

In praesenti non tam ordo oeconomicus universalis, qui non existit, servandus est, quam *novus ordo* constituendus est, qui superatis erroribus hodiernis, statum meliorem inducat, in quo universa familia humana non tantum pacifice coexistat, sed constanter et sincere, solidis mutuae coniunctionis et cooperationis vinculis et institutis consociata, ad bonum humani generis commune conspiret. In locum igitur oeconomiae, in qua incepta oeconomica quasi solo quaestu et lucro reguntur, substituatur oeconomia vere humana in bonis producendis et distribuendis adhibenda, quae eo tendit, ut veris humani generis necessitatibus gradatim satisfaciat. Ad explendas gradatim et quam optime necessitates totius generis humani requiritur, ut populi opulentiores sincere conversi aliter cogitent de evolutione nationum egentiorum promovenda, aliter se gerant tum in subsidiis technicis atque pecuniariis praebendis, tum in coetibus ac consiliis internationalibus constituendis et novas inveniant vias ad instaurandam et coordinandam oeconomiam universalem.

Ecclesia praecepta socialia declarans, non se immiscet rebus politicis, sed doctrinam memorat perennem, quam iam Sanctus Basilius in homilia dicta tempore famis et siccitatis plane exposuit: « Qui corpus huiusmodi (fame consumptum) praeterit, quantis suppliciis dignus est? Quid ei deerit ad crudelitatis cumulum? Quomodo aut non annumerabitur iure ac merito

inter immanissimas belluas, aut non habebitur pro scelesto et homicida? Nam qui potest malo mederi, sed sponte et ob avaritiam differt, non iniuria velut homicida condemnari poterit » (*MG* 31, 322 C-D).

Conclusio. Optamus ergo, ut sive in ipso textu schematis XIII sive in quaestionibus annexis declaratio distincta de obligatione evolutionis promovendae fiat ita ut omnes christifideles, praesertim ii qui in doctrinas et litteras vel in res politicas et oeconomicas vim exserunt, intelligant hoc gravissimum conscientiae officium praeteriri non posse. Ius enim ad evolutionem frustrandum non est. Contra praecepta christiana facimus, ei indifferenter ferimus, quod impensae pro re militari factae vicies superant subsidia ad adiuvandas illas nationes, tres scilicet partes generis humani, quae tenuitate victus et rei oeconomicae penuria laborant.

Africa gravissime laborat inopia et penuria. Rogamus ergo ut Concilium plane exponat officium universale evolutionis promovendae. Nationes opulentiores officio tenentur providendi communi omnium utilitati et auxilia necessaria nationibus egentioribus largiendi. Nationes vero egentiores officio tenentur planius intelligendi vias ac rationes evolutionis oeconomicae et pro viribus promovendi communiter cum nationibus opulentioribus novum rerum oeconomicarum et socialium ordinem universalem.

[*Subsignaverunt etiam*] A. Fragoso, ep. Crateús; J. Lamartine Soares, ep. tit. Fussala; V. de Araújo Matos, ep. Crato; Raimundo, ep. tit. Uzali; J. B. Tavora, arch. Aracajú; D. Picâo, ep. tit. Tois; W. L. Schmidt, ep. Chapecó; Severinus Marianus, ep. Pesqueira; Acacius, ep. Palmares; Gregorio, ep. Joinville; J. Hoffmann, ep. Frederico Westphalen; Emmanuel, ep. Caicó.

78

EXC.MUS P. D. RENATUS IOSEPH PIÉRARD
Episcopus Catalaunensis

Ad n. 21. Ante et per decursum huius tertiae sessionis, multi Patres testimonia plurima et animum vehementer commoventia a nostris caris laicis susceperunt de ingenti momento, pro ipsis laicis, schematis *De Ecclesia in mundo huius temporis,* speciatim partis illius in qua agitur de matrimonio et familia: plerique adulti, sicut etiam iuvenes, ex omni ambitu sociali, sciunt hoc schema ad seipsos spectare in intimo corde suo, in intima vita sua.

Manifestum nobis videtur ut, si christiani a nobis postulant doctrinam quae exprimit propositum et voluntatem Dei, simul a nobis exspectant signa nostrae fervidae comprehensionis circa magnitudinem certe et difficultates, sed etiam circa pulchritudinem vocationis ad matrimonium. Schema nititur, non vano quidem, superare formulas mere iuridicas, quae insufficientes sunt ad dialogum verum et profundius efficiendum. Ne timeamus agnoscere amo-

rem coniugalem locum primum tenere in vita coniugum, etsi non est finis primarius: hic mutuus amor pro ipsis est bonum magis pretiosum inter bona matrimonii, bonum quod potenter eos adiuvat ad implenda alia officia. Si nexus indissolubilis, a sacramento consecratus, servat amorem, verus amor tuetur indissolubilitatem et perficit animam coniugum, insimul et filiorum totiusque familiae.

Itaque post art. 20, « Dignitas personae fovenda », optima transitione art. 21 sic inciperet: « Ad imaginem Dei qui caritas est (*Io.* 4, 8. 16) creata, persona humana feliciter non maturescit nisi diligatur et diligat ».

Pag. 23, linn. 34 sq. Circa foecunditatem amoris coniugalis optatur ut verbum quoddam luminis et comprehensionis dicatur pro his sponsis quibus invitis proles deficit. Quare hanc additionem proponimus, lin. 38: « et si proles deficit, matrimonium non solum fundamentali valore suaque indissolubilitate non privatur », (addatur:) sed etiam in isto doloroso discrimine sponsos invitat ad alias foecunditatis formas, scil. ad multimoda servitia proximorum vel societatis vel Ecclesiae.

In eadem par., pag. 24, lin. 3, recta dicuntur de foecunditate amoris coniugalis, sed ad insinuandum characterem eschatologicum illius amoris christiani, simul ac statum viatorum sponsorum de imperfectione ad perfectionem et de tempore ad aeternitatem peregrinantium, addi optamus haec verba Apocalypsis B. Ioannis: « ... " donec compleatur numerus fratrum " (*Apoc.* 6, 11) in aeterna communione Sanctorum et in Sanctae Trinitatis vita congregandorum ».

Pag. 24, linn. 15 sq. Denique oportet augeri conclusionem pastoralem. Promoveamus, Fratres, conatus in virtutes potius quam interrogationes casuisticas. Commendamus, e. g., mutuum vere caritativum amorem, iustitiae observantiam erga prolem procreandam vel, quibusdam in casibus, vitandam, et etiam erga prolem iam natam educandam, caritativam temperantiae coniugalis praxim, generosam in communi sequelam Christi crucifixi, etc.

Item ministros Ecclesiae exhortari valde convenit ut, ad castitatem attendentes sed non exclusive, memores sint quod sponsi persaepe debent in vita coniugali tenere et componere bonum castitatis cum bono mutuae fidei bonoque prolis iam natae et etiam cum salute tum temporali tum spirituali totius familiae. In his enim intersunt etiam valores morales firmiter servandi.

Pag. 24, linn. 13-25: lin. 16, loco « aegre servari possit » praeponatur: « difficile servari potest » quia « aegre » peiorative sonat.

A lin. 24: Agnoscit haec omnia Mater Ecclesia et hortatur sponsos ne animo deficiant. Deus enim cor uniuscuiusque hominis noscit. Testi illi Divino coniuges certi sint placere imprimis per suum mutuum vere caritativum amorem; per iustitiae observantiam quam sinceri et concordi animo habent erga filios et filias procreandas vel etiam, in quibusdam rerum adiunctis, non procreandas; per generosam certe sed non anxiam, caritativam sed non servilem praxim temperantiae specifice coniugalis, non omisso ad tempus et mutuo

consensu evangelico consilio (*Mt.* 19, 12) ab apostolo Paulo iterato (*1 Cor.* 7, 5); per usum etiam cognitionum de die in diem proficientium honestarum medicinarum et corporalis vitae tam viri quam mulieris legum, Sacra Synodus, firmiter tenens quod praxis illa personalis virtutum caritatis, iustitiae, prudentiae, temperantiae in illa generosa et laeta sequela Christi Crucifixi quae necessaria est in hoc sicut in aliis campis vitae christianae (cf. *Mt.* 16, 24), sunt prima et efficaciora media salutis coniugalis amoris et familialis vitae. Hortatur etiam omnes in scientiis... (cf. pag. 24, linn. 30-35).

In fine: Ministros vero Ecclesiae exhortatur Sacra Synodus ut, dum exigentias tam legis divinae quam libertatis filiorum Dei, cuius leges positivae paedagogus tantum sunt in consilio divino (*Gal.* 3, 24-25) et quae decidere non debet in falsam libertatem carnis (cf. *Gal.* 5, 13-34), in memoriam fidelium ministerio praedicationis vel sacramenti poenitentiae revocant, attenti sint fraterne tam difficultatibus persaepe ortis ex gravibus defectibus praesentis vitae socialis quam fragilitate vel malitia morali vitae fratrum suorum.

Memores sint etiam quod sponsi persaepe debent in vita coniugali tenere et componere bonum castitatis cum bono mutuae fidei bonoque prolis iam natae et etiam cum salute tum temporali tum spirituali totius familiae.

Christianos tandem omnes, et praesertim sponsos, invitat Sacra Synodus ad consentiendum quod ministri Ecclesiae, dum evangelicam temperantiam, coniugalem amorem et fidelitatem, nuptiarum divinarum mysterium, homines edocent, simul familiam atque verum coniugum amorem et felicitatem defendunt et promovent.

79

Exc.mus P. D. ANTONIUS PILDÁIN Y ZAPIÁIN

Episcopus Canariensis

Par. 21. N. 3 (pag. 24, linn. 5-10). Qua in re non sine precibus etc. Schema proponit formulam quae aliquantum sapit obligationem ex parte coniugum efformandi *iudicium prudentiae* circa numerum prolis. Quod quidem omnino vitandum videtur. Et quidem propter tres praecipuas rationes:

a) Talis obligatio, uti patet, magis urgeret pauperibus quam quoslibet alios, cum saepe saepius rationes in schemate adductae — *conditiones paedagogicas et oeconomicas, salutem mentis et corporis, ... bonum ipsius familiae* — solummodo pauperibus valorem habent, qui in magno discrimine respectu ceterorum versarentur;

b) formula in schemate adhibita quamdam condemnationem involvit eorum qui, exhortationes continuas S. Scripturae et traditionalis magisterii Ecclesiae sequentes, numerosam prolem habere non dubitarunt;

c) Coniuges timorati in continuo angore conscientiae versarentur, ne forte non sufficienter attenderint ad praedictas conditiones, de quibus ad iudicium sibi efformandum saepe saepius mediis idoneis carent, nec debitam informationem praesto habebunt...

Quibus omnibus, et aliis multis bene perpensis, optandum videtur ut formula obligatoria omnino vitetur, et doctrina tali modo enuntietur ut coniuges, si in determinatis conditionibus, et praedictis causis adstantibus, iudicium sibi efformaverint circa numerum prolis, mediis adhibitis tantummodo qui cum lege divina componi possint, certiores fiant se ab Ecclesia non condemnari, quin contra, laudari.

Votum: Textus ita plus minusve proponatur: « Qua in re si coniuges christiani non sine precibus et communi conatu... et praeter bonum ipsius familiae et Ecclesiae etiam necessitudines societatis, aperte sciant se ab Ecclesia nullatenus improbari, quin contra, laudari ».

80

Exc.mus P. D. EDUARDUS PIRONIO

Episcopus tit. Caeciritanus, aux. Platensis

Schema fere unice loquitur de pace externa seu de ordinata concordia populorum. Perscrutantes autem « signa temporum » invenimus homines hodiernos praesertim angustia et desperatione laborari. Nonne et litteratura et systemata philosophica hanc exprimunt penosam situationem hominis hodierni quaerentis veram pacem internam atque profundiorem et firmissimam spem? Homo nostri temporis versatur in continua intranquillitate, in permanenti insecuritate, quae proveniunt ex eo quod non perfecte aquietantur eius legitimi appetitus. Tum ex insufficienti condicione sociali et oeconomica, tum ex instabili situatione politica (quae essent causae extrinsecae), tum praesertim ex amissa supernaturali ordinatione ipsius hominis in Deum.

Responsio Ecclesiae invenitur in genuina notione « spei christianae » atque « verae et integrae pacis ». Spes theologica — virtus essentialiter dynamica et activa, quae tendit ad caelestia aedificando christiane civitatem terrestrem — deberet esse velut centrum totius expositionis in schemate *de Ecclesia in mundo hodierno*. Et deinde « pax vera », quae exsuperat omnem sensum, et quae est actus internus caritatis, effectus gratiae sanctificantis et fructus inhabitantis Spiritus Sancti in nobis.

De hac pace interna hominis — quae consistit in perfecta quietatione propriorum appetituum — loqui deberet praeprimis schema.

Quapropter ad integrum conceptum verae pacis haec essent addenda:

1. *Christus Princeps pacis* (Is. 9, 5) *et Pax nostra* (*Eph.* 2, 14). In eius persona, opere et doctrina. In eius persona: Christus nempe ut perfecta incarnatio pacis, seu ordinis, seu harmoniae et aequilibrii. In Christo datur plena revelatio seu epiphania amoris Patris qui mundum reconciliavit sibi per Christum.

In eius opere: Mysterium Paschale Christi — mortis et resurrectionis — est consummatio unionis totius humanitatis, immo et totius creationis, cum Deo. « In Ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare et per Eum

reconciliare omnia in Ipsum... pacificans per sanguinem crucis eius » (*Col.* 1, 19-20). Restituitur ordo, harmonia, tranquillitas, per peccatum amissa.

In eius doctrina: Evangelium Christi est essentialiter evangelium pacis, quia est essentialiter nuntium amoris. Ipse enim venit annuntiare pacem hominibus, iis qui erant longe et iis qui erant prope: quia per Ipsum omnes nos habemus accessum ad Patrem in unitate Spiritus (*Eph.* 2, 17-18). Non illa pax quae passive concipitur ut absentia conflictuum, dolorum et crucis; sed pax quae in superatione horum omnium consistit. « Non veni pacem mittere, sed gladium ». « Pacem *meam* do vobis; *non quomodo mundus dat,* ego do vobis ». Scilicet non solum pax quae est ordinata concordia voluntatum, sed pax interior quae in ipso homine generatur per tranquillam ordinationem propriorum appetituum in caritate.

2. *Totus populus Dei in pace consolidatus.* In illa scilicet pace quae est fructus internus caritatis, gratiae supernaturalis et inhabitantis Spiritus Sancti in nobis. Pax enim vera — quae consistit in quietatione et unione appetitus et in perfecta fruitione summi boni — est directe opus caritatis. Indirecte tantum est opus iustitiae, utpote removentis prohibens (II, II, q. 29 a. 3). Secundum propriam rationem caritas pacem causat, utpote causans duplicem illam unionem necessariam ad rationem pacis: alia quae est secundum ordinationem propriorum appetituum in unum, altera vero quae est secundum unionem appetitus proprii cum appetitu alterius. Pax igitur causatur « ex caritate secundum ipsam rationem dilectionis Dei et proximi » (II, II, q. 29 a. 4).

Haec pax non datur nisi in habentibus gratiam supernaturalem. « Sine gratia gratum faciente non potest esse vera pax, sed solum apparens » (*ibid.* ad 1). Recte denique haec pax enumeratur a S. Paulo inter fructus Spiritus Sancti (*Gal.* 5, 22).

3. *Totus Populus Dei ut artifex pacis.* Pax inter beatitudines annumeratur ut actus virtutis caritatis perfectae: « Beati pacifici... ». Artifex seu constructor pacis non solum suum finem consequitur exhortando homines ut arma deponant conflictus bellicos evitando, nec solum stabiliendo iustitiam, sed praesertim practicando, stabiliendo et praedicando supernaturalem caritatem. Alioquin haberemus simplicem concordiam (aliquando etiam meram coexistentiam in timore), non autem veram pacem. Ad veram pacem firmandam totus populus Dei adlaborare debet creando conditiones sociales, oeconomicas et politicas, tales ut omnis homo habeat possibilitatem acquietandi legitimas aspirationes et fruendi bono perfecto. Et quidem non solum in possessione bonorum materialium, sed et principaliter in tranquilla possessione bonorum spiritualium in quorum fruitione totaliter acquietentur appetitus et perfectum aequilibrium stabiliatur.

Conclusio: *a*) Loquatur de pace interna hominis, seu de interiori aequilibrio in quietatione proprii appetitus. *b*) Exponatur haec pax ut fructus directus caritatis, gratiae sanctificantis et actionis Spiritus Sancti. *c*) Describatur munus artificis pacis in creanda possibilitate acquietandi legitimas aspirationes hominis.

81

Exc.mus P. D. VILLELMUS PLUTA
Episcopus tit. Leptismagnensis

I. Par. *nostra 22* certo se praestat eximiam declarationem Ecclesiae de cultura. Et quidem terminus « cultura », uti de textu patet, hic utitur non stricte scientifice sed permiscue et significat omnem progressum, etiam scientificum et technicum. Declaratione hac Ecclesia manifestat nullam rem sibi esse alienam, quae apud hodiernos homines in maxima est aestimatione, atque se velle esse in mundo, quamvis non est de hoc mundo. Verbo incarnato et opere salvifico peracto omnia esse redempta et sanctificata, omnes nos scimus. Est tamen Ecclesiae hoc opus salvificans in spatium et in tempus portare et — sit venia verbo — renovare iterum atque iterum; Ecclesiae ergo est etiam culturam sanctificare. Agitur de cultura rite promovenda — et homo est *qui eam promovet et ea utitur* et gaudet. Culturae forma et culturae beneficium dependet *a qualitate spirituali hominis.*

Ergo textus nostrae paragraphi *debet breviter sed pressius* loqui de cultura spirituali hominis, de cultura animi et cordis hominis in sensu sequenti: « *Cultura animae - est anima culturae* ».

II. *Rationes* huius animadversationis sequentes sunt: 1. Historico-sociologica. Textus noster in pag. 25, nn. 1-4, laudat multimodos valores operis culturae v. g. educativum, quod nempe homo addictus operi culturae et progressus et non solum labori utilitari, a servitute se liberat.

Attamen testes fuimus et sumus — homines hodiernos progressui et externae culturae seu civilisationi addictos incedere in aliam modernam servitutem —, omni progressu fere fascinari et sicut novi promethei Deum agnoscentes immo ei oppugnantes, culturam spiritualem negligentes, soli vitae terrestri addicti, sibi in terra paradisum creare velle. Sed qua tales homines hodierni cultura sua nec felicitatem suam nec aliorum fovent.

Insuper ultimorum bellorum nationes, humanae familiae civilisatione et omni progressu maxime excultae, quam horribilia patrarunt mala! Denique illi promethei hodierni taedio vitae tenenter, quod litteris sic dictis pulchris et philosophia pessimistica existentialismi probatur.

Et iam inveniuntur viri sapientes, philosophi culturae et rerum naturalium, viri artium scientificarum, qui loquuntur de perdita anima, de homine inaequalibiter evoluti, cuius caput est permagnum, cor tamen nimis parvum, quod non est aptum ad portandum sanguinem et vim vitalem in illud permagnum caput. Isti viri hominem talem monstrum appellant, cui necesse est animum excolere, « plus d'âme » dixit Bergson, et illi sapientes homines sanctos censent solos, qui una cum gratia illam in qualibet inaequabilitatem structuralem homini hodierni exaequere possint.

2. Ratio theologica: Textus noster est declaratio *Ecclesiae Dei* et Iesu Christi Salvatoris et non e. g. l'Unesco. Declaratio scienter se vertit ad omnes

homines, tum ad non credentes tum ad christifideles, quapropter sane aliter loquatur de ista cultura animae ad non credentes et aliter ad credentes et christifideles — *sed loqui debet.*

Attamen relate *ad primos* textus laborat, ut ita dicam, aliquo minimalismo religionis, relate ad *christifideles aliquo laicismo.* Quod textu probo.

a) *Relate ad omnes homines.* In pag. 25, in linn. 39-41. Sermo est hic de essentia religionis. Textus vertit se potius ad *omnes homines.* Meo iudicio textus videtur religioni minimum valorem attribuere relate ad vitam spiritualem hominis in hac vita terrestri, quasi timide loquens de religione, valorem religionis ponit in regiones futuri saeculi; quod est verum et notum per se sed non est totum de valore religionis praesertim in hoc contextu. Religio christiana est vita totius hominis, et si est plena et vera et perfecta, hominem perficit. Homo christianus religione educatus est imago, tenuis quidem, sed vera imago illius perfectionis hominis Iesu Christi. Tales homines perfecti in summo gradu vitae christianae et sancti, semper erant et erunt optimi fautores culturae. Et hodiernos homines, uti maxime pragmaticos, tales valores religionis, uti aiunt practici, et vitales, de religione persuadent. Denique etiam hoc modo ostendatur omnibus illa religionis et culturae cohaesio, quae desideratur in pag. 25 lin. 5.

Conclusio I. Pag. 25 post ultima verba textus amplificandus est, nempe brevis sed clara mentio facienda est de valore religionis in sua perfecta forma relate ad opus culturae animae promovendum et ita ad promovendum totum opus culturae.

b) *Relate ad christifideles.* Non fidelibus sufficit in textu nostro simpliciter valorem culturae spiritualis relate ad opus culturae sublineare, quam Ecclesia opera sua laeto animo hodierno mundo afferre et offerre valde desiderat. Christifideles tamen ad hanc culturam spiritualem scienter exhortandi sunt — et nempe in pag. 26, linn. 1-12. In quibus iam vero christifideles exhortantur tum laici tum operi evangelizationis addicti, sed exhortantur potius ad studium intellectuale quam ad cor excolendum. Attamen ut supra dictum est, homines pure intellectualiter exculti non semper erant optimi fautores beneficiorum humanae familiae. Haec cultura spiritualis cordis christifidelibus eo magis necessaria est, ne et ipsi seducti et fascinati in illo progressu hodierno pereant: immo quis alius — si non christianus sua cultura spirituali praeditus — ostendere debet modum se regendi in mundo tam faciliter seducente et fascinante? Et quo maior erit progressus culturae, eo magis necessaria erit illa cultura spiritualis! Tale est fatum hodierni hominis, et christiani. De evolutione in perfectionem omnium rerum, homo ut creatura spiritualis non potest excludi!

Conclusio II. Talis exhortatio pro christifidelibus inserenda est pag. 26, linn. 1-14, quae faciliter potest inseri. Ecclesia promovens culturam spiritualem uti animam culturae, ostendet se fautricem efficacissimam operum culturae totius familiae humanae; et ita etiam illum desideratum dialogum cum mundo hodierno facilius incipiet, uti optima mater et magistra!

82

EXC.MUS P. D. VILLELMUS EDUARDUS POWER

Episcopus Antigonicensis

De peccato et eius effectu in vita oeconomica et sociali nostri temporis, atque de munere Ecclesiae hac in re aliquid dicere cupio, quia hoc mihi videtur magni momenti esse. In textu schematis non sufficienter indicatur: 1) Necessitas pro Ecclesia, quando in oeconomico plano operatur, in memoria servandi factum realisticum existentiae peccati cum suis socialibus consectariis. 2) Munus Ecclesiae relate ad peccatum illud et eius effectus in ordine sociali et oeconomico.

1. Ab experientia nostra quotidiana bene scimus quod opus optimum hominis germina egoismi et secretae dominandi cupidinis secumfert. Hoc negare oblivisci esset ipsius peccati existentiam, in toto suo realismo. Saepe conamina, quae in suis principiis bonum commune humanitatis optime prosequebantur, gradatim a suo originali fine abducuntur, et ultimatim fons personalis beneficii aut dominii, potius quam completa, generosa, integra dona fiunt. Etenim peccatum in corde hominis latet, quaerens occasionem propriam se insinuandi omnibus operibus, frequenter homine non clare hoc percipiendo. Haec situatio quotidiana pro christianis ut drami nostri mundi, a peccati labe corrupti, apparet. Et est praecise materia in qua germen redemptionis, a Christo peractae, efflorescere vult, sub influxu omnium christianorum qui, vi vocationis illorum baptismatis, in huius mundi structuris, ad rectum progressum universi, secundum divinum propositum se incarnare debent.

Hodie nationes divitiores in suo desiderio pauperioribus subveniendi uniuntur. Haec collaboratio unum ex maximis signis actionis Dei in nostro tempore et unum ex maximis spei fontibus pro futuro totius humanitatis versus ad statum iustitiae et aequalitatis progressu constituit. Iam hodie effectus boni percipi possunt. Attamen, periculum adest, ob labem quam in corde hominis peccatum causavit, ne ille pulcher et necessarius conatus deformetur. Labor in tanto plano incoeptus nova potestatis et populorum oppressionis fons fieri potest.

De facto confiteri debemus quod iam aliqua signa istius inversionis apparent. Dona peracta saepe ad influxum nationum possidentium augendum magis quam ad pauperum felicitatem promovendam uti possunt. Etiam, vi suae materialis potentiae, una pars mundi semper tentationem hodie habere potest, cum sua dona offert, considerandi culturas et traditiones proprias aliarum partium universi tanquam inferiores. In actione sua civilizante et auxiliante, ad hoc tendere potest ut paulatim modos proprios se ducendi, se educandi aliorum populorum exstinguat. Haec omnia nova expressio et peior dominationis fieri possunt.

2. Quid facere debet Ecclesia coram illa realitate? Perspicue scit Ecclesia totum progressum humanum a Deo esse et partem constituere divini propositi amoris erga homines. Non potest, ullo modo, progressui obsistere, quia esset peccatum contra suam propriam erga Deum et homines vocationem. E contra, debet totis viribus suis in progressu mundi se immiscere.

Ecclesiae autem munus dedit Christus ut mundum elevet, sed insimul illum salvando, peccatum ab illo eradicando; sicut in mysterio suae Paschae Christus mundum glorificavit sed insimul peccatum conterendo. Ergo, vi missionis suae propriae, Ecclesia conscientiam humanitatis attentam reddere debet facto peccati, et omnibus revocare periculum perpetuum, quo in operibus etiam maxime sublimibus remanet, ne propter peccatum hominis nocua fiant. Ab illa praesertim pendet quo clare et fortiter semper homines moneantur ne oeconomicus progressus, etiam in ambitu solidaritatis et auxiliaritatis, a fine et via sua declinet, neque in pessimis formis alienationis, despectus vel destructionis valorum sublimium versetur. Omnibus dicere debet quod caritas in associationiubs mutui auxilii primatum suum perdere nequit quin istae associationes instrumenta fiant potentiae et dominationis. In campo isto, permagni momenti hodie, quodcumque compromissum inter caritatem et appetitus potentiae propriae est reiiciendum, nam est prima apparitio peccati.

Christifideles in istis organizationibus laborantibus munus suum non ut mere administrativum sed etiam ut redemptivum considerare debent, ita ut Dei propositum per eos adimpleatur modo optimo, ad bonum et felicitatem totius humanitatis, praesertim illius partis in qua homines pauperiores inveniuntur.

Haec est una ex formis incarnationis redemptivae Ecclesiae in mundo hodierno de qua pluries in hac aula audivimus.

83

Exc.mus P. D. CAROLUS QUINTERO ARCE

Episcopus Vallipolitanus

1. Ad n. 21. In pag. 23, 1. Agitur de finibus matrimonii et dicitur in schema : « Deus... voluit coniugium *non solum* ad prolis procreationem et educationem etc. ... ».

Videtur formula nimis unilateralis etenim agitur de finibus matrimonii ex Dei institutione (finis operis) et scimus in Ecclesia duo fines proponi: 1) Procreatio et educatio prolis; 2) mutuum viri et mulieris adiutorium. Mutuus amor exprimendus variis signis etiam teneris (cf. Pius XII).

Illi duo fines non separantur, unus non intelligitur sine altero. Ex his duobus finibus: procreatio et educatio prolis dicitur finis *primarius,* quae vox in documentis Ecclesiae saltem hoc significat *a*) ille finis non est postponendus aliis; *b*) ille finis est attendendus in actu matrimoniali, cuius structura praecise est ad hoc.

Amor mutuus dicitur finis « secundarius » non quia minus attendatur sed quia non anteponitur fini procreativo.

Si terminologia finis primarii et secundarii non placet, certe in schemate minime seponatur finis procreativus.

2. *De amore coniugali* (fine sic dicto personali) (pag. 23, 2 et 3). Placet exaltatio amoris coniugalis, amoris inquam spiritualis interpersonalis, benevolentiae; qui amor, si informatur gratia, vera caritas est. Hic amor vivitur et debet vivi in matrimonio; optime schema dicit amorem debere coli, cum dignitate utique personali, per diversa signa. Amor ille est fons omnium bonorum in matrimonio.

Sed minus placet in hoc schemate separari, seu quasi per transennam velle exprimere bonum procreationis prolis, dicitur enim in n. 3, lin. 36 « Matrimonium non est merum procreationis instrumentum... ».

3. *De responsabilitate in procreando* (pag. 24, linn. 4 ss.). Laudo schema agentem de responsabilitate circa numerum prolis. Ideale christianum ibi expressum est « Admittere gaudenter numerum filiorum adaptatum tali matrimonio ». Qualis vero numerus sit conveniens tali matrimonio hoc pendet a *prudentia christiana* quae dignoscit ex « condicionibus paedagogicis, et oeconomicis, ex salute mentis et corporis, et etiam ex necessitudine societatis » (consideratio demografica). Sed praeterea mihi videtur addendum: « Ut sponsi prudenter agant, simul de doctrina Ecclesiae notitiam sibi comparent et consulant etiam peritos ».

4. *Modi regulandi prolem* (pag. 24, n. 4). In re tam gravi, cautelis quidem bonis procedit schema, bona quidem adhortatio datur: « omnes in scientiis periti ipsi sponsi et theologi collaborent ut complexus ordo a Providentia naturae inditus altius in dies exploretur ».

Bonum quidem esset cum in lin. 35 dicitur « solutiones adhuc sperari possunt » addere aliqua verba clare indicantia solutionem minime esse media sterilizantia: quia clare documenta etiam Pii XII haec media ut illicita proponunt. Nam ponere libere actum qui structura sua est apertus et tendens ad generationem et simul libere ponere aliquid ne ille actus fiat generativus est vera contradictio in actione.

84

EXC.MUS P. D. ALEXANDER RENARD

Episcopus Versaliensis

En face du monde, l'Eglise cherche des moyens toujours plus efficaces pour transmettre le message évangélique. Pour cela, elle doit connaître le monde et se faire connaître de lui.

En effet, il importe de voir les réalités humaines — idéologies, situations sociales, mentalités, préjugés, centres d'intérêt — qui constituent le champ

d'apostolat dévolu à l'Eglise en une époque donnée. Ce travail de « reconnaissance » précède logiquement l'actualisation du message.

D'autre part, en effectuant ce travail, l'Eglise peut être amenée à découvrir les lacunes de sa pédagogie et l'image d'elle-même que les hommes se sont peu à peu fabriquée. Elle aura alors à considérer comment mettre au service de son enseignement tous les relais capables d'atteindre les hommes; elle devra aussi rétablir une image de sa nature et de sa mission entièrement conforme à la vérité. *C'est l'action sur l'opinion publique.*

Les techniques de diffusion ou moyens de communication sociale sont aujourd'hui exploités sur une échelle gigantesque par toutes les institutions temporelles. Les chrétiens ne les laissent certes pas inemployés en vue de la mission spirituelle qui leur incombe. Mais il s'agit de leur faire rendre de mieux en mieux leurs effets bienfaisants.

La presse catholique est une de ces techniques. Elle garde encore aujourd'hui un très grand pouvoir sur les esprits; il faut non seulement sauvegarder ce pouvoir, mais le perfectionner, parce que la presse, en s'adressant directement à l'intelligence et au cœur par la lecture, a une fonction culturelle privilégiée. La pensée de l'Eglise se diffuse par la prédication, par la catéchèse, par la direction spirituelle; elle se diffuse par le livre et par l'imprimé en général. Que serait, dans le monde moderne, une foi qui négligerait ces voies de contact alors que tant de connaissances et d'opinions se répandent grâce à elles?

L'Eglise doit être présente, par les chrétiens spécialisés, dans le *monde professionnel de la presse,* comme elle doit être présente à tous les milieux humains. De ce seul point de vue, une presse catholique a déjà une raison d'être. Elle affirme que l'inspiration chrétienne a sa place à côté d'autres visions du monde; elle exerce une influence sur le milieu: on peut dire que l'information sur le Concile n'aurait pas été aussi suivie par certains journaux non confessionnels si les journaux catholiques n'avaient pas existé.

L'Eglise doit être présente au monde par la presse. L'information du chrétien, comme de tout homme, embrasse l'histoire sous tous ses aspects dès lors qu'elle permet de mieux comprendre le contexte où vivent les âmes: l'information sur l'homme prépare la formation religieuse. *Il y a une valeur morale de l'information* profane.

Présente au monde, l'Eglise le sera encore dans un autre sens: elle use, en effet, pour se faire connaître d'un instrument qui est adapté au monde. Le *journal reproduit les documents du magistère; il prolonge ainsi l'œuvre doctrinale*; il replace les événements dans un éclairage chrétien; il commente l'actualité avec une rapidité à laquelle ne peut prétendre l'enseignement de la prédication ou de la catéchèse; il établit entre les faits une hiérarchie qui n'est pas celle de la presse dite « neutre » et qui accoutume l'esprit du lecteur à une certaine échelle de valeurs; il défend au besoin l'Eglise attaquée.

Avec de telles motivations qui peuvent encore être explicitées, la presse

catholique tient un rôle spécifique dans l'ensemble des instruments d'apostolat moderne.

Mais on ira encore plus loin dans l'analyse si on examine comment instaurer une véritable pastorale de l'opinion publique.

La presse chrétienne *s'adressant aux chrétiens les entretient dans leur foi,* les éclaire, leur fournit un aliment quotidien. Cette mission n'est nullement négligeable.

Il faut penser cependant que ce n'est pas suffisant. L'Eglise veut parler à tous les hommes; le message au monde lancé par les Pères du Concile en donne l'exemple le plus éloquent. Elle veut dire ce qu'elle est, ce qu'elle représente, la vérité qu'elle a le devoir de prêcher.

La pastorale de l'opinion publique consisterait d'abord à se demander comment l'Eglise conçoit ses rapports avec les détenteurs des moyens d'information. De ce point de vue, il ne serait pas inutile d'examiner la manière de faire passer les informations concernant la vie religieuse et de les faire passer conformément à certaines lois de la profession.

Ensuite, cette pastorale ne pourrait-elle s'inspirer des faits concrets qui émeuvent l'opinion publique, à un moment donné, dans un pays donné? Ce serait partir de la vie réelle des hommes pour énoncer le point de vue chrétien et non procéder abstraitement sans tenir compte des centres d'intérêt.

Enfin, on souhaiterait une *attitude concertée du clergé et des militants* quant à la presse catholique. Celle-ci ne peut certes faire son office sans une suffisante autonomie, mais le soutien unanime de l'Eglise lui est nécessaire et lui assurera, en même temps qu'une solidarité toujours plus grande avec les vraies orientations d'Eglise, une plus grande efficacité. Il faut pouvoir compter sur sa docilité tout en lui assurant l'initiative indispensable.

La présence au monde par l'opinion publique est une conséquence du devoir d'évangélisation.

* * *

Les orientations pastorales pastorales évoquées dans le schéma XIII — toutes souhaitables et opportunes qu'elles soient — risquent de demeurer des vœux stériles. Le premier obstacle à notre pastorale n'est pas le marxisme ni l'athéisme, mais la pesanteur de l'opinion publique. Nous croyons prêcher des hommes alors que nous crions sur une multitude. Nous croyons être en prise directe avec dix mille ou dix millions de personnes, pères de familles, ouvriers, agriculteurs, ingénieurs... Illusion! Une opinion publique bruyante, distillée par la radio, la presse et la télévision, s'est interposée entre les hommes et nous, et forme une sorte de brouillage; voilà pourquoi « Ils ont des oreilles et n'entendent pas » (psaume 115). C'est au travers de ces parasites sonores que s'établira, dorénavant, le contact avec les hommes. Le « social » et le « personnel » sont maintenant trop profondément imbriqués pour prétendre agir sur le second sans tenir compte du premier.

Nous n'aurons rien fait tant que l'opinion publique ne réfractera pas la Parole de Dieu. *Mais l'opinion publique peut devenir un atout pour l'Eglise et servir d'amplificateur de l'Evangile.* Pourtant, les méthodes d'action sur l'opinion sont encore tenues pour suspectes sans qu'il soit fait une juste distinction entre le bien et le mal qu'elles peuvent engendrer. Elles peuvent être un moyen de favoriser et non pas, c'est évident, de remplacer les effets naturels et surnaturels de la grâce. Bien utilisées, elles peuvent éduquer, au sens profond du terme ou servir simplement de tuteur, un tuteur qui soit favorable ou même modestement conciliable avec un éveil religieux individuel. Comme Jean Baptiste nous préparons ainsi la Voie du Seigneur.

Pour christianiser l'opinion, quatre conditions sont à remplir:

1. *Répondre aux besoins de notre temps et non pas à ceux du siècle dernier.* Partir des besoins, c'est partir des hommes tels qu'ils sont et, hélas, quels qu'ils soient. Savoir nous adapter aux besoins du public, puis progressivement susciter d'autres besoins plus riches spirituellement, voilà le fondement de notre action.

Jean XXIII nous a ouvert la voie en traîtant admirablement de la Justice sociale et de la Paix. Les autres moteurs de l'homme moderne, vous les connaissez: ce sont les besoins de nourriture, de logement et de travail; les besoins de considération, de vérité, d'amitié et de bonheur, enfin le besoin tout occidental de confort. Nous entrons dans une ère de surconsommation, gardons-nous d'y entrer à reculons.

2. *Disposer de moyens audio-visuels nombreux, variés, en prise effective avec les masses.* Une opinion publique ne peut être éduquée, dans sa totalité, que si le message éducatif est émis simultanément par une majorité de journaux, de postes de radio et de télévision. Sans la presse catholique qui donne la note juste au bon moment, il est totalement illusoire d'espérer une christianisation rapide ou même lointaine de l'opinion. Mais nos moyens audio-visuels sont encore trop peu nombreux.

3. *Bâtir une pastorale d'ensemble qui soit vraiment destinée à des hommes qui vivent ensemble.* Il faut une pastorale coordonnée, planifiée et non plus impulsive. Il faut bâtir, pour chaque pays, un plan de christianisation de l'opinion, commun à tous les militants, tous les Mouvements d'Action Catholique, toutes les publications d'inspiration chrétienne, tous les curés, tous les évêques. Une lettre d'un épiscopat, par exemple, a plus de chances de devenir un événement que cent lettres pastorales nécessairement de faible portée.

4. *Former une nouvelle génération de militants qui sache et qui puisse agir sur l'opinion.* Nouvelle, oui! car le militantisme individuel ne viendra plus jamais à bout, tout seul, d'une opinion publique qui naît à son insu, se développe dans l'intimité des familles, des cours d'immeubles et des usines et prend brusquement possession de tout. La présence active du militant au milieu de ses frères est pourtant une nécessité fondamentale, mais elle n'est plus la cause première de l'opinion. Le militant ne fait plus ou ne défait

plus l'opinion comme au siècle dernier, il se contente de la justifier ou de la fustiger, de la répandre ou de l'endiguer. Sans lui, l'opinion est comme un arbre sans racines. Il est la preuve concrète, vivante, palpable de la Foi, de l'Espérance, et de la Charité. Les moyens audio-visuels l'ont en partie relayé dans sa fonction initiale de Porte-parole de Dieu. Ils ne le remplaceront jamais dans sa mission de témoin du Christ: « Vous aussi, vous serez mes témoins » (*Io.* 4).

85

EXC.MUS P. D. THOMAS ROBERTS
Archiepiscopus tit. Sugdaeus

N. 21. En tres quaestiones quibus ius est omnibus hominibus ponere, nobis episcopis officium respondendi:

1. Omnibus *non-christianis* quibus declaramus eos teneri sicut nos tenemur lege naturali damnare contraceptionem. Cum sit manifestum non solum multos individuos sed etiam totas nationes haberi conscientiam hac in re prorsus diversam a nostra, nonne necessitas est quaestionis de praesentatione doctrinae nostrae? Pro nobis catholicis sicut pro omnibus aliis, lux quae fulget in omnem hominem venientem in hunc mundum reflecta est et refracta per varia media humana. Sit ergo in Ecclesia plena libertas de talibus impedimentis humanis loquendi, et cum aliis et inter nos. Si non-christiani notant absentiam veri dialogi inter christianos, immo inter ipsos catholicos propter timorem, parva erit, parva merebitur confidentia erga nos.

2. Ius etiam omnibus christianis *separatis* eandem quaestionem ponere de lege naturali. Alias quaestiones addere de damnatione contraceptionis in Sacra Scriptura et Traditione. Quot episcopi, quot sacerdotes nostri legerunt debita cum diligentia, studia super hoc facta a fratribus separatis et doctis et sanctis?

3. Nostri fideles catholici saepius describunt suas angustias in reconciliando praecepta Ecclesiae et vitam familiarem. Quam diu poterunt exercere oboedientiam heroicam erga Ecclesiam, intellectu non consentiente cum voluntate? Patiuntur, ut nos omnes propter dilemmam. Haec dilemma provenit ex magna parte timoris locutionis liberae, timoris quae non raro facit presbyteros immo episcopos timidos nimis; non est aedificatio ubi lingua est una publica, altera privata.

Demus ergo, venerabiles Patres, plenam auctoritatem huius Sancti Synodi inquisitioni universali, liberae, apertae: sit nostra declaratio charta libertatis dialogi, praesertim coniunctis in matrimonio, medicis, confessariis. Talis charta libertatis digna sit regni non timoris sed amoris.

* * *

N. 25. Multum est in hoc schemate de bello atomico, quod nos admonet ut hoc sit plus quam inurbanum, sed damnatio multo ulterius ad solutionem nos non perducit in re viarum pragmaticarum. Nonne defectio laborum christianorum tantis annis prioribus abhinc posset esse debita partim aestimationi nimiae in armis potius quam in personis? Reapse (profecto) dictum est publice a praefecto militum (nautarum) in tribunali Brittano eum non dubitaturum esse premere fibulam « button » quae ferret mortem peiusque in decies centena millia populorum.

Pervenimus ad locum in quo acquievimus in aequanda fibula (button) ad digitum humanum. Obliti sumus digitum esse instrumentum mentis humanae, cordis humani, conscientiae humanae, responsabile actis aeternis in eorum consequentiis. Cogitatio est summa religione imbuta ac perturbans nos episcopos catholicos rarissime accepisse in usu aut etiam (quidem) in theoria ius abstentionis in conscientia a bello iniusto in origine vel modis. E contra quinquaginta annis abhinc per Primum Bellum Mundi, cum Anglia conscriptionem primum imposuit, lege etiam constitutum est conscientiam non cogendam esse, obiectionem bona fide ratione consideratam accipiendam esse. Ex eo tempore fere omnes nationes participes sunt in traditione Angliae, secutae idem exemplum. Nonne omnes ex fratribus separatis, nostri hospites acceptissimi, confirmarent talia iura conscientiae, etiamsi usitata rarissime? Saevitia (curatio), autem, omnino nimia typica rationis catholicae mentis, data (metitia) martyribus conscientiae — utor illis verbis consulto — ut agricola Australis (Germanus), Franciscus Jugerstatter, ei qui nec recipiunt nec receperunt ullam sustentationem moralem ab electis Christi.

Schema facit nullam mentionem huius eventus crucialis, quamquam iudicia Nurembergensia et alia posthac acta sunt de eventu ipso. Mentio fit, autem, in adnexis et ego nunc propono eius translationem ad schemam in verbis clarioribus, firmioribus.

Actionis iunctae gratia (causa) una cum fratribus separatis at multo magis in compensatione Christo, Principi Pacis, quem tam graviter defecimus per saecula saeculorum (historiam) oromet Concilium ostendere (demonstrare) orbi terrarum nostram curam libertatis conscientiae non esse rem theoriae *solum* aut utilitatis sed dedicationis verae ad illam libertatem qua Christus nos liberavit.

86

Exc.mus P. D. IOSEPH CALASANCTIUS ROSENHAMMER

Episcopus tit. Amporensis, vic. ap. Chiquitosensis

Ad conclusionem linn. 32 ss. In istis lineis homines qui Ecclesiam nondum diligant i. e. eam ignorant aut persequuntur, monentur, ut serio perpendant qua via ad plenitudinem suae vocationis accedant, et orationibus instent. Quod revera optimum est.

Sed mihi videtur, quod Ecclesia aberrantibus a veritate, iustitia et amore etiam aliam viam ostendere debeat quae expedite ad eum ducit qui est Vita, Veritas et Vita — nempe Mariam semper Virginem.

Revera apostasia a veritate, iustitia et amore signa sunt huius temporis, sed signum est etiam huius temporis mulier amicta stolis albis quae aberrantibus compatitur.

Mysterium iniquitatis in mundo operatur, sed mulier iam in protoevangelio ut mulier fortis conculcans caput serpentis describitur.

Per crucem inimicus Dei et hominum vincitur, sed iuxta crucem stat mulier et Filius eam alloquitur ut mater Ecclesiae, i. e. corporis sui mystici constituatur. Sed Christus pro omnibus mortuus est ita ut in hac hora mulier iuxta crucem « mulier omnium gentium » efficiatur.

Ad hanc mulierem Ecclesia omnes gentes dirigere debet, nam historia docet quod verbum hoc indicat: Mundus Christo - Matre duce; et aliud: Per Maria ad Iesum.

Hoc revera non devotionalismum sapit sed providentiam et voluntatem divinam describit. Nam qui per eam venit ad mundum, vult etiam ut per eam mundus ad eum ducatur.

Qua de causa optime mihi videtur insertio post lin. 32 his aut similibus verbis: « ... et serio perpendant qua via homines ad plenitudinem suae vocationis accedant. Orare non desinemus *et ad eam accedamus quae uti mulier omnium gentium ad crucem Domini astitit et semper homines ad id dirigit,* ut sincera et assidua *suae* vocationis meditatione perducantur ad lucem Evangelii et personam Christi.

87

EXC.MUS P. D. HENRICUS ROUTHIER

Episcopus tit. Naissitanus, vic. ap. Grouardensis

Ad n. 22. Saepe in hac paragrapho dicitur quod Ecclesia ad hoc quod cultura hominum de die in diem augeatur adlaborare tenetur. Omnia quae hic dicuntur mihi videntur bona esse. Attamen unus aspectus valde momentosus istius problematis non sufficienter consideratur: quaestio est de pluralitate culturarum.

Hodie in mundo aliqua situatio valde perniciosa circa hoc existit quae etiam in ipsa Ecclesia influentiam pessimam habuit et adhuc habet. Nam pars occidentalis mundi semper tentationem considerandi culturas proprias aliarum partium universi tanquam inferiores habet. Non raro in actione sua, quam civilizatricem vocat, ad hoc tendit quod cultura sua paulatim modos proprios se exprimendi et se realizandi aliorum populorum exstinguat. Bene hodie omnes christiani admittunt quod diversae ecclesiae in actione sua missionaria saepe in hoc peccato ceciderunt, imponentes populis quos evangelizaverunt traditiones, mores, culturas regionum ex unde missionarii proveniebant. Amplius, hodie non raro invenitur quod etiam in ambitu mundi occi-

dentalis aliqua segregatio inveniatur erga sic dictas minoritates. Coetus qui politicam potentiam tenet totis viribus suis alios coetus privare modo spontaneo et proprio loquendi, educationem iuvenum faciendi, Deum colendi intendit. Non raro iniustitiae maximae ex hoc oriuntur, et damnum pessimum fit pro pace et bono communi populorum. Quaestio illa magis ampla est quam sic dicti racismi, et forsitan etiam magis acuta. Confiteri debemus quod in Ecclesia Dei regiones adhuc existunt ubi situatio illa magnum detrimentum causat in ipsa vita fidelium.

Hoc factum est aliquod peccatum sociale mundi hodierni, quod Ecclesia, vi missionis suae evangelicae, denuntiare et destruere totis suis viribus debet. Nam hoc peccatum aliquam maximam iniuriam contra divinum propositum constituit.

1. Ipsa cultura humana non est pro hominibus aliqua valor minoris momenti nec superficialis tantum et de facili mutabilis. E contra in ipso sanguine, in tota historia stirpis vel familiae, in situatione geographica nationis radicatur, et ab omnibus ut aliquod elementum personalitatis humanae considerari debet. Unde, ille qui hominem aliquem ad hoc quod culturam suam propriam obtineat impedit, de facto personam ipsam mutilat. Hic processus tanquam formam captiosam sed realem et (proh dolor) non raram oppressionis videri oportet.

2. Sed pro christiano peccatum illud gravissimum adhuc apparet si consideratur in tota luce Revelationis et praesertim mysterii Resurrectionis Christi Domini. Etenim, diversitas culturarum, linguarum, expressionum, civilizationum, a natura humana sicut a Deo creata exoritur. Humana natura, quia in mundo nostro perfectissima ipsius Dei imago est, in se fert potentialitates et virtualitates quarum unaquaeque ut aliquod divinum donum et aliqua plenitudinis divini entis epiphania existit. Deus in divitiis humanae naturae magis quam in totius universi splendoribus seipsum revelat. Et ideo in Christo Iesu qui salvare et transfigurare venit non tantum homines individuos sed amplius totam et integram naturam cum divitiis suis intimis, omnes humanae valores assumptae fuerunt. In morte et resurrectione sua Christus totam humanitatem et numerice et qualitative consideratam glorificavit: haec est vera fons catholicitatis mysterii christiani. A Christo Capite Ecclesia istam catholicitatem accepit et ut notam sibi propriam et signum distinctivum inter societates humanas, et etiam ut missionem ad adimplendum. A. v., Ecclesia de die in diem debet ipsam plenitudinem humanitatis Christi Capitis in mundo diffundere. Vi naturae suae insimul ad salutem omnium individuum et ad perfectam explicitationem omnium possibilitatum naturae humanae ordinatur. Catholicitas in illa non consistit tantum in aliqua proprietate statica, sed in aliquo dynamismo ad semper magis et magis realizandum perfectam evolutionem humanitatis unde ad eschatologicam transfigurationem. Ideo, quia Christus humanitatem recapitulavit, omnia quae ad uniuscuiusque humanae valoris detrimentum aguntur contra ipsum Christum exercentur.

Haec est ratio theologica profunda quare Ecclesia non tantum racismum

sed omnem formam oppressionis valorum hominis, sive in campo culturali, sive in campo oeconomico, sive in campo religioso, etiam apud homines non christianos denuntiare debet. Hoc munus in sua vocatione erga catholicitatem radicatur. Attitudo concreta multorum populorum, praesertim occidentalium, qui alienas culturas contemnunt et opprimunt, aliqua pessima forma est superbiae quae saepe aliquod sociale peccatum gravissimum constituit et semper divino proposito amoris opponitur. Hoc in textu schematis clarius dicatur, ita ut evidens sit actionem Ecclesiae in campo culturae humanae non provenire ab aliquo humanismo sed ab ista natura catholica sua.

Attamen Ecclesia non debet actionem suam ad aliquas denuntiationes limitare. Debet in vita sua propria illas deviationes vitare. Ergo propono quod in n. 22 schematis modo magis dynamico indicetur quod christiani (clerici et laici) vocationem habent — inquantum christiani — adlaborare ad hoc quod progressus culturae humanae semper fiat in respectu et amore valorum omnium populorum et etiam illorum qui non sunt inter potentiores huius mundi.

88

EXC.MUS P. D. IOANNES RUPP

Episcopus Monoecensis

1. Pag. 28, lin. 14, post verbum « christifideles », addatur: « qui iuxta Christi legem mutui amoris exemplum praebere debent ».

2. Pag. 29, lin. 18, post verba « impendenda sunt », hae adiungantur: « Urgendum est ius quod omnibus competit praesertim in regionibus frequentissimis Asiae viventibus emigrandi et immigrandi ».

89

EXC.MUS P. D. PAULUS RUSCH

Episcopus Oenipontanus

Pag. 30, n. 25: *de pace firmanda.* Finis ultimus ad pacem firmandam est universalis proscriptio belli, finis autem proximus est proscriptio armorum atomicorum, hinc diminutio et annihilatio horum armorum reciproca, et proscriptio belli atomici. Maximum autem fere periculum est libido dominandi orbem totum et medium ad hoc: bellum subversivum. Medium pacis nondum adhibitum est consilium pacis. Hisce positis, nonnulla in textu aliter disponenda sunt:

1. Pag. 31, linn. 33-35, post verbum « promovendum » clarius dicatur: « ita ut condiciones praeparentur, in quibus bellum quodcumque pacto internationali proscribatur, pactum laedenti auctoritas universalis obsistat », et addatur: « libido autem dominandi totum orbem, ex quibuscumque etiam ideologicis causis iustae libertati gentium adversatur, quare illicita est. Idem

valet de bello subversivo, quod nonnumquam ad talem finem obtinendum tamquam medium adhibetur ».

« Ad omnia haec melius obtinenda apud S. Sedem consilium pacis in re morali, politica et militari peritorum constituatur, quo progressive per media apta opinionem publicam non negligendo ad finem pervenitur. Hoc autem consilium adiuvetur per motum catholicum pro pace, cui nomen est « Pax Christi ».

2. De fine autem proximo iam agitur pag. 31, linn. 1-12.

3. Pag. 32, linn. 31-35: proponitur novus textus, post verbum « benedicunt »: « Sed et exhortamur omnes, qui religioni christianae adversantur, ne libertatem religiosam laedant. Sciant, conscientiam totius humanitatis hoc iam non tolerare. Omnis enim, qui tali modo agit, est inimicus progressus humani. Simul autem orare non desinemus, ut ii omnes tandem inveniant plenitudinem veritatis, in qua sola felicitas humana fundatur ». *Ratio*: Communistae primi volunt esse in progressu. Inde venit, ut nihil eos magis moveat, nisi id, quod eis revera dici potest, se tali modo agendi contra progressum humanitatis agere.

90

Exc.mus P. D. ALEXANDER SCANDAR

Episcopus Lycopolitanus

Ce chapitre IV est très vaste, il touche plusieurs questions et les ébauche à peine. Sans doute, il donne quelques principes, mais il manque de précision et de clarté. Il gagnerait à être refondu et développé. En tous cas, ce qu'il traite non seulement est digne du Saint Concile, mais pour les temps actuels ces questions devaient être débattues en premier lieu, car le monde devant tous les bouleversements de nos jours, doit savoir quelle est l'opinion de la Sainte Eglise et les fidèles doivent connaître les règles à suivre. L'Eglise de notre temps doit être à jour.

N. 20. Devant le racisme, l'étatisme, le bolchévisme auxquels nous assistons aujourd'hui, on doit pouvoir donner une idée de la dignité humaine. Créé par Dieu à son image et à sa ressemblance, seul être libre, doué de raison parmi les créatures terrestres ayant attiré le Verbe de Dieu qui s'est incarné par amour pour le sauver et le destiner à la jouissance éternelle, chef et roi de la terre, il a une dignité et mérite le respect et les égards. Seul être libre, il doit jouir de cette liberté tout en comprenant en quoi elle consiste et cela indépendemment de son sexe, de sa race, de sa couleur et de sa croyance.

Faisant partie de la société humaine, fût-il le plus faible, il doit avoir sa place dans l'activité sociale, tel le plus petit membre dans un corps. Il ne saurait donc être l'instrument du fort ou du puissant rabaissé au dégré de l'esclave où d'une machine inerte. Personne n'a droit de vie ou de mort sur lui si ce n'est son Créateur.

Sa dignité et sa grandeur venant de sa destinée, de sa nature même et de son alliance à la société dans laquelle il fait partie, il convient qu'il ne soit pas la proie de l'injustice, des vexations et du mépris, mais jouissant de la solidarité qui se trouve dans le même corps, il doit bénéficier de l'évolution morale, intellectuelle, sociale, culturelle et même matérielle. Sa dignité exige à ce qu'il sente la sécurité tant pour lui, sa famille et sa descendance contre la maladie, les revers de la fortune et la vieillesse. Cela l'aidera à donner tout ce qu'il pourra à la société et à développer les moyens naturels et surnaturels à sa disposition et ainsi à faire profiter la famille sociale dont il fait partie et à être digne de Dieu qui l'a créé, aimé et racheté.

N. 21. Le salut et le bien-être de la personne sont basés sur la famille. C'est d'elle que dépend l'avenir de l'humanité. Détruisez la famille et vous détruisez donc la société. Elle est la cellule vitale de toute nation et de tout peuple, c'est pourquoi, elle mérite protection, respect et liberté dans ce qui la compose et aide à son développement.

La famille est l'effet du mariage qui est une trinité dans une unité essentielle: homme, femme et enfant. L'enfant est l'image, le fruit et le bien essentiel de son indissolubilité. Il renferme en lui l'amour unifié du père et de la mère et constitue leur prolongement dans l'humanité... C'est pourquoi il fait partie de ses parents, il est à eux seuls, ils ont des droits inaliénables sur lui. Nulle autorité ne peut leur soustraire ou leur arracher ce droit qui leur est donné par Dieu. A eux d'éduquer leur enfant, car il est leur image, leur corps, leur sang, le fruit de leur amour mutuel qui ne se partage pas, mais qui s'unifie en eux. En conscience, ils ont des obligations à son égard. La mère est sa première école qui le forme tout en l'alaitant et le père est sa première force et son premier formateur par le caractère social. Eux seuls ont le droit de choisir selon leur conviction l'école qui doit le former et en faire l'être social qui les répresente. D'où on ne peut admettre l'étatisme qui soustrait les enfants à leurs parents et se proclame seul maître et seul responsable. Ce n'est pas l'Etat qui a formé la famille, mais c'est la famille qui a formé l'Etat. Toute doctrine contraire à cela violente les droits de l'homme et la dignité de la famille et doit être rejetée.

Le mariage qui est une institution divine ne peut pas dépendre de l'Etat, ce n'est pas lui qui unit, mais Dieu, c'est pourquoi, il outre-passe ses droits quand il légifère sur son indissolubilité. Seule l'autorité écclésiastique et religieuse est compétente.

En tous cas, vu la dignité et la grandeur de l'homme, le mariage humain dépasse ce que l'on voit parmi les animaux, il ne vise pas seulement la procréation, l'éducation et l'aide mutuel entre l'homme et la femme pour tout ce qui est bien terrestre, il est plus que cela, car sa fin réelle est la sanctification mutuelle, la rivalité dans le bien spirituel et la glorification de Dieu, qui leur a communiqué le dépôt de la vie et sa paternité avec tout ce qu'elle contient de grandeur et d'amour désintéressé. « L'acquisition de la Sainteté à laquelle pousse le mariage, s'étend sur les enfants et tous les membres,

soit les familiers qui composent la famille ». La révélation a mis sous la plume de Saint Paul cette belle image du mariage chrétien (voir Epître aux Ephésiens). « L'union du Christ avec son Eglise ». D'où cette fécondité de l'amour qui a peuplé l'univers des membres du Christ, fruit de l'amour, du sacrifice de la Croix et de l'unité cimenté par la mort. C'est pourquoi on doit avouer que l'amour chrétien dans la famille est régi par l'héroïsme que l'on observe tant dans l'homme que dans la femme. Cet amour ne calcule pas avec les difficultés, il ne connaît pas l'égoïsme, mais vit dans l'abnégation et le sacrifice. Chacun donne sa vie pour l'autre. C'est l'amour défini par le Christ lui-même. J'avoue que c'est par de telles familles que la société peut attendre la felicité et le bonheur.

La grande dignité du mariage qui relève les époux ne consiste pas à faire d'eux, selon l'esprit matériel et du monde, des instruments de procréation ou à accorder un assoupissement d'une passion qui ne diffère guère de celle des animaux mais elle est dans cette alliance libre entre deux personnes qui se donnent pour avoir la responsabilité grave d'éduquer les enfants pour Dieu et pour la société; sans que cette alliance puisse être interrompue un jour malgré les épreuves qui peuvent surgir. Sa beauté, comme son essence comme sacrement se trouve dans son indissolubilité: « Ce que Dieu a uni, l'homme ne peut pas le séparer ».

Le mariage ne peut pas consister dans le remède pur et simple à la concupiscence soit de la passion. Non, l'homme est plus spirituel que matériel et pour le chrétien le mariage est sacrement cimenté par le sang du Christ. C'est pourquoi dans le mariage les vertus doivent présider: pudeur, tempérance, sobriété, esprit de pénitence et de prière. Ainsi donc l'acte matrimonial est présidé par la raison, aussi bien que par l'amour et le désir de faire la sainte volonté de Dieu. Il contient le respect mutuel qui rend l'amour spirituel, confiant et abandonné à Dieu.

Conclusion. L'Eglise doit 1) proclamer et ancrer dans les pensées de ceux qui vivent en notre temps: La dignité de l'homme exaltant sa juste grandeur et l'estime de Dieu pour elle par la fin ultime qui lui est proposée.

2) Montrer la grandeur, la sainteté et la vérité du mariage auquel la raison éclairée par la foi préside.

3) Rappeler le grave devoir de l'éducation catholique des enfants.

4) Manifester sa beauté en proposant ce qui est écrit au Livre de Tobie et donner comme modèle à l'humanité ce que Dieu lui-même a proposé: la Sainte Famille.

91

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS ŠEPER
Archiepiscopus Zagrabiensis

Ad n. 24. Inter bona, immo excellentia, quae in hoc textu de solidarietate familiae populorum promovenda leguntur, lacuna gravis subrepsit, quae omnino complenda est: nihil habetur de problemate *migrationum* hominum ex terra in terram, quod hodie vulgo *quaestio emigrantium* vocari solet. De solidarietate inter populos sermo sincerus esse nequit praescindendo a quaestione de emigratione et immigratione, immo haec quaestio emigrantium dicenda est verus lapis probationis istius solidarietatis. Problema emigrantium reapse multiplex est: sunt emigrantes politici, quorum sors miserabilis conscientiam solidarietatis inter homines et populos etiam tangere debet, cum ius ad libertatem politicam in mundo hodierno communiter computetur inter iura, quae personae innocenti negari nequeunt. Qui hoc iure, igitur, in propria patria privatus fit, merito in aliis terris expectat humanam solidarietatem, tamquam testimonium veri illius sensus dignitatis personae humanae, quem inter acquisita maiora nostra civilizationis adnumeramus. Sed ego nunc, quaestionem emigrantium politicorum paucis tantum memorans, ad quaestionem *migrationum ex ratione oeconomica* attentionem vestram convertere cupio.

Schema loquitur de *populis, nationibus,* quod passim in mente identificari videtur cum *statibus* seu civitatibus. Schema non loquitur de *hominibus.* Et tamen homines sunt per se priores quam status et nationes. Non sunt homines propter nationes et status, sed status sunt propter homines, ex natura rei. Genus humanum qua tale praevalet super populos et status. Terram et omnia bona terrae Deus dedit primarie *generi humano, seu communitati hominum quatenus sunt personae libertate praeditae*; secundarie tantum populis et statibus. Hi eo inservire debent, ut personae melius et liberius et efficacius crescant atque evolvantur. Quapropter problemata, quae hic in textu enumerantur, minime in sola linea *nationum* et *statuum* solvi possunt, proinde ac si status et populi qua tales primarii proprietarii omnium bonorum terrae essent.

Quaestiones sociales et oeconomicae saepe intra fines unius nationis minime possunt veram et dignam solutionem invenire, sicuti valor et dignitas personae humanae requirit. Id etiam adiutoriis et subsidiis aliarum nationum obtineri nequit. Superpopulatio, terra minus fertilis, industria non evoluta, haec et alia sunt problemata, quae situationem vitae singulorum hominum multum aggravare possunt et quae solutionem urgentem quaerunt, procrastinationem non permittunt. Dum in aliis regionibus vasta territoria nondum exculta adsunt, aut aliae possibilitates vitae melioris et decentioris dantur, nullae rationes sive politicae sive nationales, nullae rationes stirpis et cultu-

rae praevalere debent, quin tales quaestiones etiam ope migrationum ex una natione in aliam solvantur. Gloria nationis, puritas stirpis, autonomia culturalis, et similia, non sunt summum bonum, quod in detrimentum solidarietatis generis humani qua talis conservari deberet!

Ut homo se vere liberum sentiat, non sufficit generalis proclamatio libertatis politicae, sed requiritur proportionata conditio oeconomica, quae personae humanae procurat iustae independentiae facultatem realem. Promotio igitur personarum implicat talem independentiam oeconomicam. Migrationes hominum cum intentione et fine, ut sibi et familiae suae dignam conditionem oeconomicam acquirant, per longum adhuc tempus necessariae praevidentur. Contactus autem et commixtiones populorum, stirpium et coetuum culturalium, quae inde provenire poterunt, nullatenus inter mala computanda sunt, sed econtra repraesentant unam ex viis, ut quamprimum assequatur maior generis humani unitas et desiderata communio culturalis totius generis humani.

In antiquis temporibus migrationes *populorum* repetite exoriebantur; expansiones et occupationes territoriorum igni et ferro exsequebantur. Necessarium iam est, ut tales violentae proprii « spatii vitalis » (quem dicunt) allargationes in posterum penitus evanescant, et ut bella quae inde exardescebant, nullum iam locum habeant. Oportet igitur, ut aequilibrium oeconomicum et spatiale inter nationes nunc ope pacificae emigrationis et immigrationis *hominum* et familiarum eveniat, quae competentias politicas et nationales minime implicarent.

Papa Ioannes XXIII in enc. litt. *Pacem in terris* ius emigrandi ponit inter iura uniuscuiusque hominis. De hac quaestione Pius XII iterato locutus est. Nec schema nostrum igitur de hac re tacere potest. Mentio illa, quasi per transennam in Adnexis posita, non sufficit. Requiritur accuratior istius problematis determinatio in ipso textu stricte conciliari, quae sub puncto speciali immediate post punctum 6 inseratur. Novum punctum componatur ita, ut sequentia enuntiata sint: Homo habet ius ex iustis causis emigrandi e confinibus propriae patriae. Ideo nationes, quae difficultatibus eiusdem generis minime premuntur, ius immigrandi nulli denegent. Reditus in propriam patriam emigratis fiat facilis, possibilitas autem ut cum propria familia aut consanguineis relationes teneant efficiatur expeditior. In nova patria, ad salaria variasque laboris rationes, civibus natis prorsus aequales haberi debeant, nec ullae discriminationi quacumque ex causa expositi.

Per se patet, quod Concilium modos et rationes, quibus haec in concreto in actum deducentur, praescribere nequeat, nec id ad Ecclesiam pertinet. Utrum id fiat ita, ut status inter se contractus de transmigrationibus civium stabiliant, an ita ut instrumentum internationale constituatur, quod arbitratum de problemate migrationum faciat, cuique singulae nationes ultro se submittere decidant, aut aliis idoneis viis et mediis, id a nobis minime dependet, et iuxta conditiones et situationes concretas ordinandum erit. Principia tamen illa fundamentalia hic proclamare possumus et debemus, cum

manifeste agatur de re essentiali in solidarietate generis humani promovenda.

Ecclesia, quae ex definitione *peregrinans* in hoc mundo existit, i. e. aliquomodo ex natura sua sortem emigrantium vivit et suffert, quomodo posset de quaestione emigrantium non esse sollicita?

92

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS SIMONS
Episcopus Indorensis

De moralitate usus adiumentorum anti-conceptionalium. In diiudicanda moralitate usus talium mediorum in impeditione conceptionis inter alia ad sequentia attendendum esse videtur.

In diiudicanda vel determinanda moralitate actus hominis primo attendendum est ad relationes quae existunt inter hominem et Deum, hominem et seipsum aliasque creaturas, quae relationes ex eorum natura dependent et cognoscuntur. Sic propter absolutam dependentiam hominis a Deo omnis actus liber hominis contra Deum, ut blasphemia, negatio et odium Dei, est intrinsece et semper actus moraliter malus (utique si homo credit in Deum).

Cum autem agitur de relationibus inter hominem et seipsum aliosque homines, leges naturales morales de facto determinari videntur et ut tales (independenter a S. Scriptura) de facto cognoscuntur solummodo ex bono vel damno quod natura sua ex actibus profluit seu ex nexu qui existit inter actum et effectum bonum vel malum.

Sic mandata Decalogi a quarto ad decimum ut leges naturales praecise cognoscuntur et probantur ex bono quod legibus efficitur et ex malo quod ex eorum violatione homini vel societati infligitur. Hoc etiam valere videtur de mendacio, cuius immoralitas non ex verbis solis sine referentia ad effectus cognoscitur — nam enuntiationes falsae, quas homo tantummodo sibi ipsi diceret, non essent moraliter malae — sed praecise ex effectibus malis, in quibus non tantum attenditur ad id quod aliquis homo in errorem inducitur — quod aliquando evitatur, ut cum auditor iam cognoscit veritatem — sed etiam et praesertim ad id quod mendacio relatio fiducialis inter homines destruitur, sine qua vera societas inter homines haberi nequit, ita ut, non consideratis variis conditionibus possibilibus, in genere vere dici debeat: « libere mentiri est moraliter malum ». Et sic de ceteris legibus quae spectant ad relationes inter hominem et seipsum aliosque homines, quae omnes probantur ex bono quod promovent vel ex malo seu damno quod arcent.

Cum damnum seu malum libere et scienter ab homine efficitur, habetur generatim peccatum seu malum morale. Sed hoc malum seu damnum etiam in se seu « abstractum » ab actione peccaminosa humana considerari potest, et tunc habetur malum non morale, sed, ut ita dicam, « physicum ». V. g. habetur differentia inter occisionem, quae est peccatum, et occisionem non

peccaminosam (ut cum fit actione non libera, vel ut cum malefactor iuste a republica occiditur).

Actiones hominis, quae tantum sunt contra sensum seu insensati, quae damnum natura sua non infligunt, non sunt moraliter malae, ut v. g. actiones alicuius « clown » et multae aliae.

Cum agitur de bono vel malo hominis generatim aliqua optio facienda est. In seligendo unum bonum sacrificandum est aliud bonum, vel, ut evitetur unum malum eligendum est aliud malum.

Immo, tum per deductionem tum per inductionem, aliquod principium generale morale statui posse videtur quod sic sonat: Si datur optio talis *quae evitari nequit* inter plura bona, semper licet eligere maius bonum sacrificando minus bonum; vel, si datur optio *quae evitari nequit* inter duo vel plura mala, semper licet — immo saepius oportet — seligere minus malum. Bene attendendum est ad conditionem appositam « quae evitari nequit », quae est de essentia principii. Si optio non est necessaria, i. e. si e. g. omnia mala seu damna evitari possunt, dilemma iam non habetur et omnia mala evitanda sunt. Si optio vitari potest, principium iam non operatur.

In diiudicando quid bonum vel malum sit maius, attendendum est tum ad hierarchiam rectam, quam dicunt, valorum (cuius criterium obiectivum est maior gloria Dei, subiectivum autem perfectior et profundior felicitas hominis), tum ad naturam socialem actus hominis, i. e. ad effectus in societatem qui ex tali vel tali modo agendi consequerentur.

Quaestio est utrum talis optio necessaria haberi potest, an estne quaestio omnino irrealis seu illusoria?

Saepe optiones tales habentur. V. g. homo debet seligere aut divulgationem alicuius secreti magni momenti, aut enuntiare verba quae sonant contra veritatem. Vel, v. g., societas quandoque debet aut magnam iniuriam pati aut se defendere bello quo multi occiduntur et alia damna causantur. In talibus casibus habetur vera optio quae evitari nequit; unum vel alterum bonum sacrificandum est, unum vel alterum malum eligendum est.

Ad tale principium generale sensus communis hominum provocat in solutione multorum problematum quae saepe perperam solvi videntur per applicationem « principii duplicis effectus ». Iuvabit exempla afferre: *a*) Propter bonum commune respublica occidere potest malefactores vel committere bellum iustum. Immo in bello multi innocentes occidunt sine peccato alios innocentes, quidquid sit de culpa rectorum rerum publicarum. Ergo etiam extensionem dominii hominis in alias personas tantum cognoscere possumus ex recta ratione, quae patefacit voluntatem Dei et sic dominium hominis in aliam personam subiectum retinet sub voluntate Dei, qui, ut recta ratio docet, vult ut ex duobus malis necessariis minus malum seligamus.

b) Ad protegendum seipsum vel bona pretiosa licet mutilare vel occidere (iniustum) aggressorem. Nec obiici potest bona temporalia etiam pretiosa esse minus malum in comparatione cum vita aggressoris, nam societas maius damnum pateretur, si non esset licitum defendere etiam bona tempo-

talia cum inflictione mortis, quia aggressores et aggressiones supra modum multiplicarentur. Non licet attendere tantum ad damnum in casu aliquo individuali, sed attendendum etiam est ad omnia damna quae ex aliquo modo agendi profluerent.

c) Licet arte chirurgica mutilare corpus ad salvandam vitam, et licet incurrere periculum mortis — periculum mortis est aliquod vere malum — ad consequendam maiorem valetudinem vel magnum bonum sui ipsius vel rei publicae. Utique pars corporis refertur ad totum personae: hic est unus modus quo minus malum cognoscitur et probatur.

d) Ut salvetur secretum magni momenti licet homini dicere talia quibus alii decipiantur. Saepius talia verba adhiberi debent quae, in significatione accepta ab omnibus hominibus, exprimunt quae sunt veritati contraria et quae adhibentur expresse et deliberate ut alii homines efficaciter decipiantur. Talia verba, quae utique in casu non adhibentur ut aliquid communicetur sed ut aliquid veletur, communiter ab hominibus ut « falsa » seu « mendacia » quamvis licita habentur. Et quaeri potest ab iis, qui in tali casu renuunt verba « falsa » seu « mendacia »: cum agitur de determinando sensu communi et vero usu talium verborum, quis sit iudex, populus an moralistae qui vim inferunt verbis — sit venia — ut defendant aliquod systema?

e) Ad salvandam vitam vel evitandum magnum damnum mulieri licet non resistere viro aggressori. Immo, si attendamus ad exemplum non reprobatum Abrahae et Sarae, cum perrexerunt in Aegyptum, si non sufficeret ad evitandum mortem vel magnum damnum tantummodo non resistere, licet ei libere se submittere.

Non iuvat dicere in casibus allatis et aliis similibus quod malum « non intenditur », vel « tantum permittitur », quia vere intendunt occidere, mutilare, enuntiare verba contraria veritati, etc., sed utique intentio debet esse honesta, i. e. non licet intendere malum per se, sed tantum in quantum et quia necessarium est ut evitetur maius damnum. In tali casu optionis necessariae inter duo mala, optio minoris mali iam non est moraliter mala, immo saepius necessarium bonum, quamquam tantummodo bonum secundum quid. Ergo non licet dicere, e. g. « occidere hominem est intrinsece et per se malum, et ideo semper malum vitandum », sed tantummodo dicere « occidere hominem est intrinsece seu per se malum, et ideo semper vitandum, nisi sit necessarium ad evitandum maius malum, cum fit bonum secundum quid ».

In quaestione de moralitate impeditionis conceptionis optio habetur inter tria haec:

1) Incrementum prolis, in casu supposito quo rationes honestae suadent contra incrementum.

2) Impeditio prolis per continentiam totalem vel periodicam. In tali continentia generatim gravia damna oriuntur pro bono mutui amoris, fidelitatis, familiae, valetudinis mentalis et physicae coniugum.

3) Vel impeditio prolis per adiumenta efficaciora, ut anti-conceptionalia, pillulas, figuram aliquam « plasticam » vel metallicam in uterum introductam, etc. Etiam cum eorum usu aliquod malum generatim coniunctum est. In unoquoque casu consequentiae malae ex magna parte dependent a natura vel charactere coniugum, de quo alii vix unquam sufficienter iudicare possunt, ergo imprimis ipsorum coniugum erit honeste omnia elementa, et bona et mala, ponderare vel aestimare et illud ex tribus optionibus seligere quod iis ut minus malum appareat. Cum propter rationes honestas illud seligunt quod iis apparebit minus malum, vel, ut positive loquamur, maius bonum, actio eorum erit honesta et laudabilis.

Nec argui potest contra (3) ex usu aliquo « non-naturali » partis physicae hominis, quia:

a) inter coniuges unio intima corporum non tantum permittitur propter prolem, sed etiam suadetur ad exprimendum et fovendum mutuum amorem, qui si etiam ad Deum refertur est valor summus hominis;

b) nec in casu, ubi adsunt rationes honestae contra incrementum prolis, voluntas *debita* prolis a coniugibus excluditur;

c) nec damnum seu malum aliquod physicum vitandum habetur ex effusione infructuosa seminis quae, ut scientia docet, habetur in longe maiori numero actuum usus matrimonii.

Ad *Adnexa* pag. 39, lin. 5, et ad pag. 40, par. 1, linn. 8-9: « immoderatus appetitus possidendi... »; « ut habeatur ratio... totius generis humani ».

1. Nationes divites non eo divites sunt quia bona externa ab aliis rapiunt, sed quia plus aliis student, mediis technicis efficacioribus producendi utuntur, strenue laborant et efficaciter organizant. Nec aliis populis auxilium et progressum praebere possunt simpliciter donando bona externa « superflua », sed adiuvando eos ut et ipsi studeant, magis laborent et organizent, mediis efficacioribus producendi utantur. Immo ad hoc obtinendum quam maxime tribuunt eo ipso quod sunt divites et fiunt ditiores, quia tunc in aliis etiam desiderium oritur studendi et laborandi et possidendi bona uberiora, sic dicta "revolution of rising expectations".

Inutile est eos reprobare propter inordinatum appetitum possidendi, qui probari nequit. Num semper adest minor appetitus in pauperibus quam in iis qui recte et efficaciter operando multas divitias producunt?

2. Nec improbandi sunt quia plura sic dicta « superflua » producunt, quia in praesenti adhuc necesse est, ut omnes opportunitatem operandi vel laborandi obtinere possint, ut plura bona producantur quae « superflua » dici possunt. Nec, nisi alius methodus efficacior demonstretur efficiendi vel providendi opportunitates laborandi pro omnibus, improbandi sunt propter « immoderatam propagandam commercialem », nam industria officinarum vere evoluta, quae omnibus occasionem laborandi praestare possit, non potest haberi sine tali propaganda commerciali, qua bona praeparata et praeparanda hominibus nota fiant et desiderium possidendi ea excitetur. Galbraith, in libro

The Affluent Society, conatus est meliorem distributionem laboris et bonorum ostendere.

Ad pag. 40, par. 1: Verum est opificum esse ius fundandi associationes, « quae capaces sint eorum iura et iusta desideria mediis aptis promovendi ». Immo necessarium est.

Sed nonne etiam admonendi sunt de obligatione non abutendi sua potestate associata? Plura in textu habentur de iuribus opificum, ne verbum quidem de eorum obligationibus. Tamen ubi magna potestas habetur, periculum magnum adest « abusionis ».

Abusus quandoque magnus habetur. In aliquibus regionibus, v. g. in Neerlandia, plures sunt viduae et senes qui in praeterito pecuniam suam in aedificandis domibus expenderunt ut ex mercede victum recipere possint. Sed, maxime sub influxu opificum, cum pretium omnium bonorum factum est quadruplex vel quintuplex, habitationis mercedes domorum veterum nec per dimidium crescere potuit, ita ut ex mercedibus domorum illarum domus nec reparari possint et illae viduae et senes aliique practice omni fructu depriventur. Quandoque etiam propter nimiam inertiam, quae ab associationibus opificum compellitur vel ex aliis methodis (featherbedding) pretium domorum aliarumque necessitudinum nimis adcrescunt.

93

Exc.mus P. D. IOSEPH SOUTO VIZOSO

Episcopus Palentinus

Liceat mihi quasdam suggestiones proferre circa tria themata quae in n. 21 schematis nostri tractantur, quaeque magni momenti habentur et fere universalem suscitant expectationem, nempe: sacralitatem et vim sanctificatricem vitae matrimonialis necnon pericula hodie honestatem coniugalem undequaque minantia.

1. Sacram conditionem status et vitae coniugalis christifidelium quamplures sponsi ignorant vel non agnoscunt vel praetermittunt.

Agitur scilicet de statu a Creatore certissime instituto, a Christo mirabiliter instaurato et per specialem sacramentum sublimato, quo mysticae unioni Salvatoris cum sponsa sua Ecclesia configuratur, unde coniugium exemplar, robur etiamque peculiarem vim suscipit sanctificatricem.

Merito igitur S. Paulus gratiam sacramentalem matrimonii (*1 Cor.* 7, 7) *charisma* appellat, quod *donum* vertitur in Vulgata, ut explicant Theodoretus, S. Hieronymus et S. Augustinus. Ideo ipse Apostolus (*1 Tim.* 4, 3) contra « prohibentes nubere » excellentiam connubii extollit dicens: « Volo iuniores nubere, filios procreare matresque familias esse » (5, 3).

Coniuges igitur christiani, per quos quidam modus praesentiae Ecclesiae in mundo exercetur, debent assimulare et exprimere in vita sua sacram conditionem talis status, sese agnoscendo et proclamando ministros et adiutores

Dei in propagatione et educatione familiae humanae, utpote ex quibus oriuntur « tamquam novellae olivarum » nova membra Corporis Christi humanaeque societatis sive terrestris sive caelestis.

Ob hoc excellens servitium Deo et communitati, tam religiosae quam civili praestitum, amplissimum contrahunt coram Deo meritum et humanae societatis providi benefactores immo et structores efficiuntur. Ideo S. Paulus de matribus scripsit: « Mulier salvabitur per generationem filiorum » (*1 Tim.* 2, 15) et nostris temporibus plures Status civiles, marxismo addictis non exceptis, laudes, honores publicos, privilegia atque valida iuvamina conferunt familiis numero filiorum praestantibus, matribus praesertim.

In hoc puncto desiderantur in schemate nostro aliqua verba quibus S. Synodus laudes et gratum animum exprimat Ecclesiae erga patres matresque familiae numerosae eosque efficaciter alliciat ad munera sua fideliter et generosa alacritate adimplenda. Sic fovebitur spiritus fidei, spei et servitii divini simulque occurretur pestiferae mentalitati iam fere ubique grassanti, iuxta quam parentes prolis numerosae veluti minus docti seu retardati aestimantur et non raro etiam irridentur.

2. Efficacitas sanctificatrix matrimonii christiani in triplici ordine exercetur, scil.: *a*) inter ipsos coniuges; *b*) erga filios; *c*) in proximos familiam ambientes.

Quantum ad primum ordinem, memorari iuvat utrumque coniugem sibi et consorti vere esse causam gratiae sanctificantis, in ministerio sacramenti, simulque vinculi perpetui perenniter exigitivi auxiliorum Dei. Ceterum ad invicem sanctificantur oratione communi, intima conversatione, sincero amore mutuoque servitio.

Ideo S. Paulus scribere potuit ad Corinthios (1, 7, 14): « Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem ».

Quantum ad secundum ordinem, non minor est influxus parentum in filiorum sanctificationem. Prosequitur Apostolus (ibi): alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt ».

Eosque namque sollicite ducunt ad regenerationis lavacrum, quo Christi gratia ditantur Eique vitaliter, ut membra Capiti, inseruntur; ipsos verbo et exemplo instituunt in Dei cognitione, amore et servitio; eosque tempestive ad alia sacramenta et ad cultus divini participationem perferunt, immo saepissime in eisdem sacram vocationem scrutantur, fovent et ad plenum effectum, Deo opitulante, deducunt.

Quantum denique ad tertium ordinem, prout Historia et cotidiana experientia testantur, christifideles, sancte vivendo, omnibus circa ipsos degentibus testimonium Evangelii Christi et exemplum vitae honestae pandunt, quo ceteros alliciunt ad authenticam vitam christianam sectandam, sive in fideli perpetuaque dilectione servanda sive in filiis suscipiendis riteque educandis. Aliunde saepe saepius argumentum validum praebent atque incitamentum ostendendo mirabilem coniunctionem fidelitatis et foecunditatis

coniugalis cum possibili his in terris felicitate sub liberorum tenero amore obsequio ac servitio, immo et sub caelestium atque terrestrium bonorum copia, quibus affluere solent familiae numerosae iuxta notas Domini promissiones, v. g.: « Beatus vir qui timet Dominum... gloria et divitiae in domo eius » (*Ps.* 111, 3); « quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius et haec omnia adiicientur vobis » (*Lc.* 12, 31).

Porro ad faciliorem reddendam honestatem vitae coniugalis, etiam « in medio nationis pravae et perversae » et efficaciorem educationem filiorum, maxime expedit ut in textu enixe commendentur associationes matrimoniorum, quibus familiae mutuo adiuvantur tam colloquiis certis diebus communiter habitis quam spiritualibus exercitiis pro coniugatis. Pariter expedit ut promoveantur coetus atque foederationes patrumfamilias in eundem finem iam multis in regionibus constitutae.

3. Aliquid dicere restat circa tertium ultimumque thema, de periculis scil. honestatem matrimonialem minantibus, ex diversis quidem fontibus exortis, inter quos eminet immoderatum studium commoditatis et oblectamentorum cum diversi generis consectariis.

Unum tantum notare velim, illud nempe quod cum scientifico ac technico progressu connectitur et ad restrictionem foecunditatis, seu « control nativitatis » applicatur, quodque, proh dolor!, in dies per civitates et oppida expanditur, sive usu et abusu inventorum quorumdam sive ope medicamentorum recentium, adhuc sub examine peritorum et de quibus inquirunt atque discutiunt moralistae theologi, quorum non una est in re adeo gravi sententia.

Neque silere possumus dictum « control » in quibusdam mundi plagis exerceri criminosis interventibus a publica legislatione et auctoritate civili promotis vel decretis coactivis, vel persuasione et pravis exemplis vel saltem nimia indulgentia in casibus notis.

Quapropter maximi momenti et valde opportuna videtur concreta, quantum fas sit, declaratio doctrinalis, collatis consiliis Peritorum in re biologica et sociali cum doctissimis Magistris Theologiae Moralis accuratissime elaborata, quam certo certius mundus a Concilio nostro expectat, in qua scilicet memorata crimina vehementer exprobrentur et aptae normae tradantur quibus plurimorum coniugum anxietates et haesitationes subleventur et Moralistarum atque confessariorum opiniones diversae sententiae ad securam trahantur unitatem. Ita complebitur et, ut dicitur, « aggiornabitur » doctrina sapientissime a Pio XII in memorabilibus allocutionibus exposita, de hac complexa atque difficili materia.

Ex quibus omnibus sequentes infero atque propono conclusiones:

1. Commendetur sedula nupturientium praeparatio et laudes pro familiis numerosis inserantur in textu.

2. Promoveantur matrimoniorum associationes necnon et coetus atque foederationes patrumfamilias.

3. Conficiatur authentica, sive publica sive privata, declaratio doctrinalis, concreta et adaequata quantum fieri possit atque expedire videatur, circa usum et abusum diversorum mediorum atque medicamentorum quibus « control » foecunditatis et nativitatis in pluribus regionibus iam exercetur et in aliis mundi plagis propagari coepit, ingenti cum damno vitae religiosae, moralitatis privatae et publicae etiamque boni communis populorum in ordine civili et politico.

94

Exc.mus P. D. IOANNES TAYLOR

Episcopus Holmiae

Thomas Merton, ex theologorum nostrae aetatis maxime mysticus, scripsit bellum totale nucleare et viribus atomorum funestis esse generis humani pravum malum, secundum tantum morti Christi per crucem. Instrumenta bellica nostris temporibus existentiam ipsam humani generis minitentur. Cui minationi, praeterea, haec Sancta Synodus auctoritate morali quanto pollet, respondere debet.

Mundus nos observat ut tandem definiretur postulata et societatis concreta magis peculiaria maximi imperii divini: non necaris. Quia nunc bellum, quod homines et nationes paraturi sunt armis novis, quam maxime funestis, non tantum milites interficiet, sed etiam quam plurimos fratres innocentes morte damnabit.

Duo postulata quae maxime a lege naturali ad concretum veniunt et quidem in lucem Christi revelationis sunt vero: primum, illustrare omnibus parare et facere hodie bellum totale maximum peccatum contra Deum esse; secundum, conclamare omni creaturae humanae adesse grave officium morale repellendi omne contributum quod sit bello totali et quidem agere contra omnes hunc bellum parantes. Igitur, textum de quo agimus firmare et explicare debemus.

1. Obiicitur contra enuntiationem schematis: « ... usus tamen armorum, praesertim nuclearium, quorum effectus maiores sunt quam qui aestimari possint, ac proinde ab hominibus rationabiliter temperari nequeunt ».

Textus apparet *aequivocus* et qua talis non est omnino rectus. Nam si asserta impossibilitas aestimationis armorum in sensu *technico* sumitur, a peritis technicis negari posset; etenim, etiamsi effectus sit maximus et maxime exitiosus, eiusmodi arma tamen certis mensuris technicis subsunt et ideo technice aestimari posse videntur.

Argumentum in textu requisitum et exhibitum terminis *moralibus* procedere deberet distinguendo inter arma quae *bello iusto* conveniant, quod quidem nonnisi inter et contra *milites* ex utraque parte geritur, et arma quae talia sunt ut bellum *totale* efficiant et consequenter iniustum et criminale — quia *indiscriminatim* milites et « civiles » afficerent.

Reiicienda igitur et damnanda sunt arma quae bello totali inserviunt, et inquantum *bella moderna* eiusmodi armis utuntur, et ipsa damnanda sunt, praeprimis sane quae bella aggressiva essent.

2. Consequenter, bellum quod ita *indiscriminatim,* propter ipsam vim et rationem armorum nuclearium, contra milites et non-milites gereretur, damnandum est non tantum « in executione », *sed etiam « in praeparatione »*.

Ubi sane considerandum manet, praeparationem, etsi criminalem, belli totalis ex una parte, necessariam reddere posse praeparationes congruentes ex alia parte — non quidem ut tandem ad bellum exitiosum perveniatur, sed ut bellum actu praecaveatur, scilicet ex « aequilibrio timoris et terroris ». Nam si altera pars arma non pararet, etsi non actu adhibenda, altera quae armata et fortis exsisteret, eo ipso omnimodam facultatem et « libertatem » adipisceretur ad cuiusvis generis iniuria et crimina perpetranda, quae nulla vi adversa frenari aut repelli possent.

In dubio quidem magis christiano congruit iniuriam pati quam committere.

3. His positis, optabilis sane apparet *mutatio textus* in pag. 31, 16 sq.: « ... semper magis alienum fit a ratione bellum instrumentum aptum esse ad violata iura sarcienda ».

Iniustitia belli moderni totalis, tam actu gesti quam mala intentione praeparati, ius et officium inducit pro civibus *recusandi* propriam operam seu cooperationem cum et in bello eius generis.

4. Praeterea, quo magis arma quae moraliter adhiberi non debent undique divulgari non cessant, eo magis oportet in lucem reducere testimonium pacis quo laici huiusmodi malis, modo personali et evangelico, obstare possint. Id quo maxime deficitur moralis theologia traditionalis de bello est conscientiae individualis tractatio. In nostris temporibus, cum collective commissa sunt scelera foedissima, conscientiam individualem iamdudum relictam oblivione exsolvere oportet, id quod melius fit in evangelicis fontibus recurrendis unde exhauritur testimonium personale ad pacem perhibendum.

Si hae emendationes, uti propono in documento annexo, in textu ferentur, theologia nostra de bello theologiam de pace demum amplectabitur. Christiani, in hac aetate degentes, ad summam machinationem bellicam humani generis spectant, quod homines potestate potiuntur ad se ipsos destruendos; propterea, christiani non possunt nisi pacis verba in ore habere et Evangelium caritatis in vita praebere. Pax Christi est lumen mundi. Si nos Patres conciliares lumen splendesci recusamus in hoc opere pacificante hodie necessario, tunc culpa magna nobis erit si mundus per Christum factus (*Io.* 1, 10), ad instrumentos proprios relictus, christianis sine directione assistentibus, in cineres fumantes reducatur.

[*Adhaeserunt etiam*] G. Flahiff, arch. Winnipeg; G. Wheeler, coad. Middlesbrough; G. Grant, aux. Northampton.

Emendationes additae:

2. Controversiae quae forte inter populos oriantur, non vi et armis sed pactis et conventionibus dirimendae sunt. Etenim, licet ius cuidam nationi competere ad iniustam repellendam aggressionem sustinuisset Ecclesia, non minus de iure universali innocentium ad vitam tum bello tum pace, pariter asseverat.[1] Vita humana inviolabilis est, non incaute destruenda, quia ad imaginem quippe Dei factus est homo.[2] Cum vero usus armorum scelestissimorum minitetur, omnino considerandum est ordinem moralem naturae tota sua vi ut mala in se condemnare media belli totalis, id est, usus armorum potentia ingentium, praesertim nuclearium, quae sine discrimine tum belligerantes tum non-belligerantes, tum milites tum cives privatos caedunt.[3] Nullus enim finis potest iustificare illa media quibus vita innocentium directe perditur. Numquam ante hoc tempus adeo necesse fuit ut proclamentur et vindicentur vitae domusque etiam in tempore belli iura illorum qui, maior pars populi in civitate belligeranti, non directe participant in actione belli destructiva. Praeterea, non solum belli totalis executio sed etiam ipsa minatio publica quam civitas instructionibus et statu promptitudinis patefacit, simul damnanda est, quia illi cives quorum subsidium ad praeparationem in antecessum belli petitur, operibus manifestis ut indiciis innixi, hoc bellum non possint iudicare nisi immorale in intentionem esse. Omnes proinde conatus honesti faciendi sunt, ut non solum bellum nucleare ab omnibus nationibus et coetibus solemniter proscribatur tamquam immane crimen sed etiam ut arma nuclearia vel alia similis roboris perniciosi omnino extirpentur et supprimantur.

3. Cum omnis civis secundum suam conscientiam pondus propriorum in bello gestorum in se recipere coram Deo teneatur, civitas ipsa pariter obligatur ad agnoscendum ius quo cives ad conscientiae suae normam participationem bellicam recusarent, imprimis in bello iniusto vel sine discrimine gesto. Quod facinora foeda saepe ab utraque parte patrabantur et quod christifideles ob servilem auctoritati submissionem his in sceleribus participabant, omnino patet: propterea christiani hodierni, qui prae manibus potestatem ad etiam atrociora perpetranda habent, iudicium moralem de bello gerendo auctoritati civili soli neutiquam relinquere possunt. E contra, ipsi subsunt obligationi ex iustitia et caritate ortae, ut mandata auctoritatis perscrutantur ac testimonium secundum conscientiae dictamina perhibeant de Christi pace et vitae humanae inviolabilitate.

Quibus ita clarificatis, vi maiore pollent duo iura omnium civium illa quae nuntio radiophonico in nativitatem D.N.I.C. anno 1944 habito Pius Papa XII descripsit: « Opinionem propriam de officiis sacrificiisque sibi impositis exprimere; ad obedientiam nisi proprio consilio petito non esse cogendus ».[4]

Uti nunc liquet, omnis homo revera est custos fratris sui: immo, Creatore ipso donum mysteriosissimum libertatis largienti, homines potestatem habent vitae necisque in toto genere humano.

Cum hisce temporibus bellum totale economiae Dei et humano generi ipso obstet, oportet ut spiritus Christi Domini urgens sentiatur magis quam non um-

---

[1] Cf. PIUS XII, Alloc. d. 29 oct. 1951: *A.A.S.*, 43 (1951), p. 838.
[2] Cf. *Gn.* 9, 6.
[3] Cf. PIUS XII, Alloc. d. 30 sept. 1954: A.A.S., 46 (1954), p. 589.
[4] PIUS XII, Alloc. d. 24 dec. 1944: A.A.S., 37 (1945), p. 13.

quam antea: Spiritus mitis et humilis [5] qui gladium renuntiat,[6] qui vi etiam iuste allatae natura sua adversatur,[7] qui diligens inimicos,[8] in bono malum vincere conatur.[9] Christiani igitur, ut necessaribus nostrorum temporum melius respondeant, se profundius conscios reddant violentiam naturaliter ex odio profluere; et inquisitioni in dies augenti studeant de caritate et doctrina Christi quae violentiae adversantur.

95

Exc.mus P. D. FRANCISCUS TOMÁŠEK
Episcopus tit. Butiensis

Liceat mihi nomine episcoporum Reipublicae Cechoslovacae aliquod dicere ad cap. IV, par. 23.

Plura abierunt decennia, ex quo Summi Pontifices ad renovandum ordinem socialem vehementer adlaborare coeperunt.

Primis magnis encyclicis socialibus publicatis, non est edita sat practica instructio proponens, quo modo encyclicae in vitam introducerentur. Neque examini subiciebatur, num ad effectum possint perduci. Multis in locis fere in oblivionem venerunt.

Concludi potest: vocem Summorum Pontificum quamvis potentem et in toto orbe terrarum auditam sine fructu visibili remansuram, nisi per institutionem rite ordinatam adiuvetur.

Ad actionem tanti momenti accedere debent imprimis omnes catholici. Etiam homines bonae voluntatis toto orbe terrarum, sive acatholici sive non christiani invitari debent.

Ad hunc finem, videtur nobis, multum proderit, si secretariatus vel simile officium centrale instituatur ad universa opera socialia in Ecclesia dirigenda.

A. *Ad quid secretariatus vel simile officium centrale?* 1. Ante mundum universum manifeste apparebit, quod Ecclesia pro re sociali laborat.

2. Providebitur unitati in labore et methodo.

3. Adunabitur immensus fons experientiarum et sententiarum in re sociali.

4. Facilior erit contactus nec non et cognitio operum insignium in re sociali.

5. Facile erit conspicere, quae in singulis dioecesibus executa sint.

6. Summo Pontifici aderit officium rite constitutum, cui exequenda erunt omnia quae in litteris encyclicis vel in praeceptis characteris socialis a Sancta Sede editis continentur.

---

[5] Cf. *Mt.* 11, 29.
[6] Cf. *Mt.* 26, 52; *Lc.* 9, 54-6.
[7] Cf. *Mt.* 5, 38-42.
[8] Cf. *Mt.* 5, 43-48.
[9] Cf. *Rom.* 12, 17-21.

B. *Munus secretariatus.* In praxim ducere doctrinam socialem christianam hoc modo: 1. Encyclicas sociales Summorum Pontificum in praxim adducere.

2. Statuere doctrinam, quae dirigat novum ordinem oeconomicum respectu habito ad eas, quas officinas vocant, et ad alia instituta, quae quidquid producunt, necnon ad instituta financiaria (mensae nummulariae).

3. Adiuvare oppressos ubicumque terrarum, sive agatur de oppressione religiosa, vel sic dicta rassica, oeconomica, sive de discriminatione cuiuscumque generis.

4. Opem ferre nationibus minus evolutis, praecipue iis, qui fame, qui sub suppressione sunt constituti, analphabetismo, calamitatibus, vel aliis diversis plagis terruntur.

5. Cum moderatoribus civitatum vehementer adlaborare contra effrenum cursum ad arma apparanda. Arma nuclearia omnino excludantur. Multifariam multisque modis iterum et iterum inculcetur: controversias non vi et armis sed pactis et conventionibus dirimendas esse et tales conditiones praeparentur in quibus bellum quodcumque iam ne possit amplius instrumentum legitimum computari.

Omnibus nationibus opem ferre ad progrediendum in veritate, iustitia, libertate, solidarietate, fraternitate, caritate et pace.

6. Maximi momenti est, ut sanctitas matrimonii tueatur. Valde urget, ut statuantur normae, quae cum exigentiis divini iuris plene consonantes, aptae sint ad solvendas difficultates e magno incremento populationis humanae ortas.

7. Promovere divisionem bonorum ecclesiasticorum, ubi immodica sunt aut ubi id circumstantiae postulant.

C. *Quomodo operetur secretariatus?* 1. Curet, ut eruditio socialis sacerdotum profundior sit et studium in re sociali laborandi excitet.

2. Ad hoc tendat, ut studio rerum socialium in scholis mediis, specialibus et in universitatibus magis incumbatur.

3. Membra comitiorum legislativorum de doctrina sociali christiana instruat.

4. Singularum nationum repraesentantes ad consilia invitet.

5. Sui laboris notitiam in mundo diffundat.

Concludo. Humiliter proponere audeo, ut in fine paragraphi 23, cap. IV, de vita oeconomica et sociali haec vel aliquid simile addatur:

1. Opportunum videtur, ut instituatur secretariatus vel officium simile pro rebus socialibus, quod sedem Romae habebit et Summo Pontifici subiectum erit.

2. In omni dioecesi Ordinarius habeat officium pro rebus socialibus, quod ipsi directe subiectum sit.

3. In omni paroecia sit officium sociale, a parocho directum, cui, adiu-

torio diaconorum et laicorum, cura incumbet reformas sociales in vitam paroeciae adducere et omnes iniurias sociales amovere.

Agitur de re maximi momenti in hoc saeculo, nam, uti sat notum est, toto orbe terrarum permagnam motionem socialem progredi.

Si Ecclesia hoc historiae humanae tempore summa cum audacia ad solvendas quaestiones sociales accesserit, ingentem gratitudinem generis humani recipiet, terraque a periculis minantibus salvari poterit.

96

Rev.mus P. D. PETRUS MALACHIAS VAN DIEPEN
Praefectus Apostolicus Manokwariensis

Ad n. 21. Hoc schema tunc tandem sufficientem unitatem et claritatem obtinebit, cum omnia in eo exposita ex uno principio lucem acceperint. Tale principium consistit in descriptione existentiae christianae iuxta mentem Sacrae Scripturae. Postquam in cap. I schematis stabilitum fuerit, principium hoc generale in singulis quaestionibus enodandis vim suam singularem lucide demonstrare poterit.

Quoad hanc de homine doctrinam elucidandam in Relatione super hoc schema, VII, cap. I, effata quaedam occurrunt valde laudanda, praesertim ubi quaestio de mundo huius temporis aequiparatur quaestioni de homine (n. 47), et ubi aspectus vitae humanae, condicio scilicet terrestris qua homo ad munera terrestria obeunda destinatur atque vocatio divina qua ad participandam vitam divinam elevatur, profunda harmonia et unitate in ipsa unitate humanae personae et dignitatis connecti dicuntur (n. 45).

Applicatio horum principiorum in cap. I ipsius schematis, quamvis laudabiliter elaborata sit, non tamen pertingit ad eam maturitatem qua ad instar principii generalis illustrare posset quidquid de diversis muneribus terrestribus adimplendis in sequentibus dictum fuerit.

Ad dignitatem matrimonii et familiae quod attinet, in n. 21 schematis vix reperitur effatum quo nexus cum cap. I schematis apparet. Quaestiones autem quae ad matrimonium et familiam spectant, eodem principio generali solvendae sunt quo et cetera munera terrestria illustrantur. Multa ex iis quae in cap. I schematis inculcantur, retinenda erunt, sed simul perstringantur oportet ad expositionem succinctam doctrinae vere christianae de homine.

Doctrina christiana de homine. In Relatione, VI, sub *a*), ubi agitur de significatione vocabuli « mundus », valde laudanda sunt quae n. 31 asseruntur. « Mundus » universum et hominum familiam amplecti dicitur atque sub triplici aspectu considerari posse; deinde prosequitur textus hoc modo: « Atqui hi aspectus certe inter se distinguuntur, sed de facto, existentialiter, ut ita dicamus, intermixti sunt ». Cap. I schematis in hoc deficit quod in applicandis his affirmationibus non perseverat loquens de existentia humana,

sed huic loquelae sermonem de essentia hominis immiscet, quatenus affirmat Verbum Patris, assumendo sua incarnatione naturam humanam, totum hominem, *corpus et animam* omneque creationis opus, ipsam quoque materiam ad altiorem evexisse dignitatem.

Sed qui naturam humanam describit per notiones corporis et animae, nihil dicit de eo quod in definitione *christiana* de homine omnes considerationes deberet antecedere, silet scilicet de ordinatione hominis in Deum, iuxta illud S. Augustini: « Fecisti nos ad te » (*Conf.* I, 1). Cui consonat S. Thomas docendo homini naturale inesse desiderium videndi Deum. Totus homo hac relatione signatur, adeo ut ea sublata nihil humani remaneret.

Definitio philosophico-analytica, quae notionibus corporis et animae (seu materiae et formae) utitur, relationem tantummodo internam transcendentalem considerat, tacita ea relatione qua homo ordinatus est in Deum et proximum; quapropter a definitione christiana de homine valde deficit. Qui loquitur de corpore et anima, designat naturam, non autem personam. In definitione analytica corpus non habet relationem nisi ad animam; in definitione quam existentialem dicunt *persona per corpus* communicat cum Deo et proximo. In hac consideratione corpus collocatur in relatione in qua persona existit relate ad Deum et proximum. Hoc spectat quae supra ex Relatione super schema retulimus (n. 45): condicio terrestris et vocatio divina conveniunt in unitatem humanae *personae*. Condicio terrestris determinata est per corpus terrestre et periturum; porro corpus, secundum considerationem existentialem, assumitur ad personam quae in ipso se exprimit.

In communione personarum, sive hominis cum Deo, sive hominis cum homine, non solum corpus, sed res quoquo materiales assumuntur et dignitate personae nobilitantur. Qui vero cupidine ductus ab amore Dei et proximi deflectit et mundum diligit, non solum dotes suas naturales, sed totum quoque mundum adspectabilem in malum vertit et sibi dominari permittit.

Revera Sacra Scriptura nusquam loquitur de corpore humano et de mundo universo in se consideratis, sed de eis iudicat quatenus homini facultatem praebent agnoscendi Deum et serviendi proximo. Anthropologia christiana, quam Novum Testamentum docet, constat duobus elementis, quae de cetero in capite I schematis passim recurrunt: homo est subiectum vocationis ad vitam incorruptibilem quam prosequi debet in corpore corruptibili. Testimonia abundant, v. g. *2 Cor.* 4, 16-18: « Propter quod non deficimus; sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem. Id enim, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur, temporalia sunt; quae autem non videntur, aeterna sunt ».

Hae praemissae elucidant doctrinam biblicam de mundo. Doctrina haec valde perspicua est, si animum advertamus ad locum quem mundus obtinet in relatione hominis ad Deum et proximum. Sicut corpus humanum, ita et

mundus universus, si in se considerentur, non est bonus neque malus; de bonitate metaphysica non loquitur Scriptura. Malitia et bonitas, quatenus sunt notiones morales, non sunt nisi in persona quae corpus et res assumit in malum aut in bonum. Ex parte Dei creatura bona est, quia ipse per eam se revelat homini (*Rom.* 1, 20 s.), « de caelo dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra » (*Act.* 14, 16). Ex parte hominis creatura bona est, si homo in ea Deum agnoscat et aestimet « nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur » (*1 Tim.* 4, 4). Eadem bonitas, quae creaturarum propria est cum per eas Deus et homines amore coniunguntur, eminet quoque in mutuo commercio quo homines bonis temporalibus in mutuum adiutorium utuntur.

Hoc modo id quod est corruptibile inservit caritati incorruptibili et per caritatem liberari incipit a servitute corruptionis. Hac via christiani premunt vestigia Salvatoris, qui per oboedientiam erga Patrem et per caritatem erga genus humanum formam servi traduxit ad consortium divinae gloriae, ipse universorum Dominus qui ascendit super omnes caelos ut impleret omnia (*Eph.* 4, 10). Christus qui est caput super omnia a Deo datus est Ecclesiae (*Eph.* 1, 22 text. gr.), ut membra corporis eius una cum ipso capite toti creationi dominarentur. Non solum homo toto corde agnoscat Dei dominium super omnes res, sicut in schemate n. 9 dicitur, sed in Christo participat hoc dominium.

In tempore peregrinantis Ecclesiae homo christianus aeternam vocationem persequitur in corpore corruptibili, per « hominem exteriorem », quo coniunctus est cum mundo corruptibili. In Sacra Scriptura notio corruptibilitatis designat creaturarum caducitatem simul ac earum incapacitatem implendi cor hominis. Is qui finem suum in mundo collocat, est idolorum servus, et ambulat post vanitatem, factus et ipse vanus (cf. *Ier.* 2, 5), quia finem suum ponit in eo quod est corruptibile. Qui diligit mundum, habitat in mundo malo; qui vero habet caritatem Patris, mundum ad bonitatem revocat et fide sua vincit mundum (*1 Io.* 2, 15-17; 5, 4 s.). Homo qui non ducitur Spiritu Dei, serviet creaturis transeuntibus et peribit; qui vero consortium divinae naturae quaerit, fugiet corruptionem quae per concupiscentiam in mundo est et non audiet eos qui « libertatem promittunt, cum ipsi servi sint corruptionis; a quo enim quis superatus est, huius et servus est » (*2 Petr.* 1, 4; 2, 19).

En duo principia fundamentalia doctrinae christianae de homine: 1. Fides in Deum per Christum nos salvantem homini christiano largitur vitam quae cum Christo abscondita est in Deo, donec Christus apparuerit, vita nostra (cf. *Col.* 3, 1-4). Haec autem vita in tempore praesenti non habet qua se exprimat nisi carnem mortalem. « Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus. Quod autem nunc *vivo in carne,* in fide vivo Filii Dei » (*Gal.* 2, 20). Omnis operositas christianorum oritur ex hac vita abscondita quae alitur Spiritu Christi, sed simul et necessario induit formam carnalem. In tota operositate hominis christiani, sive credentis in Deum, sive proximum

diligentis, nihil eximitur ab hoc principio; si ita non esset, homo iam transiisset ad visionem futurae vitae. Cognitio Dei praecise fides vocatur, quia exercetur in corpore terrestri, scimus enim « quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus et non per speciem » (*2 Cor.* 5, 6 s.). Similiter et permanens caritas exercetur utendo transitura necessitate. Nec fides nec caritas operosae sunt nisi assumant formam terrestrem; quia homo per corpus communicat cum hoc mundo qui est tamquam prolungatio existentiae corporalis, res quoque mundanae in servitium suum adsciscit, ut cultu religioso Deo obsequatur et communione rerum inserviat proximo.

Dimensiones formae transitoriae in qua se exprimit caritas, nobis patefecit philosophia, quam existentialem dicunt, una cum scientia et artis technicae progressione atque aliis scientiis quae existentiam humanam utcumque respiciunt. Omnibus his perpensis sequitur quod non sit omnino verum id quod Relatio habet sub n. 33: « Adhuc notandum est quod in mundo elementa et momenta inveniuntur, quae, quamquam ordinentur in ordinem supernaturalem, indolem tamen et leges proprias habent ». Non solum elementa et momenta, sed simpliciter omnia quae in mundo sunt, ordinentur in ordinem supernaturalem. Totus ordo mundanus, ad quem corpus humanum pertinet et cum quo omnino cohaeret, propriis legibus regitur, sive iis quae phaenomena naturalia regunt, sive iis quae societatem hominum ordinant. Omnia haec simul sumpta constituunt *mundum* seu ordinem naturalem, in quo homo necessario degit donec exeat de corpore mortali.

2. Mundus autem tunc solum dirigitur in finem quem Creator ei praefixit, cum homo eo legitime utitur. Atqui homo mundo legitime uti non potest nisi per caritatem. Summa ergo emphasi inculcanda est suprema lex caritatis quae dirigit cor hominis ad Deum et proximum. Ex caritate salus mundi hodierni et futuri dependet. Scientia et artis technicae progressiones, ut habet schema n. 7, per se sunt fructus et signa dominii super materiam. Clare exponenda est distinctio inter hoc dominium et dominium caritatis, quod homo in Christo, universorum Rege, possidet. Dominium christianorum super res terrenas in hoc consistit quod ea libertate gaudent qua omnia cum proximis suis communia habere possint (cf. *Act.* 2, 44). Sub imperio huius caritatis dominium, quod est per scientiam et artes technicas, generi humano vere proderit.

De matrimonio christiano. Doctrina christiana de homine, e Sacra Scriptura deprompta, de matrimonio quoque doctrinam amplectitur. Mutuus enim amor coniugum, sacramento nobilitatus, est unus ex modis quibus permanens christianorum caritas exercetur; in matrimonio quoque caritas induit formam carnalem et transitoriam. Haec forma carnalis nihil aliud est quam ordinatio naturalis sexuum ad perpetuandum genus humanum; in foedere nuptiali caritas hac forma carnali induta vocatur amor coniugalis.

Quaestiones quae hodie moventur et inter se conflictantur quod attinet ad prolem procreandam et numero coarctandam, videntur originem ducere

ex duabus anthropologiis ab invicem discrepantibus. Hanc discrepantiam breviter enucleare intendit praesens interventio. Anthropologia doctrinae biblicae conformis secumfert consequentias quarum praecipuas indicare iuvabit. Omittuntur ea quae ad matrimonium spectant quatenus circumstantiis historicis determinatur; adnotationes sequentes ea tantum in luce ponunt quae unionis coniugalis permanenter propria sunt, licet aetas nostra plus quam tempora praeterita veram indolem vitae coniugalis patefecerit.

Quamvis quae sequuntur nobis videantur esse consideratione digna, eum tamen in modum ea intellecta optaremus ut nullum dubium inferant de promptitudine animi, qua adhaerebimus doctrinae quam Concilium, approbante Summo Pontifice, proponere censuerit.

Consueta doctrina moralis de vita matrimoniali, quatenus adiumento philosophiae utitur, fundatur in anthropologia analytica, quae hominem in seipso contemplatur, non attendens ad eas relationes per quas persona ad personam ordinatur. Corpus humanum non collocatur in istis relationibus, sed ipsum corpus habetur tamquam terminum relationis qua procedit ab anima. Hac via in ipso homine distinguitur inter subiectum agens, personam scilicet prout agit per animam gratia et virtutibus instructam, et obiectum actionis quod est corpus. Per consequens corpus consideratur ut res; porro *ius* in rem *contractu* matrimoniali dicitur transferri in coniugem, qui ex sua parte obligatur ad reddendum *debitum* iustitiae. Terminologia iuridica satis demonstrat corpus revera haberi velut res, cum persona sit *subiectum* iuris, nam *obiectum* dominii iuridici nullo modo esse potest persona.

In hac theoria dignoscuntur duae ordinationes in uno matrimonio: vinculum amoris quod unit animas et mutuum ius in corpus in ordine ad procreationem. Ordinatio sexuum ad propagationem generis humani habetur ut obiectum relate ad personas agentes quae unione animarum coniunguntur. Porro haec ordinatio obiectiva per ipsas structuras corporales manifestat coniugibus quomodo se gerere debeant in exsequendo actu sexuali. Lex naturalis cognoscitur ex naturali ordinatione sexuum; eam violare nemini licebit unquam, cum oriatur ex dispositione ipsius Creatoris. Amoris coniugalis est legem naturalem adamussim observare.

Comparata cum doctrina christiana de homine, quae toti schemati *de Ecclesia in mundo huius temporis* fulcimentum et vigorem praestare deberet, theoria modo exposita ordinationem divinam potius invertit quam salvat, quia amor coniugalis, qui summa caritatis lege animatur, postponitur legi naturali, adeo ut, quandocumque hae leges inter se conflictantur, amor coniugalis legi naturali locum cedat. Revera non raro accidit ut permanens caritas periclitetur propter legem quae fundamentum habet in corpore corruptibili.

Haec doctrinae moralis deficientia debetur theoriae de homine quae dualismum sapit et fundamento biblico caret. Quare theologia moralis de vita matrimoniali revocanda erit ad normam anthropologicam vere christianam, quod eo facilius fieri poterit quo magis nitetur eis effatis quae et in encyclica *Casti connubii,* et in Adnexis ad praesens schema, praeclare enuntiantur de

coniugum mutua donatione personarum. In sermone de matrimonio Ecclesia abhinc non loquatur de traditione *corporis,* sed de traditione *personae,* non iam de *contractu* matrimoniali, sed de *foedere* nuptiali. Invasit nempe in doctrinam de matrimonio ius romanum et pactum iniit cum dualismo anthropologica.

Huic animadversioni generali alias quasdam maioris momenti annotationes subiungimus.

1. Lex naturalis quae sub imperio caritatis vitam sexualem coniugum regit, non est aequiparanda naturali sexuum ordinationi, quia id quod homo cum animalibus commune habet, si in se consideretur, est moraliter indifferens. Lex naturalis vere est lex moralis, eo quod sit in subiecto morali, seu in persona. Ordinatio sexuum ad procreationem fit fundamentum legis moralis propter suam assumptionem ad personam. Quare coniuges lege naturali se gerere tenentur secundum naturalem structuram sexuum.

Dignoscuntur etiam hic duae leges, lex scilicet caritatis quae fundatur in homine ut persona, et lex naturalis quae fundatur in homine ut est facultate sexuali praeditus. Sed nunc tandem clare apparet quomodo hae duae leges in unum subiectum agens uniuntur et se invicem compenetrant. In exercendo actu coniugali persona unitur cum persona, nulla re obiectiva interposita, neque iustitia exigente, sed caritate donante. Amor enim non novit ius, sed tantum debitum (cf. *1 Cor.* 7, 3), iuxta verbum Apostoli: « Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis » (*Rom.* 13, 8).

Actus unionis coniugalis est omnino indivisibilis quamvis duabus legibus regatur. Integritas huius actus requirit ut utraque lex observetur, sed necessitate cogente, lex quae in perituro corpore fundatur locum cedit legi amoris quae personas unit. Hoc principium non differt ab illo quo theologia moralis utitur quando mutilationem corporis permittit ut personam adiuvet, quamvis huiusmodi mutilatio sit contra legem naturalem qua homo incolumitati sui corporis providere tenetur.

2. Quando circumstantiae postulant ut conceptio prolis evitetur, non excludantur media technica, immo haec media moraliter praeferenda sunt abstinentiae totali et fortasse abstinentiae quoque periodicae. Quod demonstratur ex indole ipsius legis naturalis.

In consueta doctrina morali lex naturalis restringitur ad integritatem actus sexualis; attamen, ordinatio naturalis multo latius se extendit quam ad hanc solam integritatem actus.

a) Ad ipsam pertinet ordinatio effectiva in conceptionem prolis; actus enim sexualis est naturaliter actus generationis. Quare coniuges, qui iis temporibus sexualiter uniuntur quibus sciunt potentiam generatricem finem naturalem attingere non posse, hanc ordinationem, fine naturali neglecto, in alienum finem, v. g. amoris incrementum, dirigunt. Theologia moralis iamdudum agnovit legem naturalem legi amoris postponi posse.

b) Ad ordinationem naturalem sexuum pertinet non solum processus biologicus terminans in conceptione prolis, sed valores quoque sexuales ordi-

nis sensitivi et psychologici, qui iam in animalibus observari possunt. Haec omnia assumuntur ad personam in unitate subiecti; et praecise propter hanc assumptionem caritas christiana, quam coniuges cum toto populo Dei communem habent, in ipsis fit amor coniugalis, quia induitur illo affectu qui ordinationi sexuum in alterutrum naturaliter competit. Pastor animarum, qui ad salvandam integritatem biologicam actus sexualis coniuges ab eo arcet, eis commendando continentiam totalem, tollit totam ordinationem sexualem, amorem coniugalem ad communem caritatem reducit, et vinculum nuptiale periclitari facit. Qui vero usum instrumenti commendat, salvat quod in amore coniugali ut tali praecipuum est, affectum scilicet sexualem. Continentia periodica, quae de cetero saepius fallit, forsitan vinculo amoris gravius damnum infert quam usus instrumenti, quia subtrahit vinculo coniugali affectum naturalem ordinis sexualis pro temporibus scientia determinatis; eadem autem scientia procuravit media technica quae salvant affectum actu coniugali expressum. Aspectus autem affectivus sexualitatis profundius inhaeret personae quam aspectus biologicus.

3. Praecavetur periculum ethicae situationis, quia lex naturalis minime tollitur. Caritas autem damnum quod naturalis ordo patitur virtute sua complet. Deficiente caritate hoc damnum innocuum non erit, sed magis magisque coniuges ab invicem alienabit. Lex naturalis non impune neglegitur. Solius caritatis est propter sufficiens motivum ordinem naturalem infringere, quia lex naturalis data est propter caritatem et non caritas propter legem naturalem: « finis autem praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta » (*1 Tim.* 1, 5). Qui autem non habet caritatem, manet sub dominio legis, sicut ibidem habet Apostolus dicens « quia lex iusto non est posita, sed iniustis » (*1 Tim.* 1, 9), et alio loco: « Quod *si Spiritu ducimini,* non estis sub lege » (*Gal.* 5, 8). Ne christiani seipsos deciperent, eos praemunit his verbis: «Vos enim in libertatem vocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per caritatem Spiritus servite invicem. (Omnis enim lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum » (*Gal.* 5, 13 s.).

4. Normae quae in tempore praeterito a Magisterio fidelibus propositae sunt, non sunt abolendae, sed perficiendae. Istae normae collocandae sunt sub primatu amoris. Lex naturalis, quae respicit naturalem ordinem sexuum ad procreationem, immutata manet, et eo perfectius observabitur quo magis coniuges per christianum dominium super res terrenas, desiderium prolis, quod ipsis naturaliter inest, libera generositate implebunt. Hoc modo patebit doctrinam hodiernam normas veteres continuare et perficere.

[*Subscripsit etiam*] G. Van den Elzen, praef. ap. Doruma.

97

EXC.MUS P. D. LEONTIUS ALBERTUS VAN PETEGHEM
Episcopus Gandavensis

Liceat mihi attentionem vestram ad lacunam particularem in redactione schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* advocare.

Frustra enim quaeritur in hoc schemate mentio de cura et promotione iuventutis in mundo hodierno. Quare, rogante amplissimo Domino Ioseph Cardijn proponere audeo ut in hoc schemate locum ipsi conveniens — v. g. post n. 21 ad p. 24 — problemati assistentiae praesertim moralis et spiritualis iuventutis in mundo huius temporis concedatur.

Problema iuventutis hodie novos, quos saeculis praeteritis non habuit, aspectus prae se fert. Ratio huius potissimum est quod iuniores nostris diebus magna pro parte extra familiam vivunt et non iam sicut antea conditionibus traditionalibus existentiae proteguntur.

Plus quam tertia pars populationis mundialis aetatem viginti annorum nondum explevit. Magis quam quingenti milliones iuniorum extra domum familialem operantur. Educatio et institutio eorum saepe saepius fiunt extra ambitum tutelae parentum: in scholis, viis, fabricis, itinere, recreatione et feriis. Iuventus sibimetipsi derelicta incapax est resistendi influxui artium technicorum et culturae industrialis quem subeunt in emissionibus radiophonicis, in televisione, in tabernis et in locis ad tempus liberum terendum. Manifestationes et dolendae sequelae huius situationis sunt: insufficiens efformatio ad vitam et saepe criminalitas individualis et collectiva.

His non obstantibus necessitate ineluctabili mundus futurus in omnibus suis elementis: familialibus, professionalibus, socialibus, culturalibus, religiosis, nationalibus et internationalibus a iunioribus construetur. Ingens inde problema de praeparanda iuventute ad sua ulteriora munera ponitur.

Huius complexi problematis solutio magna pro parte ab *associationibus* iuventutis, a iuvenibus et pro iuvenibus creandis expectanda est. Illis enim iuniores e solitudine et debilitate sublevantur. Illis ad vitam et missionem adultorum efformantur per actionem personalem, per assumendam responsabilitatem, per omnimoda initiativa, per influxum repraesentativum apud auctoritates. Illis denique servitia utilia et necessaria ad eorum evolutionem conduntur, uti sunt orientatio vitae, praeparatio ad servitium militare et ad matrimonium, organisatio temporis liberi, et similia.

Valde opportunum est Ecclesiam et auctoritates civiles publicas et privatas illas associationes iuventutis recognoscere, commendare et adiuvare. Ecclesia potissimum competens et expers est ad instruendam iuventutem de momento vocationis apostolicae, de responsabilitate in communitate religiosa et in mundo huius temporis, de obligatione assistentiae mutuae iuniorum, praesertim magis derelictorum, inter se, de munere constructivo in omnibus campis vitae exsequendo.

His ante oculis habitis suadendum videtur ut schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* paragraphus de cura et promotione iuventutis inseratur.

98

EXC.MUS P. D. VILLELMUS GORDON WHEELER

Episcopus tit. Theudalensis, coad. c.i.s. Medioburgensis

In sectione 23 huius schematis, i. e. in illa sectione quae de vita oeconomica et sociali agit, affirmatur obligatio moralis curam impendendi ut bona terrestria inter membra familiae humanae secundum regulas iustitiae socialis et aequitatis naturalis distribuantur. In paragrapho vero 5 eiusdem sectionis (quae paragraphus in pag. 27 invenitur) dicitur differentias oeconomicas et sociales quae in mundo hodierno existunt in multis rebus graviter contradicere iustitiae sociali et unitati essentiali generis humani. Hae affirmationes tanti momenti sunt pro omnibus christianis aliisque hominibus ut cavere debeamus ne per aliquam ambiguitatem in textum schematis forte irreptam sensus earum genuinus destruatur.

Talis ambiguitas (secundum opinionem meam) irrepsit in pagraphum 5, in pag. 27. Ibi enim legimus: « omnes sane conatus suscipiendi sunt, ut, iuribus personae humanae servatis et ratione habita propriae indolis uniuscuiusque populi, eiusmodi discrimina quam citissime minuantur, et tandem aliquando removeantur ». Certe, respectus erga iura personae et populorum est virtus christiana et verba schematis optimo sensu intelligi possunt, eadem tamen verba sine ulteriori explicatione dicta pro multis ambigua manere et quibusdam praetextu et occasione esse possunt ut *illam* proprietatem privatam quae est contra iustitiam socialem cum verbis Concilii oecumenici defendant. Sunt enim regiones ubi existunt dominia immensa quae bono unius personae tantum vel familiae inserviunt, et eodem tempore bonum communitatis laedunt. Ex tali situatione oeconomica sequitur ut pauci sint divites et multi sint pauperes. Quid mirum, si illi qui in latifundiis permagnis vitam servorum agunt, et media ad vitam digniorem acquirere non possunt, facile fallaciis « communistarum » succumbant?

Ut nemini praetextum praebeamus ad proprietatem privatam quae bono communi non inservit defendendam, oportet ut doctrina catholica sine ambiguitate ulla declaretur. Quae doctrina haec est:

Bona terrestria a Deo toto generi humano data sunt eo fine ut omnes et singuli homines illis bonis utantur et fruantur, non autem ut bona illa ad beneficium particulare alicuius personae, familiae, vel nationis exclusive reserventur. Distributio bonorum, eorum usus et ususfructus secundum iustitiam socialem sunt ordinanda, ita, ut omnes et singuli in fructibus percipiendis partem habeant et nullus sibi intemperate approprient id quod multis inservire deberet.

Doctrina christiana de legitimitate proprietatis privatae semper intelli-

genda est in contextu iustitiae cum amore et caritate christiana. Dominium et possessio rerum ordinari debet non tantum ad bonum personae individualis, sed etiam ad bonum totius communitatis. Aspectui personali aspectus socialis iungi debet. Ut persona humana libera esse possit, ut securitatem habeat materialem, indiget capacitate iuridica bona acquirendi eaque possidendi. Ius autem obligationem generat gravem rebus propriis ita uti et frui ut iura et officia aliorum ne laedantur, immo, quantum fieri potest promoveantur. Caritas Christi urget nos ut hanc doctrinam in theoria defendamus, in praxi demonstremus.

Iustitia socialis exigit ut latifundia ultra mensuram debitam extensa secundum regulas prudentiae dividantur; non tamen per modum confiscationis et de hac re curet civilis auctoritas, cui etiam persolvere oportet optimam solutionem oeconomicam in omnibus. Similiter eadem iustitia postulat ut nationes divitiores populis pauperioribus succurrant et eis in rebus oeconomicis adiutorio sint. Recte de hac obligatione agit schema in sectione 24 ubi sermo est de solidarietate familiae populorum promovenda. Ad paragraphum tertiam vero utiliter addi poterit talem obligationem assumendam esse ex caritate et humanitate et non ex aliquo fine commerciali vel politico. Modus practicus alias nationes adiuvandi est portas pro mercibus aliarum nationum, praesertim pauperiorum, aperiendi. Caveant nationes sic dictae « industriales et magis evolutae » ne damnum humanae familiae inferant liberam communicationem bonorum prohibendo sub praetextu protectionis industriarum propriarum.

In sectione 25, in par. 8 (quae in pag. 30 invenitur) Concilium omnes vocat ad adlaborandum ut gentes in dies magis fraternitate mutuoque regantur auxilio. Gratias agamus ad eos qui voluntarie servitium et ministerium personaliter dare possint. Pro nonnullis christianis talis adlaboratio directa est impossibilis. Indirecte tamen etiam illi multa possunt. Illos ergo exhortemur ut obligationi communi adiuvandi omnes nationes satisfaciant adiuvando labore personali et contributione pecuniaria Associationes internationales et personas morales quae pro bono communi omnium nationum et pro bono particulari nationum pauperiorum magna cum humanitate adlaborant. Fructus laboris talium associationum multum pendet ab adiutorio morali et materiali quod a singulis individuis recipiunt.

In Epistola catholica beati Iacobi Apostoli legimus: « Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat » et « Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa ».

Essentia communicationis cum mundo nostri temporis et deinde eiusque fidei receptio, a laboribus iustitiae et caritatis ante omnia facta erit.

99

EXC.MUS P. D. WENCESLAUS WICISK
Episcopus tit. Caesariensis in Numidia, aux. Gnesnensis

Qualis est episcoporum obligatio *in firmanda pace?* Par. 25 schematis *de Ecclesia in mundo huius temporis* ad hanc quaestionem nullam dat explicitam responsionem. Ecclesia semper fuit et est conscia suae obligatoriae sollicitudinis pacis, est enim ancilla pacis Christi, ex qua vera pax terrena emanat; est etiam mater non solum fidelium, sed etiam omnium gentium. Conscii suae missionis pacis Romani Pontifices, Benedictus XV, Pius XI, Pius XII, Ioannes XXIII cum omni cura agebant circa restaurationem pacis eiusque conservationem.

Haec obligatio sollicitae curae pacis inhaeret etiam officio episcopali, convenit ergo, ut de illa, i. e. episcoporum obligatione fiat in schemate sermo magis explicitus. Episcopi in communione cum Romano Pontifice, et sub eo, participes sunt responsabilitatis boni totius Ecclesiae, boni totius mundi, et consequenter etiam defensionis pacis eiusque conservationis; sunt insuper modo speciali responsabiles portionis, quae eis a Romano Pontifice concredita est et in qua positi sunt pastores a Spiritu Sancto; ergo etiam responsabiles promotionis pacis in sua dioecesi; eorum est praedicare suis ovibus pacem Christi, ex qua demum vera pax terrena emanat. Episcopi sunt apostoli pacis, haeredes doctrinae Christi, evangelii pacis. De hac missione pacis inde a principio eorum episcopatus sermo fit, scil. in ipsa eorum episcopali consecratione. Primum verbum episcopi ad fideles in S. Missae sacrificio sunt verba pacis: *Pax vobis*; pax Christi, qui in sua carne odium occidit, pax Christi, cuius pax terrena est fructus.

Verba exhortationis schematis diriguntur potissimum ad moderatores nationum et ad eos, qui influxum in publicam opinionem exercent, eisque gravissimam responsabilitatem pro pace firmanda inculcant. Hic iterum convenit intexere sermonem de episcoporum obligatoria praedicatione et sollicitudine pacis. Episcopi enim praedicando doctrinam Ecclesiae efformare debent publicam opinionem circa valorem pacis, sive agendo de praeambulis pacis: denuntiando scil. vitia, quae destruunt pacem, ut odium, superbia, extollentia animi, egoismus, quae causa sunt, cur tam saepe classes, gentes et homines diversae stirpis se opponuntur, sive etiam positive educando fideles in sincera aestimatione aliarum gentium, in caritate universali christiana et mutua benignitate.

Episcoporum necnon conferentiarum episcopalium est etiam obligatio saepe directe loquendi de pace, de eius conservatione et modo speciali, quando illa in fundamentis precariis posita periclitari incipit. Eorum est inculcare fidelibus bellum nunc temporis ineptum factum esse ad lites componendas, ad libertatem nationalem recuperandam et vim armorum non esse medium

honestum ad diffusionem idearum inter populos. Et huic obligationi satisfacere debent, etsi aliquando talis praedicatio fiet eis opus ingratum, cum eos impopulares facere ac facili accusationi de defectu amoris patriae exponere queat. Sine adlaboratione episcoporum in suis dioecesibus et nationibus verba Romanorum Pontificum magna ex parte vox in deserto remanent. Timiditas debet eis extranea esse et meminisse debent ad eos dirigi verba Dei dicta Ezechieli prophetae (33, 6 s): « Si speculator viderit glaudium venientem et non insonuerit buccina et populus se non custodierit, veneritque gladius et tulerit de eis animam, ... sanguinem... eius de manu speculatoris requiram » et illud S. Pauli ad Galatas (1, 10): « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem ».

Pax fundari debet quidem in iustitia et caritate et non in aequilibrio periculi et terroris, tamen ex altera parte non debet esse debilis et homini apathico propria; non debet esse talis sollicitudo pacis, qua mali ad habendam securitatem in perverse agendo abutantur et pervertant verbum Christi (*Mt.* 5, 39): « Ego autem dico vobis non resistere malo », obliviscendo Christum non venisse portare pacem vitio et peccato; dicit enim de se (*Mt.* 10, 34): « non veni pacem mittere, sed gladium ». Christus affert mundo pacem suam, pacem fundatam in respectu personae, eiusque iurium tam personalium quam socialium.

Pax, ut recte affirmatur in schemate, est donum Dei et ut donum Dei non obtinetur sola sollertia humana, debet peti humili et constanti supplicatione. Hinc episcopi debent saepe cum suis fidelibus exorare pacem oratione coniuncta cum poenitentia, memores bellum esse in manu Dei etiam instrumentum castigationis pro peccato. At, quando Pater iratus verberat, est felix ad Matrem qui properat. Tunc *Regina apostolorum* monstrat se esse *Matrem fidelium* et *Reginam pacis*.

100

EXC.MUS P. D. CAROLUS WOJTYLA
Archiepiscopus Cracoviensis

P. 21: lin. 18, loco: « ... excitatum ab Illo quia omnia per Verbum creavit ac suo vivificat Spiritu ». Non placet haec expressio, quia: 1) est nimis difficilis et potest non-theologum in errorem ducere, 2) de quali « vivificatione » agitur — naturali an supernaturali? Potius sit ita: « ... excitatum a Spiritu Sancto » (cf. pag. 6, linn. 9-15).

Lin. 20: est: « Cui (i. e. germini a Deo excitato) certe debentur iam plura signa progressus... ». Pro nobis hoc est evidens, pro non-christianis minime evidens; immo haec progressus mundani « appropriatio » eorum iam provocare potest et in oculis eorum contradicere cum declaratione pag. 6, linn. 27-30.

Pag. 22, lin. 5: loco: « verum incrementum personae humanae promo-

veant, ut potius dira etiam impedimenta obstruant ». Proponitur: « *vere crescentem* personae humanae *observantiam* promoveant; *immo,* potius dira etiam impedimenta obstruant ».

Lin. 9: loco: « verbo et amore », proponitur: « *veritate* et amore *aedificata* ».

Pag. 23, lin. 4: loco: « et nova temporibus apta paranda », proponitur: « et ad condiciones novas, temporibus aptas, parandas ».

Linn. 10-11: loco: « ... Dei glorificationem, unde per ipsos filii... », proponitur: «... Dei glorificationem; unde per parentes filii... ».

Lin. 13: est: « Sed cum familia christiana sit imago et participatio foederis amoris Christi et Ecclesiae fidelitate mundo... ». Tota haec phrasis ita mutanda videtur: « Sed cum familia christiana sit imago et participatio foederis amoris Christi et Ecclesiae, *coniugum* fidelitate mundo innotescat viva Salvatoris praesentia in mundo; coniugum autem amore et generosa foecunditate mundo innotescat unitas Ecclesiae eiusque sincera natura (cf. *Eph.* 5, 32) ».

Lin. 32: loco: « efficiendo propitiam », proponitur: « propitiam efficiendo ».

Lin. 35: loco: « et ipsius Ecclesiae, Christi corporis », proponitur: « et ipsius Ecclesiae, quae est Christi corpus mysticum ».

Lin. 38: est: « prolis exigit », sit: « prolis, exigit ».

Pag. 24, lin. 20: loco. « unde bonum fidei », proponitur: « unde eorum fidelitas ».

Pag. 25, linn. 23-24: loco: « tamen promovendae culturae vere humanae id agunt », proponitur: « tamen promovendae culturae vere humanae ille labor productivus suscipitur, ut... ».

Lin. 34: loco: « ... pendet e spiritu dialogi », proponitur: « ... pendet a bona voluntate dialogandi... ».

Pag. 27, lin. 11: loco: « Cum Deus bona terrae commune totius generis humani patrimonium constituerit », proponitur: « Cum Deus bona terrae *ad usum communem* totius generis humani tamquam eius patrimonium constituerit, modum vero ea *dividendi inter proprietarios...* ».

In lin. 12 agitur de divisione bonorum per appropriationem, iamvero in lin. 14 agitur de distributione *fructuum* in productionis processu editorum.

Linn. 14-15: est: « Ecclesia proinde nulli particulari systemati oeconomico obligatur ». Distinguendum est: essentialis adest differentia inter haec tria: 1) Postulata a lege naturali possibilitas practica pro omnibus hominibus relate ad acquisitionem bonorum etiam productivorum in proprietatem privatam. 2) Actualis structura divisionis proprietatis privatae hic et nunc. 3) Concretum systema oeconomicum in processu productionis et distributionis bonorum.

Ergo linn. 14 et 15 ita mutetur: « Ecclesia proinde nulli particulari systemati oeconomico nec ulli historica vel actuali structurae divisionis bonorum in proprietatem privatam obligatur; attamen Ecclesia affirmat ius natu-

rale omnium hominum ad proprietatem aliquam bonorum etiam productivorum acquirendam ».

Linn. 15-16 ita supplendi sunt: « Ipsae autem formae et institutiones, determinantes sive structuram divisionis bonorum appropriatorum, sive systema oeconomicum, novis condicionibus continuo prudenter... ».

Lin. 19: ita supplendus est: « ... destinantur; hoc autem obtineri nequit sine effectiva realisatione iuris non-possidentium ad moderatam proprietatem bonorum etiam productivorum acquirendam ».

Lin. 29: est: «... et redigendo eos quodammodo in servitutem sub iugo propriorum operum ». Haec thesis, quae a marxista theoria de operariorum alienatione in capitalismo inspirata esse videtur, prima vice, nisi fallor, introducitur in doctrinam socialem Ecclesiae. Omittatur haec thesis, quia implicite ducit ad oppugnationem salariatus atque proprietatis privatae bonorum productivorum.

Lin. 40: addendum est: « Insuper naturale hominis ius ad laborem in automatisationis praecipue progressu attendendum est ».

Pag. 28, lin. 8: loco: « vere addicti, imbuti Beatitudinum spiritu, qui totam vitam eorum pervadat et inflammet. Qui Christum... », proponitur: « vere addicti. Ad hoc, ut christiani tales evadant in tota eorum vita, necesse est, ut per paupertatem materialem in spiritu sese in aequilibrio teneant respectu bonorum temporalium, donec ut media ad finem ultimum pro eis appareant. Qui Christum... ».

Pag. 29, lin. 5: loco: «... gravissima iustitiae et caritatis... », proponitur: «... gravissima *socialis* iustitiae et caritatis... ».

Lin. 17: loco: « ... bona terrae necessario in totum hominum genus impendenda sunt... », proponitur: « ... bona terrae necessario in usum omnium hominum, appropriatione facta, impendenda sunt ».

Pag. 30, lin. 30: loco: « quam germano spiritu cooperationis... », proponitur: « quam sincera cooperationis voluntate et concordiae.

Pag. 31, lin. 30: loco: « habentur cohaerens progressus... », proponitur: « habentur: 1) cohaerens progressus... ».

Linn. 31-32: loco: « sint liberae et auctoritas... », proponitur: « sint liberae; 2) auctoritas *universalis* internationalis, qua gaudeat instrumentis necessariis ad bonum familiae humanae universum promovendum, praesertim autem ad bellum vitandum et pacem tuendam... ».

Pag. 32, lin. 6: loco: « respondendo signis Spiritus Dei... », proponitur: « respondendo hominum desideriis a Deo excitatis in cordibus non solum christianorum, sed etiam aliorum hominum ».

Lin. 17: loco: « et Christi eius », proponitur: « et Christi ».

[*Nomine episcoporum Poloniae*].

101

EXC.MUS P. D. PAULUS YOSHIGORO TAGUCHI

Episcopus Osakensis

In cap. IV, n. 24, 5 (pag. 29) agitur de problemate demographico quod grave et complexum dicitur. De facto hoc problema non tangit solum populos qua tales, sed etiam vitam personalem multorum fidelium, qui doctrinam Ecclesiae sequi desiderant sed, in gravibus difficultatibus concretis positi, non vident viam exitus ex cruciali dilemmate. Hoc speciali modo valet in terris, in quibus catholici sunt parva minoritas ideoque matrimonia mixta inter catholicos et non-christianos sunt frequentia. Cura materna Ecclesiae hac in re est omnino necessaria.

Ut breviter sed fortiter exposuit exc.mus J. Rupp cui libenter adhaereo, inter varias solutiones pro hoc problemate habetur illa emigrationis. Liceat mihi fusius rem tractare, data ipsius gravitate praesertim in nostris temporibus. Ob varias quidem difficultates concretas connexas, emigratio non est solutio principalis; potest tamen afferre validum auxilium, specialiter illis Nationibus, quae magnam populationem in relative parvo vel minimo territorio nutrire debent.

Est lacuna in nostro schemate quod agendo de solidarietate familiae populorum non loquitur de emigratione. Debet statui momentum emigrationis pro solidarietate populorum servanda et fovenda simulque declarari debet explicite ius aequale omnium hominum sub hoc respectu, exclusa quavis discriminatione ratione gentis, stirpis, coloris aut religionis.

In priori schemate decreti *de cura animarum,* Append. VI, pag. 100, haec scripta erant: « Deus rerum universarum Creator in totius generis humani utilitatem bona omnia condidit, unde hominibus pateant oportet emigrandi viae; id enim haud minus in humanum genus pietas quam naturae ius ipsum suadet; itemque ius familiarum ad servandam unitatem, ad fovendum congruum incrementum et honestam sustentationem exercetur ».

Similis declaratio inserenda est in nostro schemate. Et quae alibi dicuntur de dignitate et de iuribus personae humanae atque de exclusione omnis discriminationis propter stirpem, colorem aut religionem, hic applicanda sunt ad ius emigrandi. Est factum omnibus notum quod conscientia populorum, etiam christianorum, hac in re nondum sufficienter efformata est: ita ut vigeant in multis terris limitationes, restrictiones et practice etiam exclusiones ob rationem originis aut stirpis, coloris aut religionis, quae contrariae sunt et legi naturali et multo magis legi Evangelii. Neque componi possunt tales limitationes et exclusiones cum solidarietate familiae populorum.

Ordinata migrantium conversatio foveri debet, qua inter advenas et incolas fraterna vigeat caritas et sana in novam communitatem aggregatio melius praeparetur. Pius XII, sanctae memoriae, edidit normas pro cura

migrantium praesertim fidelium gerenda, in Constitutione Apostolica *Exul familia,* anno 1952 promulgata.

Minime tamen oblivioni dandum est momentum emigrationis non-christianorum in catholicas regiones, cum ipsa magnopere conferre valeat ad beneficia tum materialia tum spiritualia, vel ex sola cum fidelibus catholicis consuetudine.

Ut enim familiare exemplum afferamus, iuxta recentes indubiasque computationes, numerus iaponensium qui per plurimas Americae Latinae regiones dispersi commorantur, sexcenta circiter millia emigratorum nunc attingere creditur, ex quibus amplius tercenta millia baptismatis receptione Ecclesiae catholicae adscripti sunt.

Nunc vero, planum est, ex ipsa rerum natura, immigratis omnibus plus minusve concedendum esse novis condicionibus temporum et locorum ubi degunt, firma adhuc religionis libertate manente. Moribus et vita catholicae societatis circumfusi, emigrati non christiani facilius, ut patet, quam in propria Patria, influxum catholicae religionis experiuntur, eorum filii, catholicas scholas frequentantes, instructione catechetica imbuuntur; hocce pacto facile fit ut tandem aliquando, divina moti gratia, baptismatis beneficio donentur.

Concludo. Quare omnino necessarium videtur ut Concilium Oecumenicum hac in re clara principia statuat et sic efficaciter iuvet ad efformandam rectam conscientiam omnium hominum bonae voluntatis, imprimis catholicorum et cunctorum christianorum.

102

Exc.mus P. D. ADEODATUS YOUGBARE

Episcopus Kupelaensis

Optime schema loquitur in n. 24 de solidarietate inter populos promovenda. Haec autem solidarietas iam multum progressa est; attamen duae animadversiones mihi videntur utiles, ut dynamismus christianus vere animet futuros progressus, prima de cognitione et amore ut conditiones auxilii ferendi, secunda de socialisatione.

1. *Qui vult auxilium ferre regionibus minus evolutis eas cognoscere et amare debet.* Schema, saepius dictum est, confectum esse ab occidentalibus viris et in conceptis occidentis. Cum autem loquitur de paupertate, de evolutione, de morbo aut de cultura, haec verba dicunt res omnino diversas sive agatur de occidente, sive de tertio mundo. Legitur in quibusdam foliis haec inserta: « Avec les poubelles de Paris, on pourrait nourrir une ville de plusieurs milliers d'habitants en Afrique ». « Cum superfluo Lutetiae Parisiorum in via relicto, in africana civitate, millia hominum nutriri possint ». Haec asserta non ad rem pertinent... De alia re agitur.

Quod de paupertate dictum est, idem dicendum est de ceteris conceptis quia tertius mundus est alter mundus.

Itaque dare pecuniam ad curanda deficientia vel etiam ad homines adiuvandos ut ipsi laborent et seipsos evolvant, hoc non sufficit. Primum oportet homines cognoscere, homines cognoscere, inquam, non tantum in superficie, sed usque ad intima cordis tali modo ut deinde possibile sit eos vere amare, progrediendo, si opus sit, usque ad extrema caritatis, ut fecit bonus Samaritanus, Jesus, dominus noster.

Si igitur christiani tertium mundum, ut oportet, adiuvare volunt, primum debent eum cognoscere, cognitione vera, quae ducit ad amorem, id est ad participationem, ad colloquium, ad associationem, ad compromissionem. Quapropter multum interest regionum minus evolutarum si christiani ex occidente veniunt. Ex eis, vero, alii non manebunt; sed, quando in patriam suam reversi fuerint, concivibus suis vere dabunt sensum quem nunc exigit conscientia christiana in dies latior; insuper cum maiore generositate et intelligentia auxilium ferre poterunt iis qui operantur in loco ipso tertii mundi; influxum habere poterunt in diversos coetus quorum membra sunt. Alii tamen, quos optamur ut multi sint, audientes invitationem a Summo Pontifice Paulo VI, die 18 octobris factam, in Africa manebunt, sive ut technici consiliarii in negotiis rerum publicarum, sive ut missionis Ecclesiae auxiliarii, sive ut agentes commerciales... Omnimodo autem semper in spiritu servitii et amicalis collaborationis. In his adiunctis, christianus vere competens, sapiens et devotus efficacior erit quam ingens pecunia ut Africa sese evolvat.

Cognitio et amor conditiones sunt necessariae efficacis auxilii.

2. *Socialisatio bene intellecta principiis christianis contraria non est.* In cognitione et amore de quo diximus, tunc apparent quaedam valores quas superficialis conspectus non videt. Hae valores, plerique, ab occidente ignorantur vel negantur a viris occidentalibus de propria cultura tam securis. Sed ipsae reverentiam et zelum afferent ei qui eas cognoscit; sic colloquium inter homines possibile fiet, colloquium autem quod est necessaria conditio verae amicitiae quia non est amicitia nisi quae pares invenit aut facit.

Concilium maiorem instantiam faciens in agnitionem tertii mundi valorum sublineare etiam deberet quantae spirituales valores apud africanos sint. Ex hoc enim fluunt operae maxime concretae. Exempli gratia si loquimur de socialismo, evidens est verbum eadem significatione non frui in regionibus novis ac in Europa. Aliam rem significat ac omnes socialismi occidentales formas. Socialem iustitiam quaerit, personalisticus et spiritualis esse intendit. Africanarum communitatum bona in campo oeconomico evolvere vult. Dixit autem Papa Ioannes XXIII in encyclica *Mater et Magistra*: « quodsi rationes sociales ad huiusmodi normas (i. e. ad normas boni communis) et ad morum disciplinam reapse efficiantur, earum incrementum nullo pacto in causa suapte natura erit, cur in singulares cives gravia discrimina vel nimia onera proficiscantur; quin etiam est in spe ponendum fore ut, id non solum ad homini insitas dotes excolendas perficiendasque, sed etiam ad congruentem humani convictus compaginem feliciter conducat ».

Curnam africanae valores et communitariae maiorum nostrorum mores, a christianismo assumptae, non possent ad rem deducere quod occidentales viri, de socialismo in capitalisticis structuris saepe cogitantes, periculosum putant. Itaque oportet christiani responsabilitates suas in hoc campo sciant, aptationi socialium structurarum faveant, sed festinanter operentur quoniam, cum saepius christiani nimis tardi sunt, moderatores rerum publicarum non in evangelio sed alibi inspirationem quaerunt.

Concilium deberet christianos invitare ut funditus studeant haec problemata aeque ac probare conatus iam factos a christianis pro socialisatione in Africa, ubi saltem incepta est.

Conclusiones. Sentimus necessitatem evolutionis non solum materialis sed vere et plene humanae regionum pauperum. Insuper solidarietas nationum et mutuae responsabilitates melius prospiciuntur. Prima responsabilitas est responsabilitas pacis, omnis evolutionis conditionis.

Sed nos, christiani, meliorem locum habemus quovis homine in labore collectivae evolutionis. Etenim e doctrina vitaque Ecclesiae haurimus principia et experientiam evolutionis quae dignitatem personae et bonum commune simul reveretur. Nos enim scimus quemlibet hominem et quamlibet nationem propriam valorem habere et simul universalem valorem, quae ambae evolvendae sunt. Christiani, ergo, debemus promovere et animare universalem evolutionem, quae sit integra, in cultura solidaria harmonisata.

Utinam Concilium hoc dicat urgentiore sermone.

103

Exc.mus P. D. IOSEPH ZAFFONATO
Archiepiscopus Utinensis

I. *Quoad verborum rectam significationem. a*) In n. 21, pag. 23, ad linn. 15-16, desideratur clarior et intelligibilior, sive facilior, forma illorum verborum « unitate atque sincera Ecclesiae natura ». Forsan non omnes apprime intelligent de qua unitate hic agatur, neque utrum ipsa stricte iungenda sit cum « Ecclesiae sincera natura », neque quid reapse illa « sincera Ecclesiae natura » intendatur in ordine ad matrimonium christianum. Si mens est eloquio perspicuo utendi, hic perspicuitas deficere videtur.

b) In n. 23, pag. 26 ad lin. 20, non amandum videtur illud adiectivum « caecas », cum locutio « vires caecae » sit nimis anthropomorphica et humano pragmatismo contaminata. Nil enim caecum si omnia a Lumine divino exorta sunt divinaque providentia reguntur. Aliud felicius attributum optatur.

c) Gravior est confusio elocutionis in ipsa pag. 31, sub 2°, linn. 4-8, ubi subiectum « usus tamen armorum, praesertim nuclearium » regit haec verba: « Excedit omnem iustam proportionem, ac propterea scelestissimus

coram Deo et hominibus iudicandus est ». Ubi clare patet illud « praesertim nuclearium » *tantum* ad illa verba devenire, non autem « usus armorum ». Corrigenda ergo est omnino expressio, ne errorem ideologicum videatur illa continere. Fortasse autem etiam usus nuclearium armorum non est dicendus « absolute », omni scilicet forma et in omni casu, « iustam omnem proportionem excedere ac propterea scelestissimum esse ». Possibile enim est ut nuclearia arma ita in posterum efformentur et adhibeantur, ut peiora non fiant armis conventionalibus, sed sua efficacia aptiora evadant ad summam iniuriam cohibendam. De futuro nescimus. Sapientius est in ipsa locutione non excedere.

II. *Quoad stylum totius schematis.* Cum in pag. 42, duobus ultimis lineis, dicatur subcommissionem hanc constitutionem confecisse tamquam documentum stricte pastorale, quo Concilium catholicos alloquatur, « tali tamen modo ut per ipsos etiam acatholici, immo et non christiani attingi possint », non videtur pressius instandum in stylistica forma quae magis redoleat vel pietatem vel sensum ecclesiasticum. Ceterum ipsa materia, de qua agitur, postulat ut Constitutionis stylum opportunum respectum habeat ad instantias, immo et ad exigentias verbales humanae realitati et scientiis humanis proprias, sive respiciatur psychologia, sive oeconomia, sive sociologia, sive alia huiusmodi. Est enim in ipso munere pastorali inditum graece cum graecis agere, et barbare cum barbaris. Dummodo, utique, in omnibus Christus praedicetur et « salvetur ». Atque dubium non est in constitutione late et profunde christianum spiritum spirare; qui spiritus, uti consonum est, in *Adnexis* seu in commentario fulgidius apparet. Non congrua, ergo, videtur obiectio quae aliqualem « mundanam » formam improbat stylumque magis « religiosum » optat.

III. *Quoad veritatem ipsam aliquarum affirmationum. a*) In pag. 24, in n. 21, sub 4°, verum et iustum non videtur, vel saltem infeliciter expressum, quod « amoris coniugalis intima vis, fidei servatrix et personarum perfectrix, *aegre servari possit,* nisi ab iis, qui iam *magnis dotibus personalibus ornati sunt* ». Quae sint istae « magnae dotes personales » clarum non est. Inde autem videtur affirmari quaedam excessive ardua catholica vivendi ratio. Notum vero est, in ipsa practica pastorali, « simplices » vel minus affici illa gravi asserta difficultate, vel eam neque persentire. Hic Constitutionis textus videtur nimis attendere quibusdam coetibus vel quibusdam regionibus. Forsan rectius adhibenda est forma alia, verbi gratia: « nisi ab iis qui christianam simplicitatem et magnanimitatem vivere persentiunt atque profitentur ».

b) In ipsa pag. 24, sub 4°, nimia concessio fieri videtur sponsis prolis onus advertentibus, ac excessive in ultimum locum poni breviusque dici « quae tamen numquam sequelam Christi crucifixi evacuare poterunt ». Nonne altius et largius haec Christi crucifixi sequela a Concilio proponenda est, quin minuatur difficultatum benigna consideratio et in quorundam spon-

sorum humanam anxietatem misericordiosa inclinatio? Aliquo modo, sermo est ex opposito cursu ducendus: nempe principia et catholicae austeritatis ratio, in Christi crucifixi nomine et exemplo, praemittenda, postea vero illam benignitatem et persuasibilem misericordiam illustrando.

c) In pag. 28, sub n. 23 et sub 7, melius optandum ut sub 8, ad hoc conficiendum, latius « spiritus evangelicus » Beatitudinum et fiduciae in divinam providentiam et in quaerendo primum Dei regnum proponatur et illustretur. Nulla oeconomica doctrina adaequate catholica dici potest quae illum spiritum non respiret, in faciles vero errores declinaret si semper ad illum spiritum non revertat. Est in illo « sensus limitis » cui attentio permanens haberi debet ne in idolatriam cuiusdam sociologici mythi decidamus.

d) Utique saepe socialia mala indicantur et civitatum moderatores admonentur (pag. 31, lin. 25). Tamen optandum est ut alicubi clarius et pressius « culpae sociales » conclamentur illae privatae situationes — e. g. miseria, disoccupatio, insecuritas, etc. — vel publicae — quales quarundam gentium depressio et barbaries —; « culpae sociales » conclamentur, sive quod sunt contra dignitatem personae humanae sive quod sunt contra bonum commune sociale vel universale. Simulque dicatur oportet illas culpas in primis « civitatum moderatoribus » imputari eorumque conscientiam afficere, cum ipsi in primis teneantur illis situationibus mederi. Ubi non est ordo, ibi est culpa. Ubi non est ordo, ibi auctoritas quod suum est non operatur. Neque auctoritas peccat tantum actione, verbo et opere: sed etiam omissione, sive omissio ex negligentia sive ex ignorantia vel inadvertentia derivet. Utique sanctis verbis haec dicantur, attamen totus mundus a Sacra Synodo verba fortiter sancta super duobus his exspectat.

104

Exc.mus P. D. VINCENTIUS FAUSTINUS ZAZPE
Episcopus Raphaeliensis

Ad n. 25. Optime schema loquitur de pace externa seu de ordinata concordia populorum. Attamen nimis « sociologice » exponitur notio verae pacis, quin ullum verbum dicatur de « pace interna » hominum seu de perfecta quietatione propriorum appetituum in caritate. Cum tamen videamus, inter praecipua « signa huius temporis », hominem hodiernum angustia et desperatione laborari. Deest in toto schemate notio magis biblica et theologica *spei christianae* et *verae pacis.*

Spes theologica, quae essentialiter tendit ad caelestia, aedificando christiane civitatem terrestrem, deberet esse velut *centrum* totius expositionis. Ita haberetur ordo logicus et magis theologicus.

Ad integrum conceptum *verae pacis* haec essent addenda:

1. Christus *Princeps pacis* et *Pax nostra.* In eius persona, opere et doc-

trina. Ipse enim venit pacem annuntiare hominibus (*Eph.* 2). Signum distinctivum temporis messianici. Exponatur sensus « pacis » in S. Scriptura.

2. *Pax ut actus internus caritatis* (cf. S. Thomam, II, II, q. 29). Solum indirecte pax est opus iustitiae utpote removentis prohibens. Essentialiter pax « causatur ex caritate secundum ipsam rationem dilectionis Dei et proximi » (S. Thomas). Exponatur ergo pax ut fructus internus caritatis, gratiae supernaturalis et inhabitantis Spiritus Sancti in nobis.

3. *Opus artificis pacis.* Inter beatitudines annumeratur: « Beati pacifici... », idest artifices pacis. Constructor pacis suum finem consequitur non solum exhortando homines ut arma deponant nec solum stabiliendo iustitiam, sed praesertim creando, *in caritate,* conditiones sociales, oeconomicas et politicas quibus homo habeat possibilitatem acquietandi legitimas aspirationes et fruendi bono perfecto.

Haec postulamus, substantialiter adhaerentes interventioni scripto traditae ab exc.mo D. Eduardo Pironio, ep. aux. Platensi (in Argentina).

[*Subscripserunt etiam*] Albertus Devoto, ep. Goyanensis; S. Méndez Arceo, ep. Cuernavacensis; J. M. Medina, ob. aux. de Mendoza; A. M. Aguirre, ep. S. Isidoro in Argentina.

105

Exc.mus P. D. ELIAS ZOGHBY

Archiepiscopus tit. Nubiensis, vic. patr. Antiochenus Melchitarum

Habeatis me excusatum eo quod adhuc licentiam loquendi petierim. Necessarium enim mihi videbatur unum punctum momentosum vobis breviter indicare digito, relate ad paragraphum vigesimam primam capitis quarti huius schematis.

Locutus est Papa Ioannes XXIII, felicis memoriae, in sua encyclica *Pacem in terris* de aequalitate viri et mulieris in fundandam familiam. In quo textu non agebatur, ut videtis, de iuribus sponsorum in familia iam fundata, in qua, iuxta adagium paulinum, vir est caput mulieris; sed in familiam fundandam. Illud mulieris ius, per se primo, in electione futuri sponsi exercendum est. Id quod vobis occidentalibus ut evidens apparet, quia in regionibus magis evolutis vere ita est, ullo modo verificari in multis mundi partibus, vobis affirmare valeo. In regionibus nempe ubi religiones non christianae grassantur, etiam in communitatibus christianis privatur mulier hoc iure, sicut in Asia, in Africa et aliis locis, in quibus matrimonia ab auctoritate parentum, quoad mulieres decreta sunt, et hae uniones, nullo modo sicut in Hollywood fit, contrahuntur.

Si registra matrimonialia quae ab Ecclesia conservantur, aliquis attendere velit, tot et tot matrimonia nulla declarari propter hanc rationem videbit. In multis casibus enim pressio super puellam exercita fuit ut ad nuptias convolet et sponsum a parentibus designatum accipiat.

Saepissime, in his regionibus, puella passiva est in elaboratione matrimonii et obiectum est negotiationum dignitati humanae offensivarum. Nec de eius aspirationibus, nec de gustibus, nec de aetatis differentia consideratio habetur. Ex quo discordiae exoriuntur frequentes, vita miserrima et sine exitu, circumstantiae nullo modo educationi et bonae evolutioni prolis faventes. Schema nostrum ergo hanc libertatem essentialem puellae in electione coniugis affirmare debet.

Denique velim animadvertat congregatio venerabilis quam necessarium sit pastoralem theologiam huius sacramenti retractare. Unio enim coniugum tam profunda tamque mystica est ut S. Paulus cum unione Christi cum Ecclesia comparaverit. Aspectus corporalis non est principalis, tamen in illum prae aliis, quod doleo, attentionem fingimus ad regulas normasque statuendas; quo fit ut nimis nos, ex mea sententia, in vita intima coniugum immisceamus, ideoque cum fideles conturbemus tum sacerdotes qui initio sui ministerii de aliis rebus solliciti esse debent. Activitas sensuum non regitur modo casuistico, immo potius augmentatione vitae spiritualis ac mysticae.

Nonnulli e Patribus, hac in aula, petiverunt ut modus quo theologia moralitatis christianae exponenda est retractetur. Ego equidem urgeo necessitatem pastoralis theologiae matrimonii christiani retractandae, ceterorumque sacramentorum, ubi periculum est ne vires humanae pro actione Spiritus Sancti substituantur.

Sit mihi venia aliquid breve, sed oecumenice maximi momenti dicere adhuc de termino « indissolubilitate », de quo agitur pag. 23, lin. 39, in relationem cum matrimonio. Verum est traditionem communem Patrum et magisterii ordinarii, necnon Concilii Tridentini, fundatam nempe super Evangelium, semper tenuisse hanc doctrinam, quae de fide est. Sed uti scitis, usus contrarius, scilicet divortii, in quantum fundatur super dictum in Matthaeo saepe citatum de adulterio, et qui a legislatione imperatorum christianorum, ut Iustiniani, a iure romano tolli non potuit, remansit in praxi Ecclesiarum Orthodoxarum.

De illo usu numquam locuta sunt antiquiora Concilia Oecumenica, et Florentinum hanc rem ita positam dirimere noluit. Iamvero ut cum per plus quam duodecim saecula ita fuit interpretatio Matthaei in utraque Ecclesia, proponerem, ne offendiculum novum introducatur in dialogo oecumenico, ut terminus « indissolubilitate » supprimatur.

106

EXC.MUS P. D. PAULUS ZOUNGRANA
Archiepiscopus Uagaduguensis

N. 24. L'un des problèmes les plus graves qui se pose au monde d'aujourd'hui est celui des pays en voie de développement. L'Eglise se doit d'alerter tous les hommes de bonne volonté sur ces questions et de donner à ses fils des directives.

Notre schéma en parle au n. 24 mais d'une façon trop restreinte et trop générale. L'importance de ce problème pour la paix du monde mérite que le Concile expose plus en détail la situation économique et sociale des pays du Tiers Monde, montre la nécessité d'un nouvel ordre économique et social basé sur une nouvelle éthique internationale.

I. Les pays en voie de développement sont actuellement en « perte de vitesse » en égard au développement gigantesque des nations favorisées: le déséquilibre entre les uns et les autres s'accroît.

a) Par le fait de l'accroissement de la population: dans les années à venir, les estimations scientifiques sérieuses prévoient un accroissement de la population bien plus grand dans les pays actuellement en voie de développement que dans les pays riches. D'ici l'an 2.000 la population va doubler dans les pays pauvres alors que dans les pays riches de population déjà plus faible l'accroissement ne sera que d'un tiers.

b) Autre facteur de déséquilibre: les possibilités de développement sont dans les pays pauvres sans comparaison aucune avec celles des pays riches: celà est dû entre autres facteurs à l'usure des sols et leur utilisation irrationnelle, aux faibles capacités d'investissement, à l'insuffisance des cadres, au peu de disponibilités énergétiques, au retard de fait de l'enseignement, etc. ...

Ces réalités sont en général assez connues de tous ceux qui abordent les problèmes du développement.

c) Mais récemment la conférence de Génève sur le commerce a mis en relief un facteur important de déséquilibre: la détérioration des termes de l'échange: les produits industriels importés augmentent de prix tandis que les produits exportés par les pays pauvres perdent de leur valeur sur le marché mondial. Or même si l'aide financière apportée aux pays sous-développés continuait, elle ne pourrait empêcher dans l'état actuel des échanges commerciaux la diminution constante du revenu national des pays pauvres et donc l'accroissement du déséquilibre.

d) Il ressort de ces faits que les pays en voie de développement sont en réalité enfermés dans des cercles vicieux. Prenons un exemple: dans plusieurs régions d'Afrique, on a mis en place une animation rurale: des paysans jeunes, sur les conseils de techniciens courageux et compétents, et

grâce à des aides financiers extérieurs, ont mis en place de façon satisfaisante une production agricole meilleure et plus variée. Mais très souvent ces efforts ont été réduits à néant parce qu'il a manqué des cadres moyens formés ou l'argent nécessaire pour des investissements nouveaux (la vente des produits agricoles se faisant mal ou à des prix insuffisants) ou simplement la persévérance de l'effort financier et de l'aide technique des nations riches. Et celà n'est pas dû tellement à la déficience des intéressés qu'au système actuellement en vigueur qui mène à de telles impasses.

II. Et il faut hélas reconnaître que ce système économique, les pays riches ne veulent pas le changer car celà les dérange dans leur plan de développement à eux. Aussi est-il nécessaire d'affirmer qu'il faut instaurer et promouvoir un nouvel ordre économique et social à l'échelle du monde, basée sur une nouvelle éthique internationale.

Pour les pays riches. a) Il faut d'abord rappeler sans cesse que le superflu appartient en justice (et non de par le devoir de l'aumône) au pauvre. De même que la non assistance aux personnes en danger de mort est puni par la loi civile, ainsi nous rappelle saint Basile « quiconque ayant en son pouvoir le remède au mal et qui volontairement par avarice, refuse de le donner recevrait à bon droit le même châtiment que celui qui tue de sa propre main ».

L'aide financière des pays riches en faveur des pays pauvres doit donc en justice s'accroître.

b) Il est nécessaire aussi de rappeler que les perspectives intéressées des donateurs (intérêts économiques, militaires ou idéologiques) doivent faire place à une amitié vraie et désintéressée. C'est uniquement sur ce plan de l'amitié que pourra se construire un développement universel et intégral dans une civilisation solidaire où chaque partenaire sera partie prenante sur un pied d'égalité. Ainsi les cercles vicieux pourront être brisés car l'amour est plus fort que la mort.

c) Il faudrait en outre, dans les relations économiques entre pays, assurer l'équité des échanges. Les pays capitalistes ne sont guère prêts à ce sacrifice pourtant nécessaire.

Pour les pays pauvres. a) Ils doivent prendre conscience de la nécessité de ne pas gaspiller leurs faibles ressources et d'utiliser au mieux les aides reçus pour le bien commun et non pour des intérêts particuliers.

b) Ils doivent aussi, dans un souci de réalisme qui conditionne leur avenir, prendre conscience que leurs économies sont complémentaires; ils doivent donc d'eux-mêmes — selon le principe de subsidiarité — se grouper pour former entre eux des espaces économiques viables.

Conclusions. Ces quelques aperçus très brefs de la réalité économique actuelle devraient être mis en lumière dans notre schéma ou dans les annexes. Sans donner de solutions d'ordre technique, le Concile doit ouvrir les yeux des chrétiens sur les réalités telles qu'elles se présentent aujourd'hui;

car c'est à partir de cette réalité que doit se faire le développement: l'imprécision dans l'analyse de la situation porte en soi le germe d'un échec.

Les experts doivent donc être entendus pour compléter ce n. 24 de notre schéma et répondre ainsi au rôle maternel de l'Eglise, aux exigences de la justice, à l'attente des pays en voie de développement.

107

QUIDAM EXC.MI PATRES CONCILIARES

Observationes sequentes pertinent ad doctrinam de matrimonio et familia, prout nunc in schemate et in *Adnexis* continetur.

1. Haec doctrina laudatur propter eius evidentem spiritum humanum. De spe, amore et de difficultatibus hominum realistice et humaniter loquitur.

2. Etiam laudatur haec doctrina inquantum monstrat Ecclesiam curam habere de problematibus matrimonialibus christifidelium, et desiderium retinere has difficultates sublevandi, inquantum fieri potest secundum leges divinas.

3. Serio autem deficit haec doctrina in eo quod nullibi in schemate statuitur legem Dei semper validam esse, contraceptionem intrinsece immoralem et semper peccatum esse, et finem primarium matrimonii esse procreationem et educationem prolis. Adest apud populos nostros nunc confusio generalis de immutabilitate legis contra contraceptionem; quae confusio nequit dissipari usquedum omnia haec clare in schemate exprimantur — et non tantum in Adnexis. Propterea, paragraphus 1 in pag. 22 in Adnexis in ipso schemate ponenda est.

4. Doctrina de responsabilitate sponsorum (in schemate, p. 24, linn. 4-12) omittit punctum fundamentale et maximi momenti pro populis nostris: necesse est sponsos legi Dei semper oboedire et numquam in matrimonio peccatum committere.

5. Ea quae pluries dicuntur de incompetentia Ecclesiae vel Pastorum in difficultatibus solvendis, et de competentia sponsorum solum (schema n. 14, pag. 15, linn. 25-36; n. 21, pag. 24, linn. 24-28; *Adnexa,* pag. 22, linn. 29-43) quoad decisionem limitandi prolem, videntur portare nullum valorem vel spiritualem vel pastoralem. Certo certius hae notiones auctoritatem magisterialem Ecclesiae, necnon auctoritatem spiritualem Pastorum diminuent, et sponsos sine ducibus in tenebris relinquent.

6. Illa paragraphus in Adnexis (pag. 22, linn. 12-24), quae de sponsis peccantibus loquitur, possibiliter populos ad complacentiam in peccatis conducet. Videtur haec paragraphus modo nebuloso ad onanismum continuum referre. Oportet autem peccatum semper uti malum pessimum describi, et non sine referentia ad *Gn.* 38, 9-10 adque eius interpretationem obviam et traditionalem. Omnino impossibile est reconciliare doctrinam hac in para-

grapho cum eo proposito emendationis firmo qui ad validam confessionem requiritur. Haec paragraphus videtur recidivismum confirmare.

7. Nos infrascripti petimus ut haec doctrina de matrimonio et familia penitus reformetur et secundum litt. enc. *Casti connubii* repraesentetur, ita ut nullum remaneat dubium de eius vera significatione, vel de eius rectitudine morali, vel de eius effectibus in vita nostrorum populorum.

[*Subscripserunt*] J. Whealon, ep. tit. Andrapa; H. Soenneken, ep. Owensboro; P. Bantigue, ep. tit. Catula; G. Speltz, ep. tit. Clanei; A. Wildermuth, ep. Patna; J. Malone, ep. tit. Alabanda; M. J. Green, ep. tit. Trisipa; Cl. Issenmann, ep. Columbus; R. Ackerman, ep. Covington; G. O'Keefe, ep. tit. Candiba; W. Boudreaux, ep. tit. Calinda; G. Okeye, ep. Port Harcourt; H. Clinch, ep. tit. Badie; St. Kocisko, ep. Passaic; J. Grellinger, ep. tit. Siene; J. Pohlschneider, ep. Aachen; I. Strecker, ep. Spingfield; O. McCoy, ep. Oyo; J. Moynagh, ep. Calabar; A. Nwedo, ep. Umuahia; J. Hagan, ep. Makurdi; A. Delisle; E. Lawton; P. Etoga; D. Ekandem, ep. Ikot Ekpene; M. Del Rosario.

108

QUIDAM EXC.MI PATRES CONCILIARES GALLIAE

N. 21: *Dignitas matrimonii et familiae.* Projet de texte remanié.

Plan: Prooemium: qua methodo procedendum sit: 1) Signa temporum: amor coniugalis et familia in praesenti; 2) Nuptiarum divinum mysterium; 3) Amoris coniugalis indoles et foecunditas; 4) Familia christiana in humana societate et in Ecclesia; 5) Conclusio pastoralis.

Trois *règles* ont présidé à la rédaction de ce texte remanié:

1) Conformément à l'*intention principalement pastorale* du Décret envisagé, on a cherché à mieux l'adapter, fond et forme, à la mentalité et à la sensibilité des hommes de ce temps, chrétiens ou non. C'est pourquoi, notamment, on y est constamment passé de l'amour conjugal à la famille, et non l'inverse comme dans le texte du schéma (ex. gr. dans le prooemium; dans le report en § 4 de ce qui forme le § 1 du schéma). Pour la même raison, on a développé le § 4 et, dans la conclusion pastorale, une morale des vertus de la vie conjugale, substituée à une morale se référant essentiellement aux préceptes et à la casuistique.

2) Conformément à la volonté de *ressourcement biblique* exprimée par Jean XXIII, de « théologie concrète et historique » centrée sur l'« histoire du salut » prônée par S. S. Paul VI, conformément aussi à l'acquis antérieur du Concile (*De Ecclesia, De Revelatione,* etc.), on a cherché à mettre plus de sève biblique que n'en comporte assurément le schéma (cf. entre autres le § 2, entièrement nouveau). Il serait de mauvaise pédagogie que le Concile, après avoir tant insisté sur l'urgence de ce ressourcement biblique, ne commence pas par en donner l'exemple dans ses propres textes.

3) Conformément aux requêtes d'*opportunité conciliaire* formulées par ceux qui ont pris part à l'élaboration du schéma XIII, on a cependant gardé la quasi-totalité de son texte. On a veillé notamment à respecter les passages qui marquent un si heureux progrès par rapport aux documents antérieurs du magistère en matière de morale conjugale, de régulation des naissances, etc.

Il semble souhaitable qu'un remaniement semblable de... genre littéraire soit fait pour les autres parties du schéma XIII, vraiment très moralisant et... ennuyeux. On y collaborera volontiers si les responsables estiment qu'un tel travail doive être entrepris.

Textus propositus.

(*Prooemium*). Ad imaginem Dei qui caritas est (*1 Io.* 4, 8. 16) creata, persona humana feliciter non maturescit nisi diligatur et diligat. Quam dilectionem primum experitur puer cum parentibus ac etiam cum fratribus et sororibus. Sed inter diversa dilectionis genera insignem locum in hominum corde tenet amor coniugalis, quo perfici solent iuvenes ac virgines ab alio amore, parentum scilicet, orti, Sacra Scriptura dicente: « Relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una » (*Gn.* 2, 24; *Mt.* 19, 5).

Coniugum amori familialique instituto altiores radices maioremque firmitatem ac divinam nobilitatem ope matrimonii sacramenti tribuentes, Christus et eius Ecclesia ad humanae personae profectum indeque ad cultiorem vitam humanam maxime contulerunt. Nunc autem in omni gente familiales coniugalesque mores et affectus propter evolutionem civilizationis plus minusve mutantur ac etiam in diversa pericula et problemata nova incidunt. Unde de his interrogata Ecclesia respondere intendit, missionem a Christo acceptam exsequens perennemque Christi lucem in novos campos fundens.

1. (*Signa temporum*: *amor coniugalis et familia in praesenti*). Connubium, quemadmodum diversae societates, sub duplici respectu considerari solet, scilicet ut coniunctarum personarum relatio et ut institutum ad determinatos fines sub certis legibus conditum.

Hominum quidem alii sub priori respectu, alii sub altero connubium per prius considerant, sive propter diversas traditiones, sive propter personales rationes. Sunt quorum oculis proles et familia postulationesque vel exigentiae in sponsalibus contrahendis maioris ponderis sunt ac mutuus sponsorum amor et consensus. Sunt etiam qui magis attendunt ad mutuum coniugum amorem, non propter hoc renuentes vel oblivioni dantes amoris foecunditatem familialeque institutum, quo proles foveri debet.[1]

Utraque autem cogitandi ratio quaedam beneficia praebet, ac etiam quibusdam periculis subest, quibus invigilandum est. Institutum enim familiale corrumpitur quando deest inter sponsos verus amor, et e converso amor depravatur quando foecundam stabilemque familialem vitam excludit.

---

[1] In Theologia principaliter analyticia et obiectiva, sicut et in Iure, auctores procedunt priori modo, ab instituto familiali ad amoris vitam progredientes, non sine iustis validisque rationibus. Theologia autem concreta, praesertim pastoralis, quae hodie rerum genesim seu evolutionem libentius considerat, et propter hoc hodiernis hominum mentibus melius accommodatur, a mutuo sponsorum amore eiusque in natura et in gratia propria indole ad familiae indolem perennesque exigentias recte procedit.

A. - Ubi quidem stabili et foecundae familiae ut instituto praeprimis attenditur:

1) Amor coniugum valida in societate fulcimenta invenit, quae non semper praebet fragilis affectus cordis et sensuum, praesertim inter iuniores ortus, et parentum sapientia saepe confert ad coniuges recte eligendos, quibus bene providetur bono fidei.

2) Inde etiam providetur bono prolis, quod securitatem indissolubilis familiae requirit.

3) Quibus accedit beneficium personale coniugum qui, familiae sic addicti, responsabilitatem suam in societate et coram Deo tamquam plene adulti assumunt veraeque libertatis viam ingrediuntur.

Illa tamen beneficia non omnia obtinentur, vel amplioribus damnis compensantur quando hic fere solus matrimonii aspectus in praxi consideratur. Etenim:

1) Coniugium ab extrinseco fultum ab intrinseco debilitatur et tabescit, cum coniuges illud magis patiantur quam velint; si praeterea familia e rure migrat in civitatem, eo magis periclitatur quo longius a traditionalibus fulcimentis recesserit.

2) Si familia stat sine coniugali amore, nec viri nec mulieris cor satiat, et bonum fidei in magno periculo versatur, praesertim ex parte viri, cuius adulteriis non pauci populi nimis indulgent.

3) Bonum etiam prolis (eius praesertim educatio) in tali familia, ubi deest coniugalis amor, reapse non satis procuratur quoniam, ut scientifica observatione constat, profectui psychologico et morali filiorum valde necessarius est tener affectus parentum non tantum erga filios ipsos, sed etiam inter se.

4) Ipsorum tandem coniugum, etiam virorum, personali evolutioni et accessui ad veram libertatem ac responsabilitatem institutum familiae amoris expers et plus minusve coactum potius obstat quam favet, imprimis quando familialis vita non tantum traditionum, sed etiam patrimonii servandi et augendi pondere premitur. Saepissime in talibus adiunctis conditio uxoris plus minusve deprimitur, nec ratio in turpem servitutem degenerat, muliere ab omni fere iuribus personae privata, immo ut mancipium empta. Quae mala quandoque polygamia aggravantur, quae humanae dignitati tam virorum quam mulierum gravissime infensa est.

B. - Alibi econtra, praesertim inter illos qui moderna evolutione maxime fruuntur, in matrimonio praeprimis intenditur mutuus tenerque coniugum amor. Talis amor per fas et nefas in cantibus et carminibus, in libris et ephemeridibus, in radiophonia, cinematographia et televisione ceterisque instrumentis socialis communicationis quotidie extollitur. Cuius crescentis studii et favoris causae videntur esse culturales et structurales hodiernae civitatis mutationes, necnon incommoda quae patiuntur homines catervatim et sub ductu technicarum artium continuo viventes.

Ubi autem matrimonium et familia in amore vere humano, sensibili quidem, sed insimul spirituali fundantur, maxima beneficia accipiuntur. Etenim:

1) Connubii soliditas, gratia Dei adiuvante, ab intrinseco provenit, mutatisque vitae adiunctis, secura permanet familia se circumstantiis adaptans, cum utriusque personae vires omnes commune bonum appetant. Unde tutius servatur bonum fidei.

2) Quod in bonum prolis tantum vergit, quantum profectui psychologico et morali filiorum prodest tener parentum inter se affectus.

3) Ipsarum etiam coniugatarum personarum dignitas et felicitas firmatur cum liberum et vere mutuum sui donum faciant, uxore nullatenus depressa.

Unde viris et mulieribus hac in mente viventibus summe formidandum est, non quidem ne amorem nimio momento aestiment, sed potius ne in amando facilioribus, vilioribus fragilioribusque contenti sint. Nam variae causae hodie ad amorem summe ambiguum, mere affectivum et instabilem vel etiam mere sensualem, ad voluptuosam communionem, quavis adultorum responsabilitate reiecta, quaerendam, quinimmo ad immoralem erotismum et turpem pansexualismum incitant. Quibus omnibus non tantum bonum prolis excluditur vel saltem laeditur, sed etiam personalis dignitas et libertas tum viri tum mulieris graviter deprimitur. Inter quorum causas potissimae reperiuntur: motus materialisticae vel amoralisticae philosophiae; cupiditas maioris lucri, qua instrumenta socialis communicationis latissime diffundunt vilioris amoris imagines, utpote turbas magis allicientes; spectacula saltationesque plus minusve pudori ac personarum dignitati infensa.

Vitae familiali ac etiam personali obstant insuper adiuncta crescentis industrialis oeconomiae et hominum in urbibus conglobationis, scilicet: opificium cui nuptae incumbunt; crebriores sponsorum migrationes, laboris causa evenientes; domiciliorum exiguitas variique defectus, immo carentia; praetermissis populorum translationibus propter bella evenientibus.

C. - Tum propter familiae fautores amori non satis tribuentes, tum propter amoris fautores familiae non satis tribuentes, Sacra Synodus in mentem revocare debet et vult familiae et amoris veram naturam et arctam necessitudinem mutuam, quam Dei verbum docet et de quo magis magisque consentiunt humanarum scientiarum periti. Ac imprimis monet ne amor coniugalis et stabilis foecundaque familia ad utriusque gravissimum detrimentum seiungantur.

Familia enim, sicut quaevis alia societas, est propter personam, nec missionem suam vere impleret si ad quamdam stirpis propagandae servitutem inviti redigerentur sponsi, praesertim uxor. Similiter autem persona humana perfectionem suam attingere non potest si societati non se devoveat, maiore in dies libertate et dilectione. Filiorum ergo sicut et parentum bonum et dignitas requirit ut vita propagetur a sponsis se totius personae dono libero et vere mutuo in coniugali societate seu familia tradentibus, quae donatio non debet esse nisi perpetua inter virum unum et mulierem unam, nec omnes optandos fructus praebere potest nisi in vero amore fiat.

Verus quippe amor coniugalis, tener affectu et opere probatus, plane exsuperat labilem inclinationem mere affectivam, quae si egoistice excolitur citius et misere evanescit. Communi ad meliora conatu e contra formatur, ac proinde supponit fines communes communemque valorum hierarchiam necnon in his finibus assequendis veram communionem amoris mutuumque adiutorium.

In qua communis profectus mutuaeque provectionis voluntate sponte ac necessario implicantur desiderium et intentio filios procreandi et educandi. Cui enim pulchriori communi operi vir et mulier amore iuncti possent incumbere, quam vitae communicandae novis personis mox parentum dilectioni mutuam redditturis vicem genusque in futurum propagaturis? Quo meliori modo possent

amorem suum ad hanc nobilitatem erigere, ut communis omnium boni causa fiat et censeatur ab omnibus? Quid pretiosius sibi invicem donarent, nisi prosperos laetosque filios? Quo firmiore vinculo, quando praesertim in discrimine ponitur eorum unio, quam prole adhuc communi responsabilitate instituenda, iungerentur?

Vicissim autem foecunditas non perficitur, nisi filiis pacate feliciterque tam corpore quam animo crescentibus, quod fieri nequit nisi mutuus parentum amor simul lucidus, fervidus et indefectibilis appareat.

Amore coniugali recte radicitusque sic intellecto, omnino superanda est repugnantia quam hodie nonnulli se videre putant inter foecunditatem et coniugalis amoris requisita. Vera humanus coniugum amor prolem cupit ac in ipsa firmatur et perficitur, Deo in parentibus propriam similitudinem augente cum per illos vitam humanam, optimum scilicet creationis opus, suscitat.

Quibus perspectis et recte intellectis (quod cuiusvis est hominis), claritatem ac firmitatem addit divina Ecclesiae concredita revelatio.

2. (*Nuptiarum divinum mysterium*). Pro bono enim ipsius Ecclesiae omniumque hominum, discipuli Christi Domini in illa Sancta Ecclesia, quae est Corpus eius, divinarum nuptiarum mysterium et redemptionem amoris viri et mulieris in virtute sanguinis eius omni quem possunt modo illustrare debent. Iam plures poetae christiani hodierna die mysterium illud divinum magnifice cantaverunt. Iam pastores theologique in lumine fidei clarius quam eorum antecessores illud posuerunt. Iam innumeri coniuges, quorum plures ad doctrinam illam christiani matrimonii ferventius colendam in piis associationibus conveniunt, mundo perpulchrum et alliciens dant testimonium de coniugalis amoris humana et divina honestate. Iam tandem tota Ecclesia sic progreditur in illa magnifica biblicae revelationis traditione et gratia quae ab Abraham et Sarah, Isaac et Rebecca, Iacob et Rachel in promissione incipiens, per mysterium sponsalium Domini Dei cum populo suo in deserto et nuptiarum eius cum virgine filia Sion in prophetis et in Cantico Canticorum prophetice celebratum, magnifice ascendit ad nuptias Verbi incarnati, Filii Mariae sponsae iusti Ioseph, cum Sancta Ecclesia. Illarum divinarum nuptiarum, in annuntiatione inceptarum (*Lc.* 1, 38), in Cana Galilaeae significatarum et in cruce consummatarum (*Io.* 2, 1-11; 19, 25-27; 19, 34), nos credimus, testante apostolo Paulo (*Eph.* 5, 32), quod christiani sponsi gratia sacramentali matrimonii sui sunt participes. Fuerunt certe, in nuptiis divinis Domini Dei cum populo suo, teste Osea propheta, sicut evenire potest nunc in humanis nuptiis graves infidelitates non Dei quidem, cuius firma est fidelitas, sed fragilium hominum qui thesaurum istum in vasis fictilibus portant (cf. *2 Cor.* 4, 7). Redemptor autem noster Christus seipsum tradidit pro sponsa sua Ecclesia, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet eam ipse sibi gloriosam, non habentem maculam, et ut sit sancta et immaculata (*Eph.* 5, 25-28). Ita et viri debent diligere uxores suas (*ibid.*) in virtute et gratia illius divini mysterii amoris Christi pro Ecclesia sua, nihilominus ac mulieres debent in eodem mysterio eademque gratia viros suos diligere sicut Ecclesia in Spiritu Sancto diligit sponsum suum Christum (cf. *Eph.* 5, 22-24; *Apoc.* 22, 17). Sic tandem, omnes christifideles vocantur ad beatitudinem nuptiarum Agni (*Apoc.* 19, 9), quando sancta civitas Ierusalem nova descendet de caelo a Deo parata sicut sponsa ornata viro suo (*Apoc.* 20, 2). Huius eschatologici mysterii divina-

rum necnon humanarum nuptiarum, cuius ad consummationem iam ab initio tendebat creatio hominis in virum et mulierem (*Gn.* 2), christiani sponsi, sacramento matrimonii consecrati, nunc inter nos et in mundo sunt et esse debent testes efficacesque monstratores.[2]

3. (*Amoris coniugalis christiani indoles et foecunditas*). Cum enim[3] homines nostrae aetatis libenter exaltent amorem inter virum et mulierem, coniugum christianorum est mundum sic[4] illuminare de vera natura amoris coniugalis, quo viget non solum communitas maritalis sed tota familia, libenter agnoscentes etiam[5] exempla veri amoris eorum qui fidem christianam nondum profitentur. Communione enim perfecta veri amoris coniugalis christiani, cum sit imago et participatio foederis amoris Christi et Ecclesiae (*Eph.* 5, 32), necnon fidelitate splendoreque istius coniugalis amoris omnibus hominibus[6] innotescant viva Salvatoris praesentia in mundo eiusque permagnus, foecundus et purificans amor in suam sponsam Ecclesiam. In illo divini amoris mysterio sic assumptus, coniugalis amor est necessario indissolubilis,[7] inter prosperas et adversas vitae vicissitudines. Ut autem huiusmodi amor in mundo aestimetur et colatur, adlaborent christifideles tum exemplo tum educatione iuventutis tum necessaria renovatione culturali et sociali, praesertim efficiendo propitiam opinionem publicam. Ita, efficacia coniugalis amoris plane christiani, a radicibus providebitur bono, saluti et felicitati tam familiarum quam etiam nationum.[8]

Nil enim[9] foecundius amore coniugali fideli atque puro, ad profectum ipsorum coniugum, atque ideo societatis et ipsius Ecclesiae, Christi sponsae.[10] Matrimonium non est merum procreationis instrumentum, sed ipsa natura foederis indissolubilis inter personas, et maxime bonum prolis exigit, ut coniuges eo modo quem antea diximus[11] se vere ament; et si proles deficit, matrimonium non solum suo fundamentali valore suaque indissolubilitate non privatur, sed etiam in isto saepe doloroso discrimine, sponsos invitat ad alias foecunditatis formas, ad multimoda scilicet servitia proximorum, vel societatis, vel Ecclesiae.[12] Etenim, sicut omnes sciunt,[13] talis est amoris coniugalis indoles ut matrimonium natura sua

---

[2] Toute cette page de sève biblique est destinée: 1) à juxtaposer, comme le second volet (contrastant) d'un dyptique, la conception du mariage dans l'anthropologie de la Révélation biblique et la conception de l'amour dans l'anthropologie moderne décrite dans le paragraphe précédent; 2) à déjà exercer ainsi sur les hommes de ce temps à qui s'adresse ce texte l'attirance de cette anthropologie biblique, tellement plus belle et plus riche que ne peut prétendre l'être l'autre; 3) à leur faire pressentir que tout ce qu'il y a de bon dans celle-ci vient en fait de celle-là.

[3] Adverbe ou conjonction de raccord littéraire.

[4] Adverbe ou conjonction de raccord littéraire.

[5] *Etiam* pour mieux marquer qu'il s'agit là d'une autre source de lumière.

[6] Plus concret; et évite la répétition de *mundo* dans la même ligne.

[7] L'indissolubilité, à parler formellement, vient de la consécration sacramentelle.

[8] Les lignes 15-17 remplacent la dernière ligne du texte du schéma (p. 23, ligne 33).

[9] Clausule de raccord.

[10] L'image de l'*Epouse*, dans ce contexte, est plus indiquée que celle du Corps mystique.

[11] Clausule continuant d'appuyer le dialogue sur le consensus universel, et évitant que l'on se donne inutilement l'air de vouloir énoncer et imposer des principes.

[12] Cette addition est nécessaire, semble-t-il, en raison des foyers privés d'enfants, que le schéma ne doit pas donner l'impression de négliger.

[13] Voir note 11.

ordinetur ad prolis procreationem et educationem. Unde verus amoris coniugalis cultus totaque vitae familialis ratio inde oriens eo proditur, ut coniuges generose dispositi sint ad cooperandum amori Creatoris et Salvatoris, qui per eos suam familiam dilatat et ditat, donec compleatur numerus fratrum in aeterna communione Sanctorum congregandorum (cf. *Apoc.* 6, 11).[14] Iam autem nunc, familialis instituti vis ex hoc apparet quod repentinae immutationes culturae hodiernae id non solum avertere non potuerint sed potius inter varios eventus momentum eius [15] multorum conscientiis magis manifestaverint.[16]

Quod vero ad numerum prolis attinet, sponsi christiani sciunt se non caeco instinctui mancipatos esse, sed vere Deum creatorem glorificare et seipsos in Christo perficere, si munus procreandi implere satagunt cum plena et conscia responsabilitate secundum Dei dona verique amoris normam. Qua in re non sine precibus et communi conatu iudicium prudentiae sibi efformabunt non semel pro semper, sed suo quoque tempore, dignoscentes conditiones paedagogicas et oeconomicas, salutem quoque mentis et corporis, et praeter bonum ipsius familiae et Ecclesiae etiam necessitudines temporalis societatis.

4. (*Familia christiana in humana societate et in Ecclesia*). Sic,[17] sacra familiae natura, quam homines pii nunquam ignoraverunt, omnibus plene illucescere debet [18] in fide Christi. Deus enim caritatis suae consilio voluit coniugium non solum ad prolis procreationem et educationem ac mutuum viri et mulieris adiutorium in rebus terrestribus sed etiam ad mutuam filiorumque suorum in divina caritate [19] sanctificationem et communem Dei glorificationem, unde per ipsos filii, immo et proximi et totus ambitus in quo degit familia, invenient sanctitatis et salutis viam.[20] Familia enim, et praecipue familia christiana cuius fides luce traditionis biblicae illustratur, in seipsam verti non potest nec debet. Ab initio Creator familiam instituit ad implendam terram et subiciendam eam (cf. *Gn.* 1, 28). In unaquaque familia et in familiarum multiplicatione (cf. *Gn.* 2, 24), vires totius familiae humanae ad universam creationem in finem suum deducendam renovantur et augentur. Societati civili eiusque multiplicibus laboribus et in melius mutationibus tota familia concurrendi studium imprimis habere debet non neglectis, e. g. familiarum consociationibus. Civilis autem societas, quae tunc floret cum floret familia, sanctuarium familiae, omni quo possit modo, revereatur atque inviolatum servet, omnino in tuto ponendo parentum ius procreandi et

---

[14] Addition destinée à entretenir l'atmosphère biblique et la perspective eschatologique en laquelle le mariage, comme toute la vie chrétienne, doit être vécu, perspective selon laquelle à la fois on s'adonne à un effort constant vers la perfection et on accepte humblement de ne pouvoir atteindre qu'au terme cette perfection.

[15] La « vraie et immuable nature » de la famille, sur laquelle les hommes d'aujourd'hui seraient d'ailleurs loin de s'entendre, leur apparaît à coup sûr moins unanimement que son « importance ». Cette correction est donc préférable pour le ton du dialogue que le texte doit le plus possible conserver.

[16] Supprimer les lignes 39-40 du schéma, qui risquent de compromettre inutilement et trop tôt l'accord de base nécessaire au dialogue.

[17] Raccord littéraire.

[18] Infléchissement vers la conclusion pastorale.

[19] La sanctification des enfants est essentielle à la famille, comme celle des parents.

[20] Les lignes 12-16 du schéma ont été utilisées plus haut (cf. p. 6, lignes 5 ss.), et on a placé ici un texte plus développé sur l'ouverture nécessaire de la famille aux tâches de l'Eglise et du monde.

educandi prolem secundum legitima propriae conscientiae praecepta.[21] Ordo enim a Conditore naturae inditus postulat ut omnium viribus promoveatur[22] ius hominis ut non solum possit nasci in sana familia, sed etiam ibi educari et ut persona proficere atque suo tempore familiam in vero coniugali amore[23] condere sub conditionibus oeconomicis, socialibus et spiritualibus[24] ipsi familiae eiusque membris propitiis.

Similiter autem, in familia christiana tam parentes quam filii et filiae, salva tamen semper vita familiali, se devovere debent missioni operibusque Ecclesiae Christi in mundo, et Pastores ipsi curam semper habere debent ut tam coniugum inter se quam puerorum et parentum relationes indesinenter crescant in praxi doctrinae evangelicae de coniugali amore et de familia.

5. (*Conclusio pastoralis*). Ad sponsos ergo se convertens Sacra Synodus sincere agnoscit multis et gravibus ipsos praepediri difficultatibus oeconomicis, sociopsychologicis, civilibus, quibus perdurantibus amoris coniugalis intima vis, fidei servatrix et personarum perfectrix, difficile servari potest,[25] nisi ab eis qui iam magnis dotibus personalibus ornati sunt. Praesertim agnoscit crebram difficultatem componendi responsabilitatem, vi cuius proles saltem ad tempus augeri nequeat, et tenerum amoris cultum, quo cessante coniuges saepe sibi velut extranei fiunt, unde bonum fidei in discrimen vocatur et ipsum bonum prolis pessumdatur, sive quoad educationem prolis iam habitae, sive quoad animum vivum et apertum servandum ad prolem in posterum, rebus minus adversis, procreandum.

Agnoscit haec omnia Mater Ecclesia et hortatur sponsos ne animo deficiant. Deus enim cor uniuscuiusque hominis noscit. Testi illi divino coniuges certi sint placere imprimis per suum mutuum vere caritativum amorem; per iustitiae observantiam quam sincero et concordi animo habent erga filios et filias procreandos vel etiam, quibusdam in rerum adiunctis, non procreandos; per generosam certe sed non anxiam, caritativam et non servilem praxim temperantiae specifice coniugalis, non omisso ad tempus et mutuo consensu evangelico consilio (*Mt.* 19, 12) ab apostolo Paulo iterato (*1 Cor.* 7, 5); per usum etiam cognitionum de die in diem proficientium legum et honestarum medicinarum corporalis vitae tam viri[26]

---

21 On a ajouté le droit de procréation (contre les prétentions de certains Etats à limiter les naissances par voie d'autorité). D'autre part, on a supprimé la limitation des droits (et devoirs) des parents à l'éducation *religieuse* de leurs enfants, limitation qui, par surcroît, donnait au texte, bien inutilement, une nuance revendicatrice.

22 La *protection* de ces droits ne suffit pas: il y faut une promotion en progrès constant.

23 Nécessaire mention de l'amour conjugal pour équilibrer, en droit et en opportunité pastorale, la mention de la famille.

24 Interversion de l'ordre des trois adjectifs justement mis par le schéma. Cette interversion est plus conforme à l'esprit des hommes de ce temps qui pensent plus volontiers en schèmes de genèse concrète qu'en schèmes de hiérarchie abstraite des valeurs.

25 *Aegre,* qui est de l'excellent latin au sens voulu par le schéma, introduit néanmoins pour plus d'un lecteur une nuance déplaisante dans ce contexte, nuance qu'évite le *difficile* proposé en remplacement. *Potest* est préférable à *possit* pour tenir la pensée au plan des faits.

26 La mention des hommes (viri) est très importante. En tous les travaux sur la limitation des naissances, on se limite vraiment trop à la considération des données biologiques féminines, et on oublie que l'homme aussi doit, dans sa morale, acquérir une meilleure connaissance des conditions physico-psychologiques de sa propre vie sexuelle. A lire certains ouvrages mêmes chrétiens, il semble que l'homme n'aît aucun effort à faire, et que l'on doive chercher seulement du côté féminin les moyens de limiter les naissances, au risque souvent de compromettre gravement l'équilibre psychique des malheureuses que l'on traite ainsi!

quam mulieris. Sacra Synodus, firmiter tenens quod praxis illa personalis virtutum caritatis, iustitiae, prudentiae, temperantiae in illa generosa et beata sequela Christi crucifixi quae necessaria est in hoc sicut in aliis campis vitae christianae (cf. *Mt.* 16, 24), sunt prima et efficaciora media salutis coniugalis amoris et familiaris vitae, hortatur etiam omnes in scientiis anthropologicis, psychologicis, medicis, sociologicis, peritos et ipsos sponsos sua experientia et virtute edoctos ut cum theologis adlaborent, ut complexus ordo a Providentia naturae inditus altius in dies exploretur. Solutiones practicae multorum conflictuum partim iam apparent, partim adhuc sperari possunt.

Ministros vero Ecclesiae hortatur Sacra Synodus ut, dum exigentias tam legis divinae quam illius libertatis filiorum Dei cuius leges positivae paedagogus tantum sunt in consilio divino (*Gal.* 3, 24-25) et quae decidere non debet in falsam libertatem carnis (*Gal.* 5, 13-24) in memoriam fidelium ministerio praedicationis vel sacramenti poenitentiae revocant, attenti sint fraterne tam difficultatibus persaepe ortis ex gravibus praesentis vitae socialis defectibus, quam ex fragilitate vel etiam malitia morali fratrum suorum. Memores sint etiam quod sponsi persaepe debent in vita coniugali tenere et componere bonum castitatis cum bono mutuae fidei bonoque prolis, et etiam cum salute tum corporali tum spirituali totius familiae. Christianos tandem omnes, et praesertim sponsos invitat Sacra Synodus ad consentiendum quod ministri Ecclesiae, dum evangelicam temperantiam, coniugalem amorem et fidelitatem, nuptiarum divinarum mysterium nuptias humanas consecrans omnes homines edocent, simul familiam atque verum coniugum amorem et felicitatem defendunt et promovent.

[*Subscripserunt*] J. Urtasun, arch. Avenion.; R. J. Piérard, ep. Catalaun.; A. Caillot, ep. Ebroicen.; St. Desmazières, ep. tit. Byblien.; J. Hermil, ep. aux. Autun; M. Riopel, ep. aux. Rennes; M. Maziers, ep. aux. Lyon; P. Boillon, ep. Verdun; L. M. de Bazelaire, arch. Chambéry.

109

Exc.mi PATRES CONCILIARES IUGOSLAVIAE

Infrascripti episcopi petunt, ut in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* in c. IV, n. 24, post lin. 36, addatur sequens vel similis incisa de minoritatibus nationalibus: « Ex eadem ratione tuenda sunt iura minoritatum nationalium, quae ob varias rationes intra fines nationis alius stirpis continentur. Hac in re aperte profitendum est, quidquid contra has gentes agatur ad coercendum stirpis vigorem atque incrementum, iustitiae officiis graviter adversari; multo magis, si prava huiusmodi molimina ad ipsam gentis internectionem spectent.

Immo vero iustitiae praeceptis apprime respondet, a reipublicae moderatoribus efficacem dari operam provehendis humanis conditionibus civium stirpis numero inferioris, nominatim quod attinet ad eorum linguam, ingenii cultum, avitas consuetudines, opera et incepta in re oeconomica.

Minoritates vero nationales meminerint, ne ea quae suae gentis sunt pro-

pria, plus aequo efferant, sed commoda quoque agnoscant, sibi ex peculiaribus istis adiunctis orta: ad ingenii nempe sui atque animi perfectionem non parum conferre cotidianam cum civibus alio civili cultu imbuto consuetudinem » (Litt. Enc. IOANNIS XXIII, *Pacem in terris*: *A.A.S.*, 1963, p. 283).

[*Subscripserunt*] G. Bukatko, arch. Beograd; M. Alaupović, arch. Vrhbosna; F. Šeper, arch. Zagreb; M. Oblak, ep. tit. Flaviade; D. Nežić, ep. Poreč i Pula; C. Zazinović, ep. Krk; P. Čule, ep. Mostar; A. Tokić, arch. Bar; St. Bäuerlein, ep. Djakovo; G. Pogačnik, arch. Ljubljana; J. Jenko, ep. tit. Acufida; M. Držečnik, ep. Maribor; M. Garković, arch. Zadar; V. Burić, ep. Senj; J. Armerić, ep. Šibenik; M. Zvekanović, adm. ap. Jug. Bačka; G. Lach, ep. tit. Dodona; A. Pichler, ep. Banjaluka; F. Kuharić, ep. tit. Meta; J. Segedi, ep. tit. Gissaria; C. Bezmalinović; J. Pavlišić, ep. tit. Bruzo; F. Franić, ep. Split; S. Čekada, ep. Skoplje.

110

EXC.MI PATRES CONFERENTIAE EPISCOPORUM INDONESIAE

Ad n. 20. *Dignitas personae fovenda,* pag. 21, linn. 16-21: « Ecclesia agnoscit etc. »: Per haec verba nimis impressio datur ac si Ecclesia iudicat de aliqua re extra se facta. Dicatur: « Desideria et studia ista sub luce fidei ut germen bonum salutanda sunt, quia omnino conveniunt cum iis quae de dignitate omnis hominis in revelatione apparent. Credit etiam Ecclesia hoc germen esse excitatum ab illo qui omnia per Verbum creavit ac suo vivificat Spiritu, et maturos eius fructus esse sperandos, si plena Evangelii luce evolvatur. Hanc ob rem cum gaudio et gratiarum actione animadvertuntur iam plura signa progressus, ex hoc germine provenientis: in dies intentius student multi etc. ».

Pag. 21, lin. 31 - pag. 22, lin. 3: « explicari possunt iura et officia »: per haec verba non satis elucet difficultas in inveniendo, quae iura et officia homini, consideratis signis temporum, conveniant. Etiam melius vox « quoque » omittitur, quia haec consideratio signorum temporum non est aliquid adveniens sed conditio essentialis; quare dicatur: « Quae omnia conveniunt cum dignitate personae humanae ad imaginem Dei creatae et in Christo mirabilius instauratae, ex qua dignitate, consideratis signis temporum, magis ac magis explicari debent iura et officia, quae homini aut absolute conveniunt aut saltem pro rerum statu sunt congrua ».

Pag. 22, lin. 4: dicatur: « Attamen progressus in multis adhuc est lentior in re quam in cognitione communi (ex pag. 21, linn. 20-21), et tantum adhuc abest etc. ».

Pag. 22, linn. 25-29: ut magis appareat agi de opere cum omnibus hominibus bonae voluntatis faciendo dicatur: « Quia haec dignitas personae humanae fovenda est exigentia ipsius Evangelii, christifideles tenentur ad libertatem et responsabilitatem personae humanae vindicandam, maxime reno-

vando condiciones vitae, omnibus suis viribus cooperari, et in hac re, omnibus mentis angustiis et pessimismo abdicatis, incepta omnium hominum bonae voluntatis promovere ».

Ad n. 21: *dignitas matrimonii et familiae,* pag. 22, lin. 31: « Ordo a Conditore naturae inditus »: ad hoc animadvertendum est vox « natura » ab hodiernis saepe in alio sensu intelligi quam hic, quo agitur de persona humana, intenditur.

Pag. 22, linn. 35-39: « repentinae immutationes culturae hodiernae... inter varios eventus veram immutabilemque eius naturam multorum conscientiis magis manifestaverint »: Conscientiae hodiernae potius manifestum est familiae realisationem in cursu historiae uniformem non esse nec esse debere, ut in pag. 23, lin. 2 clare et bene dicitur. Et ideo ut terminologia hominibus huius temporis sit adaptata, textus loqui non debet de « immutabilitate » naturae familiae. Dicatur « veram profundioremque (vel intimioremque) eius indolem ».

Pag. 32, lin. 2: « promoveant valores familiae »; ut indicetur etiam hic agi de munere cum et pro omnibus praestando, dicatur: « cooperent ad promovendos valores familiae ».

Pag. 23, linn. 8-12: « non solum... sed etiam ad mutuam sanctificationem »; adiutorium in rebus terrestribus nimis separatur a mutua sanctificatione; res ita exprimenda est ut appareat quod coniuges pro invicem cooperatores gratiae esse debent specialiter per ea quae pro matrimonio sunt specifica i. e. per ea quae mutuus amor in terrenis exigit.

Pag. 23, lin. 6: « Sacra familiae natura »; dicatur: « sacra familiae indoles ».

Pag. 23, lin. 18: omittantur verba « in sacra religione », quia dictum valet pro tota educatione.

Pag. 24, lin. 24: loco « Mater Ecclesia » dicatur « S. Synodus ».

Pag. 24, lin. 28: loco « Ecclesia » dicatur « Magisterium Ecclesiae ».

Ad totum n. 24: hic textus de matrimonio et de familia valde laudandus est propter modum quo momentum personalisticum matrimonii extollit, propter realismum in describendis difficultatibus coniugum, propter accentum vere humanum et christianum omnes considerationes pervadentem. Sed rogandum est num in hoc tempore, novis opinionibus apud theologos, coniuges et in cura animarum operantes consideratis, in hac materia tractanda omitti possit reflexio super normas morales matrimonii in praeterito iterum iterumque a Pastoribus Ecclesiae inculcatas. Si non egent nova elaboratione quoad contentum vel interpretatione, saltem tamen egent renovatione in modo loquendi et in argumentatione.

Salvo casu quo Supremus Pontifex hanc materiam sibi vult reservari, proponendum iudicamus de hac materia in aula Concilii non esse disceptandum antequam Commissio competens textum de normis supradictis sedulo paravit.

Ad n. 22: *De cultura rite promovenda,* pag. 25, lin. 6: ut indicetur nexus cum tribus capitibus prioribus, dicatur: « His omnibus sub luce fidei consi-

deratis, nemo non videt, quantopere christifideles teneantur ut istas foveant relationes etc. ».

Pag. 25, linn. 19-20: « itaque et ipsa religio a culturae progressu incrementum non parvum accipit ». Non omnino liquet quomodo hoc ex dictis sequatur. Itaque explicatio ne omittatur et forsan loco « accipit » dicendum est « accipere potest ».

Pag. 25, lin. 36: addatur ad textum « iam eo ipso, *uti e supradictis* (in cap. I, II, III) *patet, ...* »; haec verba addantur ut nexus cum illis capitibus indicetur.

Pag. 25, linn. 38-39: loco « Omnes fere artes » dicatur « Persaepe artes... », ut omnis exaggeratio vitetur.

Pag. 25, lin. 41: loco « etiam cultura humana dilabitur », dicatur: «etiam cultura humana detrimentum patitur et fit manca ».

Pag. 26, linn. 1-26: textus valde bonus.

Ad n. 23: *De vita oeconomica et sociali.* Etiam quae in hoc numero dicuntur in genere valde sunt laudanda. Proponuntur enim directivae quae immediate cum conceptionibus christianis de dignitate humana et de destinatione rerum terrenarum cohaerent. Praesertim est laudandum quod imprimis sub n. 4 clare dicitur fidem non requirere conservatismum in hac materia et Ecclesiam nulli particulari systemati oeconomico obligari.

Sed rogandum est num hac in re opportunum sit loqui de « fundamentalibus principiis ». In praeterito nimis facile in hac materia de « principiis catholicis » locuti sumus quo de facto imperativae enuntiabantur, quae cum determinatis adiunctis historicis, nondum in sua variabilitate cognitis, cohaerebant. Haec animadversio praesertim valet de iis qua dicuntur sub 1 et sub 6.

Pag. 26, linn. 32-36: certissime averti debet, quod pauci... evolutionem oeconomicam in proprium commodum et in aliorum detrimentum vertere possint. Verum est etiam ad hoc avertendum iuvare, quod quam plurimi... admittantur ad partes actuosas in hoc ordinationis munere suscipiendas. Sed dici potest hoc tantum hoc modo bene fieri posse? Potest dici hoc « requiri » ut principium fundamentale? Melius videtur hic prudentius loqui et non oblivisci quod peritia profana requiritur ad determinandum meliorem modum operandi in concretis circumstantiis et ad cognoscendas et promovendas conditiones requisitas in eis qui partes actuosas in hoc ordinationis munere suscipiunt.

Pag. 27, linn. 35-37: ad has lineas idem animadverti potest quam ad linn. 32-36 in pag. 26.

Pag. 27, lin. 41 - pag. 28, lin. 12: textus valde laudandus, sed modus loquendi minus opportunus est quoad « bonam instructionem » requisitam (lin. 4). Dicatur: « A christianis praecipue exspectatur, ut inter ipsas terrenas activitates sint testes fideles Christi... inflammet. Sed ad hoc requiritur etiam ut ad sua munera obeunda bene instructi sint progredientibus scientiis et artibus technicis ad ista pertinentibus ».

Ad n. 24: *De solidaritate familiae populorum promovenda,* pag. 28, linn. 13-16: « Christifideles... hac in re vigiles atque solertes sunto, ne scan-

dalo sint hominibus... ». Addatur, quod hoc mutuum auxilium tam perspicue ad exigentias Evangelii pertinet, quod christifideles omnino in eo excellant oportet.

Ad n. 25: *De pace firmanda.* Etiam in hoc numero optima dicuntur de bellis vitandis et de pace firmanda. Iudicium de usu armorum, quorum effectus maiores sunt quam qui aestimari possint ac proinde ab hominibus rationabiliter temperari nequeunt, videtur cautis verbis enuntiatum. Iudicium autem de armis nuclearibus, ut praesertim ad hoc genus armorum pertinentibus, alius ordinis est. Hoc iudicio enim iudicatur de dato concreto quod evolutionis adhuc incognitae est capax; iudicat enim de armis nuclearibus uti nunc sunt. Propterea in textu aliquo verbo apparere debet, quod iudicium valet de armis nuclearibus in nostris concretis circumstantiis. Quod fieri potest per separatam enuntiationem post iudicium generale e. g.: ... Haec sine dubio valent de armis nuclearibus, quae in nostris diebus sunt facta.

Quando dicitur, quod omnes conatus honesti sunt faciendi, ut arma nuclearia vel alia similia roboris perniciosi omnino extirpentur et supprimantur, quaeri potest num haec conclusio inevitabiliter ex praecedentibus consequatur, ita ut animadversiones sint superflua de determinatis conditionibus. A. v. quaeri potest num adsit obligatio hoc etiam facere unilateraliter.

111

QUIDAM EXC.MI PATRES CONCILIARES EX MADAGASCAR

Pag. 26, lin. 22: Vita oeconomica et socialis hodierna valde tendit ad unionem in societatem (socialisatio); hic motus homines inducit ad dominium acquirendum motuum inconsultorum (instincts) in utilitatem et caecum amorem sui. Necessarium autem est monere quod oportet ut homines in istos motus dominentur ut serviant plenae adeptioni perfectionis personae humanae. Ita faciendo Concilium clariorem reddet hanc ideam hodie vigentem, ex quo fiet ut homines arceantur a periculo sese committendi caece motui « socialisationis ».

In vita oeconomica et sociali exsistit motus illam submittendi personae humanae; hic alter motus complet motum socialisationis. Hic motus quem « personalisationis » appellare possumus, manifestatur plus minus clare in aspiratione ut ordinatio rerum sit homine digna; necessarium est illum explicitius exprimere. Unde haec additio proponitur: Post verbum « aspirant » addere: « quae aspiratio non tantum ad abundantiam bonorum est, sed etiam ad " personalisationem " vitae oeconomicae et socialis ».

Pag. 27, linn. 17-18: Ecclesia non ligatur alicui definito systemati oeconomico; proprium est autem uniuscuiusque populi ut sibi det ordinem certum pro producendis et distribuendis bonis temporalibus. Utile tamen est ut Concilium in mentem revocet generaliora principia quorum in systematibus oeconomicis ratio haberi debet. Ad hoc faciendum non sufficit in men-

tem revocare naturam et finem illorum bonorum, quae est ut inserviant utilitati et unitati hominum; necessarium quoque est in memoriam revocare naturam simul personalem et socialem hominum. Unde haec modificatio proponitur: Post verbum « adaptandae sunt » scribatur ut sequitur: « ita tamen ut semper conformes sint naturae personali et sociali hominis, simul ac naturae et finibus illorum bonorum ... ».

[*Subscripserunt*] J. Wolff, arch. Diego-Suarez; A. Messmer, ep. Ambanja; M. Canonne, ep. Tulear; R. Claude, ep. Antsirabe; J. Rakotomalala, arch. Tananarive; J. David, ep. Majunga; J. Puset, ep. Tamatave; A. Martinez, ep. Tsiroanomandidy; G. Romanantoanina, arch. Fianarantsoa; F. Vollaro, ep. Ambatondrazaka; A. Tsiahoana, ep. tit. Abtugni; F. Rajaonarivo, ep. Miarinarivo.

CONGREGATIO GENERALIS CXX

11 novembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CXX

11 novembris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Congregationem generalem 120 moderabitur em.mus ac. rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

Audite, Patres ornatissimi! Penes Archivum Secretum Vaticanum parata est expositio documentorum quae respiciunt Concilia Oecumenica. Omnes Patres, et Periti et alii, possunt hanc expositionem visitare cunctis diebus, excepta Dominica forsan, horis pomeridianis, ab hora scil. 16 ad horam 19. Ingressus est in « Cortile del Belvedere » in Vaticano. Omnibus diebus praeter festivos, ab hora 16 ad horam 19.

En, Patres, nomina eorum qui verbo uti postulaverunt circa schema *de accommodata renovatione vitae religiosae*: Em.mi ac rev.mi DD. cardd. Iacobus de Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii; Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia; Paulus Richaud, arch. Burdigalensis in Gallia; Iulius Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis in Germania; Ioannes Landázuri, arch. Limanus in Peruvia; Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis in Belgio; Augustinus Bea; deinde, nomine plurium, exc.mi DD. Andreas Charue, ep. Namurcensis in Belgio; rev.mus P. Anicetus Fernandez, sup. gen. O.P.; exc.mus D. Petrus Moors, ep. Ruremondensis in Neerlandia; rev.mus P. Anastasius a Ss.mo Rosario, sup. gen. Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae de Monte Carmelo; exc.mi DD. Andreas Sol, ep. coad. Amboinaensis in Indonesia; Pacificus Perantoni, arch. Lancianensis in Italia; Victor Sartre, arch. tit. Beroensis; Richardus Guilly, ep. Georgiopolitanus in Guyana Britannica; rev.mus P. Iosephus Buckley, sup. gen. Societatis Mariae (Maristi); exc.mi DD. Dominicus Athaide, arch. Agraënsis in India; Gerardus Huyghe, ep. Atrebatensis in Gallia; rev.mi PP. Hoffer, sup. gen. Societatis Mariae (Marianisti); Germanus Lalande, sup. gen. Congregationis a Sancta Cruce; exc.mus D. Iacobus Carroll, ep. aux. Sydneyensis in Australia.

Deinde, nomine tantum proprio: exc.mi DD. Franciscus Simons,

ep. Indorensis in India; Petrus Canisius van Lierde, vic. gen. Summi Pontificis pro Civitate Vaticana; Ioseph D'Avack, arch. tit. Leontopolitanus in Pamphylia; Adam Kozlowiecki, arch. Lusakensis in Rhodesia Septemtrionali; Antonius Baraniak, arch. Posnaniensis in Polonia.

MODI *

A PATRIBUS CONCILIARIBUS PROPOSITI
A SECRETARIATU AD UNITATEM CHRISTIANORUM FOVENDAM EXAMINATI

CAPUT II

DE OECUMENISMI EXERCITIO

[3] 1 – RELATIO

Die 6 octobris anni 1964 factae sunt suffragationes de partibus capitis II *De Oecumenismo,* cum sequenti *exitu.*

Prima suffragatio, de numeris 5-6

Praesentes votantes	2166
Placet	2120
Non placet	46
Vota nulla	0

Secunda suffragatio, de numero 7

Praesentes votantes	2168
Placet	2076
Non placet	92
Vota nulla	0

Tertia suffragatio, de numero 8

Praesentes votantes	2166
Placet	1872
Non placet	292
Vota nulla	2

Quarta suffragatio, de numeris 9-12

Praesentes votantes	2161
Placet	2099

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione generali CXIX die 10 novembris 1964.

Non placet	62 [3]
Vota nulla	0

De integro capite II facta est suffragatio, die 7 octobris anni 1964:

Praesentes votantes	2174
Placet	1573
Non placet	32
Vota nulla	5
Placet iuxta modum	564

Integrum ergo caput, cum omnibus suis partibus, est igitur a Concilio approbatum.

Omnes modi, nullo excepto, a subcommissione, praeside exc. Helmsing, a Patribus Secretariatus delegato, examinati sunt, et deinde relatio huius subcommissionis in sessione plenaria Secretariatus disceptata et approbata est. [4]

Magna pars modorum numerum 8 respicit: rogatur praesertim ut determinetur auctoritas episcopalis, cui competat decernere de communicatione in sacris. Serio studio solutionem invenimus, quae omnibus Patribus satisfaciat. Notandum insuper est incisum de communicatione in sacris solummodo principia generalia determinare intendere, quae principia ceteroquin in « modis » a nemine Patrum sunt negata. De ulteriore explicatione et applicatione horum principiorum in Directorio oecumenico a Secretariatu praeparando agendum erit.

2 – MODI [5]

A PATRIBUS CONCILIARIBUS PROPOSITI CIRCA CAPUT II DECRETI DE OECUMENISMO

AD NUMERUM 5

1 — Proponitur ut titulus: « De Oecumenismi Catholici Exercitio ».*

R. — Titulus concordare debet titulo capitis primi.

2 — Pag. 14, linn. 1-6: Duo Patres rogant ut explicitius dicatur oecumenismi exercitium imprimis ad episcopos spectare, subordinate ad fideles.

* Ubi non indicatur numerus Patrum qui modum proposuerunt, intelligitur modum illum ab uno tantum Patre propositum esse.

[5] R. — Iam dictum est in capite primo, pag. 9, linn. 3-4 et pag. 10, linn. 14-16, munus episcoporum esse promovere et dirigere oecumenismi exercitium.

3 — Pag. 14, lin. 3: Addatur « sive in incoeptis apostolicis et caritativis » post « afficit ».

R. — Hoc iam aliquo modo innuitur in eadem linea per verba « in vita christiana quotidiana » et explicite in numero 12 eiusdem capitis tractatur.

4 — Pag. 14, lin. 4: Minus placet expressio « fraterna coniunctio », cum sermo est de fratribus seiunctis.

R. — Separatione non obstante, omnes in Christum credentes remanent fratres.

AD NUMERUM 6

5 — Pag. 14, lin. 9: Post « versus unitatem » addatur « christianorum ».

R. — Ex contextu apparet hic agi de motu oecumenico ad unitatem omnium christianorum.

[6] 6 — Pag. 14, lin. 10: loco « reformationem » dicatur « renovationem » (*4 Patres*).

R. — Expressio « reformatio » in documentis ecclesiasticis saepius invenitur (cf. *Conciliorum Oecumenicorum Decreta* [Herder 1962], ad vocem « *reformatio Ecclesiae* ».

7 — Pag. 14, linn. 12-15: Phrasis « si ... minus accurate servata fuerint » non sufficienter veritatem Ecclesiae servare videtur (*113 Patres*).

R. — Textus est valde prudens, etenim dicitur: si minus accurate servata fuerint.

8 — Pag. 14, linn. 13-14: Periculosa videtur distinctio inter depositum fidei et fidei enuntiandae modum sine ulla ulteriore explicatione (*111 Patres*).

R. — Necessaria est distinctio, quia fides ipsa semper accurate servata est.

9 — Pag. 14, linn. 16-22: Phrasis sonat ac si in praeterito nulla adfuerint in Ecclesia incoepta renovationis (*92 Patres*).

R. — Ex contextu sufficienter apparet hic agi de hodiernis modis renovandae Ecclesiae.

10 — Pag. 14, lin. 20: Addatur « profundior penetratio fidelium de necessitate caritatis evangelicae erga omnes fratres seiunctos ».

R. — De illo spiritu oecumenico agit totum decretum.

AD NUMERUM 7 [6]

11 — Pag. 14, lin. 24: Non placet vox « conversio » (*2 Patres*).
R. — Agitur de interna conversione, quae est expressio traditionalis theologiae spiritualis christianae.
12 — Pag. 14, lin. 27: Post « mansuetudinis » addatur « alacritatis in serviendo ».
R. — Hoc superfluum videtur.
13 — Pag. 14, linn. 28-32: Deleatur citatio ex Ep. ad Ephesios, quae de concordia inter fideles agit.
R. — In hoc numero agitur de catholicis.
14 — Pag. 15, linn. 4-8: 133 Patres rogant ut simpliciter deleatur con- [7]
fessio culparum.
R. — Expunctio illius incisi esset mutatio essentialis in textu iam approbato.
15 — Pag. 15, linn. 4-8: 25 Patres postulant ut confessio culparum modo cautiori exprimatur.
R. — Confessio iam caute exprimitur in textu; ceteroquin aperte declarata est a S.S. Paulo VI in oratione ad Observatores, die 17 oct. 1963 habita (*L'Osservatore Romano,* 19 oct. 1963). Confer etiam responsum ad animadversiones circa pag. 7, lin. 17.
16 — Pag. 15, linn. 4-6: Testimonium S. Ioannis in Evangelio non ad peccata adversus unitatem applicatur (*11 Patres*).
R. — Allusio S. Ioannis generalis est et universalis, et apte applicatur culpis contra caritatem et unitatem.
17 — Pag. 15, lin. 9: Post « christifideles » addatur « et instituta ecclesiastica ».
R. — Hoc iam in numero 6 provisum est.
18 — Pag. 15, lin. 12: Post « fraternitatem » addantur verba « et unitatem in Trinitate ».
R. — Videtur non esse necessarium.

AD NUMERUM 8

19 — Pag. 15, lin. 19: Loco « Ecclesiae unitate » dicatur « christianorum unitate ».
R. — Expressio in textu est adaequata; de cetero reperitur in Missali Romano.
20 — Pag. 15, lin. 20: Deleatur citatio S. Ioannis, quia unitas fidei iam in Ecclesia datur.

[7] R. — Citatio illa universaliter adhibetur in oratione pro unitate christianorum.

21 — Pag. 15, lin. 17: Displicet expressio « oecumenismus spiritualis » (*11 Patres*).

R. — Etiamsi non ubique adhibetur expressio illa, omnino apta est et in textu bene explicatur.

[8] 22 — Pag. 15, linn. 21-28: 4 Patres postulant ut textus deleatur.

R. — Hoc esset expunctio essentialis in textu iam approbato.

23 — Pag. 15, linn. 21-27: 7 Patres rogant ut textus cautiori et strictiori modo reficiatur.

R. — Omnino caute proceditur in textu, dicitur enim: « in quibusdam peculiaribus rerum adiunctis ».

24 — Pag. 15, linn. 21-27: 3 Patres postulant ut de legitima auctoritate explicite mentio fiat.

R. — Alibi iam provisum est: pag. 9, linn. 3-4; pag. 10, linn. 14-16.

25 — Pag. 15, lin. 23: Non placet « immo et optandum » (*5 Patres*).

R. — In illis determinatis circumstantiis, de quibus agit textus, expressio illa videtur opportuna.

26 — Pag. 15, linn. 29-36: Textus supprimendus est (*18 Patres*).

R. — Expunctio totius incisi esset substantialis mutatio textus iam approbati.

27 — Pag. 15, linn. 29-36: Clarius definiatur quid sit communicatio in sacris (*7 Patres*).

R. — In libris theologicis communicatio in sacris communiter non est notio univoca: se refert *directe* ad participationem in sacramentis, *in obliquo* autem ad participationem in quolibet cultu. Non alio modo de communicatione in sacris loqui intendit decretum de Oecumenismo.

28 — Pag. 15, linn. 29-36: 8 Patres postulant ut textus modo valde strictiori formuletur; 1 Pater, econtra, rogat ut textus largiorem communicationem in sacris commendet.

R. — Videtur exinde servandum esse textum approbatum.

29 — Pag. 15, linn. 29-36: Detur in textu longior explicatio principiorum generalium necnon casuum in quibus communicatio in sacris legitima est (*2 Patres*).

R. — Ulteriores explicationes potius dabuntur in directorio generali a Secretariatu ad Christianorum unitatem fovendam exarando.

30 — Pag. 15, linn. 34-35: Multi modi praecisionem de auctoritate episcopali postulant. 212 Patres, diversis viis, petunt ut appli-

catio principiorum Conferentiis Episcopalibus reservetur; 76 [9]
Patres eorumdem applicationem reservare volunt iudicio Sanctae Sedis; 3 Patres desiderant ut tam auctoritas Sanctae Sedis quam auctoritas Conferentiae Episcopalis in principiorum applicatione partem habeant; 2 Patres idem de Sancta Sede et de Ordinario loci volunt; 5 Patres maiorem claritatem de competente auctoritate desiderant; 2 Patres petunt ut simpliciter dicatur communicationem in sacris reservari « competenti auctoritati ecclesiasticae », vel etiam « Ordinario loci »; 1 Pater insistit ut nihil in textu mutetur, et specifice ut applicatio principiorum non dicatur reservari Conferentiae Episcopali; tandem 1 Pater proponit ut post verba « auctoritas episcopalis » addatur « consilio inito cum aliis episcopis eiusdem regionis ».

R. — Ut omnibus generatim animadversionibus satisfiat, sequens proponitur textus mutatio in linn. 34-36: « De modo concreto agendi, attentis omnibus circumstantiis temporum, locorum, et personarum, prudenter decernat auctoritas episcopalis *localis, nisi aliter a Conferentia Episcopali, ad normam propriorum statutorum, vel a Sancta Sede statuatur* ».

31 — Pag. 15, lin. 36: Addatur nova phrasis: « Participare tamen cibum eucharisticum cum fratribus seiunctis non licet, salvis praescriptis in capite tertio, de Orientalibus » (*24 Patres*).

1 Pater huic additioni haec verba adiungere vult: « et excepto matrimonio in facie Ecclesiae Catholicae celebrato cum dispensatione ab impedimento mixtae religionis ».

R. — Modus 24 Patrum videtur non esse accipiendus rationibus sequentibus:

1) Agitur in capite secundo et speciatim in numero 8 de principiis generalibus ad universalem Ecclesiam applicandis;

2) Modus suggerere posset, et quidem periculose, licitum esse, eucharistia excepta, in aliis sacramentis et ritibus participare;

3) Directorium generale ulteriores explicationes continere debet.

32 — Pag. 15, linn. 34-36: Plures Patres rogant addere textui cautiones et monitiones, ne ex praxi alicuius communicationis in sacris fideles in scandalum, indifferentismum vel relativismum cadant (*112 Patres*).

R. — Ad hoc praecise in linn. 35-36 dicitur: attentis omnibus circumstantiis temporum, locorum et personarum ».

[10] AD NUMERUM 9

33 — 2 Patres rogant totalem suppressionem numeri.
R. — Talis expunctio esset mutatio substantialis in textu approbato.
34 — Pag. 16, lin. 2: loco «cultualis» dicatur «liturgicae».
R. — Potius servatur «cultualis» propter extensionem ampliorem conceptus.
35 — Pag. 16, lin. 5 «Par cum pari» vel deleatur (*4 Patres*) vel alio modo exprimatur, v. gr. «modeste et sincere», «fraternaliter» (*2 Patres*).
R. — Expressio illa retinenda est, quia est conditio essentialis omnis dialogi, et ceteroquin sumitur ex *Instructione* S. Officii «Ecclesia catholica», ut in notis indicatur.
36 — Pag. 16, lin. 6: Post «vere periti sint» addatur «et obedientes principiis et normis...» (*3 Patres*), «et virtute et doctrina excellant» (*1 Pater*), «cum licentia Ordinarii loci» (*1 Pater*), «non sine expressa episcopi auctorizatione» (*1 Pater*), «et Sanctae Sedis vigilantia» (*1 Pater*).
R. — Illis omnibus modis videtur sufficienter provisum in textu, scil. «sub praesulum vigilantia, vere periti sint».
37 — Pag. 16, lin. 7: Loco «Commissionis» ponatur «Ecclesiae».
R. — Mutatio accipitur.

AD NUMERUM 10

38 — Pag. 16, linn. 11-12: Verba «sensu oecumenico» deleantur, quia non sunt satis determinata et possent male intelligi (*113 Patres*), vel dicatur «impartialiter» (*1 Pater*), aut «etiam sub aspectu oecumenico» (*1 Pater*).
R. — Accipitur ultimus modus: «etiam sub aspectu oecumenico».
39 — Pag. 16, lin. 21: Loco «ut usque accuratius» dicatur «ut accurate».
R. — Mutatio non videtur necessaria.
[11] 40 — Pag. 16, lin. 14: Verba «non polemica» deleantur ne male intelligantur (*113 Patres*) vel dicatur alio modo, v. gr. «non polemice» (*3 Patres*).
R. — Accipitur mutatio sequens: «non polemice».
41 — Pag. 16, lin. 16: Deleatur «formatio», ut vitetur repetitio (*2 Patres*).
R. — Visum est melius esse servare textum.

42 — Pag. 16, linn. 18-20: Deleatur textus, quia omnia iam subaudiuntur in praecedentibus (*2 Patres*). [11]

R. — Videtur tamen necessaria allusio ad activitatem missionalem Ecclesiae, propter peculiares conditiones in quibus versatur in re oecumenismi.

43 — Pag. 16, linn. 19-20: Post « fructus » addatur « necnon difficultates et pericula » (*3 Patres*).

R. — In textu vox « quaestiones » difficultates et pericula includit.

AD NUMERUM 11

44 — Pag. 16, linn. 21-23: Rogatur ut adhuc clarius loquatur de integritate et veritate doctrinae (*3 Patres*).

R. — De hoc argumento agitur sufficienter et omnino clare in lin. 23-26.

45 — Pag. 16, lin. 22: Loco « nullatenus obstaculum... » ponatur « talis sit ut faveat dialogo ».

R. — Textus servatur quia expositio veritatis non potest constituere obstaculum pro dialogo.

46 — Pag. 16, lin. 24: Dicatur « oecumenismo catholico ».

R. — Textus videtur esse servandus.

48 — Pag. 16, lin. 29: Post « theologi catholici » addatur « virtute et sanctitate praediti » (*1 Pater*), vel « ab auctoritate approbati » (*3 Patres*).

R. — In ipso textu dicitur « doctrinae Ecclesiae inhaerentes »; caeteroquin de his alibi sufficienter provisum est.

49 — Pag. 16, lin. 32: Post « debent. » addatur nova phrasis: « In comparandis doctrinis meminerint existere ordinem seu " hierarchiam " veritatum doctrinae catholicae, cum diversus sit earum nexus cum fundamento fidei christianae ». Maximi momenti enim esse videtur pro dialogo oecumenico, ut tum veritates in quibus christiani conveniunt, tum illae, in quibus differunt, potius ponderentur quam numerentur. Quamvis procul dubio omnes veritates revelatae eadem fide divina tenendae sint, momentum et « pondus » earum differt pro nexu earum cum historia salutis et mysterio Christi. [12]

R. — Accipitur modus.

AD NUMERUM 12

50 — Pag. 17, lin. 1: Proponitur additio alicuius textus, in quo agitur de difficultatibus suscitatis a sectis, praesertim apud minus excultos (*3 Patres*).

[12] R. — Hoc videtur potius pertinere ad Conferentias Episcopales diversarum regionum. Etiam in Directorio Generali, a Secretariatu exarando, sermo erit de proselytismo.

51 — Pag. 17, lin. 6: Loco expressionis « Christi Servi vultum » aliae proponuntur: « Christi Servi Patris sui vultum » (*12 Patres*), « Christi, qui non ministrari sed ministrare venit, vultum » (*1 Pater*), « Christi generis humani Salvatoris » (*1 Pater*), « Christi Servi Jahve vultum » (*2 Patres*).

R. — Omnibus perpensis videtur melius esse servare textum.

52 — Pag. 17, linn. 8-9: Deleantur verba « in regionibus praesertim ubi evolutio... peragitur », quia aliquantulum iniuriosa videntur (*3 Patres*).

R. — Textus non videtur afferre iniuriam illis nationibus, sed in memoriam revocare peculiarem responsabilitatem christianorum erga illas.

53 — Pag. 17, lin. 10: Addatur « sive in principiis iuris nationalis... ».

R. — Numerosae determinationes in textu iam allatae sufficere videntur.

54 — Pag. 17, lin. 11: Addatur « scholas confessionales non impedire verum oecumenismum ».

[13] R. — Hoc pertinet potius ad Decretum *De Scholis Catholicis.*

55 — Pag. 17, lin. 14: Addatur allusio ad « persecutiones religiosas » (*1 Pater*) vel ad « atheismum militantem » (*2 Patres*).

R. — Hoc pertinet potius ad Declarationem *De Libertate Religiosa.*

56 — Pag. 17, linn. 14-17: Proponitur additio novi textus de eodem argumento.

R. — Propositio nil novi addit, nec videtur necessaria.

57 — Pag. 17, lin. 17: Addatur aliquid de periculo proselytismi vel indifferentismi.

R. — Supra sufficienter provisum est. De proselytismo Directorium generale loquetur.

58 — Pag. 17, lin. 17: Addatur « Ecclesiae filii ad indicationes hierarchiae attendant... ».

R. — Iam sufficienter provisum est in praecedentibus.

59 — Pag. 17, ad calcem: Proponitur additio de directoriis a Conferentia Episcopali uniuscuiusque nationis exarandis (*36 Patres*).

R. — De Directorio generali a Secretariatu exarando mentio facta est pluries in relationibus a card. Bea praelectis; haud facile est de directoriis specialibus in Decreto iam agere.

3 – EMENDATIONES ADMISSAE SECUNDUM MODOS PATRUM CONCILIARIUM [14]

1 — Pag. 15, linn. 34-36: Phrasis sic sonat: « De modo concreto agendi, attentis omnibus circumstantiis temporum, locorum, et personarum, prudenter decernat auctoritas episcopalis *localis, nisi aliter a Conferentia Episcopali, ad normam propriorum statutorum, vel a Sancta Sede statuatur* ».

2 — Pag. 16, lin. 7: « revera *Ecclesiae* catholicae condicio ».

3 — Pag. 16, linn. 11-12: « oportet *etiam sub aspectu oecumenico,* ut ... ».

4 — Pag. 16, lin. 14: « elaborata, non *polemice,* ... ».

5 — Pag. 16, lin. 32: Post vocem « debent. » habetur nova phrasis: « *In comparandis doctrinis meminerint existere ordinem seu " hierarchiam " veritatum doctrinae catholicae, cum diversus sit earum nexus cum fundamento fidei christianae* ».

QUAESITUM

An placeat expensio facta a Secretariatu circa modos caput secundum schematis Decreti de Oecumenismo respicientes.

Secretarius generalis: Nunc, Patres, transeamus ad suffragandos modos, a Patribus conciliaribus propositos, a secretariatu ad unitatem christianorum fovendam examinatos, circa cap. II schematis *de oecumenismo,* quod inscribitur *de Oecumenismi exercitio* (est error in involucro fasciculi). Videatis pag. 14: [*cf. supra*].

Responsio duplex tantum esse potest: *placet* vel *non placet.* Tertia non datur. Gratias.

PATRUM ORATIONES

(*De accommodata renovatione vitae religiosae*)

1

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. DE BARROS CÂMARA

Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Ianuarii

Venerabiles Patres,

In nomine 103 episcoporum Brasiliae, *qui subsignaverunt hanc interventionem, loquar.*[1] *Schema in genere placet.* Rationes intrinsecae: in se habet, ut videbimus, unde placeat; rationes extrinsecae: religiosis placet, saltem iuxta modum!

A) *Animadversiones quoad materiam*: 1. Hoc schema propositionum certe in melius emendatum est! Notabiles partes, fere ex novo confectae, respiciunt praesertim oboedientiam et castitatem, quae Consilia eamdem, immo maiorem amplitudinem obtinuerunt ac religiosa paupertas.

2. Hoc schema nostrum supponit: Cap. IV schematis *de Ecclesia,* ubi de fundamentis dogmaticis et theologicis vitae religiosae agitur; et cap. II schematis *de pastorali episcoporum munere,* ubi de religiosorum apostolatu externo loquitur.

3. Hoc schema est tractatio generalis ...[2]; ad quaestiones particulares, alicui commissioni post-conciliari reservandas, non descendit; sed principia secundum quae haec post-conciliaris commissio agere debet, certe tradet!

4. Elementa potiora quae possent textum ditiorem reddere, haec sunt: *a*) melius determinare auctoritatem competentem pro reformatione, ne anarchismum habeamus!...[3] *b*) aliquid dicere de necessitate vitae religiosae in Ecclesia ne episcopi appareant oppugnatores religiosorum sed praesertim ut appareat momentum vitae religiosae in Ecclesia! *c*) de reditu ad pristinum fervorem deque notione praeteriti et praesentis ut habeatur accommodata renovatio; *d*) de religiosorum varietate tuenda ut manifestatione charismatum in Ecclesia; *e*) de necessitate ut haec auspicata renovatio non modo Regulas et Constitutiones attingat, sed etiam preces, sororum praesertim; quae preces debent ad liturgicum et renovatum spiritum adaptari; *f*) clare aliquid dicere: de religionibus non clericalibus, praesertim de fratribus docentibus; de Institutis Saecularibus quae sunt manifestatio Spiritus nostri temporis

propria, licet omnis religio quadam perennitate gaudeat in Ecclesia! *g*) quaedam practice suggerere ad reintegrationem conversorum fratrum in vita communitatis, ita v. g.: de loco eis assignando in communitate ...[4]; de officiis eis assignando cum responsabilitate plena coram fratribus ...[5]; de participatione, ut membra perfecta, in vita communitatis, praesertim in capitulis conventualibus; de instructione illis necessario tradenda. Hoc modo, vel similibus modis, hodie languescentes « conversi » iterum florerent et non tantum possent ad pristinam laicorum redire figuram, sed officia multa explere tum intra septa monasterii, tum extra, praesertim ut catechistae et diaconi. *h*) de necessitate, demum, excitandi conferentias Superiorum Maiorum in omni natione deque ipsius necessaria coniunctione cum episcopali conferentia ut testimonium unitatis Ecclesiae clarius appareat etiam in unitate cleri!

Alia de animadversionibus quoad formam scripto tradam.[6] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (alicui videtur forsan nimis generalis!). [3] (cf. n. 3). [4] (non ultimi, sed post S. Ordine insignitos!...). [5] (et non exerceantur tantummodo circa viliora ministeria!).

[6] B) *Animadversiones quoad formam.*

1. *Titulus*: non amplius « De Religiosis » inscribitur sed « De accommodata renovatione vitae religiosae ». Tamen prior titulus est praeferendus quia in schemate non loquitur tantummodo de renovatione et terminus « religiosus » expostulatur a termino « laicus » alio in schemate, iam consecrato (cf. *De apostolatu laicorum*).

Nota denique: « de accommodata »: cui accommodatur?... de accommodata vel de accommodanda?... conclusio: auferatur!

2. « generaliora » (pag. 9, lin. 12) dicatur: « generalia » quia postea dicitur « particularia », quae voces realiter opponuntur, non vero uti prostant in schemate.

3. « a competente auctoritate » (pag. 9, lin. 16): competens auctoritas estne aliqua Commissio post-conciliaris? Dicatur quaenam sit haec competens auctoritas et dicatur, si possibile, quod non sit aeterna!...

4. «Sancta Matre Ecclesia duce » pag. 10, linn. 5-6): propositio haec est sonora sed parum dicit; auferatur!

5. Christi sequelam » (pag. 10, lin. 7): quid est haec sequela Christi?... Estne Evangelium?... est Traditio?...

6. « secundum Evangelium et Christi sequelam, attentis propositis... et spiritu Fundatorum » (pag. 10, linn. 6-9): forsan haec elementa non facile componuntur, non in re, sed in oratione; nam proposita Fundatorum semper fuerunt « secundum Evangelium »!

7. « natura ». Natura vitae religiosae est unica: deleatur hoc verbum ne nimiae differentiae appareant inter Religiosos, sufficienter declaratae per verba quae sequuntur: « finis, spiritus ».

8. « operandi et orandi »: memores illius « ora et labora » bene in theologia dogmatica fundatum, dicatur: « orandi et operandi ».

9. « requisitis et circumstantiis culturalibus, socialibus etc. » (pag. 10, n. 2). Semel at pro semper notare vellem saltem decem vicibus asseritur quod renovatio debet esse « condicionibus locorum et temporum accommodanda », hisce vel aequivalentibus verbis, quod quidem exaggeratum videtur, praesertim cum de causis extrinsecis agatur.

10. « Quapropter » (pag. 10, lin. 21): non inveniuntur aliqua nomina iam consecrata, v. g. Regula; vita et oratio ponuntur in eodem plano, tamen...; oratio accommodetur constitutioni de Liturgia.

11. « Efficax... » (pag. 10, linn. 28-31): Auctoritas competens, qualis est? Auctoritas tantummodo moderatur activitatem singulorum? Numquam auctoritas sit post singulos sed ante singulos.

12. N. 4 ponatur vel post n. 1 quia regula fundamentalis est, vel post n. 13, scil., memorando inutilis esse renovatio si ad exteriora restringitur.

13. « sua vocatione » (pag. 11, lin. 5). Sua vocatione tantum uberrimos fructus afferunt? Parum videtur!

14. N. 6 inutilis videtur quia nihil novi dicit; aliqua repetit iam dicta in n. 4; non est repetendus parallelismus cum n. 5, nam de vita contemplativa necessario erat loquendum, quia exteriorismus apostolatus hodierni posset monachos praesentare ut obsoletos; si retinetur deleantur novissima verba « inde fit » et dicatur « Apostolatus et opera » et non « opera et apostolatus ». *Ratio*: actio operam praecedit.

15. « Christum... virginem » (pag. 11, n. 7): Christum castum videtur melius! Virginitas est mulieris propria et virtus non est sed physica praerogativa! Postea de renovatione in castitate loquitur!

16. « quamvis »... (pag. 11, n. 7). Non dicatur « quamvis » sed « utpote... degentes ». *Ratio*: haec degentia est motivum renovationis quod non bene apparet usu particulae «quamvis ».

Religiosi, utpote in variis et in dies difficilioribus circumstantiis degentes, sese renovent in oboedientia, castitate et paupertate, ut speciali modo testificent praesentiam Christi oboedientis, casti et pauperis in hoc mundo: haec est modificatio quam suggerimus.

17. « quam profitetur » (pag. 11, n. 8): inutilis videtur et iam dictum est (n. 7); dicatur de oboedientia aliquid positivum ex parte subditorum uti factum est ex parte superiorum.

18. « castitas » (pag. 12, n. 9): « ab omnibus tamquam donum aestimanda est »: a quibus?... religiosis?... Christianis?... Omnibus hominibus?... castitas est revera « donum »?... ex iis quae sequentur a lin. 15 non videtur!

19. « Cor... singulariter liberat » (pag. 12, n. 9): habemus in textu: « singulariter... peculiare »: videtur nimis; potius quam liberare cor, dicatur cor disponere ad...

20. Ad n. 9. Connexiones istius n. 9 sunt potius in voce quam in re.

21. « verbis Domini credant ». Quibus?... Non citantur! Nec bonum nec opportunum videtur Religiosos exhortare ac si verbis Domini non crederent; ipsi qui Christi vestigia prementes a saeculo fugerunt!

22. « ita fit » (pag. 12, lin. 20): haec propositio quam grammatici consecutivam appellant non bene aptatur textui. Dicatur potius quod castitas religiosorum erit responsio pseudo-scientiae impossibilitatem castitatis affirmanti, et ultimo loco ponatur, ne videatur ut finis religiosae castitatis.

23. « et omnia quae... » (pag. 12, lin. 23-25). Ponantur haec verba post lin. 19 quia sensum citationis paulinae optime complent.

24. « connubium a Deo conditum » (pag. 12, lin. 26). Nescio an sit theologice certum hoc affirmare; forsan rectius esset dicere « a Deo volitum » vel, melius nihil dicere. Notare tandem debemus quod initur et non conditur connubium, salvo meliori iudicio!

25. « cum naturam humanam radicitus afficiat » (pag. 12, lin. 30). Forsan melius esset declarare quo in sensu castitas « *radicitus* afficit humanam naturam », secus haec verba possent distrahi ad probationem theseos condemnatae in lin. 20 istius paginae!

26. *De castitate* (pag. 12, lin. 6-33) loquitur per integrum n. 9; tamen modo sat incompleto et negativo, nam de ipsa dicitur esse donum (?), corda liberare (effectus), esse signum bonorum caelestium, esse signum unionis Christi et Ecclesiae, radicitus afficere naturam humanam (quomodo?... in quo?...); et adduntur duae exhortationes: corpus in servitutem redigant; pericula respuant! Parum videtur et... modo fere negativo! Exponantur potius elementa positiva!

27. « haud sufficit superioribus subiici... » (pag. 12, lin. 37). Bene intelligo quid commissio dicere voluit per haec verba, sed: *a*) si principio attenditur in pag. 11 sub n. 8 exposito (« superior, vices Dei gerens »); *b*) si distinctio necessario facienda consideratur, forsan ad aliam formam est recurrendum, ita v. g. «ad paupertatem quod attinet, sodales non tantum licentiam a superioribus obtinere queant, sed potius spiritu et re sint pauperes », vel alio simili modo.

28. « in utilitatem... » (pag. 13, linn. 3-7). Forsan melius esset incipere a cooperatione inter diversas domus eiusdem provinciae, postea transire ad cooperationem diversarum provinciarum eiusdem Instituti, ac tandem, per vocem « immo », ad cooperationem etiam extra ipsum Institutum, pro bono Ecclesiae et indigentium necessitatibus.

29. « Ecclesiae » (pag. 13, lin. 4). De qua Ecclesia hic fit sermo? De Ecclesia universali?... de aliqua Ecclesia particulari?...

30. « immoderati lucri » (pag. 13, lin. 6). Nescio quomodo « pauperes spiritu et re » (cf. pag. 12, lin. 38) possint lucrum habere et ceteris de sua substantia dare. Oportet haec omnia bene ordinare ne appareat contradictio ne in terminis quidem!

31. « si autem rerum adiuncta » (lin. 20, pag. 13). Haec restrictio non videtur bona, nam si « vita in communi » et « vinculum fraternitatis » unitatem sodalium expostulant, rationes extrinsecae (ideo accidentales) sunt tantummodo « impulsivae », numquam « motivae »: textus prior, sine restrictione et cum generica expressione « curandum est » praeferendus esse videtur!

32. « accommodata » (pag. 13, lin. 31). Accommodata, vel accommodanda?... Si *accommodanda,* a quo est accommodanda?... Non, evidenter, a solis causis extrinsecis (condiciones loci et temporis!). Si *accommodata,* citetur documentum!

33. Forma latina n. 12 non videtur canonibus grammaticae conformis et quamvis idea sit clara, propositiones tamen sunt aliquo modo incertae et involutae.

34. « tenentur (ad) vitam Ecclesiae participare » (pag. 15, lin. 10). Si religiosi sunt portio electa gregis Christi, evidenter *ad* vitam Ecclesiae participant;

forsan dicendum esset « Omnia Instituta, *ut potiora membra mystici Corporis Christi, incepta* et proposita Ecclesiae, v. g. in re biblica, liturgica, sociali et oecumenica, pro viribus fovere tenentur ».

35. « Spiritus missionalis omnino servetur » (pag. 15, lin. 15). Servetur tantummodo?... Parum videtur! Dicatur « magis ac magis augeatur » quod erit religiosae vocationi et voluntati Summi Pontificis magis consentaneum.

36. Ad n. 17 (pag. 15, linn. 21-26). Non videtur opportuna nec pulchra haec mors languescentium Institutorum per aliquam veluti leucemiam, seu per defectus novitiorum: dicatur statim: « uniantur alii Instituto vel monasterio vegetiori quod fine et spiritu haud multum differat! ». Nihil proinde de prohibitione accipiendi novitios (absoluta, in schemate) nihilque de causis excusantibus ab unione facienda (« si fieri possit ») sed non a morte subeunda!

2

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Venerabiles Patres,

Necessitas non habet legem. Competentes commissiones conciliares de religiosis in tribus schematibus egerunt necessitate quadam compulsi; sed dolendum est duo exinde incommoda consecuta esse, quibus, utinam, in schematum retractatione remedium afferatur!

Primum incommodum. Propositiones ipsae, nunc disceptationi subiectae, speciem praeseferunt fragmentorum quae oportuit colligere quia locum aptum sive in schemate *de Ecclesia* sive in schemate *de pastorali episcoporum munere* non invenerunt. Quod quidem vitari potuisset si confectum esset peculiare schema quod omnia ad religiosos spectantia, etiam respectu Ecclesiae ac pastoralis episcoporum muneris, ordinatim atque concinne comprehenderet.

Secundum incommodum. Aliqua praetermissa sunt quae memoranda erant. E. g.: nihil dicitur, quamquam ea nominantur, de Institutis Saecularibus seu societatibus quarum sodales — etsi religiosi proprie non sint — christianae perfectionis adquirendae atque apostolatum plene exercendi causa in saeculo consilia evangelica profitentur...[1]

Profecto ea maximi sunt momenti et mirae efficacitatis pro apostolatu christiano nostris temporibus accommodato.

Nolo sane conqueri sicut hesternis diebus plures Patres conquesti sunt de *propositionibus* « ad activitatem missionalem Ecclesiae spectantibus »; attamen tacere non possum, ab iis qui secundum evangelica consilia vitam suam Deo consecrarunt iure exspectari saltem de-

cretum sibi proprium, ne coram Ecclesia et coram ipso mundo hodierno inferiores appareant laicis, qui etsi caput integrum impleant in schemate *de Ecclesia,* peculiari decreto donati sunt.

Qua universa animadversione praemissa, venio ad ea quae nobis in schemate proponuntur.

1. Inscriptio *De accommodata renovatione vitae religiosae* hausta est ex decreto, de eadem re, a S. Congregatione Religiosis praeposita, obtenta venia et approbatione Summi Pontificis Pii XII, die 26 martii 1956 edita...[2]

Ast in illo decreto dum celebratur « salutaris atque foecundus renovationis accommodatae statuum perfectionis motus, qui a maximo Congressu, anno sancto 1950 Romae habito, feliciter sumpsit initium », statim ita subiciuntur: « ut autem haec benefica renovatio et accommodatio consulte ac ordinate procedat, in dies progrediatur, intentior fiat tutiusque diffundatur... » peculiares normae servandae sunt. Quae in unam facile constringi possunt, scil.: « Nihil decerni posse de religiosorum vita interna, de eorum condicione iuridica, de educatione atque formatione, *inconsulta Sancta Sede* », ad quam accommodatas renovationes referri ut adprobentur semper utile est, ne dicam necessarium. Iudicium enim supremae in Ecclesia auctoritatis tantum abest ut incepta quaeque ad renovationem statuum perfectionis impediat vel cohibeat, ut etiam ad uberiores fructus in dies afferendos quam maxime iuvet; ita securius caveretur ne sub renovationis praetextu in vitam religiosam cuiusvis Ordinis vel Congregationis unquam introducantur mutationes quae iter perfectionis acquirendae, secundum ipsorum vocationem difficilius efficerent.

2. Praeceptum quod bis absolute in pag. 11 ponitur quodam temperamento — ut opinor — indiget.

Etenim sub n. 5, linn. 7 s., legimus: « Instituta vitae contemplativae ... ipsa in ratione formaque vitae suae *sese renovent* ». Similiter sub n. 7, linn. 27 s.: « Religiosi *sese renovent* in oboedientia, castitate et paupertate quam professi sunt ».

Mandatum tam firmum, dum supervacaneum est pro Ordinibus et Congregationibus religiosis quae a legitimis Moderatoribus opportune iam renovata sunt, inter sodales et alumnos provocare posset immoderata renovationis postulata vel saltem effusa desideria.

Prudentissima est de hac re hortatio Ss.mi D. nostri Pauli VI ad supremos Moderatores quarumdam familiarum religiosarum earumque sodales qui nuper Romam convenerant ad sui cuiusque Instituti Capitulum Generale ...[3]. « Maximi momenti opus — inquit — in quo Capitula Generalia curas praecipuas ponere debent hoc est: ut Insti-

tuti sui leges ad mutatas temporum condiciones assidue accommodent. Id tamen ita est procurandum, ut propria Instituti natura et disciplina indemnis servetur. Religiosa enim quaelibet familia suum peculiare munus habet, eidemque omnino necesse est ut fidelis permaneat... Nulla ergo disciplinae renovatio inducenda est, quae cum Ordinis vel Congregationis natura non congruat, aut a mente Conditoris quoquo modo discedat... » ...[4]

Haec sane gravissima verba suppleri nequeunt paucissimis quae in pag. 10, linn. 8 s., inveniuntur.

Porro renovatio quae pag. 11, sub n. 5, Institutis vitae contemplativae commendatur, non intelligo quorsum spectet. Pro certo habendum est vitam contemplativam non parum differre a vita activa, quamvis vita religiosa essentialiter una sit. Proinde vehementer erraretur si a religiosis vitae contemplativae exigerentur opera apostolatus quae cum eorum peculiarissima vocatione non congruunt. Ipsi enim ad gloriam Dei augendam et salutem animarum procurandam valde cooperantur cum participent munus Ecclesiae orantis et adimpleant in carne sua quae desunt passioni Christi pro corpore Eius quod est Ecclesia...[5]

3. Ad consilia evangelica quod attinet, praeferendus mihi videtur ordo quem sequi solent religiosi utriusque sexus et S. Ignatius a Loyola in suis Exercitiis illustrat; nempe primum est votum paupertatis, secundum castitatis, tertium oboedientiae. De iis, quibus professio perfectionis christianae, praesertim religiosae, continetur, sapienter dixit Summus Pontifex, feliciter regnans, in Allocutione supra laudata, quae in schema existimo inserenda esse, ut a Concilio Oecumenico solemniter confirmentur.

E. g.: dum in textu, pag. 12, sub n. 10, agitur tantum de paupertate singulorum religiosorum propria, Sanctus Pater admonet non licere neglegere paupertatem, qua familia ipsa religiosa, seu totum corpus sodalium eniteat oportet: in aedificiis suis et quibusvis operibus, devitando cultum et ornatum nimis exquisitum et quidquid luxum redolet.

Ad castitatem autem perfectam sincere profitendam non sufficit quod legitur in pag. 12, linn. 15-19, nimirum ut religiosi promissionem suam fideliter servare studentes, verbis Domini credant, Dei auxilio confisi, de propriis viribus ne praesumant atque corpus suum in servitutem redigant.

Necesse est insuper, et quam maxime, ipsi ab omnium donorum datore, Beatissima Virgine intercedente, instanter effusis precibus implorent gratiam praestantissimam servandi, inter tot tantaque pericula, cordis et corporis munditiem, atque simul — ut iterum verbis utar Papae Pauli VI — diligentiore cura sensus custodientes nullum omnino

locum dent, ne specie quidem cuiusdam desiderii cognoscendi scitu utilia vel amplificandi cultus humani, ... ».

Demum vocatio religiosa, de qua est sermo in pag. 16, n. 20, fovenda quidem est ut augeatur numerus sodalium religiosorum, sed maxima quoque cura adhiberi debet ut professi, qui dicuntur, vocationi suae sanctae fideles permaneant.

Proh dolor! quot nostris diebus a statu religioso defecerunt! Moderatores igitur religiosorum omni ope adnitantur ut Instituta sua appareant et sint intus et foris non merae actionis apostolicae associationes, sed in primis verae et authenticae « scholae sanctitatis » ...[6]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] cf. PIUS XII, Const. Ap. *Provida Mater,* die 2 febr. 1947: *A.A.S.,* 39 (1974), pp. 114-124. [2] S. Congr. de Rel.: Normae dantur quoad conventus qui accommodatam statuum perfectionis respiciunt, 25 mart. 1956: *A.A.S.,* 18 (1956), pp. 295 s. [3] *A.A.S.,* 56 (1964), pp. 568 ss. [4] PAULUS VI, *ibid.,* pp. 569-570. [5] S. PAULUS, *Col.* 1, 24. [6] Cf. PIUS XII, Epist. « Iis religiosis e Lusitania, qui interfuerunt Congressui, Olypane habito, de religiosae perfectionis statibus, 3 apr. 1958: *A.A.S.,* 50 (1958), p. 315.

3

EM.MUS P. D. PAULUS M. CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Patres venerabiles,

Hoc schema de religiosis, feliciter emendatum, praebet ...[1] dispositiones optimas, quae bene promittunt ad futurum, scil.:

In n. 10, de paupertate collectiva et externa institutorum; item in n. 10, quoad possibilitatem pro sodalibus Congregationum religiosarum renuntiandi post professionem bonis patrimonialibus deinde acquisitis vel acquirendis, et sic habendi plenam facultatem colendi paupertatem quam profiteantur; in n. 11, de consilio dato ad unicam classem reducendi instituta mulierum; in n. 14, quoad institutionem doctrinalem et technicam religiosarum, necnon quoad earum instructionem in mores sociales hodiernas; tandem in n. 16, circa institutorum participatione biblica, sociali et oecumenica.

Attamen, textus etiam emendatus vocat a me quasdam observationes:

1. Quoad terminologiam, circa duo puncta: *a)* Novus titulus schematis sane melior apparet, sed, sicut prior, non caret aliqua ambiguitate. Oportet enim scire de quibus nunc volumus tractare. Vocabulum « religiosus », ut in anteriori textu, et etiam in formula nova « de renovatione

vitae religiosae » non convenit pro omnibus quos hoc schema reapse intendit. Nam membra societatum cum vita communi et sine votis publicis non sunt religiosi in acceptione authentice tradita et multi in Institutis saecularibus merito non volunt sese accipi ut religiosi.

Ergo propono alium titulum, nempe « De christianis speciali modo ad Deum et ad animas deditis », et saltem rogo instanter ut tandem detur definitio bene accurata de religiosis.

b) Distinctio allata in nn. 5 et 6 inter instituta vitae contemplativae et instituta vitae activae se praebet, libenter fateor, ut practica in ordine canonico et vera quoad statum, sed certo certius, ...[2] non respondet exacte ad realitatem *concretam*,[3] nam omnes sciunt quod, ex una parte, religiosi contemplativi exercent etiam quamdam activitatem, etiam quandoque ab Ecclesia commendatam, et quod, ex alia parte, nullam operationem apostolicam religiosi activi possunt producere sine aliqua antecedenti contemplatione vel oratione. Non possumus ignorare periculum grave istius distinctionis, si schema de hoc puncto non addat explanationem, nam necesse est in nostris diebus favere vitam orationis atque etiam alicuius contemplationis inter laicos ipsos.

2. Inspiratio huius schematis remanet adhuc nimis iuridica, etsi in schematibus *de Ecclesia* et *de vocatione ad sanctitatem* fuerunt merito enuntiata principia de consecratione religiosorum et aliorum in diversis institutis ad Deum et ad salutem animarum.

Quis potest legere nostrum textum sine aliquo stupore quando non invenit, etiam in prooemio et in n. 1, ullam minimam referentiam ad Spiritum Sanctum qui a Christo missus fuit ad suggerenda omnia Evangelii praecepta ac consilia et qui manet, ut Amor, tanquam ipsum principium totius vitae religiosae, non solum in prima incitatione ad talem vitam amplectandam et in emissione votorum, sed etiam in omnibus activitatibus consecratorum, sive contemplativis, sive apostolicis, sive magni momenti exterioris, sive per infimas functiones?

3. Clausura monialium, de quo agitur in n. 12, revera favet silentium et solitudinem vitae contemplativae, non debet tamen considerari ut separatio a mundo, sed potius ut praeservatio.

Ergo quando necesse est quod moniales extra claustra adeant, non solum pro rationibus valetudinis, sed pro aliqua gestione vel informatione, sufficeret ut superiorissae ipsae, sine recursu ad Ordinarios, iam satis oneratos, sapienter possint permittere egressum temporalem monialium extra clausuram.

4 et ultimo. Unicam observationem addo, et pastoralem, ad regulas bene probatas in schemate *de munere pastorali episcoporum*. Absit a me aliqua recusatio contra exemptionem!

Sed ad rectam ordinationem apostolatus in dioecesi per episcopum qui est successor apostolorum, videtur necessarium quod Instituta, pro operibus suis propriis, non possint exercitium istius iuris agere extra illorum domus, nisi licentia expressa episcopi.

Attamen puto valde exoptandam quamdam repraesentationem religiosorum in coetibus dioecesanis vel regionalibus circa evangelizationem.

Exinde, schema sic emendatum mihi placet, sed iuxta modum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] quasdam. [2] in concreto. [3] deest.

4

EM.MUS P. D. IULIUS CARD. DÖPFNER
Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis

Venerabiles Patres, carissimi Fratres,

Schema examinandum est in luce *internae renovationis quam* [1] Ecclesia in hoc Concilio instituit. Etiam religiones quaerant oportet, quomodo in hodierna mundi situatione ...[2] vocationi suae melius respondere possint. Non raro enim renovatio Ecclesiae a religionibus exordium sumpsit. *Etiam hodie Ecclesia opus habet impulsu et vigore religiosorum vere charismaticorum.*[3] Quaerimus ergo: Convenitne schema huic momento religionum et exspectationibus, quae a multis, praesertim *a* [4] religiosis, iure cum illo coniunguntur? Debemus aperte confiteri: non!

Certe, propositiones continent non pauca perutilia ...[5]. Textus revera inde a labore commissionis praeparatoriae semel atque iterum emendabatur. Sed relate ad momentum religionum in Ecclesia et relate ad gravia problemata, quae religionibus hodie incumbunt, schema est pauper, non tangit sufficienter nervum, ut ita dicam, difficultatum...[6]

Ne dicatur paupertatem schematis unice provenire ex mandato reducendi materiam ad puncta essentialia; schemata priora utpote ampliora necessitatibus melius correspondisse. Pro una alterave re hoc verum esse potest. Sed in summa etiam illa schemata laboraverunt ex iisdem defectibus. Non est ergo regrediendum ad ea...[7]

Maximus defectus huius schematis mihi in eo esse videtur, quod desunt puncta cardinalia (germanice: Schwerpunkte), *puncta cardinalia, dico,*[8] renovationis et accommodationis desideratae. Res maioris et minoris momenti promiscue iuxtaponuntur, ita ut difficulter tantum aliquis ordo logicus extricari possit, ut ipse exc.mus relator iam adnotavit...[9]

Puncta cardinalia autem, quae profundius et praecisius evolvenda

sunt, videntur mihi sequentia. *Diversa brevitatis causa omitto et in scriptis trado.*[10]

1. Ante omnia agendum est de renovatione spirituali. *Sane in religionibus hodiernis vera et seria cura de vita spirituali habetur! Sed* [11] hic agitur potius de illis *formis* vitae spiritualis, quae hucusque saepe — *certe non semper* [12] — in religionibus, praesertim mulierum, inveniuntur. Redeant religiones oportet iterum ad fontes: *diversimode* [13] ad Sacram Scripturam et ad Liturgiam, ad eximios vitae spiritualis magistros, qui inde a tempore Patrum in traditione ecclesiastica inveniuntur, ad *veram* [14] theologiam spiritualem ...[15].

Etenim pietas et devotiones multorum institutorum adhuc nimis spiritu et mentalitate saeculi anteacti signantur, *id quod facile illustrari posset.* [16] Ideo de his omnibus, *de hac quaestione,*[17] in schemate ...[18] agendum est, et quidem non tantum modo generali, sed sat concreto *et convincenti.*[19]

2. Post renovationem spiritualem agatur de *accommodatione vitae religiosae ad necessitates nostri temporis.* Priusquam vero *in schemate* [20] ad singula proceditur, dicenda erunt aliqua principaliora de habitudine religiosorum ad mundum *instaurandum.*[21]

Non obstante necessario manente regressu religiosorum ex mundo, tamen [22] religiosi debent sentire se ad hunc mundum eiusque homines *vere* [23] pertinere et mundum etiam positive videre. Nam quomodo signa temporis cognosci et accommodationes necessariae inveniri possunt nisi ex libera et aperta habitudine ad mundum modernum? Enumerare velim aliqua, de quibus silet, *vel non satis loquitur,*[24] schema.

Quaerendum est, e. g., quomodo hodie ...[25] paupertas religiosa ita in effectum deducatur ...[26], ut ...[27] sit testimonium coram mundo. Multae formae traditionales paupertatis religiosae — *et etiam fundatores hodie aliquas res alias instituissent* [28] — non iam movent homines modernos, immo non iam ab illis intelliguntur...[29]

Simile quid valet quoad oboedientiam ...[30]. Nemo est, qui non sciat crisim, quae hodie habetur extra et intra Ecclesiam circa auctoritatem. Quae crisis *certe* [31] spectat ad subditos, *in spiritu Christi oboedientis,*[32] sed etiam ...[33] ad regentes. Problema est grave et complexum. Ad illud solvendum non sufficit doctrinam traditionalem repetere, sicut magna ex parte fit in schemate. Quin aliquid desumatur de radicalitate oboedientiae religiosae, quaerenda est forma, species oboedientiae, quae homini adulto et maturo nostrae aetatis conveniat.

...[34] Subditi hodie multo magis — *praesertim in operibus apostolicis* [35] — quam temporibus prioribus debent participare responsationem pro tota communitate et societate...[36]

3. Maximi momenti pro optata renovatione est *institutio* seu *instructio* sodalium. Quae hodie profundior et latior esse debet quam tempore praeterito. De hac re inveniuntur in schemate bonae annotationes ...[37]. quae vero adhuc augendae et magis concretizandae sunt.

En aliqua, de quibus agendum est: Institutio theologica religiosorum *clericorum* saepe est nimis exigua. Scholae theologicae parvae et saepius minimae abolendae et cum aliis uniendae sunt. Pro sacerdotibus religiosis, praesertim iunioribus, similiter ac pro clero dioecesano, *ubi etiam multum faciendum est,*[38] secundum necessitates temporis et regionis cursus theologici et pastorales instituantur...[39]

In institutis laicalibus generatim nemo ad munus superioris vel alicuius magisterii promoveatur, nisi prius aliquam specialem praeparationem persolverit.

...[40] Religiosi, *ut hoc etiam dicam,*[41] non solum theoretice et practice ad suum munus sedulo praeparentur, sed necessarium est ut mores vivendi, *etiam in conventibus claustralibus,*[42] in religione ipsa magis moribus communibus mundi hodierni adaptentur.

4. Punctum renovationis religiosae cardinale ultimum mihi videtur *problema typologiae religionum.* Numerus religionum inde a saeculo praeterito ingens factus est, signum certe foecunditatis spiritualis Ecclesiae, sed et ansa gravis problematis. *Multae*[43] religiones magis magisque ex institutionibus et ex laboribus suis eandem vel similem speciem prae se ferunt, *ita ut sermo sit de « livellatione » religionum.*[44]

Non pauca monasteria parum tantum differunt a religionibus clericalibus apostolicis, dum plurimae congregationes activae mulierum duplici quasi tramite progrediuntur, una ex parte peragentes vitam quasi-monasticam, altera ex parte incumbentes in nimium laborem, ita ut sorores inter duos fines distrahantur.

Etiam instituta vitae mere contemplativae, quae omnibus nobis sunt carae et vere suas partes in Ecclesia habent, in multis debent novas vias inire. ...[45] Angustia institutionalis, quae *aliquando*[46] in conventibus contemplativis invenitur, a plurimis psychologice hodie non iam sustinetur, *et sustineri potest.*[47] Hic revera mutationes institutionales et structurales necessariae sunt.

Concludo: Schema *de religiosis* certe continet ...[48] bonas propositiones, sed ut totum est disproportionatum, non exponit puncta hodie essentialia...[49]

Ideo schema, uti nunc praeiacet, ...[50] bonis quae in illo inveniuntur non obstantibus, neque respondet eximio momento religionum in Ecclesia neque necessitatibus earum hodie urgentibus.

Non dicam ut fiat schema vaste elaboratum, sed fiant propositiones meliores.[51] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] examinis conscientiae, quod. [2] quae magna ex parte est nova. [3] deest. [4] deest. [5] quod iam saepius dictum est. [6] ex quibus multa instituta religiosa hodie laborant, neque satis religiosorum animum confirmat, ut ipsi has difficultates libere et fortiter aggrediantur. [7] Certe, postulata brevitas Propositionum quodammodo impedit quominus dicantur omnia, quae nostro tempore ad accommodatam renovationem proferenda sunt. Sed saltem magnae et decisivae lineae talis renovationis apparere debent. [8] deest. [9] dicens: « Corpus harum Propositionum, licet ordo logicus non semper servetur, plus minusve ita dividitur... » (pag. 6 penult. par.). Sic schemati deest pondus. Ab illo non exient impulsus ad illam accommodatam religionum renovationem, quam tempus nostrum tam enixe postulat. [10] deest. [11] Optimae accommodationes institutionales ad necessitates nostri temporis peractae manebunt mere extraneae ideoque erunt inefficaces, nisi coniungantur cum vera renovatione spirituali et ex ea procedant. Non quia in religionibus hodiernis vera cura de vita spirituali non haberetur! [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] Ex his fontibus modus orandi, spiritus paenitentiae et ipsae paenitentiae, observatio votorum et labor apostolicus mensurandi sunt; ex his quoque profluunt illae virtutes, quibus innititur tota vita religiosa: imitatio Christi pauperis et crucifixi, necnon traditio suiipsius pro fratribus. [16] Superetur ergo aspectus vitae spiritualis fere exclusive moralis; loco multorum et quoad eorum momentum valde disparium exercitiorum pietatis et devotionum particularium redeatur ad simplicitatem Evangelii et ad spiritum Liturgiae! Et porro: Quam arida sub aspectu theologico et spirituali sunt illa, quae saepe in regulis et constitutionibus de consiliis evangelicis et de votis leguntur vel in instructionibus audiuntur! Num iam satis in effectum deduxerunt religiones, quae ultimis decenniis in Ecclesia ex fontibus spiritualibus effloruerunt? Hoc certe affirmari non potest; in quo facto quoque ratio decrescentis numeri vocationum quaerenda est. [17] deest. [18] primarie. [19] deest. [20] deest. [21] instauranda. [22] Relate ad hanc habitudinem enim in non paucis institutis profunda mutatio mentalitatis et praxeos necessaria esse videtur. Non obstante separatione reali a mundo — secundum indolem cuiusvis instituti quidem diversa — quam spiritus consiliorum evangelicorum postulat, etiam. [23] deest. [24] deest. [25] in adiunctis technicis et oeconomicis tam mutatis. [26] (cf. Prop. 10). [27] non solum sit singulis sodalibus adiumento perfectionis evangelicae adquirendae, sed etiam. [28] deest. [29] Quae in schemate de hac re leguntur, nullatenus exhauriunt essentiam problematis hodierni. [30] (cf. Prop. 8). [31] non solum. [32] deest. [33] et adhuc magis. [34] Indicare hic volo tantum unum punctum, quod mihi magni momenti esse videtur. [35] deest. [36] Superiores ergo, iuribus suis praecipiendi plene manentibus, subditos in rebus vitae communis, observationis regularis vel operum apostolatus consulant, cum eis communiter deliberent, quomodo procedatur, ut institutum muneri suo respondeat. Praesertim illi, qui ad labores apostolicos destinantur et quibus hodie ex natura rei maior facultas ex proprio iudicio agendi et decidendi convenit, ad maiorem responsabilitatem individualem et rectum libertatis usum educantur oportet. [37] (cf. Prop. 14). [38] deest. [39] ut addiscant quae in diversis disciplinis investigantur, et sic muneri suo obeundo

se in dies magis idoneos faciant. [40] Denique: vita claustralis, praesertim mulierum, persaepe a vigentibus vitae socialis moribus et hominis moderni mentalitate valde est diversa. Quare multi religiosi, apostolatui vel aliis operibus dediti, consuetudini cum hominibus in mundo degentibus impares inveniuntur, immo in suo labore detrimentum spirituale capiunt et non raro vocationem suam amittunt. Ideo. [41] deest. [42] deest. [43] Una ex parte multa instituta, praesertim moderna, secundum iudicium peritorum nimis sibi vivunt. Habent suas devotiones, quae interdum iam per nomen societatis indicantur, suos labores particulares, v. g. proprias scholas, associationes etc., prosequuntur suum interesse; spiritus eorum est nimis angustus, finis non satis clarus et circumscriptus. Instituta clericalia occupantur quidem multis rebus (occupatio, germanice: Beschäftigung), sed egent saepe vero et efficaci labore (labor, germanice: Arbeit). Omnes enim hae. [44] Sermo est de « livellatione » religionum, non plane sine culpa legislationis, quae quam multa normis uniformibus sancire intendit. [45] Animum vestrum tantum ad duo problemata advertam: 1. Etiam haec instituta ex lege divina victum suum proprio labore merere tenentur; unde, si necessitas adest, possibilitates et methodi laboris modernae introducendae sunt. Hoc non solum respondet multis effatis S. Scripturae, sed etiam exemplo Domini et mentalitati hodiernae. Forma contemplationis, quacum aliquis labor coniungitur, qui hodie non iam ut verus labor aestimatur, non est christiana. 2. [46] saepe. [47] Habentur hodie relative multae vocationes ad vitam contemplativam, sed paucae tantum servantur, plurimum ex motivis psychicis. [48] aliquas. [49] divisio logica non clare apparet. Conati sumus puncta essentialia enumerare et quidem ordine logico, sub his verbis capitalibus: Renovatio spiritualis, accommodatio ad necessitates nostri temporis, instructio sodalium et typologia religionum. [50] secundum nostram modestam sententiam. [51] Quare in praesenti sua forma acceptari non potest. Ideo funditus renovetur. Quae renovatio tamen quaerenda est non in schemate nimis prolongando vel ad integrum decretum restituendo, sed in pertractandis quaestionibus hodie maxime urgentibus, manente tamen forma propositionum.

Animadversiones additae:

Ad prooemium. Lin. 10 addatur: « ... prout *sequela Christi semper renovanda et* tempora nostra... », ut inde ab initio clare appareat non agi in propositionibus solum de quaestionibus indolis iuridicae, sed etiam indolis spiritualis.

Ad divisionem corporis propositionum. Propositiones sic ordinentur, ut ordo logicus statim appareat, et quidem secundum puncta cardinalia (Schwerpunkte), incipiendo a punctis primariis, uti in interventu expositum est. Punctum quartum fortasse sonet: De religionum typologia et cooperatione.

Ad n. 1. De renovatione spirituali, in qua etiam omnis accommodatio innititur, multo fusius et praecisius agendum est, secundum eas rationes, de quibus in animadversionibus supra sermo est.

Ad n. 2. Quae in hoc numero dicuntur, sunt principia mere formalia ideoque interpretationem valde diversam admittunt — iuxta intelligentiam nempe cuiusque aprioristicam — et nihil efficiunt. Opus est maiore concretizatione, saltem in uno alterove puncto tamquam exemplo.

Ad n. 4. Monitio huius numeri superflua est, quia valet pro omni vita christiana ideoque per se patet. Ceteroquin linn. 37-38 loco phrasis « consequi nitantur perfectum Dei amorem, ex quo proximi dilectio profluit », quae abstracte

sumpta omnino est vera, melius diceretur: « consequi nitantur mandatum magnum (*Mt.* 22, 36) et praeceptum Domini (*Io.* 15, 12), Dei sc. et proximi dilectionem », quod melius respondet unitati intimae dilectionis erga Deum et proximum in ordine christiano, ut docent exemplum et verba Christi necnon 1 Epistola Ioannis Apostoli.

Ad nn. 5 et 6. Nisi profundius quid de diversis formis et typis religionum exponitur, tunc — controversia circa distinctionem exclusivam inter instituta vitae contemplativae et vitae activae prae oculis habita — hi numeri melius omittuntur.

Ad n. 8. Pro mentalitate nostrae aetatis omnino necessarium esse videtur, agere in quaestione de oboedientia etiam de responsatione superioris cum subditis suis ita communicanda, ut omnes sodales vitam, res et sortes propriae religionis ut suas agnoscant et tamquam in bona familia de omnibus rebus quasi communiter curent.

Ad n. 9. Castitas religiosa in linn. 15-25 coarctatur fere unice ad continentiam corporalem (pro qua servanda ceteroquin *1 Cor.* 9, 27 citari non potest); *virtus* vero castitatis primarie ad animam spectat. Sodales ergo melius instruantur, quomodo corpus eiusque vires magis magisque in totam personalitatem integrent, ut corpus suum vere possideant. De hac instructione in hoc numero sermo esse debet.

Ad n. 10. Addatur aliquid de obligatione quaerendi formas paupertatis in diversis adiunctis sane diversis, quae missionem Ecclesiae et Regnum Dei melius testificantur coram mundo.

Ad n. 11. Hic locus esset aliquid dicendi de responsatione unius pro altero et omnium sodalium pro spiritu religioso et fidelitate erga vocationem totius communitatis, fere hoc modo: « Quo magis fidelitas multorum religiosorum erga vocationem religiosam et erga disciplinam regularem nostra aetate ob varias rationes periclitetur, eo magis urget obligatio responsationis omnium pro fratribus (sororibus) suis et pro spiritu religioso domus, in qua vivunt. Huius responsationis ergo memores sint, ut et ipsi a fratribus (sororibus) suis in fidelitate erga vocationem suam roborentur ».

Ad n. 16. Linn. 3-9 omittantur, quia (ut in n. 2) principium mere formale enuntiant, quod nullius utilitatis practicae est. Unusquisque enim illud secundum suam sententiam aprioristicam interpretabitur.

Post propositiones convenienter brevis epilogus indolis spiritualis addatur, qui indicet momentum religionum ad renovationem Ecclesiae quam Concilium tam enixe exoptat consequendam.

4

EM.MUS P. D. IOANNES CARD. LANDÁZURI RICKETTS
Archiepiscopus Limanus

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

Attento Institutorum religiosorum maximo momento eorumque in Ecclesia munere hisce temporibus plane necessario, uti Summus Pontifex in sua pretiosissima allocutione ad Religiosos Capitulares die 23 maii huius anni dixit, amplior textus conciliaris de iisdem exspectari poterat.

Audivimus tamen ab exc.mo relatore huius schematis rationes propter quas ad huiusmodi brevitatem reductum sit ...[1]. Ex altera quoque parte, in constitutione *de Ecclesia* proprium caput religiosis fuit reservatum, in quo aspectus theologicus status religiosi exponitur; insuper in schemate *de pastorali episcoporum munere,* necnon in illo *de activitate missionali Ecclesiae,* apostolicum religiosorum exercitium sub Ordinarii loci moderamine considerationi subiicitur. Quae si omnia simul colligerentur, procul dubio sufficiens haberetur schema, momento materiae adaequatum...[2]

Nn. 2 et 3 *huius schematis*[3] maximi sunt momenti pro renovanda simul et accommodanda vita et disciplina religiosa hodiernis circumstantiis, quod inter praecipuos huius Concilii pastoralis fines adnumerandum est.

Nos confidimus disceptationes atque emendationes in aula propositas novam lucem ad schema perficiendum esse allaturas.

Ex parte mea, quatuor vellem breves animadversiones proferre.

1. In n. 5 schematis, *summatim*[4] tantum verbum fit de partibus quas Instituta vitae contemplativae in Corpore Christi mystico agunt. Hoc, puto, clarius esset declarandum. Religiosi enim religiosaeque, qui vitae contemplativae vacant, non solum Ecclesiam orantem repraesentant, non solum Ecclesiae apostolatui fecunditatem concedunt, sed etiam Ecclesiae praesentiam in mundo patefaciunt.

Proinde distinctio inter vitam contemplativam et activam, etiamsi vita religiosa in se una sit, omnino conservanda est. Unitas enim substantialis vitae religiosae non excludit multiplicitatem formarum Institutorum religiosorum. Ad contemplationem theologicam seu internam « omnes homines in qualibet religione, immo et in saeculo viventes invitantur », ut dixit Pius XII in Constitutione *Sponsa Christi*; sed hic agitur de Institutis, de « vita contemplativa canonica », sine — *dici potest*[5] — qua Ecclesia aliquomodo integra non *est.*[6]

2. Ad n. 16: Cum animarum necessitas et clericorum penuria magis magisque ingravescant, episcopi hac praesertim nostra aetate ad religiosos, pro opportunis auxiliis in suo pastorali munere explendo, sese convertunt. Quod legitime quidem fit. Gravis tamen esset error omne genus apostolatus a Religiosis indiscriminatim requirere. Sicut in exercitu bene ordinato singuli propriis armis mediisque utuntur atque varias in pugna communi partes agunt, ita et sodales religiosi adiutricem suam operam iuxta proprii Instituti finem et indolem necnon personalem idoneitatem praestare debent, quin omnes ad eandem apostolatus formam trahantur. Hoc quidem in propositione 16 innuitur; sed clarius forsitan exprimendum esset...[7]

3. Ad n. 20: Ultima propositio de vocatione religiosa fovenda, non

est minoris momenti. Vocatio autem religiosa non solum ubi agitur de candidatis Instituto inscribendis fovenda est, sed etiam, ut *nuper dixit em.mus card. Ruffini,*[8] professi in sua vocatione fideliter permaneant maxime curandum est. Schema valde perficeretur, si etiam de hac perseverantia ageret.

Defectiones *enim*[9] e statu religioso nostris diebus nimiae apparent, inter quas ii adnumerandi sunt qui ad clerum saecularem transeunt, cum benevolos episcopos, quos tamen receptionis non raro paenitet, *non infrequenter*[10] inveniant.

Una ex huiusmodi defectionum causis forte in eo est, quod candidati ad Instituta religiosa ingredienda aliquando cupidine apostolatus exercendi alliciuntur potius quam desiderio sanctificationis austera consiliorum evangelicorum disciplina prosequendae. Sensus religiosus non satis eorum animis a primo tyrocinio inditur neque dein sufficienter roboratur. Propterea statum perfectionis facilius deserunt, quem nonnisi superficialiter cognoverunt quemque forte numquam sincero animo appetiverunt. Quare oportet ut Instituta religiosa sese candidatis offerant non tamquam meras associationes actionis apostolicae, sed tanquam authenticas « scholas sanctitatis », iuxta verba Pii XII ad religiosos lusitanos...[11]

4. Tandem liceat mihi, e religiosorum utique gremio at nunc qua archiepiscopo residentiali, super aliquo argumento loqui quod in praesenti schemate desideratur, scil. verbum plausus, quo haec Sacrosancta Synodus ingentia servitia agnoscat quae religiosi et religiosae in Ecclesia universa praestant.

In Ecclesia enim religiosae et religiosi insimul numerantur duo millia millium (italice: due milioni), nempe duodecim centena millium religiosarum (italice: un milione e duecentomila suore), quae vel orationibus et poenitentiis suis apostolatum episcoporum et sacerdotum fecundant vel suo proprio apostolatu, a scholis usque ad humillima servitia, Ecclesias secundant, et octingenta millium religiosorum (italice: ottocentomila religiosi), sacerdotum et fratrum laicorum, qui omnes uno aliove modo Ecclesiae et animabus inserviunt. Immensa est eorum opera in missionibus, miranda eorum earumque abnegatio in servitio pauperum, derelictorum, aegrotantium, ...[12] infantium et senum. Quid essent nostrae dioeceses si religiosi et religiosae deessent? Merito ergo Concilium nostrum eorum earumque servitia explicite agnosceret.

Conclusio. Nos pastores animarum sperare et confidere possumus ut ingens illa acies uni Domino consecrata, in necessitatibus apostolatus, in propagatione Evangelii, in instructione catechetica, in operibus socialibus, in exercitio caritatis, post hoc Concilium pastorale, renovata et hodiernis conditionibus accommodata vita religiosa, validum sit ac ma-

neat nostrum adiutorium; et nos omnes, ducti caritate Christi, spiritu comprehensionis et mutuae collaborationis prosequemur strenue adlaborantes in bonum Ecclesiae et servitium animarum. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] videlicet ob instructiones ab auctoritatibus Concilii distincte datas. [2] Theologicis enim fundamentis status religiosi qua talis, et religiosorum apostolatus normis ad alia schemata remissis, propositiones praesentis schematis essentialia ad accommodatam vitae religiosae renovationem in se continere videntur, quae debite enucleata riteque applicata, beneficum emolumentum religiosis institutis et per ipsa toti Ecclesia certe afferre valent. Ita e. g. [3] deest. [4] breve. [5] deest. [6] esset. [7] post primum incisum scil. « Instituta iam condita, opera propria » his vel similibus verbis additis: « quibus iam utilitati Ecclesiae et dioecesium inserviunt », et deinde: « fideliter retineant et adimpleant atque temporum necessitatibus » etc. [8] deest. [9] deest. [10] facile. [11] (*A.A.S.*, 1958, p. 315). Quem in finem propono ut novum comma addatur propositioni 20, nempe: « Ne illi qui statum perfectionis vocatione divina certo probata amplexi sunt, illum deinde leviter deserere exponantur, de sensu evangelicorum consiliorum ob perfectum Dei amorem susceptorum, non minus quam ad apostolatum proprium Instituti exercendum, a primo tyrocinio sedulo instituantur ac altius in dies roborentur ». [12] immo leprosorum.

6

Em.mus P. D. LEO IOSEPH card. SUENENS
Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis

Venerabiles Patres,

Schema non placet, quia non videtur satisfacere ...[1] renovationi ...[2] « vitae religiosae »...[3]

Inter multos alios, illum defectum sublineare vellem qui respicit vitam congregationum sororum, ut dicunt, « activarum ».

Ut enim hae congregationes maiori cum efficacia propriae vocationi respondere valeant, videtur necessarium 1. quod membra earum integram promotionem suarum qualitatum humanarum obtineant et tanquam feminae vere adultae habeantur, et 2. quod gaudeant vera libertate requisita ad actionem apostolicam.

Ad illam duplicem promotionem fovendam, scil. humanam et apostolicam quae inter se intime connectuntur, multa essent ...[4] disponenda. Aliquas suggestiones tantum nunc proponere possum.

A. *Suggestiones ordinis doctrinalis.* Ut vita apostolica nostrarum religiosarum ...[5] fructificet, maximi momenti est quod nutriatur ...[6] formatione spirituali adaptata.

Hoc porro non sufficienter evenit. Certo certius contemplatio suas partes habet in omni vita christiana, et a fortiori religiosa. Sed *saepe* [7] saepius spiritualitas sororibus activis oblata elaboratur ex traditionibus et mentalitate congregationum specifice contemplativarum, immo monialium...[8]

Prima nostra suggestio erit ergo: pastores et theologi spiritualitatem vitae activae ...[9] elaborent magis ...[10] adaptatam necessitatibus harum congregationum.

Pariter [11] optandum est ut theologia votorum et ipsa perficiatur in sua dimensione apostolica. Ad hunc finem ...[12] evolvi deberet arcta relatio inter officia derivata ex ipso baptismo et incorporatione Corpori mystico et exigentias votorum.

Baptismus enim iam unicuique christiano cooperationem activam imponit ad opus evangelizationis. Quid amplius vota significarent, si gratiam baptismi non dilatarent et illud officium fundamentale non urgerent?

Ne quis dicat vitam religiosam natura sua esse apostolicam utpote Deo consecratam. Hoc verum est, sed valet etiam de singulis baptizatis. Et ipsi Deo consecrantur. Sed consecratio ista ontologica suam foecunditatem in actibus manifestare debet, pro posse individuorum. A fortiori ergo pro animabus quae, speciali modo Deo consecratae, ad apostolatum se dedicare volunt.

Nonne iam haec probavimus in constitutione *de Ecclesia,* ubi legitur: «Ad Ecclesiam pertinet consilia evangelica interpretari, eorum praxim moderari et etiam stabiles inde vivendi formas constituere ». Consilia ergo in toto suo valore dynamico et apostolico interpretantur...[13]

In specie: quoad interpretationem consiliorum. *a*) Qui *virginitatem* amplectuntur, id faciunt propter regnum caelorum in signum amoris exclusivi propter Deum et homines et ut liberiores evadant in manifestatione illius caritatis.

b) Qui *Christum pauperem* sequuntur meminisse debent Dominum pauperem factum esse propter homines, et missum esse ad evangelizandum pauperibus.

c) Imitari *Christum obedientem* significat facere voluntatem Patris quae in eo est ut omnes homines Patrem agnoscant et edoceantur adimplere omnia quae mandavit nobis.

Tandem, optandum est ut theologi clare definiant quid sit apostolatus in sensu pleno « evangelizationis », ne omnes activitates tali titulo decorentur ita ut in vita sororum adsit hierarchia valorum et unicuique sorori, modo determinando, tempus aliquot tribuatur pro tali apostolatu;

ita ut pariter plene conscia sit de requisita sua collaboratione cum laicatu tamquam animatrix apostolatus laicorum sub variis formis.

B. *Suggestiones ordinis practici.* 1. *Quoad regimen in communitatibus.* Magna cum cura examini subiicienda est organisatio structuralis vitae communitatum et sedulo adaptanda ita ut singulae sorores, modo suo quidem sed semper vere activo ac adulto, cooperentur ad bonum totius communitatis.

Duplex periculum vitandum est: ex una parte, ne superiores maternalismo indulgeant ...[14]; ex alia vero parte, ne inferiores nimis facile confundant obedientiam religiosam ...[15] cum abdicatione passiva propriae personalitatis ac responsabilitatis. Ex quo facile devenitur ad aliquem infantilismum...[16]

Canonistae elaborare debebunt, cooperantibus sororibus qualificatis, structuras magis aequilibratas quae collaborationem activam omnium quam maxime foveant, ad incrementum vitae communitariae non contra sensum responsabilitatis personalis sed per concordiam voluntatum.

Ad hunc finem regulae vel praxis nominationis superiorum essent etiam retractandae. Ne eaedem semper in loco remaneant, etiam si quoad domum vel officium mutantur.

Ad hoc etiam regulae capitulorum generalium recognoscantur, ut haec plenius et verius totam congregationem repraesentent et facilius instrumenta fiant renovationis.

2. *Quoad consuetudines antiquatas,* omnes scimus anachronismos existere in consuetudinibus multarum Congregationum.

a) Separatio a mundo pro congregationibus activis nimis radicaliter intelligitur et consequenter ipsa clausura. Interpretatio illa iam saepius obstaculum constituit ut cum debita efficacitate adimpleantur in hoc tempore munera apostolica educationis vel auxilii socialis. Ad haec, religiosa extra muros requiritur ut fermentum possit esse in mundo.

Cogito, v. g., de sororibus ad educationem dedicatis: ut munus suum plene adimpleant, deberent etiam post vel extra scholas apud alumnas et parentes earum partes habere animatricis spiritualis.

Cogito quoque de illis miseriis socialibus et de servitio apostolico praestando apud ipsos deficientes: ubi viget malum sanandum ibi requiritur praesentia caritatis.

b) Derelinquantur omnia quae in moribus religiosis mulierem in statu inferioritatis retinent et quae proveniunt non ex principiis religiosis sed ex conditionibus sociologicis temporis praeteriti, quando mulier suam maioritatem nondum adepta erat; ut v. g. regula sororis *semper*[17] comitis.

c) Tandem vestis perantiquata tot sororum *adaptetur*.[18] Certe necessaria est vestis distinctiva pro religiosis. Sed ne fides irrideatur ...[19] supprimantur illae ridiculae complicationes, hereditas temporis elapsi, quae potius Ecclesiam senescentem ostendunt quam sese renovantem.

Concludo duobus verbis[20]: haec sunt desiderata aliqua quibus schema satisfacere deberet ut respondeat tacitae sed ardenti exspectationi religiosarum, quae tam mirabiliter *Ecclesiae*[21] inserviunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] adaptationi et. [2] (aggiornamento). [3] in Ecclesia quam omnes exoptant. [4] facienda et. [5] iustum incrementum capiat et. [6] et animetur. [7] deest. [8] quae ad alios fines immediatos intendunt. [9] et apostolatus. [10] praecisam et. [11] In eadem perspectiva. [12] signanter. [13] et constituantur vivendi formae quae efficacius apostolatui inservire valeant. [14] Iste enim facile exoritur ex concentratione de facto auctoritatis (etsi non de iure) apud ipsas etiam quando consilio adsistuntur. [15] — quae de se est energica et generosa tensio personae ad voluntatem Dei adimplendam. [16] quem omnes deploramus apud numerosiores sorores. [17] deest. [18] deest. [19] in mundo. [20] Conclusio. [21] Christo et Ecclesiae suae.

7

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Venerabiles Fratres,

Schema *de religiosis* certe thema maximi momenti tractat. Circa trecenta millia virorum et plus quam decies centena millia (un milione) et duo centum millia virginum Deo consecratarum in opus Concilii de hac re respiciunt. Fideles, in quorum bonum hi operarii et operariae in vinea Domini laborant, parentes qui ipsis propriam prolem in scholis et in omne genus institutis educationis, immo etiam ad vitam Deo consecratam agendam, concrediderunt vel in dies concredunt, hoc momento in Concilium intendunt, ut audiant quid Ecclesia per suam supremam auctoritatem de his viris et virginibus sentiat quidque ab illis exspectat.

In plerisque regionibus pastores et Ecclesiae filii lamentantur vocationes iuvenum et puellarum pro religiosis familiis valde imminutas esse, ita ut fere de aliqua crisi sermo esse possit et relate ad permulta opera illud Domini verbum repeti debeat: «Messis quidem multa, operarii autem pauci» ...[1]. Omnino ergo necessarium est, ut e Concilio novi iique efficaces impulsus procedant pro his institutis quae procul dubio, sicut Christo, Ecclesiae Capiti, ita etiam Ecclesiae ipsi carissima sunt.

Quare Ecclesiae renovatio quae a Concilio procedit, etiam in religiosas familias influere debet.

Schema nobis propositum ipsum quoque in necessitate renovationis insistit ...[2] eamque ...[3] normis iuridicis promovere studet, at non satis, immo nullo fere modo principia et fundamenta religiosa eius et media interna et spiritualia proponit et inculcat. Sunt ...[4] *haec* quae primario necessaria sunt, *quamvis normae iuridicae etiam* [5] requirantur.

Inter media autem a Concilio adhibenda, sine dubio primum locum obtinet, ut ipsum vitae religiosae *naturam et scopum* christifidelibus et ipsis religiosis e puris fidei fontibus modo ad *hodierni hominis mentem* accommodato proponat, *praesertim autem ex Novo Testamento et scriptis Apostolorum, et ita porro.*[6] Verum est ...[7] constitutionem *de Ecclesia* de hac re egisse, sed non proprie sub aspectu magis practico huic schemati proprio. Insuper etiam in decretis pastoralibus, immo iuridicis, in Ecclesia breve aliquod praeambulum vel prooemium praemitti consuevit, quod decreti spiritum exprimat. *Ergo etiam hoc loco faciendum est.*[8]

Schema igitur naturam et scopum Institutorum religiosorum in Ecclesia breviter, si ita placet, sed *nervose* proponere debet, modo qui vere hodie efficax est. Liceat paucis verbis, praecipua elementa indicare.

Religiosorum ad Christum consecratio ut talis eo ipso non tantum Christum physicum et individualem, sed Christum *totalem* respicit, i. e. Ecclesiam eiusque finem, cum Corpus Christi mysticum a Christo separari nequeat. Ergo consecratio respicit opus Redemptionis in genere humano continuandum, ac proinde totum genus humanum.

...[9] Haec relatio ad Christum totalem duplicem habet aspectum. Prior respicit spiritum et scopum *proprium* uniuscuiusque Instituti. Huc spectant illa verba quae S. Paulus, Ecclesiam sui temporis intuens, dicebat: « Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiae, alii autem sermo scientiae, *etc.*[10] ». Nonne videmus *in historia Ecclesiae* [11] usque ad statum rerum hodiernum hanc gratiarum diversitatem — *diversitatem, dico* [12] — in Ecclesia maxime effloruisse? Ordinum vel congregationum religiosarum fundatores propria *sua dona charismatica habuerunt et,*[13] asseclis et filiis suis quodammodo transmittentes, ea perpetua in Ecclesia reddiderunt. Unde nata est illa admirabilis varietas et multiplicitas Ordinum vel *religionum* [14] earumque activitatum, quae maxime his ultimis saeculis effloruit et pro qua numquam satis Deo gratias agere possumus. Singulorum autem Ordinum et Congregationum est ea dona quae a Fundatoribus acceperunt, fideliter servare et activitate sua in vitam Ecclesiae transmittere, prout temporis condiciones permittunt et expostulant, non aspirantes ad alia, quae ab ipsorum proprio spiritu aliena sunt, neque eis qui aliam viam sequuntur invidentes aut detrahentes, sed

cum omnibus aliis *religionibus*[15] fraterne collaborantes. *Secus*[16] discordiae oriuntur quae Ecclesiae, ut historia testatur, maximo damno sunt...[17]

Dum vitam unicuique Instituto propriam vivunt et activitatem sibi propriam exercent, simul *et magis* se membra Christi totalis sentiant, ut talia vivant, *ut talia*[18] operentur et cum ipso se servitio totius familiae humanae mancipatos *esse sciant.*[19]

Praeterea cavendum est ne religiosi[20] spiritum et activitatem sibi propriam ita colant et observare studeant, ut ...[21] spiritum et activitatem Instituto propriam modo fere mechanico prosequantur et ita conservare studeant, *in rebus internis et externis,*[22] ut evolutionis et mutationis circumstantiarum tum in Ecclesia tum in *mundo,*[23] qui dicitur, nullam vel insufficientem habeant rationem. Optimus modus his periculis occurrendi est, intense fovere conscientiam se esse membra Ecclesiae, *et nihil aliud nisi membra Ecclesiae,*[24] ac propriam consecrationem et tendentiam ad perfectionem respicere etiam perfectionem relationum ad *totam* Ecclesiam, ut unusquisque religiosus vivat et sentiat cum ipsa, sese eius missioni totaliter devoveat, cum ipsa se renovare de die in diem ...[25] studeat, ut semper perfectius in seipso imaginem Christi Domini ipsius exprimat.

Concludo. Puto ergo hodie novum impulsum pro Institutorum religiosorum renovatione maxime ex eo procedere posse et debere, ut ipsi omnes se sentiant ut membra Ecclesiae, eiusdem vitam et totum quod in ea fit participent, ergo v. g. renovationem biblico-liturgicam, spiritum apostolatus, spiritum missionarium et oecumenicum, quibus scil. omnes, christianos et non christianos, credentes et non credentes amplectantur.

Quare *propono,* ut hae ideae breviter in introductione decreti ponantur. Ad hunc finem etiam brevem textum paravi, quem non est opus nunc legere. Hae ideae — ut videtur — bene exprimunt spiritum ex quo renovatio desiderata procedere potest, *et efficaciter procedere potest,*[26] et qui etiam a normis iuridicis in decretis propositis de facto supponitur et in illis continetur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Mt.* 9, 37). [2] (n. 1). [3] multis. [4] autem. [5] non vero normae iuridicae, quamvis hae quoque. [6] Doctrina enim S. Scripturae, praesertim Novi Testamenti, modo quem hodierni homines intelligere possunt proposita, merito fons primus etiam pro religiosis haberi debet. [7] quidem. [8] deest. [9] Iamvero. [10] secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum in uno spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum... » (*1 Cor.* 12, 8-10). [11] historiam Ecclesiae respicientes. [12] deest. [13] dona. [14] Congregationum. [15] deest. [16] Solummodo, si res ita spiritualiter

considerantur, normae externae et iuridicae, quae nn. 17 et 18 dantur, fundamentum solidum habent. Quodsi deest illa persuasio, esse, sicut S. Paulus dicit, « *eundem* Spiritum » qui omnia Instituta religiosa ab Ecclesia approbata regit, fidelitas erga proprium Institutum et fraterna collaboratio cum aliis Institutis, spirituali fundamento carent et. [17] Nam *perfectio* ad quam religiosi et religiosae vi proprii status tendunt, respicit non solum id quod unicuique Instituto relate ad eiusdem spiritum et ad eiusdem activitatem est proprium, sed etiam, immo *et magis* has eorum relationes quae omnibus communes sunt, ad Christum *Mysticum,* i. e. Ecclesiam, ac proinde ad omnia membra Ecclesiae. [18] et. [19] sciant, secundum illud dictum Christi: « Filius hominis non venit ministrari sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis » (*Mt.* 20, 28). Unde totam Ecclesiam, immo totum genus humanum ardenti caritate amplectantur cum ipsis compatientes et congaudentes (cf. *1 Cor.* 12, 25). [20] Secus periculum est ne. [21] eorum quae sibi cum omnibus Ecclesiae membris communia sunt, saltem in praxi obliviscantur, mentem et viscera ab aliis Ecclesiae membris claudentes. Unde facile evenit, ut. [22] deest. [23] medio ambiente. [24] deest. [25] (cf. *2 Cor.* 4, 16). [26] deest.

Animadversiones additae:

Sacrosancta Synodus mirabilem varietatem Institutorum religiosorum in Ecclesia vigentem conspiciens horumque multiplices activitates, quae maxime his ultimis saeculis Spiritu Sancto afflante effloruerunt Patri luminum, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum descendit (cf. *Iac.* 1, 17), summas rependit gratias atque Ecclesiae filios vehementer hortatur, ut post odorem unguentorum (cf. *Cant.* 1, 3) Divini Ecclesiae Sponsi currentes, Christi bonus odor Deo (cf. *2 Cor.* 2, 15) effici studeant. Per gratias enim speciales Fundatoribus variorum Institutorum collatas atque ab eis suis asseclis et filiis sollicite transmissas factum est, ut varietas illa donorum quam S. Paulus, Ecclesiam sui temporis contuens, depingebat, hodie, in Ecclesia in immensum succreverit. Conspiciuntur enim in Ecclesia centena millia Deo dicata sive virorum sive mulierum de quibus vere cum S. Paulo dici potest: « Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiae, alii autem sermo scientiae secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum in uno spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum... » (*1 Cor.* 12, 8-10).

Singulorum proinde Institutorum est ea dona, quae a Fundatoribus acceperunt, fideliter servare et activitate sua in vitam Ecclesiae transmittere, prout temporis condiciones permittunt et expostulant. Simul tamen iidem prae oculis habeant aliorum quoque Institutorum religiosorum dona ab eodem illo Spiritu Christi procedere, qui eis donum ipsis proprium contulit. Omnia enim haec dona « operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult » (*1 Cor.* 12, 11). Proinde dum vitam unicuique Instituto propriam vivunt et activitatem sibi propriam exercent, simul, immo magis, sese membra quoque totius Christi mystici sentiant, ut talia vivant et operentur. Unde non solum alia Instituta, sed totam Ecclesiam ardenti caritate amplectantur, cum ipsa omnibusque eius membris compatientes et congaudentes (cf. *1 Cor.* 12, 25). Immo se cum Christo servitio totius familiae humanae mancipatos sciant, secundum illud Christi Domini: « Filius hominis non venit ministrari sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis » (*Mt.* 20, 28). Quo fiet ut Ecclesia, Christi sponsa, non solum ad omne

opus bonum instructa (cf. *2 Tim.* 3, 17) et ad opus ministerii in aedificationem Corporis Christi (cf. *Eph.* 4, 12) parata sit, sed etiam amictu variegato membrorum suorum, quae variis donis ornantur induta (cf. *Ps.* 44, 15) apparebit, sicut sponsa ornata viro suo (cf. *Apoc.* 21, 3), ita ut vere per eam innotescat principatibus et potestatibus in caelestibus multiformis sapientia Dei (*Eph.* 3, 10).

Quo autem melius haec obtineantur Sacrosancta Synodus, postquam (sequitur textus schematis!).

8

EXC.MUS P. D. ANDREAS M. CHARUE
Episcopus Namurcensis

Venerabiles Patres,

Membrum fui subcommissionis mixtae cui munus incumbebat praeparare textum cap. V constitutionis de Ecclesia. De felici laboris exitu omnes gavisi sumus, sicuti pluries dixerunt ipsi religiosi commissionis adhuc nuper post modorum enodationem. Infeliciter autem, ita gaudere non possum de propositionibus quae nostro examini nunc subiiciuntur.

Unde simpliciter dicam me adhaerere conclusioni em.mi card. Döpfner, vel saltem considerare plura in propositionibus esse corrigenda et profunde rescribenda.[1]

1. Quoad prooemium, modus loquendi est aequivocus. Utique patet dicta consilia evangelica cum modo loquendi ac vivendi Christi convenire atque ad evangelicam caritatis perfectionem adipiscendam multum conferre. Sed hoc generatim valet pro omni praxi illorum consiliorum et, de cetero, multa sunt consilia in Evangelio quae ad sanctitatem adiuvant. Tandem et praesertim, hiatus remanet quando fit transitus ad perfectionis prosecutionem in societatibus religiosis. Cautius loquitur schema *de Ecclesia,* et praecise ne impressio detur quod sermo fieri possit de aliqua divina institutione sicuti pro episcopatu et pro sacerdotio.

Rescribatur ergo prooemium secundum textum constitutionis *de Ecclesia.*

2. Dolendum est quod in propositione prima, quaestio de renovatione (aggiornamento) nimis generaliter tractetur ...[2] Patet felicem exitum non habuisse directivas a commissione coordinatrici prolatas pro nova schematis redactione.

Sed de hoc sufficienter locuti sunt iam plures em.mi cardinales.[3]

3.[4] Mirum est quod in n. 19, nihil dicatur de relationibus cum episcopis ubi tractatur de superiorum maiorum conferentiis. Hac occasione,

sermo fit de fine singulorum Institutorum atque de efficaciori omnium conspiratione in bonum Ecclesiae fovenda. Verbum fit in particulari de « communibus religiosorum negotiis pertractandis ». Bene, sed cur non considerantur etiam negotia cum clero dioecesano et cum paroeciis? Et quid de episcopo, qui primam coordinationis responsabilitatem habet in sua particulari Ecclesia? Utique de hoc diffuse tractatur in schemate *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* sed saltem quaedam mentio in n. 19 harum propositionum non superesset, cum praecisa referentia ad documentum quod nunc revocamus.

4.[5] Venio nunc ad n. 20 « De vocatione religiosa fovenda », pro quo numero loquor in nomine episcoporum Belgii.

Esto quod institutis formaliter agnoscatur ius quaerendi candidatos et in illum finem favorabiles notitias divulgandi. Opportune additur hoc fieri debere « cum debita prudentia et servatis normis a Sancta Sede et Ordinario loci traditis ». Hoc non est superfluum, quia abusus quandoque extiterunt.

Longe abest ut omnes vel plerosque religiosos reprehendamus, sed accidit ut quidam non recte procedant sive in modo alumnos conquerendi pro scholis sic dictis apud nos « alumnats, juvénats, etc. ... », sive in modo loquendi iuvenibus de vita religiosa quasi practice ad evangelicam perfectionem pervenire non possent extra claustra. Quod fit in detrimentum iuvenum eorumque familiarum, necnon vocationum in genere. Revocare iuvat quae dixit Pius XII die 3 iulii anni 1952: « I vescovi fanno uso d'un loro diritto se si oppongono ad una propaganda di reclutamento di società religiose che abbia fondamenti teoretici inesatti e suscettibili d'indurre in errore, che in pratica sia per lo meno poco leale, e se a tal propaganda pongono limiti giusti e netti con decisioni amministrative »...[6]

Hac de causa, assentio iis quae dixit, ni fallor, exc.mus archiepiscopus Mexicanus die 22 septembris elapsi: formaliter agnoscatur episcopo munus et ius coordinandi vigilanterque moderandi in sua dioecesi omnia quae ad vocationes pertinent.

Unde propono ut, pag. 16, ...[7] textus sic mutetur: «dummodo hoc fiat cum debita prudentia et servatis normis a Sancta Sede traditis, vel etiam ab Ordinario loci, cuius est omnia quae ad vocationes pertinent coordinare et moderari ».

5.[8] Tandem, optandum est ut in n. 8 servetur ordo citandi qui est magis traditionalis et magis in historia fundatus, i. e.: «in castitate, in paupertate et in oboedientia ».

Ergo, *iuxta me,*[9] remittantur Propositiones et aliter proponantur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Placet quod per methodum propositionum procedatur, sed propositiones ut iacent non in omnibus placent. Ex una parte, non requiritur in casu ut denuo doctrina per longum exponatur cum bis in subcommissione mixta dictum sit textum cap. VI schematis *de Ecclesia* satisfacere religiosis: hoc post redactionem actualis textus et nuper post emendationem modorum. Ex altera parte, plura sunt in Propositionibus quibus nunc studemus quae corrigenda vel rescribenda essent. [2] quod ratio pastoralis Concilii non sufficienter in redactionem influxerit. Quomodo ne verbum quidem dicitur de motu biblico, de motu liturgico, de motu oecumenico etc.? [3] Quare? iterum dico: dolendum est. 3. In n. 6 abusive extenditur ad quaecumque opera vitae activae sic dictum « sanctum ministerium ». Illa expressio significare consuevit sacerdotale servitium. Adhibeatur ergo alia expressio. [4] 4. [5] 5. [6] (Textus citatur in meo libro *Il Clero diocesano,* Romae 1962, pp. 413-414). [7] linn. 22-24. [8] 6. [9] deest.

9

REV.MUS P. D. ANICETUS FERNANDEZ
Superior generalis Ordinis Praedicatorum

Venerabiles Patres,

Nomine plurium generalium et episcoporum, quasdam observationes humiliter proponere velim.

1. Nobis schema placet quoad substantiam atque valde commendatur.

2. Placet mutatio tituli ut in praesenti schema habetur.

3. Placet ratio materiam proponendi per summa capita, deposita forma concreta et fere casuistica *antea*[1] adhibita, praesertim in primo schemate.

4. Specialiter placent quae in n. 4 de alumnorum institutione dicuntur, in quo, inter alia, urgetur officium superiorum curandi ut magistri spiritus sedulo praeparentur. Sed magis adhuc placeret, si aliquid magis practicum adderetur. Revera Ecclesia exigit specificam praeparationem, immo et titulos specialisationis pro omnibus iam fere disciplinis tradendis, sive sacris sive profanis. At Ecclesia scholam et curriculum systematicum adhuc non possidet ad efformandos magistros novitiorum, spiritus..., cum tamen agatur de re difficillima et tanti momenti. Quapropter textus ita esset complendus:

« Officium quoque est superiorum curare ut magistri novitiorum... per specialia studia ad hoc instituenda praeparentur, vel per speciale curriculum paedagogicum pastorale praeparentur ».

Immo auderem dicere quod utilissimum esset, si ipsa Congregatio Religiosorum, vel Unio Romana Superiorum Generalium sub directione Congregationis Religiosorum, aliquam Scholam Internationalem institueret ad tam magni momenti munus implendum.

5. Insuper in eodem numero vel alibi utilissimum esset si aliquid de religiosarum formatione spirituali, theologica et professionali dicatur in ordine ad earumdem apostolatum in mundo actuali exercendum. Optimum esset pro Ecclesia si Concilium Vaticanum II faceret pro Institutis Religiosarum quod Concilium Tridentinum fecit pro clericis, ipsorum formationem et instructionem promovendo, specialiter apta Centra seu Seminaria studiorum et educationis instituendo. Certo, in hoc ordine, plurima et optima et magno cum fructu iam facta sunt, ab ipsa Congregatione Religiosorum directe vel indirecte promota, in quo magnam laudem et gratitudinem meretur. Sed valde oporteret ut Concilium novum impulsum istae tam necessariae et urgenti operi daret.

6. Laudanda sunt etiam, ex una parte, omissio illius exhortationis n. 31 praecedentis schematis, ut religiosi ad externa apostolatus opera impensius accedant, et, ex alia parte, quae in nn. 5 et 6 docentur de excellentia vitae contemplativae et de uberrimis fructibus quos Ecclesiae affert atque de necessitate ut actio apostolica ex intima cum Deo unione procedat. Omnia haec sunt valde commendanda. Et illa generica exhortatio non videtur necessaria, cum religiosi in genere semper et ubique generosi fuerint in apostolatu exercendo: ad quem, simul cum contemplatione, totam vitam suam sub oboedientia, ...[2] consecrant. Immo vero exhortatio poterat esse periculosa, quatenus favens *activismo,* ad quem praesens generatio adeo proclivis est. De hac proclivitate frenanda et de periculo cavendo, saepe religiosos admonuerunt ultimi Romani Pontifices Pius XI, Pius XII, Ioannes XXIII, Paulus VI, et S. Congregatio de Religiosis.

Optimae mihi videntur sapientes observationes in hoc puncto ab em.mo card. Spellman heri factae.

7. Valde etiam placent, quae in n. 19 de fovendis conferentiis seu Consiliis Superiorum Maiorum a Sancta Sede erectis, docentur.

Hae conferentiae erunt valde utiles, non solum ad fovendam unionem inter religiosos et ipsorum actionem apostolicam efficaciorem reddendam, sed etiam ad fovendam unionem inter religiosos et episcopos ac sacerdotes saeculares, ita ut totus apostolatus in Ecclesia maiorem et

novum vigorem acquirat. Fovere hanc unionem esset una ex principalioribus renovationibus et accommodationibus in hodiernis temporibus.

Concordia inter episcopos, sacerdotes saeculares et religiosos in exercitio apostolatus valde optanda est et omnibus modis procuranda. Et abs dubio exstat ex utraque parte voluntas optima media aptiora inveniendi et adhibendi ad talem finem consequendum.

Nunc autem difficultates, quae quandoque oriuntur, quasi semper ex mutua incommunicatione originem ducunt.

Dialogus qui hodie tantum praedicatur et commendatur esset etiam optimum medium ad talia incommoda et obstacula tollenda. Ideoque talem dialogum etiam maxime fovere oportet inter episcopos et superiores religiosos et inter religiosos et sacerdotes saeculares; et inter conferentias episcoporum et conferentias religiosorum; et sine dubio fructus optimos afferret pacis, comprehensionis, amoris et efficacioris apostolatus...[3]

Quare valde optamus et humiliter proponimus ac petimus, ut restituatur art. 45 schematis *De cura animarum,* qui sic se habebat: « Ad fovendas concorditer et fructuose mutuas relationes inter episcopos et religiosos, quoties id opportunum videbitur, conveniant episcopi et superiores religiosi, per se vel per suos delegatos, ad negotia tractanda, quae universim ad apostolatum in Provincia, aut in natione, aut in tota Ecclesia pertinent ».

8. Notare iuvat quod in commissionibus inter episcopos et religiosos non agitur de quadam paritate, cum negotia dioeceseos tractantur, in qua semper auctoritas suprema est episcopus. Unde etiam hoc in casu S. Ignatii sententia « Nihil in Ecclesia sine episcopo » adimplenda est; intellecta tamen modo iam in aula explicato, nempe ita ut nihil fiat in dioecesi contra episcopum et sine cognitione et generaliter etiam sine explicita vel implicita approbatione episcopi, ad quem apostolatus directio in sua dioecesi pertinet.

9. Sed etiam animadvertere oportet quod, quin contradicatur doctrinae priori, dantur plura in ipso ordine externo quae propter ipsam naturam et finem Congregationis vel Ordinis auctoritati episcopi...

Moderator: Rev.me Pater, faveas concludere!

Orator: ... non subiiciuntur et in quibus religiosi libere agere possunt; e. g., translatio religiosorum ex uno conventu in alium, vel ex una dioecesi ad aliam, *etc.*[4] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] antehac. [2] sine cura familiae etc. [3] Quapropter valde commendandum videtur ut conferentiis episcoporum admittatur ali-

quis religiosus vel, si hoc non sit possibile vel conveniens, instituantur commissiones mixtae inter conferentias episcoporum et religiosorum, et aliquid analogum in ipsis dioecesibus fiat. Hae commissiones vel alia similia media valde communicationem, collaborationem et concordiam et amorem inter sacerdotes et religiosos foverent et ita illa incommunicatio et seiunctio ex quibus tot et tanta mala procedunt e medio discederent vel saltem multo minuerent. [4] nisi religiosus aliquod officium in dioecesi habeat, quia tunc etiam cum episcopo est colloquendum: similiter episcopus disponere nequit libere de religiosis ad apostolatum exercendum; et alia similia. Haec omnia mihi videntur conformari his quae dixit em.mus card. Richaud de hac re. 10. Notandum est etiam quod exemptio non est quoddam proprie dictum privilegium, seu lex per se favorabilis; nam ut explicat Leo XIII: « Huius rei non ea fuit causa quod placuerit religiosas sodalitates potiore conditione frui quam clerum saecularem... » (Const. *Romanos Pontifices,* 20 aug. 1880, par. 7; *Fontes Codicis Iuris Canonici,* vol. III, 173); exemptio eum in finem constituitur ut religiones in suo esse conserventur et augeantur, recte gubernentur et efficaces reddantur ad apostolatus, praesertim specificos, exercendos. Finis igitur exemptionis non est favorem religiosis praestare, sed bonum religionis et bonum sive totius Ecclesiae sive singularum Ecclesiarum particularium in quibus apostolatum exercent, promovere. Hoc autem sensu intellecta exemptio non est privilegium sed potius institutum et elementum pertinens ad organizationem ipsius Ecclesiae, a Summo Pontifice sancitum. Sicut enim dioecesium divisio et limitatio iurisdictionis episcopalis intra definitos terminos territoriales, instituta sunt in bonum totius Ecclesiae simul ac singularum dioecesium, eodem modo limitatio potestatis episcoporum respectu religiosorum per reservationem quorundam negotiorum Romano Pontifici eiusque vicariis superioribus religiosis, est elementum organisationis Ecclesiae, per se nullam habens rationem favoris seu privilegii. Quod ergo exprimitur per vocem « exemptio religiosorum » non est proprie et vera exemptio. Unde dolendum est quod talis vox adhibeatur, quae ansam praebet aequivocationi, immo et errori. Theologia exemptionis ita rite intellecta, licet per se ordinem externum potius quam internum respiciat, nullam difficultatem nec timorem afferre potest.

Secretarius generalis: Communico, Patres, exitum suffragationis peractae:

Praesentes votantes		2.109
Dixerunt	*placet*	2.021
	non placet	85
Suffragia nulla		3

Ergo expensio Modorum est probata a congregatione generali.

10

EXC.MUS P. D. PETRUS IOANNES ANTONIUS MOORS
Episcopus Ruremondensis

Venerabiles Patres, adstantes omnes carissimi,

Nomine conferentiae episcoporum neerlandicae relate ad schema *de accommodata renovatione vitae religiosae* sequentia animadvertere velim.

Merito quidem hoc schema duobus magnis principiis nititur: primo, principio vitae evangelicae secundum praxim consiliorum evangelicorum, et secundo, principio adaptationis huius status vitae conditionibus hodiernis. Haec sunt revera duo principia quibus totum schema inniti debet. Attamen, vix aliquid amplius schema affirmat.

Oportet notetur quod in hac adaptatione vitae religiosae primarie non agitur de mutatione externa aliquorum usuum, qui sapiunt antiquiorem, obsoletam culturam, et non modernam. Licet haec quoque adaptatio sit valde necessaria, agitur tamen praeprimis de adaptatione secundum Evangelium et Christi sequelam tamquam supremam regulam. Agitur de reevangelizatione vitae religiosae secundum condiciones vitae modernae. Secus, renovatio esset potius et unice culturalis indolis, quae, licet sit necessaria, non est tam fundamentalis.

Quam ob rem quaeritur, quomodo haec renovatio possibilis evadat, si schema, *in n. 2,*[1] dicit: « fideliter serventur natura, finis, spiritus proprius, *necnon sanae traditiones* ». ...[2] Traditiones, quae in praeterito fuerunt sanae, hodie ratione evolutionis habitudinis mentis et spiritualitatis evangelicae de facto possunt fieri « insanae », i. e. inadaptatae. Spiritualitas quoque saeculorum praeteritorum non semper respondet spiritualitati saeculi vigesimi. Ita v. g. vita secundum consilium paupertatis hodie ponit quaestiones de adinveniendis novis paupertatis formis, quibus vita religiosa de novo fieri possit testimonium Christi pauperis in hoc mundo.

Melius etiam esset explanandum, quod communitas fraterna religiosa debet esse centrum caritatis, quod ex altera parte est quid Ecclesiae, non occludendum in seipso aut secludendum ab aliis, sed centrum caritatis quod apertum est ad extra et disponibilitatem « ad extra » auget. Quam ob rem opportunum esset, quod Concilium dicat, quod, non obstante fine particulari proprio, omnia instituta religiosa tenentur vitam Ecclesiae universalis participare eiusque proposita, praesertim etiam

huius Concilii, e. g. in re biblica, liturgica et oecumenica, pro viribus fovere.

Peropportunum etiam esset, ut ne unumquodque Institutum religiosum proprio marte consilium apostolatus exerceat; sed quod ut elementum intret in toto consilio apostolico, v. g. alicuius provinciae ecclesiasticae, ita ut, ducente episcopatu, varia munera apostolica, concertata voce, efficacius ad finem possent protrahi.

Demum, loco nn. 5 et 6, ubi sermo est de institutis vitae contemplativae fovendis et renovandis ac de institutis vitae activae fovendis eorumque actione rite ordinanda, *loco horum numerorum* [3] potius sermo fieri debet, prius de iis, quae omnibus institutis religiosis communia sunt, nempe « contemplatio cum amore apostolico », quo opus redemptionis consummare Regnumque Dei dilatare nituntur, secundum cuiusque missionem propriam. Deinde sermo fieri debet de diversis formis vitae religiosae earumque accommodata renovatione. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (n. 2). [3] deest.

11

Rev.mus P. D. ANASTASIUS A SANCTISSIMO ROSARIO

Praepositus generalis Ord. Fr. Discalc. B.M.V. de Monte Carmelo

Venerabiles Patres,

Loquor nomine 185 Patrum. Schema nostro examini subiectum, etsi — ob rationes quas libenter religiosa acceptamus oboedientia — ad breves redactum propositiones, dignum videtur nostra consideratione nostroque *placet* saltem *iuxta modum*. Quae in propositionibus continentur enim, satis ditiora sunt quam quae primo adspectu apparent; quaedam etiam iuridica in dicendo ratio, ad concisam potius pertinet propositionum formam quam ad pertractatae materiae substantiam.

Patet tamen textum in melius redigi posse, atque ad hoc assequendum quae sequuntur animadversiones humiliter proponere audeo:

1. Opportunum esset ut propositiones praecederentur a doctrinali prooemio ex cap. VI schematis *de Ecclesia* inspirato. Eodem in prooemio, praeterea, ad mentem Allocutionis *Magno gaudio* diei 23 maii ...[1] a Summo Pontifice Paulo VI, feliciter regnante, habitae, sermo faciendus esset de momento, utilitate ac necessitate in Ecclesia nostri temporis vitae religiosae authentice renovatae atque magno fervore flagrantis.

2. Accommodata renovatio de qua schema ex professo et principaliter — ne dicam exclusive — loquitur, summe abs dubio urgenda est. Attamen opus est notio accommodatae renovationis magna liberetur idearum confusione, quae non sine damno longe lateque hodie serpit. A schemate nostro propterea maiorem in lucem ponenda essent duo essentialia renovationis elementa, quae sunt: 1) reditus sodalium et institutorum ad primaevum originum fervorem; 2) adaptatio ad mundum atque ad tempora hodierna.

Eiusmodi duorum elementorum distincta mentio valde necessaria videtur ut renovationi, variis suis in momentis, solida praebeantur criteria supernaturalia, atque ut vitentur sive ex una parte « immobilismus », qui adhaesionem vitae ac Providentiae recusat, sive ex alia parte inquieta novitatum prurigo, quae omnia evertere vult.

Fervor originum adiumento religiosis erit ut in Ecclesia veri sint sanctitatis testes sicut eorum exigit consecratio, et ita accommodata renovatio synonymum non fiet mitigationis.

Ceterum ipse fervor, spiritus erit qui accommodationem vivificabit: ipsa tunc accommodatio idem non significabit ac — sit venia verbo — « mundanisatio », sed professioni consiliorum evangelicorum plenam continuo dabit adhaesionem nostri temporis circumstantiis atque exigentiis, opere et facto annuntiando crucem et gloriam Domini, ipsosque religiosos vitae aeternae testes reddet.

3. In propositione 2 schematis asseritur necessarium esse ut familiae religiosae Fundatorum spiritum servent et renovent, in iis etiam quae ad apostolatus exercitium spectant.

Dixerim tale principium fortius etiam affirmandum esset; nam spiritualis et apostolica religiosarum familiarum ad unam eademque expressionem et formam reductio, seu — *ut dicam* [2] — « standardisatio », unum ex maioribus hodie periculis constituit quod eorumdem Institutorum religiosorum vitae intimae insidiatur, et inde illorum sanctitatem et apostolicam fecunditatem laedit et imminuit.

Hodie vel maxime, dum reverentia et obsequium erga fidelium charismata in honorem iterum revocari videntur, eiusmodi honorem, obsequium et reverentiam propria commerentur diversarum vocationum religiosarum charismata quae a Fundatorum sanctitate et ab iteratis Ecclesiae sanctionibus authentice comprobantur.

Ceterum hodierni homines magis ac magis cultum habent et exhibent specialisationum — ut aiunt —, ad scientiae ac technicae hodiernae rationem, quod et in ipsa vita christiana manifestatur. Tenendum ergo est magis specificam connotationem sive spiritualem sive apostolicam diversarum vitae religiosae formarum profundiorem influxum et vivi-

diorem allectationem ad animas iuvenum proposita seu idealia perspicua et definita inquirentium allaturam esse, vocationum incremento tali modo favendo.

4. Tertia schematis propositio quae indicat a quibus accommodata renovatio sit perficienda, nimium generica videtur; utile ergo esset ut in ea accuratior substituatur textus qui convenienter a supra laudata desumi posset Pauli Papae VI, feliciter regnantis, Allocutione *Magno gaudio, cuius textus iam em.mus card. Ruffini citavit; ideoque omitto.*[3]

Quod autem Summus Pontifex affirmat, « a competenti auctoritate tantummodo » accommodatam renovationem procedere debere, non significat subditos velut extraneos ac passivos quoad eam habituros; quin immo eorum generosa ac sincera cooperatio ad renovationem vividam fecundamque reddendam admodum necessaria exstat.

Ceterum fortis et audax animus qui religiosos abs dubio movere debet ut suam ad serviendum Ecclesiae iuventutem continue renovent ac integre servent, non potius ab exterioribus ordinationibus et compositionibus exprimetur quam a magis authentica ac pleniore fidelitate erga religiosam consecrationem, spiritualis novitatis atque indefatigabilis apostolicae deditionis unicum et inexhaustum fontem.

Quasdam propositiones concretas ad textum perpoliendum scripto secretariae tradam. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] 1964. [2] sit venia verbo. [3] in qua sequentia habentur: « Denique maximi momenti opus, in quo capitula generalia curas praecipuas ponere debent, hoc est, ut Instituti sui leges ad mutatas temporum condiciones assidue accommodent. Id tamen ita est procurandum, ut propria Instituti natura et disciplina indemnis servetur. Religiosa enim quaelibet familia suum peculiare munus habet eidemque omnino necesse est ut fidelis permaneat; hinc vitae ubertas Instituti sita est atque hinc etiam caelestium gratiarum copia nunquam defutura. Nulla ergo disciplinae renovatio inducenda est, quae cum Ordinis vel Congregationis natura non congruat aut a mente Conditoris quoquo modo discedat. Quae quidem disciplinae renovatio hoc etiam postulat, ut a competenti auctoritate tantummodo procedat » (*A.A.S.*, 56 [1964], p. 569).

Animadversiones additae:

A. In introductione post verba « Sacra Synodus » (lin. 1) inserantur verba: « sibi aperte conscia Institutorum religiosorum munus plane necessarium esse Ecclesiae hisce quoque temporibus, postquam in... ».

B. In n. 1 (pag. 10) praemittantur haec vel similia verba: « Accommodata renovatio duplicem aspectum complectitur nempe: et reditum Institutorum ac sodalium ad primaevum originum fervorem, et eorundem ad mutuas temporum condiciones adaptationem. Hae autem cuiusvis Instituti spiritualis ac religiosa... ».

C. N. 2 (pag. 10) ita incipiat: « Ipsum Ecclesia commune bonum expostulat

ut unaquaeque religiosa familia peculiarem suam indolem custodiat ac proprium suum munus sedulo adimpleat. Itaque fideliter serventur... ».

D. N. 3 (pag. 10) ita redigatur: « Efficax autem renovatio et recta accommodatio postulant ut a competenti tantummodo auctoritate procedant, etsi plene obtineri nequeunt nisi cooperantibus omnibus Instituti sodalibus » (vel simpliciter reassumatur textus schematis anni 1963, pag. 17, n. 14).

12

Exc.mus P. D. ANDREAS PETRUS CORNELIUS SOL

Episcopus tit. Regianensis, coad. c.i.s. Amboinaënsis

Venerabiles Patres, Religiosae Matres, omnes adstantes carissimi,

Nomine conferentiae episcoporum Indonesiae relate ad schema Propositionum de religiosis sequentia proferre velim. Dolentes quod ad renovationem vitae religiosae schema vere bonum et aptum et in hac aula discutiendum proponi non potuit, schema propositionum adhuc tanti valoris esse putamus, ut, quibusdam autem emendatis, ...[1] acceptabimus. Continet enim plures admonitiones et normas, quae revera exigentiis temporum nostrorum correspondent. Nihilominus schema manifestat quasdam deficientias, quae nostro iudicio omnino sunt auferendae.

1. In quibusdam propositionibus inculcantur principia traditionalia, sed sine ulla explicatione ex qua appareat, quomodo sint interpretanda in luce aliorum ex hoc Concilio procedentium et reflexionis hodiernae theologicae. Omnes qui concretam realitatem vitae religiosae cognoscunt, scire debent, quod inter difficultates quas religiosi et religiosae ad eorum vocationem vere vivendam experiuntur, non paucae nec minimae ex hoc proveniunt, quod illa principia traditionalia parum accurate et minus recte interpretantur. Quod e. g. valet de iis quae dici solent de relatione actionis apostolicae ad unionem cum Deo. Et ideo talia principia denuo inculcata sine explicatione ex renovata reflexione theologica proveniente et dictas difficultates respiciente, non tantum omni vi verae renovationis carent sed etiam ad augendas difficultates conferre possent.

Haec etiam valent de propositione qua dicitur: « Religiosi se renovent in oboedientia... ». Hic omnino necesse est explicari quid renovatio oboedientiae hodie requirat, quid in subditis, quid in regimine superiorum. Dici debet agi de oboedientia adultorum et non infantium, de oboedientia quae sodales minime absolvit a propria responsabilitate, de oboedientia quae pro superioribus officium secumfert fovendi responsabilitati et initiativis propriis subditorum.

2. In genere textus parum manifestat se veram renovatam reflexionem theologicam de vita religiosa ut fundamentum habere. Speciali modo hoc apparet in modo quo loquitur de institutis vitae contemplativae et vitae activae. Hac in re nimis facile terminologia tardius introducta assumitur et de facto nec unae nec alteri formae vitae religiosae datur quod suum est. Non manifestatur persuasio christiana secundum quam omnis sanctitas in Ecclesia in ipsis suis visceribus etiam in servitium fratrum est directa; non concluditur omnis vita religiosa ex sese esse apostolica ita ut sanctum ministerium et opus caritatis proprium instituti determinati non ut elementum ipsi vitae religiosae extraneum advenit sed in ipsam rationem vitae religiosae sodalium talis instituti intret.

Idem defectus se manifestat in hoc, quod inter ea quibus ratio vivendi, operandi et orandi est adaptanda, id quod est potissimum, non enumeratur, nempe conceptiones de vita vere christiana quae in aliis documentis huius Sacrosanctae Synodi proponuntur et in sana theologia proprii temporis elaborantur. Adaptatio in hac re maximi est momenti, ut ratio vivendi, operandi et orandi religiosorum non sit aliena ab eis quae in tota communitate contemporanea Ecclesiae ut magis conformia cum exigentiis verae vitae christianae iudicantur.

3. In quibusdam propositionibus tali modo incipitur cum eis, quae quoad naturam, finem, spiritum proprium et opera propria sunt retinenda, ut, praesertim quando nimis materialiter interpretantur, sanae evolutioni obstare possit. In genere in textu non satis apparet veram renovationem non tantum adaptationem sed etiam *evolutionem* requirere posse. Textus saepe loquitur de relatione ad Sacram Hierarchiam, sed miro modo nullibi loquitur de elemento charismatico, a quo instituta religiosa originem ducunt et quod omni adaptationi et evolutioni praeesse debet.

4 et ultimo. Quod proprio nomine proferre velim: aliquae quae in schemate valde opportune proponuntur, in nostris diebus impensiori modo sunt urgenda. Intendimus illa quae dicuntur relate ad paupertatem et spiritum vere missionarium.

Quoad paupertatem desideratur ut sodales *re* et spiritu sint pauperes..., *re pauperes.*[2] Nostrae opinionis hac in re valde commendandum est examen conscientiae. Concedendum enim est religiosos in nostris diebus saepe nimis difficulter ut re pauperes esse recognoscendos, quare etiam vis testimonii religiosae paupertatis ad fere nihil reducitur. Hoc secumfert quod non tantum alii fideles sed speciali modo etiam religiosi iuvenes in sua prima generositate non intelligunt, quomodo de vera paupertate et de eius vi testimonii sermo esse possit. Et ideo non tantum sodalium sed etiam ipsorum institutorum et illorum praeposito-

rum est sibi instanter quaestionem ponere quid faciendum sit ut in vita religiosa testimonium realis paupertatis effulgeat.

Et etiam quoad spiritum vere missionarium ab omnibus religiosis examen conscientiae est instituendum, non tantum quod zelum attinet in apostolatu cui de facto incumbunt, sed praesertim quoad electionem operum et distributionem operariorum in vinea Domini. Spiritus enim vere missionarius religiosos inspirare debet ad quaerendas omnes vias possibiles ut cooperent ad sublevandam tam dolorosam penuriam operariorum in pluribus partibus Ecclesiae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] libenter. [2] deest.

13

Exc.mus P. D. PACIFICUS M. ALOISIUS PERANTONI

Archiepiscopus Lancianensis et Ortonensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine 370 Patrum ex variis nationibus quorum nomina secretariae generali trado.

Schema *de accommodata renovatione vitae religiosae* placet et retinendum est. Et hoc affirmamus contra ea quae his diebus ab aliquibus dicta sunt ac si religiosi iudicarent schema non esse retinendum.

Utique in hoc schemate non omnes quaestiones quae ad vitam religiosam spectant, tractantur et ne quidem omnes et singuli aspectus variorum problematum fuse exponuntur et illustrantur. Sed hoc optima ratione factum est.

Nam quaestiones dogmaticae et theologicae de vita religiosa iam elaborata sunt in cap. VI schematis *de Ecclesia,* dum de externo apostolatu religiosorum iam tractavit schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

In hoc schemate ergo — sicut et ipse *ipsius* [1] titulus clare innuit — de sola accommodata renovatione vitae religiosae agitur, et pressius de solis principiis fundamentalibus et generalibus accommodatae renovationis. Haud enim convenit ut Concilium ad omnes quaestiones particulares descendat. Sicut ergo in aliis materiis iam fecimus, ita etiam in praesenti materia principia tantum statuere debemus, reliqua vero relinquere commissioni post-conciliari, quae mentem Concilii in omnibus fideliter interpretabitur.

Scopus huius schematis est ergo limitibus praecisis circumscriptus, ast simul actuale schema omnino necessarium est. Accommodata enim renovatio vitae religiosae, ob rationes pastorales, maximi momenti est, sed tractari nequit in alio schemate et multo minus in quodam appendice.

Placet ergo schema, etsi in sequentibus punctis opportune complendum esse videtur:

1. Sic schema nihil dicit de actualitate et necessitate vitae religiosae in Ecclesia nostri temporis, dum tamen necessarium esset saltem breviter et substantialiter hac de re loqui, sicut nuperrime adhuc facere voluit Summus Pontifex Paulus VI in Allocutione solemni *Magno gaudio*.

A. v., recolendum est, vim et efficaciam cuiusvis apostolatus ultimatim derivare non ex activismo et ne quidem ex bene ordinata activitate externa, sed, e contra, e vita interiore, ex oratione, ex sacrificio, unde iam ob hanc solam rationem Instituta Religiosa praeclarum munus in Ecclesia explent et eius apostolatum maximopere promovent.

2. Clariore etiam modo in schemate protegenda est varietas vocationum religiosarum. Huiusmodi varietas nequaquam reduci potest ad ordinem phaenomenorum externorum et sociologicorum, sed concipiatur oportet tamquam manifestatio charismatum diversorum in Ecclesia. Etiamsi ergo varii Ordines vel Congregationes eundem laborem specificum in apostolatu exteriore perficiant, minime tamen ex hoc sequitur illos sine gravi ratione cum invicem uniri debere ad efformandum unum idemque Institutum Religiosum.

3. Sed praesertim exoptandum est ut in hoc schemate clarius sermo fiat de vocationibus religiosis in omni libertate fovendis. Augmentum enim vocationum religiosarum in Ecclesia non est tantum aliquod bonum particulare huius vel illius Instituti, sed est bonum totius Ecclesiae. Idcirco deplorandae sunt diffidentia et oppositiones quae hodie interdum contra vitam religiosam proferuntur et quae augmentum vocationum in serium discrimen non tam raro adducunt. Quod in tantum gravius adhuc est, inquantum iam nunc scimus numerum sacerdotum missionariorum notabiliter diminutum esse. Iamvero, si vocationes religiosae ulterius diminuentur, quomodo in posterum providendum erit semper crescentibus necessitatibus missionum et tot aliorum operum Ecclesiae?

4. In hoc contextu aliqua etiam dicere liceat de tot millibus virorum et mulierum qui Ecclesiae serviunt in Institutis religiosis non-clericalibus. Sufficit hic recolere splendida opera Fratrum qui apostolatum

scholarum exercent, infirmis sese dedicant et hierarchiam tot aliis modis adiuvant. Eorum labores sunt ardui et abnegatione pleni et tamen, quoties eorum sacrificia oblivioni dantur et quasi parvi fiunt. Et nonne idem etiam dicendum de activitate silentiosa sed tam pretiosa tot fidelissimarum Sororum quae in nosocomiis, in scholis, in paroeciis, in missionibus Ecclesiam fulciunt oratione et mortificatione in primis sed etiam infatigabili apostolatu exteriore?

Propono ergo ut de religiosis non-clericalibus, Fratribus et Sororibus ampliore quodam modo in hoc schemate sit sermo et non tantum sub aspectu reformationis sed etiam sub aspectu gratitudinis quam tota Ecclesia ipsis debet. Post tot ampla et iusta encomia laicorum nostrorum mirum profecto esset, si hoc Concilium, quod totam Ecclesiam repraesentat, de tot servis Domini fidelibus et prudentibus nihil vel fere nihil haberet dicendum.

Hoc autem eo vel magis necessarium esse reputo, quia praecise vocationes ad hanc formam vitae hodie fere ubique in Ecclesia decrescunt. Iamvero, factae sunt hac de re in variis nationibus investigationes accuratae et satis extensae, et vere dolendum est quod unanimiter omnes investigatores dicere debuerunt talem diminutionem pro bona parte ex eo derivare quod nonnulli etiam sacerdotes hodie valorem harum vocationum non amplius intelligunt et immo, interdum etiam satis publico modo, minus faciunt. Pro bono Ecclesiae, *venerabiles Patres,*[2] ergo omnino necessarium est, ut Concilium, ex professo agens de « religiosis », clare statuat tales vocationes ab omnibus pro quantum fieri potest, esse fovendas. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] eius. [2] deest.

14

EXC.MUS P. D. VICTOR SARTRE

Archiepiscopus tit. Beroensis

Venerabiles Patres, omnes adstantes carissimi,

Loquor nomine proprio, sed etiam nomine 265 aliorum Patrum conciliarium. Insuper hoc interventu pando mentem 250 Superiorissarum Generalium Institutorum Religiosarum.

Schema *de religiosis* plura bona continet, ita ut speremus illud a Concilio approbatum iri. In aliquibus autem punctis, *indiget*[1] additionibus vel emendationibus, quarum paucas hic indicare velim.

Sermo est in schemate de renovatione vitae et apostolatus ipsorum Institutorum Religiosorum. Omnino certum est, religiosos et religiosas, qui temporibus anteactis tantopere contribuerunt ad vitam Ecclesiae fovendam et promovendam, etiam hodie ardenter desiderare ut eorum vita et activitas Ecclesiae modo magis apto inserviat. Desiderant ergo renovationem et adaptationem, ubi renovatio et adaptatio revera opportunae sunt. Simul autem ipsis curae esse debet ut haec adaptatio et haec renovatio fiant ita ut exigentiae vitae religiosae plene observentur. Iamvero, in hoc contextu sequentia nobis praesertim dicenda videntur:

1. Quod in schemate, ubi de vita apostolica Institutorum Religiosorum est sermo, clarius atque firmius dicatur, quod primus semper locus tribuendus est vitae interiori et spirituali sodalium, sicut Summus Pontifex Paulus VI nuperrime adhuc verbis utut fortibus inculcavit, in Allocutione solemni habita ad Religiosos die 23 maii *huius anni. Haec sunt verba Summi Pontificis* [2]: « In huiusmodi autem Institutorum renovatione procuranda semper cura habenda est, ut spirituali sodalium vitae praecipuae semper partes tribuantur. Quare apud religiosos omnes, quorum munus est sacri apostolatus operibus vacare, omnino nolumus, falsa illa quicquam valeat opinio, operibus externis primas dandas esse curas, intimae vero perfectionis studio secundas, quasi id aetatis huius ingenio et Ecclesiae necessitatibus postuletur ».

2. Secundo autem, in schemate maior emphasis ponenda *est* [3] in principio quod Summus Pontifex in eadem hac allocutione sequentibus verbis enuntiavit: « Maximi momenti opus hoc est, ut (Religiosi) Instituti sui leges ad mutatas temporum condiciones assidue accommodent. Id ita tamen est procurandum, ut propria Instituti natura et disciplina indemnis servetur. Religiosa enim quaelibet Familia suum peculiare munus habet, eidemque omnino necesse est ut fidelis permaneat; hic vitae ubertas Instituti sita est, atque hinc etiam caelestium gratiarum copia numquam defutura. Nulla ergo disciplinae renovatio inducenda est, quae cum Ordinis vel Congregationis natura non congruat, aut a mente Conditoris quoquo modo discedat. Quae quidem disciplinae renovatio hoc etiam postulat, ut a competenti auctoritate tantummodo procedat ».

3. Peropportunum, immo necessarium est, ut Concilium aperte ...[4] reiiciat methodos a *quibusdam* [5] sacerdotibus *non semel* [6] adhibitas, quando iuvenes, puellae praesertim, de vocatione religiosa ipsis consulant. Constat enim, ex satis universali experientia, quod tales sacerdotes, ob inadaequatas conceptiones — *ut videtur* [7] — de vita religiosa, puellas systematice dissuadent a statu religioso amplectendo: dum enim valorem vitae religiosae deprimunt, valorem matrimonii, maternitatis, familiae, apostolatus laicalis ultra omnem mensuram extollunt; immo non

desunt qui *affirment,*[8] in praesenti mundi constellatione, sanctitatem modo magis pleno, magis efficaci et apostolico attingi posse in statu laicali quam in statu religioso. Iamvero, *ut vera doctrina proponatur, ut*[9] sano modo provideatur incremento vitae religiosae in Ecclesia, cui tot magna beneficia debentur, etiam et praesertim in missionibus, in hoc schemate verbis prorsus inambiguis dicendum esse videtur hoc, quod Summus Pontifex in ...[10] memorata allocutione clare enuntiavit: « Cavendum est, ne (ob doctrinam de universali ad sanctitatem vocatione fidelium) germana notio vitae religiosae, ut semper in Ecclesia viguit, obscuretur, atque iuvenes, cum de deligendo vivendi genere cogitant, praepediantur, propterea quod peculiare munus et momentum immutabile status religiosi in Ecclesia non amplius et dilucide perspiciunt ». Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] schema videtur indigere. [2] 1964. Dixit autem Summus Pontifex. [3] esse videtur. [4] deploret et. [5] non tam paucis. [6] deest. [7] deest. [8] satis publice affirmare audent. [9] ut talium idearum diffusioni opportune finis imponatur et, e contra. [10] iam.

15

EXC.MUS P. D. RICHARDUS LESTER GUILLY
Episcopus Georgiopolitanus

Venerabiles Patres, carissimi adstantes,

Loquor etiam nomine 263 aliorum Patrum conciliarium. Etsi prima facie schema nostrum in actuali sua forma ...[1] nimis ieiunum apparere possit, attamen si finis eius practicus perpenditur et si consideratur quod principia doctrinalia de natura et momento vitae religiosae in constitutione *de Ecclesia* recte suum locum iam invenerint, censemus actuale schema substantialiter esse retinendum.

Putamus tamen ipsum perfici posse et debere secundum sequentes observationes. Schema modo fere exclusivo agit de renovatione et adaptatione vitae religiosae ad tempora hodierna et ad exigentias apostolatus moderni. In hoc autem contextu vox « apostolatus » adhuc modo nimium restricto intelligitur de apostolatu exteriore. Quod certissime rectum non est.

Nam in terminologia theologica et technica Ecclesiae, vox « apostolatus » designat quasvis activitates christifidelium quae Regnum Dei in hac terra promovent. Ad has autem primario omnino loco pertinent vita interna, oratio, sacrificia, mortificationes et alia huiusmodi.

Si ergo de renovatione religionum et de earundem adaptatione ad modernum apostolatum loqui intendimus, in primis insistere debemus in hoc quod religiosi et religiosae integraliter vivant effectivam et totalem consecrationem sui Deo factam in votis paupertatis, virginitatis et oboedientiae, aut si nulla vota proferunt, in fideli consiliorum evangelicorum observantia. Reliqua autem omnia quae ad activitatem externam spectant, exhinc normam et mensuram invenire debent: ideo dum recte dicimus « regulas et constitutiones esse adaptandas exigentiis moderni apostolatus », eodem tempore asserere debemus « apostolatum exteriorem religiosorum adaptari debere *regulis et constitutionibus*[2] religiosorum quae vitam internam fovent et protegunt ».

Si hac in luce res consideramus, revera mirum est quod in hoc schemate tam pauca inveniantur de Ordinibus et Congregationibus quae vitae contemplativae stricte sese dedicant. Et tamen praecise hi viri et mulieres orationibus et austeritatibus, silentio et sacrificiis suis plus ceteris omnibus contribuunt ad apostolatum Ecclesiae promovendum. Haec quidem oculis carnis non videntur, sed qui ex fide vivit scit inaestimabile pretium huius vitae plene absconditae in Deo. Experientia teste, scimus quantum conferant ad incrementum vitae christianae, etiam in locis missionum, claustra illa contemplativorum et contemplativarum quae totam vitam suam, in hac forma vitae, Deo offerunt pro extensione eius Regni super terram.

Propter has rationes Pius XI S. Theresiam a Iesu Infante caelestem Patronam Missionum declaravit, quamvis ipsa numquam apostolatui exteriori vacaverit.

Necessarium ergo est ut praecise in hoc nostro tempore magni faciamus Ordines et Congregationes vitae contemplativae. Ideo propono ut in schemate ...[3] specialis et distincta addatur propositio in qua sequentia clare statuantur: 1) Ecclesiam haec Instituta maximi facere ob ingens bonum quod toti Corpori Christi afferunt; 2) vocationes ad hanc formam vitae ab omnibus esse protegendas et fovendas; 3) contemplativos munus suum essentiale hodie — sicut semper antea — conspicere debere in fideli observatione vocationis suae; 4) hanc vitam esse eminenter apostolicam, qua de re cavendum ipsis sit a quavis activitate externa apostolica quae primarium suae vocationis finem quoquo modo in discrimen adducere possit.

Postquam Concilium tam multa de episcopis et dein de laicis dixit, verba quaedam facere deberet de istis absconditis *viris*[4] et mulieribus qui in silentio et immolatione sui Deo serviunt et tantopere contribuunt ad fertilitatem apostolatus nostri.

Ipsi, uti patet, huiusmodi verbum nec exspectant, nec petunt; at-

tamen officium nostrum est non modo sensus gratitudinis et agnitionis erga eos manifestare, sed etiam Instituta eorum pro bono totius Ecclesiae revera promovere.

Insuper autem hoc faciendo, clarum testimonium toti mundo praebebimus Ecclesiam etiam hodie firmiter credere et docere opus suum — et in primis opus missionale — ultimatim non fundari in mediis humanis, sed e contra in associatione ad Christum qui mundum redemit per crucem.

Concludo. Sicut Summus Pontifex Paulus VI, *feliciter regnans,*[5] nuperrime adhuc dixit in Abbatia Montis Cassini, Ecclesia et mundus hodie maximopere indigent viris et mulieribus qui, mundum relinquentes, in solitudine et in silentio pro nobis orant atque simul nobis praebent testimonium societatis christianae vere idealis, in qua regnant amor, oboedientia, innocentia, libertas a rebus creatis et ars bene illis utendi, in qua praevalet spiritus et pax, seu uno verbo: ubi Evangelium Christi perfecte vivitur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] aliquibus forsan. [2] ad Regulas et Constitutiones. [3] de religiosis. [4] hominibus. [5] deest.

16

Rev.mus P. D. IOSEPH BUCKLEY

Praepositus generalis Societatis Mariae

Patres venerabiles, adstantes carissimi omnes,

Primo, gratias agere volo omnibus 130 Patribus qui meam loquendi petitionem subscribere voluerunt. Novissimum schema de religiosis mihi aliquantulum placet in quantum urget illam accommodatam renovationem quae est finis centralis huius Concilii Vaticani ...[1], et quia video in ipso expressam prosecutionem illius operis renovationis quam S. Congregatio de Religiosis iam ab anno 1950 feliciter incoepit et continuo usque ad praesens tempus promovit. In schemate tamen multae lacunae adsunt.

1. Una ex his lacunis in eo est quod schema nullum amicitiae gestum habeat erga clerum dioecesanum. Dici potest hunc gestum non pertinere ad schema de vita religiosa renovanda; tamen difficultatem notabilem in Ecclesia faciunt divergentiae existentes inter religiosos et episcopos ac sacerdotes dioecesanos.

Desideria episcoporum maiorem exercendi auctoritatem in religiosos in sua quisque dioecesi, quamdam anxietatem in religiosis generant. Sed nobis religiosis convenit recognoscere antipathiam quam in clero dioecesano gignunt quaedam nostrae tendentiae, e. g. loquendi ac si nos soli simus in quodam statu perfectionis.

Fateri debemus sacerdotes dioecesanos etiam suam possidere solidam spiritualitatem, atque multa elementa communia habere cum religiosis. Sic, pluribus in locis vitam communem ducunt. Eamdem ac nos castitatem observant. Omnes oboedire debent episcopis, et vicarii cooperatores parocho. Quoad paupertatem, frequenter non multum a nobis differunt. Eadem ministeria apostolica eodemque modo exercent. Ita ut dici possit quod sacerdotes religiosi vitae activae propinquiores sunt sacerdotibus dioecesanis, quam religiosis vitae contemplativae.

Ideoque, quamvis in ordine canonico distinctio facienda *est,*[2] in ordine practico non est urgenda, iuxta illam bonam philosophiam: « Quod nos unit maioris momenti est quam quod nos separat ».

Has ideas exposui in quadam audientia cum Ioanne XXIII, felicis recordationis, et ipse statim, sua illa spontaneitate, mihi dixit: « Adesso c'intendiamo », « In hoc omnino convenimus ».

2. Iuxta idem principium, de amovendis differentiis non necessariis, videtur ad nostram accommodatam renovationem pertinere remotio differentiarum inter Ordines et Congregationes.

Congregationes iam probarunt suum magnum momentum in Ecclesia. Tempus est igitur ut earum membra non amplius considerentur ut religiosi secundae classis, « *second class citizens* »,[3] « dei parenti poveri ». Gratissimi sumus Summis Pontificibus Ioanni XXIII et Paulo VI, *feliciter regnanti,*[4] quod membra huius Concilii sunt superiores generales Congregationum sub conditione quod habeant in sua quisque Congregatione mille sacerdotes. Sed, ex alia parte, sunt etiam membra — *Concilii Oecumenici*[5] — superiores generales Ordinum qui non habent nec centum sacerdotes..., ne mentionem faciam episcoporum in quorum dioecesibus inveniuntur minus quam decem sacerdotes dioecesani.

Videtur ad accommodatam renovationem Congregationum, saltem virorum, pertinere concessionem potestatis iurisdictionis et facultatum pro exercitio ministeriorum sacrorum, quando haec exercentur in propriis domibus *solum*[6] et in favorem propriorum subditorum — *non in apostolica generali —, sed*[7] sine obligatione nimis recurrendi ad indulta.

3. In n. 8 novi schematis, ubi agitur de oboedientia religiosa, videtur applicari omnibus religiosis conceptus oboedientiae qui forsan

convenit monachis, sed non bene respondet necessitatibus hodiernis religiosorum vitae activo-apostolicae.

Aliqui superiores multum loquuntur de crisi oboedientiae. Mihi videtur quod sit crisis potius superiorum quam subditorum. Verum est quod iuvenes hodie non facile accipiunt quasdam archaicas formulas, e. g. quod vox superioris est pure et simpliciter vox Dei.

In schemate nihil dicitur de obligatione quam superiores habent consultandi ipsorum consilium, locale, provinciale, generale. Multi superiores, imprimis religiosarum sed etiam et religiosorum, ne cognoscunt quidem modum conveniens et efficax consilium ducendi. In formatione et efficacia superiorum, potius quam in maiori oboedientia subditorum consistere videtur renovatio religiosae oboedientiae.

Propter has animadversiones aliasque quas tempus prohibet faciendas, mihi videtur praesens schema non plene respondere problematibus hodiernis vitae religiosae.

Nova redactio magis adhuc « aggiornamento » favens desideratur, a praesenti commissione quidem praeparanda, sed cum additione aliquorum peritorum novorum, mentis magis modernae et amplioris experientiae.

Ideoque schema simpliciter non placet.[8] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] II. [2] sit. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest.

17

Exc.mus P. D. DOMINICUS ROMUALDUS BASILIUS ATHAIDE
Archiepiscopus Agraënsis

Patres Fatresque carissimi atque Matres Superiores admirandae!

Loquor nomine Conferentiae Nationalis Indiae ...[1]

1. In nn. 2 et 3 schematis, collato n. 15, merito decernitur quod in Religionibus et Institutis, fideliter servatis natura, fine, spiritu proprio, necnon sanis traditionibus, congruenter recognoscendae sunt, prout necessarium fuerit, Constitutiones, Directoria, Consuetudinaria, alia id genus codices, « ut ratio vivendi, operandi et orandi aptetur hodiernis sodalium condicionibus physicis et psychicis necnon apostolatus necessitatibus, etc. ... ».

Efficax autem renovatio et recta accommodatio, iuxta explicitum

n. 3 statutum, « obtineri nequit, nisi cooperantibus instituti sodalibus, moderante vero competenti auctoritate ».

Vehementer desideratur ut breviter, sed auctoritative in schemate indicetur: tum modus practicus quo in recognitionem constitutionum etc., de facto cooperari debent *omnes* instituti sodales, tum praesertim auctoritatis competentis *organa* quibus competat moderamen supradictum.

Auctoritas ista intelligiturne sola auctoritas religiosa interna, et haec quidem sola auctoritas suprema, vel auctoritas omnium superiorum religiosorum maiorum, in speciali commissione simul cooperantium, *an* praeterea auctoritas ecclesiastica, extra religiosa, videlicet *Commissio Pontificia* ad hunc finem specialiter constituta, et coniunctim laborans cum superioribus religiosis supremis, quinimmo postquam forsan audita sunt conferentiarum nationalium episcoporum consilia?

Pauci, ni fallor, exspectandi sunt effectus, nisi reapse interveniat Commissio Pontificia speciatim ad hoc constituta.

2. Non videtur dubium, quominus plurimi individui religiosi et individuae religiosae reapse parentur ad impensius collaborandum in operibus apostolatus, praesertim in missionibus.

Non raro autem, tali cooperationi et collaborationi obstat quaedam apathia aut indocilitas *ipsius regiminis religiosi,* propter timorem abusuum ex tali collaboratione, vitae stricte religiosae sodalium forsitan imminentium.

Quapropter enixe insistere audemus, ut obligatio collaborationis desideratae ad apostolatus opera, praeprimis obvia fiat superioribus, atque iis specialiter imponatur officium eam non impediendi, sed, e contra, active promovendi.

Quod maxime valet pro locis missionum, ubi, propter penuriam religiosarum ex una parte, et magnam aestimationem qua generaliter gaudent apud indigenas ex altera parte, omnino necessarium est, ut religiosae ex officio instructioni puerorum et puellarum in scholis addictae, extra horas scholasticas quoque sese devoveant certis apostolatus religiosi et socialis operibus, in favorem incolarum, auxilio earum vere egentium.

3. In quibusdam Congregationibus religiosis femineis, *ritus vestitionis* adeo solemnis est, et ex parte parentum adeo dispendiosus, ut quaedam novitiae, durante novitiatus anno defectum verae vocationis religiosae expertae, post talem et tantam pompam publicam in die vestitionis factam, erubescant derelinquere vitam religiosam.

Ad quod praecavendum, atque insimul ad demonstrandum vestitionem ex ipsissima sua natura non constituere veram et definitivam con-

secrationem religiosam, sed meri experimenti initium, enixe insistitur ut ritus vestitionis valde sobrius sit et a qualibet pompa publica alienus.

Quod attinet vero ad *ritum professionis,* solemnitas sobria, de qua in constitutione *de sacra Liturgia,* n. 80, vehementer optatur ut reservetur soli professioni perpetuae, et ut induat characterem gaudiosum potiusquam severum ac plus minusve exsequiis aequiparatum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Liceat mihi aliqua notare relate ad schema de religiosis.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, crastina, post exactam discussionem circa hoc schema, quod nunc discussioni subicitur, proponetur suffragatio praeliminaris, quam vos scitis et uti factum est pro schemate *de sacerdotibus* et *de Ecclesiis Orientalibus.* Post exactam discussionem, crastina.

Moderator: Congregatio proxima erit crastina, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS CXXI
12 novembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CXXI

12 novembris 1964

Exc.mus P. D. Ioannes Villot, arch. tit. Bosporanus, *subsecretarius*: Hodie, Sacrum Missae Sacrificium celebrabit exc.mus D. Ioseph Rancans, ep. tit. Marcopolitanus, aux. Rigensis (de Lettonia).

Proprium Missae *pro unitate Ecclesiae* offertur Patribus ab Associatione cui nomen *Unitas* necnon ab *Unione Apostolica Cleri Dioecesani.*

Ideo rogantur Patres, ut non tantum preces vel responsiones dicant, sicut fit omni die, sed etiam, incipiente celebrante, una voce dicant Introitum, Graduale, Offertorium et Communionem.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*: Hodiernam congregationem generalem 121 moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis. Crastina, Patres amplissimi, in hac sacrosancta Basilica, hora 9.30, habebitur Cappella Papalis, in qua Sanctissimus Dominus noster Paulus VI assistet Pontificali Missae, ritu byzantino decantandae a Sua Beat. Maximo IV, patriarcha Antiochiae Melchitarum, episcopis et archimandritis concelebrantibus.

Omnes Patres ardentissime invitantur. Induent super rochetum mantelletam sine mozzetta, et sedebunt suis locis, non tamen ordine singulis determinato, sed prout dicent Magistri Caeremoniarum Pontificalium. Omnes sint in suis locis saltem hora nona cum quadrante.

Aliam communicationem facio. Episcopi exc.mi Cecoslovachiae, qui adsunt in Concilio, petierunt a Summo Pontifice ut dignaretur benedicere ipse imagines SS. Cyrilli e Methodii, quae sunt depictae opere musivo ad latus altaris S. Wenceslai in hac Basilica (altare S. Wenceslai est in ala dextera huius Basilicae, in ala quae dicitur communiter « a SS. Processo et Martiniano »). Hae imagines ibidem collocatae sunt in memoriam millesimi et centesimi anniversarii Sanctorum adventus in Moraviam.

Summus Pontifex hanc petitionem accepit, et crastina, post sollemnem Cappellam Papalem, procedet ad benedictionem.

In hodierna congregatione generali vobis, Patres, distribuentur *Modi* respicientes cap. 3 schematis *de oecumenismo* (est ultimum caput huius

schematis). Et suffragatio fiet sabbato proximo, more consueto, nempe per *placet* et *non placet*.

Et en nomina eorum qui verbo uti petierunt circa schema *de accommodata renovatione vitae religiosae*: *Nomine plurium* exc.mus D. Gerardus Huyghe, ep. Atrebatensis in Gallia; rev.mi DD. Paulus Hoffer, sup. gen. Societatis Mariae (Marianisti); Germanus Lalande, sup. gen. Congreg. a Sancta Cruce; exc.mi DD. Iacobus Carroll, ep. aux. Sydneyensis in Australia; Antonius Baraniak, arch. Posnaniensis in Polonia; rev.mus P. Ioseph van Kerckhoven, sup. gen. Missionariorum a Sacro Corde Iesu; et exc.mus D. Petrus Fiordelli, ep. Pratensis in Italia.

Deinde, *nomine tantum proprio*: exc.mi DD. Petrus Canisius van Lierde, vic. gen. Summi Pontificis pro Civitate Vaticana; Ioseph D'Avack, arch. tit. Leontopolitanus in Pamphylia; Adam Kozlowiecki, arch. Lusakensis in Rhodesia Septem.; Marianus Oscoz, sup. gen. Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae.

Exacta discussione, ut heri dixi, fiet suffragatio, more solito, suffragatio quam enuntiabo tempore opportuno. Gratias.

1

Exc.mus P. D. GERARDUS HUYGHE
Episcopus Atrebatensis

Venerabiles Patres,

Toto corde assentio omnibus his quae dicta sunt heri a multis Patribus, ex quibus em.mis cardd. Döpfner, Suenens, Bea, exc.mo D. Charue, rev.mo P. Buckley.[1]

Schema de religiosis insufficiens est multis rationibus: caret anima vivificatrice, est nimis iuridicum, nimis exclusive occidentale, perpauca continens de vera et accommodata renovatione vitae religiosae... et, praesertim, ecclesiologia huius schematis est ante-conciliaria.

Atqui schemata *de Ecclesia* et *de Ecclesia in mundo huius temporis,* quae — ut a Summo Pontifice Paulo VI saepe in lucem positum est — centrum sunt et focus Concilii Vaticani, ecclesiologiam renovatam attulerunt.

Ut si duobus his schematibus accommodatum, novum igitur schema de religiosis conficiatur, quod vitam religiosam debito modo in vitam totius Ecclesiae collocet.

Ut notum est, Ecclesia, ex una parte coadunat christianos, ex altera parte convocat non-christianos.

Eodem modo, vitae religiosae munus in novo schemate sub hac duplici luce debet considerari: 1) munus vitae religiosae intra Ecclesiam; 2) munus vitae religiosae ad extra, i. e. in vita missionaria Ecclesiae.

Prima pars: *Munus vitae religiosae intra Ecclesiam. ...*[2] In Ecclesia quae nobis, clarius quam antea, apparet ut communio, ut congregatio hominum in unitate populi Dei, religiosi, qui sunt christifideles modo speciali ad perfectionem caritatis ordinati, debent esse exempla et promotores unitatis in Ecclesia tam universali quam locali.

Quae vocatio ad communionem semper magis promovendam in Ecclesia magnas habet consequentias pro vita religiosa.

1. Clarum est religiosos non debere, *in intimo vitae suae religiosae,*[3] se segregare et separare ab aliis membris Ecclesiae, cum quibus Ecclesiam constituunt. Nam Ecclesia non perficitur nisi per unionem in caritate et per collaborationem in apostolatu inter sacerdotes, religiosos, religiosas et laicos sub responsabilitate episcopi. *Et sic etiam*[4] pertinet ad officium proprium religiosorum ligamina creare inter diversa membra Ecclesiae localis. Et hodie hoc maioris est momenti quam notio, etsi legitima, exemptionis.

Schema autem nostrum religiosos considerat quasi solummodo ut membra Ecclesiae ab aliis diversa, habentes statum proprium, leges proprias... *Sane*[5] oportebat haec dicere, sed illa non omittere.

2. Vocatio unificativa religiosorum iterum postulat ut, inter diversa Instituta, habeatur fraterna collaboratio ac concordia, quae, magnam varietatem vocationum debito cum respectu observans, tamen non despicit alios et rivalitates vitat...[6]

3. Ex eadem vocatione unificativa intra Ecclesiam, profluit etiam munus oecumenicum vitae religiosae, quod non pendet a quodam « fine specifico » a quibusdam Institutis libere electo, sed ab ipsa natura vitae Deo plenius consecratae, quae necessario comprehendit constructionem unitatis in Ecclesia.

Secunda pars: *Munus vitae religiosae ad extra, id est in activitate missionaria Ecclesiae.* Ecclesia, natura sua, est missionaria. Debet esse missionaria in regionibus ubi Christus nondum sufficienter praedicatus est. Debet esse missionaria in regionibus olim christianis, et iam plus minusve in paganismum saltem practicum reductis.

Religiosi sunt quodammodo milites Ecclesiae. Ut probat tota historia, a Spiritu Sancto diversis temporibus suscitantur *religiosi*[7] ut sint acumen missionarium Ecclesiae. Nonne igitur hodie religiosi deberent esse primi missionarii Ecclesiae, *unusquisque secundum propriam*

indolem familiae suae[8]*?* Et hic loquor de omnibus religiosis et non tantum de his qui pertinent ad Institutum sic dictum missionarium...[9]

1. In regionibus veteris christianitatis, Instituta religiosa, ut influxum missionarium possint exercere, reflexionem debent instituere de modis praesentiae suae in hoc mundo. Novae formae instituantur, magis humiles, magis pauperes, magis flexibiles. Consequentiae multae sunt quarum aliquas solummodo indico: consequentiae quoad clausuram, quoad locum habitationis, quoad habitum, quoad modum praesentiae in nosocomiis, etc. ...

Vitae religiosae usus qui essentiales non sunt et plerumque veniunt a Medio Aevo, debent accurate recognosci iuxta necessitates evangelizationis mundi hodierni. Et hoc valet etiam pro Monialibus quae extra mundum non sunt et quae vivunt non iam in Medio Aevo, sed in vicesimo saeculo.

2. A fortiori, in regionibus ubi Christus nondum sufficienter praedicatus est, novae formae debent institui vitae religiosae. Saepe Congregationes vel Monasteria quae fundationes faciunt in his regionibus Africae et Asiae, simpliciter transferunt regulas et usus in Occidente et pro Occidente constitutos. Talis methodus opponitur toto caelo spiritui missionario. Vita religiosa pertinet ad habitudinem Ecclesiae localis: unde oportet formas huius vitae adaptari conditionibus et necessitatibus Ecclesiarum localium.

Conclusio. Vita religiosa magis ac magis considerari debet in Ecclesia. Nos igitur, Ecclesiae pastores, responsabilitatem habemus in adaptatione *vel innovatione*[10] vitae religiosae.

Hoc valet pro unoquoque nostrum in sua dioecesi considerato. Hoc valet praesertim pro conferentiis episcopalibus. Quod singuli non possumus facere in nostris dioecesibus pro renovatione vitae religiosae, illae conferentiae possunt et debent efficere.

Ut superiorissa quaedam generalis nuper episcopis alicuius nationis dixit, vita religiosa in futuro florescere poterit solummodo si episcopi hac in re semper memores erunt propriae responsabilitatis.

Novum schema efficiatur, *quia vetus schema insanabile est.*[11] Et, ut vere novum sit, novis modis conficiatur. Oportet praesertim ut superiorissae generales quae a Summo Pontifice Paulo VI designatae sunt ut auditrices, specialiter consulantur. Quemadmodum auditores laici admissi fuerunt, magno cum fructu, ad elaborationem schematis quod ad eos pertinet, ita illae superiorissae admittantur ad collaborationem habitualem cum commissione conciliari de religiosis. Sic feliciter incipiet nova periodus in qua mulieres, non solum laicae, sed etiam religiosae, ut vere adultae considerabuntur ab omnibus in Ecclesia. Admitti non

potest legislationem quoad religiosas a viris unice constitui, ut, proh dolor!, mos est.

Sic schema respondere poterit iustis aspirationibus religiosorum et religiosarum.

Sic respondere poterit aspirationibus totius Ecclesiae et etiam mundi qui suam exspectat evangelizationem. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Tota vita religiosa est in servitium Ecclesiae, et hoc valet pro omnibus religiosis, etiam contemplativis. Oportet igitur ut munus vitae religiosae in Ecclesia in lucem ponatur in definitione status religiosi, quae, proh dolor, non invenitur in propositionibus nunc discutiendis. In hac definitione deberet clare affirmari unicum finem omnis vitae religiosae esse perfectionem in caritate Dei simul et proximi. In hac unica caritate latet principium unificationis vitae spiritualis et apostolicae cuiusque religiosi. Exinde faciliter deduci potest munus praecipuum vitae religiosae intra Ecclesiam esse in linea caritatis. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] Quae dicuntur in n. 17 schematis nostri « de unione inter instituta fovenda », non videntur sufficere. Nam agitur solummodo de unione iuridica inter Instituta ad eamdem familiam religiosam pertinentia aut fere pares Constitutiones et pares usus habentia. [7] deest. [8] deest. [9] Hic aspectus missionarius vitae religiosae deberet esse incitamentum pro renovatione et accommodatione huius vitae. Laetandum est permagnum esse numerum religiosorum et religiosarum qui huius etiam aspectus vitae religiosae plene conscii sunt et qui valde decepti essent, si de hoc spiritu missionario nihil in propositionibus diceretur. [10] deest. [11] deest.

2

Rev.mus P. D. PAULUS IOSEPH HOFFER

Superior generalis Societatis Mariae

Venerabiles Patres,

In nn. 5 et 6 schematis, duo genera religiosorum distinguuntur: contemplativi nempe et activi. Activi vero seipsos apostolatui et operibus caritatis dedicant. Quod tamen ...[1] vim et naturam ordinum activorum penitus non exprimit. Nam sunt religiosi, praesertim religiosae et fratres docentes — *in quorum nomine loquor* [2] —, quorum activitas latius patet in eo quod suo labore scholastico influxum in ipsam transformationem et perfectionem mundi summopere exercent.

Ergo valde optandum est ut Concilium talem aspectum activitatis religiosorum docentium in lucem ponat, exponendo quomodo testes sint *illius* [3] dialogi cum mundo *quem ipsum Concilium promovet,*[4] et artifices eminentes syntheseos inter humanum et divinum, *sive* [5] in vita personali *sive* [6] in educatione iuvenum.

1. *In vita personali. Status Fratrum docentium rationem completam habet, quin sacerdotio egeat.*[7] Obsequendo vocationi suae, esse suum et activitatem Deo consecraverunt et emissione trium votorum renuntiaverunt tribus bonis essentialibus istius vitae, ...[8] ut hoc sacrificio amorem suum erga Deum testificarent. Sic faciendo, omnibus ceteris religiosis, qui in servitio exclusivo Christi sunt, assimilantur.

Sed ex altera parte, fratres docentes, missione sua ab Ecclesia recepta, muneri aut professioni terrestri se dedicant, nempe institutioni iuventutis. Ab illis Ecclesia postulat, praesertim voce recentiorum Summorum Pontificum, ut artem suam, quamquam terrestrem, magni faciant, eamque totis viribus excolant, intelligentiam augeant, initiativas alacriter sumant et in progressu paedagogico se duces praebeant. Ab eis Ecclesia petit ne simulent se esse in hoc mundo, sed ut sese huic activitati humanae fidenter committant, dilatando in seipsis omnes potentias naturae acquisitione omnium disciplinarum quae ad functionem professionis *suae*[9] exiguntur...[10]

Haec duplex fidelitas, Deo scil. et creationi, quae synthesim inter divinum et humanum constituit, in unitate unius personae resolvitur. Etiam si in concreto difficillime realisatur...[11], tamen verum dialogum cum mundo et collaborationem efficacem cum Deo in opere creationis constituit. Hoc modo testificant fidem in Deum et in caelum, nullum contemptum terrae implicare et consecrationem totalem regno caelorum in vita religiosa hominem in sua humanitate et activitate nullo modo diminuere. Ostendunt etiam quod vota religiosorum humanae perfectioni non nocent; quinimmo aptiores faciunt religiosos ad intelligendum mundum et influxum in eius evolutione exercendum, eo profundius quo fidelius vota sua observant.

At nemo est qui non videat quod religiosi docentes, cum in evolutione huius mundi committantur, quin in eo absorbeantur et a Deo avertantur, ad continuam purificationem recurrere ...[12] debeant. Hoc modo eminenter attingunt ultimam finalitatem bonorum creatorum quae est conversio ad Deum. Non enim in ipso progressu technico mundus Deo consecratur, sed in oblatione quam homo sciens Deo facit. Itaque tota vita sua fratres docentes laicis *in mundo degentibus*[13] testificant possibilitatem se committendi activitati terrestri, nulla corruptione ab ipsa terra accepta, quia eorum conversatio in caelis, *quae*[14] eos a terrenis bonis avertit et ad Deum conducit.

2. *In institutione alumnorum.* Spiritualitas qua vivunt fratres docentes est spiritus sacerdotii universalis, quod consistit, apostolo docente, in sacrificio spirituali suiipsius et bonorum huius mundi...[15]

Atqui haec spiritualis actitudo fratrem docentem praecipue aptum

reddit ut alumnos suos inducat ad perficiendam propriam personalitatem et assumendum opus completionis mundi secundum Dei vocationem. Activitate sua testificat Ecclesiam intelligentiam et culturam magni facere nec quidquam antiquius habere quam ut omnis homo, vel pauperrimus, perfectionem suam integram consequatur. Haec sollicitudo Ecclesiae potentias vel pauperrimum valorizandi, in mente Fundatorum ordinum fratrum docentium verum charisma constituebat, praecipue *illo*[16] tempore quo intelligentes et potentes huius *saeculi*[17] homines in ignorantia retinebant, ne promotio eorum desiderium eis instillaret sese emancipandi a dominatione et paternalismo ipsorum.

Ex altera parte illi religiosi suos discipulos verbo et exemplo docent finem ultimum laboris eorum ad transformandum mundum non in seipso sistere sed ad Deum referri debere. Christianus laicus labori terrestri sese committit, quo fit ut tota creatio ad Deum redeat, ac libertatis partem habeat quam filiis suis communicat Deus...[18]

Praeterea,[19] religiosus *docens*[20] suos discipulos docet quomodo in labore et bonorum creatorum versari possunt quin periculo succumbant se absorbendi in materialibus et collocandi in commoditatibus quae vim vitae intellectualis et spiritualis impediant. *Postremo*[21] docent quomodo homines sublimia mirari debent et dominium acquirere subiiciendo se variis renuntiationibus, quia istis bonis terrenis propter peccatum abuti possint. Talis institutio eo maioris ponderis est quod vita fratris docentis vivum exemplum praebet istius fecundae renuntiationis quae per mortem ad vitam conducit...[22]

Concludo.[23] Fulgida est ac operum laeta fratrum docentium vita, quae ex caritate erga Deum prorumpit. *Labor eorum verus apostolatus est, etiamsi non immediatus sit. Huius apostolatus vero, non omnes conatus a successu coronantur, quod mirum non est quia semper*[24] res ipsae religiosos alliciunt et trahunt, ut illa quae Deo dederunt singillatim repetant, ut eruditionem et doctrinam in terrestres fines circumscribant et puerorum institutionem in humanis finibus retineant.

Propterea, *valde optandum est ut Concilium propriam spiritualitatem fratrum et sororum docentium in lucem ponat.*[25] Laeto et grato animo eius praecepta *illi et illae*[26] accipient et toto corde in singulis regionibus et *variis*[27] temporibus Ecclesiae necessitatibus *obviam*[28] occurrent. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] mea humili opinione. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] seu. [6] seu. [7] Interventione quam audivimus ab ill.mo D. Sauvage, fratres docentes, rationem completam habere, quin sacerdotio egeant, clarissime constat. [8] nempe famliae, libertati et divitiis. [9] eorum.

[10] Professio enim educatoris non tantum scientiam, sed etiam personalitatem humanam attrahentem desiderat. [11] et si omnes conatus successu non coronantur. [12] et suam activitatem constanter ad Deum referre. [13] deest. [14] est et. [15] Talis consecratio spiritualem oblationem creationis transformatae et dominatae implicat. [16] eo. [17] mundi. [18] « Replete... terram et subiicite eam », ait Deus primo homini (*Gn.* 1, 28). Sed adiunxit apostolus: « Omnia vobis sunt; sed vos Christi estis... Omnia subiecta sunt Christo... Cum autem ei subiecta fuerint omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei qui sibi subiecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus » (*1 Cor.* 15, 27-28). [19] Postremo. [20] deest. [21] Praeterea. [22] Amor quidem authenticus sine abnegatione nasci non potest, libertas sine oboedientia non crescit, gaudium sine sacrificio ex corde non prorumpit. [23] deest. [24] Mirum non est omnes conatus a victoria non coronatos esse. Semper enim. [25] Concilii oecumenici est eos ad propriam spiritualitatem excitare. [26] deest. [27] deest. [28] deest.

3

REV.MUS P. D. GERMANUS LALANDE

Superior generalis Congregationis a S. Cruce

Venerabiles Patres, Observatores, Auditores et Auditrices carissimi, necnon et Periti,

Loquor nomine plus quam 140 Patrum, quorum 43 sunt superiores generales. His omnibus pro sua caritativa confidentia erga me gratias ago. Ut tempus salvetur, ad propositum meum sine introductione venio.

Quod in schemate de religiosis continetur nobis videtur utilis, sed valde insufficiens, ut a multis Patribus dictum est.

Etiamsi textus emendatus quasdam lacunas corriget, schema uti propositum, ad ea quae religiosi et religiosae exspectant ab hoc sacro Synodo, minime respondet.

In hoc Concilio, Ecclesia — ergo etiam vita religiosa — sibi proposuit sese de sua propria natura interrogare, ac ita se reformare ut intentionibus sui Fundatoris atque exspectationibus mundi nostri temporis magis corresponderet, unde ut signum Christi in gentibus appareret...[1]

Indicia quae continentur in schemate circa vitae religiosae renovationem insufficienter iustificantur; itaque exclusive iuridica videntur et non possunt generare nisi exteriorem accommodationem vitae religiosae. Carent ut dicitur gallice « de sève pastorale », et non habent radices in praeoccupationibus concretis Ecclesiae, vitae religiosae et mundi hodierni.

Omnes religiosi experiuntur penuriam vocationum, quae profecto

est phaenomenum valde complexum et a pluribus causis pendens. Sed fortasse etiam, ex eo aliquatenus procedit, quod iuvenes hodierni iudicant Instituta religiosa suis aspirationibus iam non correspondere: sive quia illa instituta vident nimis traditionalistica et non incarnata, sive quia ea iudicant non respondere ideis valde laudabilibus vitae religiosae quae sibimetipsis faciunt circa characterem *vitae religiosae, characterem*[2] evangelicum — ergo propheticum, charismaticum et eschatologicum —, sed, eodem tempore, valde actualem.

Nostro itaque iudicio, praesens schema, ut suo titulo et necessitatibus hodiernis vitae religiosae respondeat, accuratius et expliciter ostendere deberet nexum inter renovationem generalem a Concilio promotam et renovationem vitae religiosae propriam. Deberet amplius ostendere, ex una parte, necessitatem vitae religiosae in Ecclesia omni tempore et omni loco, et, ex altera parte, *testimonium singulare quod vita religiosa praestare debet mundo hodierno.* Hoc apparebit sicut fundamentum pro profunda instauratione interiore vitae religiosae et iustificaret accommodationem exteriorem et iuridicam in schemate actuali expositam.

Evidenter impossibile est hic dicere extensive id quod nobis videretur necessarium invenire in schemate renovato. Itaque breviter propono aliqua puncta ex multis quae, meo iudicio, necessaria sunt ad schema reficiendum. Mihi apparet ista puncta non esse purae repetitiones in relatione ad excellentissimas propositiones iam factas in aula...[3]

1. Oportet illustrare *fundamentum biblicum et theologicum* vitae religiosae per argumenta deducta ex cap. VI schematis *de Ecclesia,* sed exposita modo magis explicito et concreto et etiam per nova argumenta pastoralia et sociologica.

Eodem tempore, oportet firmare necessitatem vitae supernaturalis aut spiritualis valde profundae specialiter in religionibus vitae magis activae, ubi vita spiritualis difficilior videtur et debet correspondere orientationibus liturgicis et pastoralibus Concilii.

2. Oportet ostendere quomodo *praxis vera et authentica,* in fide fundata, *votorum* paupertatis, castitatis et oboedientiae necnon vitae communis, possit et debeat praestare in mundo hodierno testimonium quod omnino indiget ad vincendum materialismum, cupiditatem divitiarum, corporis voluptatem et quandam deificationem libertatis seu individualismi effrenati.

3. Praeterea oportet ostendere quomodo vita religiosa potest praebere *testimonium caritatis universalis.* Quae caritas generabit ante omnia sensum missionarium in vita religiosa, sed eodem tempore inspirabit respectum legitimae libertatis necnon dignitatis essentialis personae hu-

manae. Respectus quidem libertatis et dignitatis personae humanae inveniatur in omnibus relationibus religiosorum et inter se et cum superioribus necnon et cum omnibus hominibus...[4]

4. et ultimo. Oportet ostendere quod instituta religiosa et ipsi religiosi debent *sentire cum Ecclesia universali et locali.* Ille sensus Ecclesiae generabit in primis profundiorem vitam interiorem. Spiritualitas scil. uniuscuiusque religionis ita theologice fundanda est ut characteres proprii illarum familiarum appareant ut aspectus universalioris spiritualitatis christianae et *Ecclesiae,*[5] vitando id quod dicitur particularismus angustus qui homines dividit.

Sensus autem Ecclesiae ad hoc etiam perducere debet ut activitas uniuscuiusque Instituti religiosi cum tota vita Ecclesiae universalis et localis coordinetur, salva fine propria servitii uniuscuiusque religionis secundum mentem Fundatoris et voluntatem Ecclesiae hodiernae.

Concludo. Venerabiles Patres, omnes et singuli oratores qui locuti sunt in aula per hos duos dies proposuerunt emendationes numerosas et maximi momenti circa materiam et spiritum nostri schematis.

Consequenter, omnibus videbitur logicum ut schema remittatur ad commissionem competentem ut nova redactio conficiatur iuxta propositiones factas et spiritum pastoralem Concilii.

Ut ille labor sit vere efficax, adhaereo desideriis ab aliquibus Patribus expressis circa necessitatem addendi commissioni aliquos peritos et peritas religiosas mentis magis modernae et amplioris experientiae, specialiter *relative*[6] ad iuventutem. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Quod si traditio Ecclesiae ut vitalitati suae originis fidelis sit, sensu dynamico et progressivo intelligi debet, id eo magis de traditionibus singulorum Institutorum dicendum est. [2] deest. [3] et quibus adhaeremus. [4] Quoad habitudinem inter auctoritatem et libertatem, ut plures Patres in hac aula animadverterunt, laici hodierni adulti facti sunt, et ut tales sunt tractandi. Rebus sic stantibus, cavendum est ne, dum laici adulti fiunt, religiosi infantes maneant. Profecto, ad essentiam vitae religiosae spectat, ut sit unio cum holocausto Christi oboedientis usque ad mortem. Quae autem oblatio eo ditior erit, quo a maturiori personalitate dimanabit. Praeterea, actio communitaria et tot crescentibus difficultatibus obnoxia, quae a religiosis vitae activae exercetur, eo efficacius bonum commune prosequeretur, quo magis in illa omnes et singuli sodales sua responsabili initiativa et pro sua quisque competentia, ab ipsa auctoritate promotis, collaborabunt. Porro, ut religiosi talem maturitatem attingant, eorum formatio ad hoc tendat, ut sensui responsabilitatis personali, plus quam extrinsecis regulationibus, fiducia praestetur. Sensus oboedientiae potius filialis quam servilis inculcetur, et auctoritas modo paterno exerceatur: ita tamen ut filii adulti ut

adulti tractentur, ne paternitas in paternalismum labatur. Possibilitas praebeatur omnibus sodalibus de activitate Instituti sincere et efficaciter suam mentem aperiendi, ita ut apud religiosos, sicut in universa Ecclesia, munus constructivum « opinioni publicae » tribuatur, competenti auctoritate moderante. [5] ecclesialis. [6] in relatione.

4

Exc.mus P. D. IACOBUS CARROLL
Episcopus tit. Ateniensis, aux. Sydneyensis

Venerabiles Patres,

Loquor etiam nomine 440 ...[1] Patrum conciliarium, *inter quos*[2] sex em.mi cardinales. Schema placet *ut aptum fundamentum ulterioris disceptationis.*[3]

Propono ut huic schemati ...[4] addatur paragraphus quae, data opera, de vocatione religiosa laicali ...[5] loquatur, praesertim vero de Fratribus Docentibus et de Sororibus Docentibus.

Ratio prima pro hac paragrapho desumitur ex partibus maximis quas in opere apostolatus hodierni exercent religiosi docentes, saltem pluribus in nationibus.

Ratio altera, valida equidem, ut videtur, est ut status Fratrum Docentium magis stabiliatur et roboretur.

Itaque in paragrapho brevi agnoscatur ex una parte valor proprius et completus vitae religiosae, etiamsi, in casu virorum, sacerdotio haud aucta sit; ex altera parte eluceat opus apostolicum omnino praestantissimum Docentium Religiosorum tempore praesenti.

Coniicere liceat talem paragraphum documenti e Concilio ipso provenientis Fratres Docentes multum adiuvare posse, *etiam ad vocationes quaerendas.*[6] Etenim, data aestimatione maxima sacerdotii, quae in mentibus fidelium recte fovetur, facilius evenit ut apud fideles, sive clericos sive laicos, in minore quo decet honore status religiosus non-clericalis *haberi possit.*[7]

Ex alia parte non est dubium quin, his temporibus, munus docendi secumferat opera apostolatus prorsus singularia; ita ut munus Docentium Religiosorum in mundo hodierno apostolicum modo omnino peculiari aestimari debeat...[8]

Alio ex capite, attenta regula fundamentali huius schematis de accommodata renovatione, auditis vero, votis septem fratrum generalium qui plus quam quadraginta millia religiosorum repraesentant, tria observanda propono:

1. Sunt qui suadent ut in his Institutis quidem ad sacerdotium et ad diaconatum eligantur. Attamen structura plene laicalis ex experientia comprobata est, nec facile mutari debet, saltem nonnisi post studium profundum una cum superioribus *ipsis* [9] exaratum.

2. Cum congressus de vita religiosa in genere sub auctoritate ecclesiastica habentur, decet ut superiores ex Institutis *etiam non-clericalibus,*[10] invitentur et in rebus quae ad eorum competentiam pertinent mentem aperiant.

3. Fratres Docentes (aequo modo Sorores) in arte docendi materias saeculares omnino periti esse debent. Instructio autem catechetica et liturgica, secundum methodos optimas tradita, sub ductu Ordinarii loci, debet esse et opus primarium Instituti et ars princeps uniuscuiusque docentis; quod quidem et ipsi Ordinarii efficere conentur, sive subsidia efficacius praebendo ut religiosi bene instructi sint tum in theologia tum in arte paedagogica, sive hos religiosos libere invitando et exhortando ad materiam catecheticam semper fusius explicandam, imprimis in scholis hisce commissis, deinde in aliis scholis secundum iudicium Ordinarii loci.

Venerabiles Patres, ad modum conclusionis,[11] humiliter propono:

1. Ordinariis locorum, ut sacerdotes idonei nominentur sive ad Fratrum formationem spiritualem et theologicam adiuvandam sive ad munus cappellani et praedicatoris explendum;

2. Superioribus *propono,*[12] ut sub ductu Ordinarii loci quaerant tum cooperationem utilem aliis cum Institutis, tum coordinationem rationalem operum *harum diversarum* [13] Institutionum. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] aliorum. [2] quorum. [3] substantialiter. [4] de religiosis. [5] (vel non-clericali). [6] praesertim cum plura de episcopis, de sacerdotio, de populo Dei, de laicorum apostolatu, de religiosis in genere, iam a Concilio enucleata sint. [7] habeatur. Quod revera quandoque fieri videtur. [8] Quod quidem evidens est, dato incremento stupendo habitantium per totum orbem terrarum, attentis maioribus partibus educationi pro unaquaque aetate assignatis, perpenso etiam magno influxu saecularistico qui per scholas in mentes iuvenum facili omnino modo exerceri potest. Ad Docentes Religiosos quod attinet, tota vita eorum profecto consumitur, sive in vita religiosa exercenda sive in iuvenum educatione summopere religiosa, morali, totaliter christiana. Ex experientia plurium nationum liquet quantum isti efficere possunt ut fides iuvenum salva fiat, ut sanctitas eorum augeatur, ut sensus vere apostolicus foveatur; ita ut pluribus in nationibus labores Docentium religiosorum spem maximam ad populum Dei in fide et moribus conservandum praeseferant. [9] deest. [10] non-clericalibus etiam. [11] Denique, ut hoc opus apostolicum magis crescat. [12] autem. [13] diversorum harum.

5

Exc.mus P. D. ANTONIUS BARANIAK
Archiepiscopus Posnaniensis

Em.mi Praesides et Moderatores, Patres et Auditores Concilii,

Nomine omnium episcoporum Poloniae — *tam eorum qui in aula Concilii congregati sunt, quam eorum qui in Patria remanere debuerunt* [1] — liceat mihi breviter loqui de brevissimo schemate religiosorum vitae in Ecclesia dedicato.

Familiae religiosorum nostris temporibus numerosissimae evaserunt et magnam partem cleri constituunt, ita ut iuste ipsis articuli in schematibus constitutionalibus Concilii Oecumenici dedicentur, quinimmo etiam unum schema propositionum ex integro de religiosis inscribatur.

Sed hoc, post impositas et peractas amputationes — de quibus in relatione adnexa tam abundantes informationes inveniuntur — valde tenue et fere mancum effectum est.

Proinde non schema, sed potius residuum schematis dicendum est.

Perlegenti has quattuor paginas videbatur quod auctores schematis parvi penderent hanc ingentem turmam hominum utriusque sexus, qui in Ecclesia orante et docente, *tam in Oriente quam in Occidente, in omnibus partibus terrae, in missionibus praesertim,*[2] innumerabiles suscipiunt labores et quorum vita indefatigata provocat quaestiones graves in mundo...[3]

Attentionem longe maiorem navitati religiosorum in Ecclesia praestare videntur omne genus adversariorum religionis. Ipsi enim ante omnia destruere conantur familias regulares, quas uti antemurale considerant totius vitae christianae et ecclesiasticae.

Hinc — ut nemo est qui non *sciat* [4] — obstacula ponunt ne religiosi in cura animarum occupentur, religiosos et sorores excludunt ab instructione catechetica infantibus impertienda, domus educationis ipsis auferunt, ad laborem samaritanum in nosocomiis et valetudinariis eos non admittunt, quaecumque bona ipsis tollunt, habitationibus propriis eos privant; nec desunt loca, ubi integrae familiae religiosorum dispersae *vagantur,*[5] et sodales vitam misere degunt nec ullo modo fines, de quibus in art. 31 schematis *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* sermo fit, prosequi valent.

Hostili incursioni atheisticae apparent familiae religiosae uti acies bene ordinata pro Christi iuribus dimicans, proinde ante omnia eas

destruere contendunt. Religiosos furoris fanatici accusant et tamquam « tolerantiae » hostes et cuiuscumque concordiae incapaces quamprimum de medio tollere volunt.

De his omnibus altum silentium servatur in schemate — iuxta categorias vitae ordinariae composito.

Quod ceterum bonum est et valde utile et *intensive* nostro tempori satis aptatum, sed *extensive* vix plusquam dimidiam partem mundi amplectens.

Cavendum est, *Patres,*[6] ne iis, qui per odium et per contemptum ex parte huius mundi materialistici atque per iniquas legislationes ad mortem condemnantur, per solemne silentium conciliaris consessus sepultura praeparetur. Et nunc paucis verbis aliquae conclusiones de iis rebus, quae schemate perfectius tangi deberent...[7]

1. Religiosi gaudent privilegiis et exemptionibus. De *exemptione* religiosorum partim sermo fit in schemate *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* quoad curam animarum. Num satis clare et sufficienter? Spectat ad Concilium rem multoties expetitam aliquatenus pro exigentiis nostri temporis stabilire et definire.

Observare velim *ad hunc punctum*[8]: Cum religiosi in persecutione positi ad episcopos recurrunt et apud eos adiutorium et defensionem implorant... tunc non fit sermo de eorum exemptione ab auctoritate episcopali. Cur autem in favorabilioribus sibi adiunctis tam saepe provocant ad omnimodam independentiam ab hac normali auctoritate in Ecclesia?!

2. Valde placent ea, quae succincte dicuntur de alumnorum regularium institutione, quae ceterum iam dudum a S. Congregatione de Religiosis vario modo proponuntur et exiguntur. Attamen saepe — ut videmus — praescripta Sacri Dicasterii non observantur. Proinde apparet, quod debilis et modesta cohortatio quae in n. 14 schematis invenitur, haud sufficiens erit ad praecavendas graves omissiones in hac materia. Non semel enim regnat mos inter regulares, ut contracta studia sic dicta « domestica » et valde abbreviata sufficere opinentur ad universam formationem theologicam et pastoralem.

Quapropter necesse est, ut iura Ordinarii loci clare indicentur et obligationes eius enumerentur in studiis perficiendis et examinibus instituendis num religiosi sacerdotes pro ministerio pastorali satis apti sint...[9]

3. Aliis praetermissis, animos Patrum convertere volo ad quosdam articulos schematis, qui videntur simpliciter deprompti ex antiquis libris asceticis religiosis, nec ullam relationem habere cum iis, quae scripta et

dicta fuerunt de Ecclesia *huius* temporis: v. g. articulum sub n. 10 in pag. 12-13, ubi verba textus *inveniuntur*[10]: « Ad paupertatem religiosam quod attinet, haud sufficit superioribus subiici in usu bonorum, sed oportet etiam ut sodales re et spiritu sint pauperes ». *Haec*[11] videntur quasi desumpta ex foliis periodicis eorum, qui Ecclesiam debellando, *realiter* religiosos iacturam bonorum subire constringunt, verbis ipsis innixi quae in praesenti schemate *sanciunt*.[12]

E contra germana notio « paupertatis » rite tradenda est nostraeque aetati congruens. Pro Ecclesia nostri temporis, in quo vivimus, opus est ut articulus de quo est sermo sonet totaliter aliter, nempe *e. g.*[13] quod paupertas evangelica religiosorum, quae diversimode in vitae usum deduci potest, minime impedit quominus familiae religiosae possideant bona huius mundi, domos, scholas, et etiam fundos, dummodo haec cum spiritu paupertatis administrentur...[14]

Propter defectum temporis[15]: *Conclusio*. Ex his quae nunc exposita sunt, nemo est qui non videat quod revera schema Patribus Concilii propositum est nimis breve, et aliud desideratur magis completum, in quo inducenda videntur haec quae *diximus*,[16] ut hi perutile ac validum auxilium praebere possint Sacrae Hierarchiae et Ecclesiae universae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Quae animadvertenda hic dico, non in modum advocati religiosorum proferre audeo — cum nemo me ad tale munus asciverit — sed potius qua observator attentus et in materia satis superque versatus. [4] videat. [5] sunt. [6] deest. [7] licet breviter et per compendium. [8] deest. [9] Persaepe enim quae in Codice Iuris Canonici iam inveniuntur, uti iniusta a religiosis reputantur. Non semel praescripta tirocinia pastoralia aegre acceptantur vel omnino non observantur. [10] deest. [11] deest. [12] inveniuntur. [13] deest. [14] et pro finibus ab approbata institutione indicatis, neque religiosi aspectum paupertatis amittant et vitam ducant quae revera vitam modestam et pauperem exprimat. Profecto, bona multa et ingentia requiruntur uti media pro plurimis et permagnis operibus educationis et caritativis, quae a religiosis exercentur. In hac re potius applicetur lex caritatis et amoris fraterni, quae dum ex una parte reprobat abusum bonorum temporalium in una provincia religiosorum, ex altera parte suadet mutuum adiutorium alius provinciae, in qua miseria et inopia mediorum impedit quominus religiosi vitam humanam degant. 4. Alia res quae schemate tangi deberet, licet breviter et per compendium, est illa de « oboedientia » religiosorum, de qua si velimus instrui, quaerendum est in schemate *de vita et ministerio sacerdotali,* sub n. 2, pag. 9, ubi ceterum specimen definitionis potius negativae per accidens praebetur, dum in textu asseritur « oboedientiam sacerdotalem *natura sua* differre ab ea quae religiosis vel laicis convenit... ». Profecto, si quis cognitionem quandam status religiosorum sibi comparare voluerit, non parvum laborem subire deberet. Res

enim de religiosis valde dispersae sunt v. g. *a*) in schemate *de episcoporum munere in Ecclesia,* pag. 45-48, sunt quaedam de relationibus inter episcopos et religiosos quoad curam animarum; *b*) in schemate *de apostolatu laicorum,* pag. 17, lin. 6, sermo est de religiosis in operibus apostolatus. Et similia. Et alibi alia.
[15] deest. [16] supra dixi de religiosis.

6

Rev.mus P. D. IOSEPH VAN KERCKHOVEN

Superior generalis Missionariorum Ss.mi Cordis Iesu

Venerabiles Patres,

Brevem liceat mihi sermonem facere de vita religiosa activa de qua tractatur in n. 6.[1]

1. In Congregationibus Religiosis vitae activae *actio apostolica essentialiter* pertinet ad vitam religiosam, ut vita est religiosa.

In hac forma vitae religiosae, a Spiritu in Ecclesia suscitata et ab auctoritate Ecclesiae publice agnita ut modus authenticus vivendi secundum consilia evangelica, actio apostolica non est aliquid superadditum, secundarium vel accessorium, sed ad ipsam intimam naturam huius formae vitae pertinet.

Consecratio peculiaris, quae vitae religiosae propria est, eo tendit secundum verba Summi Pontificis Pauli VI, « ut caritas augescat et ad absolutionem perducatur » ...[2]. Haec autem caritas ita Deo adhaeret, ut simul proximus in Deo diligatur. Et ideo haec consecratio non solum relationem ad Deum dicit et creat, sed etiam servitium proximi importat iuxta vocationem, quam quisque a Deo accepit. Pro sodalibus Congregationum vitae activae hoc significat, quod ipsa caritas, in quam consecratio eorum vitae religiosae dirigitur, eos secundum eorum vocationem propriam impellit ad contemplata aliis tradenda et ad vitam suam iuventuti, infirmis, missionibus, aliisque operibus caritativis impendendam. Ex quo sequitur, quod ipse eorum labor apostolicus, sancte peractus, ad caritatem pertinet, in qua Deo uniuntur et finem vitae suae religiosae attingunt.

Proinde actio apostolica ad intimam huius vitae religiosae constitutionem pertinet.

2. In his ergo Institutis vitae activae, tota vita religiosa spiritu apostolico imbuatur, totaque actio apostolica spiritu religioso informetur oportet.

Hanc ob rem ordinatio talis vitae ita construenda est, ut « Regula » *et regulae religiosae*[3] actioni apostolicae *accommodentur*[4], et, nedum

huic impedimentum sint, eius potius virtutem sanctificatricem et salvatricem in Ecclesia *foveant.*[5]

Per Regulae enim eiusque ordinationum observantiam ipse finis vitae religiosae attingitur atque in praxim deducitur. Consequenter Regula religiosa Instituti vitae activae tali modo componenda est, ut opera quae ad naturam talis Instituti pertinent, illa adiuventur atque fulciantur, utque ad maiorem efficientiam ac meliorem frugem adducantur. Utique, pericula sic dicti « activismi » novimus, sed nefas esset actionem apostolicam ut merum periculum habere, vel ut impedimentum sanctificationis propriae, cum e contra non tantum huius instrumentum potentissimum esse possit ac debeat, quia apostolatus apostolum sanctificat, sed etiam ad ipsam formam sanctitatis in his Institutis pertineat.

3. Quia theologia de vita religiosa hanc specialem formam in eius elementis specificis non satis prae oculis habere solet, desideratur adhuc elaboratio *theologiae vitae activae,* eiusque spiritualitatis. Ex carentia talis theologiae provenit, quod plerumque Constitutiones Congregationum tam virorum quam mulierum, quae saeculo praesertim XIX in Ecclesia ortae sunt, postquam in *initio, in primo vel secundo capite,*[6] de activitate apostolica ut de fine specifico loquuntur, generatim parum vel nihil habent de apostolatu in Regulis, quae praxim votorum, vitam communem, formam regiminis ordinant.

Tamen, paupertas religiosa, e. c., non solum consideranda est ut impedimenta propriae sanctificationis removens, sed etiam proponenda in suis exigentiis et in suo valore quoad vitam apostolicam ...[7]. Qui « evangelizare pauperibus » missus est, pauperem vitam ducat oportet, atque instrumentis apostolatus utatur cum evangelica simplicitate congruentibus. Ut aliud exemplum afferamus: neminem fugit, missionariis qui saepe soli et a consodalibus remoti ministerium suum explent, « vitam communem » non eodem modo imponendam esse ac religiosis qui magnis conventibus inhabitant. Optimi tamen sunt religiosi, atque consilia evangelica paupertatis, castitatis, oboedientiae saepe modo heroico observant. « Vita communis » missionariorum consistere nequit in materiali cohabitatione sub uno tectu, sed est potius cohaesio cum Congregatione et cum Fratribus suis, qua, ut membra eiusdem Societatis et simili modo vivendo, opus apostolicum sibi commissum *collegialiter*[8] exsequuntur.

Liquet autem haec omnia nullo modo contraria esse orationis studio, vel pietatis exercitiis, quae in huiusmodi vita peculiari ratione etiam apostolica, maxime necessaria sunt.[9]

4. Textus Constitutionum harum Congregationum, secundum normas anno 1901 editas confectus, generatim incipit loquendo de sancti-

ficatione propria membrorum sive de fine generali; dum finis apostolicus specificus, qui totam sodalium vitam inspirat — non exclusa praxi votorum —, quique ratio est, cur iuvenes haec Instituta ingrediantur, solummodo « secundo loco » ponitur. Theologice et praesertim psychologice talis praesentatio rerum non est recta, atque causa videtur disiunctionis ac disharmoniae inter vitam spiritualem et actionem apostolicam. Religiosi vitae activae sanctificationem propriam nullo modo parvipendunt, sed momentum ponderosum et verus stimulus eorum vitae est in Regno Dei dilatando atque in proximo *inserviendo.*[10] Id quod eos movet, ut se Deo consacrent in vita religiosa est praeprimis Regnum Christi, sublevamen pauperum ac servitium fratrum.

Concludo.[11] a) *In votis est ut schema*[12] clarius in lucem ponat indolem propriam vitae religiosae activae, cuius elementum essentiale est apostolatus, ita ut theologia vitae religiosae activae inde evolvi *atque elaborari*[13] queat, et, ut in revisione Constitutionum Congregationum vitae activae apostolatus appareat ut inspiratio vitae religiosae. b) Tandem in textu ...[14] ponatur: « In Institutis tam virorum quam mulierum vitae activae vera vita religiosa ita coniungitur cum eorum actione apostolica, ut formam propriam vitae religiosae constituat ». Et: « Tota haec vita religiosa spiritu apostolico imbuatur, tota vero actio apostolica spiritu religioso informetur ». Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (*L'Osservatore Romano,* 24 maii 1964). [3] religiosa. [4] accommodetur. [5] foveat. [6] In cap. I. [7] determinatae Congregationi propriam. [8] deest. [9] deest. [10] opem ferendo. [11] Votum. [12] ut n. 6 schematis. [13] deest. [14] n. 6.

Moderator: Velint Patres in sedibus remanere, quia infra quibusdam minutis interrogatio fiet.

7

EXC.MUS P. D. PETRUS FIORDELLI
Episcopus Pratensis

Venerabiles Patres, dilecti Fratres et Sorores,

Schema nostrum, si ad mentem commissionis de laboribus coordinandis breve omnino esse *debebat,*[1] substantialiter mihi probandum videtur. Ego unam tantum animadversionem facere velim, hanc autem nomine 82 *episcoporum.*[2]

Tituli sive « De Religiosis », sive « De accommodata renovatione vitae religiosae », omnino non placent. Et praecise quia non includunt[3]

illam novam consecrationis formam, quam Ecclesia in persona Summi Pontificis Pii XII ...[4] sollemniter adprobavit, scil. *Instituta Saecularia.*

Ego intelligo difficultatem inveniendi titulum, qui simul complectatur tum religiosos tum sodales Institutorum Saecularium.

Etenim Instituta Saecularia, ex una parte, nempe quod spectat apostolatum, potius ponenda essent ubi « de apostolatu laicorum »; ex altera parte, nempe quod spectat statum suae consecrationis, ponenda essent ubi *de religiosis.* Sed, proh dolor!, Instituta Saecularia in utroque schemate neglecta sunt.

In schemate *de apostolatu laicorum,* nullum de eis verbum; in schemate *de religiosis,* tantummodo nomen citatur in prooemio cum verbis « indole propria servata », et postea in toto schemate nihil amplius dicitur. Etiam in cap. VI *de Ecclesia,* ubi agitur de animis Deo consecratis per consilia evangelica, de eis nulla mentio fit. Quod probandum non videtur.

Puto quod nostrum Concilium, quod finem sibi praestitit essentialiter pastoralem, et quod manifestatio esse vult perennis iuventutis Ecclesiae, quae sese accommodat novis semper conditionibus et exigentiis mundi ut mundum Christo lucrifaciat, aliquid amplius de Institutis Saecularibus dicere debuisset.

Revera Instituta Saecularia, quae tantummodo ante paucos annos, scil. die 2 februarii anno 1947 a Summo Pontifice Pio XII adprobata sunt, per Constitutionem Apostolicam *Provida Mater Ecclesia,* statim in universa Ecclesia floruerunt et, ni fallor, tum a Sacra Hierarchia, tum a populo christiano bene visa sunt.

Placet recolere verba Summi Pontificis Pii XII, *qui solemniter proclamavit*[5]: « Instituta Saecularia non sine speciali Divinae providentiae afflatu condi coeperunt »...[6]

Revera statim ac Instituta Saecularia a Sancta Sede adprobata sunt, multae floruerunt vocationes, quae magnum bonum in Ecclesia *procuraverunt,*[7] tum collaborantes proprio ipsorum modo apostolatui sive laicali sive sacerdotali, tum complentes, semper suo ipsorum modo, pretiosum apostolatum religiosorum et religiosarum.

Ergo cum multum locuti simus, et merito, de laicis, et sufficienter hic de religiosis loquamur, non bene videtur quod fere nihil de Institutis Saecularibus dicatur.

Ego quidem intelligo difficultatem componendi sodales Institutorum Saecularium sive cum laicis in genere sive cum religiosis.

Ipsi enim non sunt communes laici. Ipsi desiderio ducti consecrandi Christo totum mundum et animas fratrum salvandi, totaliter se Christo in mysterio Ecclesiae devoverunt. Consilia Evangelica in saeculo exse-

quenda susceperunt, et quidem cum officiali recognitione Ecclesiae. Per votum vel iuramentum castitatis formaliter sacri facti sunt, scil. Christo « consecrati », et eorum anima Christi sponsa facta est. Secundum verbum Pauli, ubi de sacra virginitate ad Corinthios prima, cap. 7, etsi « in saeculo vivant, et veluti ex saeculo » apostolatum exerceant, tamen cogitant solummodo quae Domini sunt, et quomodo placeant Deo, sancti corpore et spiritu.

Ergo cum communibus laicis, etsi tantae dignitatis laici in Ecclesia sint, poni non possunt.

Sed neque cum religiosis, cum natura Institutorum Saecularium profunde differat a natura status *religiosi,*[8] qui utique sub omni respectu venerandus est et pro Ecclesia sicut heri sic hodie maxime pretiosus.

Instituta Saecularia, ut dicit Pius XII, ...[9] « in saeculo et veluti ex saeculo » apostolatum catholicum maxime varium exercent, valde diversum tum in obiecto, tum in methodo, tum in modo ab apostolatu religiosorum.

Ad mentem documentorum Sanctae Sedis, nota peculiarissima Institutorum saecularium est « *saecularitas* », quae non tantummodo habitum saecularem attingit, sed totam mentalitatem, scil. totum habitum cogitandi, et loquendi et conveniendi tum homines tum humana omnia. Unde ad modum conclusionis haec dicere velim:

1. In schemate saltem una paragraphus ponatur expresse Institutis Saecularibus dicata. Schema in n. 5 agit de Institutis vitae contemplativae, in n. 6 de Institutis vitae activae. Addatur numerus de Institutis Saecularibus.

2. Titulus « De accommodata renovatione vitae religiosae » vel « De Religiosis » omnino immutetur ...[10]. Documentum Conciliare decet maximam proprietatem verborum. Studeat commissio qualis esse possit novus aptus titulus. Numquid, e. g. « De fidelibus totaliter Deo consecratis », vel simpliciter « De Consecratis », vel verbo sumpto a S. Paulo « De Sacra Virginitate »? *Videat commissio.*[11] Sed quicumque sit titulus, talis esse debet, qui comprehendat tum consecratos religiosos tum consecratos qui uti tales ab Ecclesia recognoscuntur et tamen religiosi non sunt. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] debet. [2] Patrum. [3] Schema, quod antea vocabatur « de statibus perfectionis acquirendae » postea titulum « de religiosis » assumpsit, et nunc « de accommodata renovatione vitae religiosae ». Duo ultimi tituli non placent. Et non tantum quia quis dicere posset quod terminus « vita religiosa » omnibus baptizatis convenit, sed specialiter quia non includit. [4] die 2 februarii 1947. [5] in Constitutione *Provida Mater Ecclesia* et in Motu Pro-

prio *Primo feliciter.* [6] (*Provida Mater Ecclesia,* n. 9). « Primo feliciter elapso anno a promulgata Apostolica nostra Constitutione *Provida Mater Ecclesia,* cum ob oculos multitudinem habeamus tot animarum absconditarum " cum Christo in Deo " quae in saeculo ad sanctitatem adspirant, totamque vitam " corde magno et animo volenti " in novis Institutibus Saecularibus, laetanter Deo consecrant, facere non possumus quin Divinae Bonitati gratias referamus, de novo hoc agmine, quod exercitum consilia evangelica profitentium in saeculo adauxit; itemque de valido subsidio quo nostris hisce perturbatis luctuosisque temporibus catholicus apostolatus providentissime roboratus est » (*Primo feliciter*). [7] provocaverunt. [8] vitae religiosae. [9] in Motu Proprio *Primo feliciter.* [10] etiam ne videatur Concilium comprobare falsam ideam quae quandoque apud fideles recurrit, quod scil. sodales Institutorum Saecularium sint veluti crypto-religiosi et crypto-religiosae. Certo. [11] deest.

8

EXC.MUS P. D. AEMILIANUS ČEKADA
Episcopus Scopiensis

Venerabiles Fratres,

Deliciae mihi non sunt loqui de hoc schemate. Non ideo quia ...[1] parvi aestimem statum religiosum. At contra: ob id ipsum, quia maximi facio homines Dei, qui ad perfectionem christianam totis viribus tendunt quorumque partes in Ecclesia Christi ab omnibus agnoscuntur. Sunt enim religiosi phalanx Ecclesiae militantis, terribiles ut acies bene ordinata veritatis evangelicae inimicis. Attamen, hoc non significat religiosos eo ipso, quod pertinent ad statum perfectionis, esse undequaque perfectos. Homines enim sunt, non angeli, ideo et pro ipsis valet vox Sapientis: « Homo sum, nihil humani a me alienum puto! ».

Hisce per modum introductionis dictis, meam intentionem tandem patefaciam: vellem loqui de *exemptione religiosorum.* De exemptione quidem, cuius mentionem in hoc schemate non invenio...[2]

Antiqui dixerunt: Amicus Plato, amicus Cato, magis amica veritas! Accedamus ergo audacter ad hanc quaestionem spinosam.

Non est opus exemptionem religiosam hic definire. Omnes enim scimus, religiosos qua tales subductos esse ab episcoporum iurisdictione suisque superioribus vel Sedi Apostolicae immediate subiectos. Quamvis in Ecclesiis Orientalibus haec institutio ignoratur, in Ecclesia catholica ea iam a saeculis viget, non sane sine rationibus condignis. De his discordes non sumus.

Res evadit controversa, cum haec exemptio in cura animarum ad praxim deducatur. Bonus episcopus, optimi religiosi — tamen persaepe

in hac materia altercantur. Ex utraque parte vindicantur iura, citantur privilegia, in medium adducuntur argumenta theologica. Causam huiusmodi iurgii haud difficile invenies: est enim dualismus iurisdictionis canonicae seu duplex iurisdictio super uno eodemque subiecto exercenda. Ex utraque parte — superioris religiosi et episcopi — exigitur oboedientia canonica, ex utraque parte urgetur disciplina ecclesiastica, ex utraque parte exposcuntur tributa pro seminario. Estne mirum, has duas iurisdictiones interdum in alterutrum congredi, alteram alteri adversari? Est lex physica, duo corpora non posse in uno eodemque loco simul stare. Haec lex valet etiam pro campo iuridico. Compenetratio potestatum iurisdictionis, quarum utraque ad totalitatem tendit, in eodem subiecto est moraliter impossibilis.

Hic conflictus iurium et potestatum in praxi diversissime manifestatur, ita ut semper non sit facile obtemperare mandato apostoli de servanda « unitate spiritus in vinculo pacis »...[3]

Peius omnium est hunc spiritum divisionis de vertice descendere ad animas seu personas simplices, quae cum regimine ecclesiastico nihil commune habent. Ut exemplum quoddam adducam: Berta, soror piissima, suadens matri catholicae ut filium suum mitteret in seminarium cuiusdam congregationis, velut rationem maxime evincentem adduxit hoc: episcopus eum ne digito quidem tangere poterit!...[4]

Haec non dixi, ut querelam de exemptionis religiosae incommodis ad tribunal Concilii deferam. Haec attuli, ut medicinam huic malo communi unitis viribus inveniremus. Quam medicinam, quaeritis? Schema *de pastorali episcoporum munere* medicamina quaedam iam commendavit. Inter alia, ut « statis temporibus et quoties id opportunum videbitur, episcopi et superiores religiosi conveniant ad negotia tractanda, quae universim ad apostolatum in territorio pertinent » ...[5]. Sane pulchre sunt illa dicta, sed nimis generaliter. Sicut et alia pulcherrima, quae commendantur circa relationem episcopi et religiosorum in mutua caritate et concordia.

Hoc non obstante, conveniant episcopi et superiores religiosi. Non tamen, ut discussiones longas et morosas inter se texant, sed ut modos concretos proponant et inveniant pacificae, ut ita dicam, coexistentiae inter elementum hierarchicum et elementum monasticum in cura animarum. Determinentur iura, constituantur obligationes cleri religiosi, sanciantur competentiae superiorum Ordinis eorumque privilegia taxative nominentur. Omnino concrete, non modo vago, sine ambiguitate. Cum res ita composita fuerit, mittantur propositiones ad Sanctam Sedem, quae pacta conventa vel rata faciet vel reformabit iuxta suam experientiam et sapientiam a Deo sibi datam. Ita hae stipulationes et regulae mox

obtinebunt vim legis pro utraque parte. Vacuum iuris in hac materia non est de bono nec bono servire potest.

Tunc nec uni quidem episcopo obveniet istud, quod una vice obvenit mihi interroganti quemdam religiosum, quo iure fecisset aliquam rem. « Ex privilegio nostrae Societatis », respondit. « Potesne mihi dare elenchum privilegiorum, quibus tua Societas fruitur? » — interrogavi ulterius. « Hoc est nostrum secretum », erat ultimum dictum boni, immo optimi sacerdotis.

Mihi persuasum est, cum omnia ita determinata fuerint, fore ut inter hierarchiam et clerum religiosum tollantur dissidia, cessent iurgia. Estne, quaeso, quidquam magis humanum in vita Ecclesiae quam ius praecedentiae inter praelatos Curiae? Et tamen, nullae dissensiones inter nos umquam oriuntur, cum gradus praecedentiae iure canonico sint sanciti. Ita e. g. nos episcopi vel archiepiscopi sine invidia omni die inspicimus Primates distinctissima loca in aula conciliari occupare, etsi eorum tituli primatiales iam dudum mere honorifici facti sunt.

Fertur saeculo elapso in quadam Provincia ecclesiastica hodiernae Jugoslaviae commota esse dissensio inter episcopum, vicarium apostolicum, et eius missionarios. Et cum dissensio culmen attigerit, patres missionarii, qui ad eundem ordinem ac eorum episcopus pertinebant, sic potestatem sui episcopi definire conati sunt: « Tuum est benedicere et consecrare, nostrum est regere et gubernare! ».

Sane, mea opinio non est, ut competentia...

Moderator: Velis concludere, Pater!

Orator: Sic! ... ut competentia canonica episcopi, etiam in paroeciis religiosis concreditis, tantum ad benedicenda et consecranda limitetur. In cura animarum auctoritas episcopi principales partes occupet oportet. Doctrina autem, quae ex eventu enarrato nobis eruenda est, in hoc consistit: Iura ac officia in paroeciis religiosis concreditis bene determinentur. Unice hoc modo exemptio religiosa suum verum locum suumque effectum ab Ecclesia intentum obtinere poterit. Et licet nobis episcopis solum ius benedicendi et consecrandi relictum fuerit, fiat... tantum, ut hoc iure pacifice et tuta conscientia uti possimus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] schema mihi non placeat. In genere placet. Neque ob eam causam, quia. [2] Qua de causa, nescio. Forte propterea, quod iam in schemate *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* quaedam dicta sunt de hac re. Tamen omnia ista mihi videntur nimis generaliter et incomplete dicta, prolata quoque eleganti quadam arte evitandi ea quae in hac materia odiosa esse possent. [3] (*Eph.* 4, 3). [4] Est hoc, sine dubio, tantum elementum hu-

manum in Ecclesia, sed cum omnes homines simus, hoc elementum inter nos abundat. In bonum Ecclesiae et animarum? Certe non. [5] (cf. schema *de pastorali munere episcoporum in Ecclesia,* pag. 21, n. 6).

Moderator: Patres velint audire! Moderatores existimant quaestionem esse ponendam: utrum placeat Patribus finem imponere disceptationibus *de accommodata renovatione vitae religiosae?* Qui finem vult imponere, surgat; secus remaneat in sede sua.

[*Intervallum. Patres surgunt*].

Gratias. Loquatur secretarius generalis.

Secretarius generalis: Nunc proponitur vobis, Patres venerabiles, suffragatio quae iam initio huius congregationis nuntiata est. Suffragatio fiet per schedas. Quaesitum est hoc: « An placeat Patribus ut, post disceptationem schematis *de accommodata renovatione vitae religiosae,* transeatur ad suffragationem faciendam? ».

Lego ad claritatem etiam explicationem, quae est in folio initio huius Concilii vobis Patribus distributo « Si responsio Patrum... [*cf. vol. III, pars I, p. 58*]:

Hic est sensus nostrae hodiernae suffragationis. Responsio, uti patet, potest esse tantummodo *placet* vel *non placet.* Gratias.

Moderator: Interim transitus fit ad disceptationem *de institutione sacerdotali.* Et audiamus relatorem, exc.mum D. Ioseph Carraro, ep. Veronensem. [*Intervallum*].

Secretarius generalis: Antequam Patres dent schedam, expectent relationem exc.mi D. relatoris, qui est nuper nuntiatus ab em.mo moderatore.

Replicationem faciet circa schema *de accommodata renovatione vitae religiosae* exc.mus D. McShea.

EXC.MUS P. D. IOSEPH McSHEA
Episcopus Alanopolitanus

RELATIO CONCLUSIVA

Venerabiles Patres,

Observationes vestras circa schema propositionum *de accommodata renovatione vitae religiosae* decursu huius disceptationis prolatas, intento animo, magnaque cum aestimatione, Patres commissionis de reli-

giosis audierunt et, pro iisdem quae de vestra pastorali sollicitudine erga religiosos et religiosas auctissime testantur, sensus suae gratitudinis voce mea libenter pandunt, cum proposito iis utendi ad schema perficiendum.

Aliqui e Patribus schema reficiendum esse dixerunt. Liceat tantum dicere quod rationes allatae plerumque a commissione accurate perpensae fuerunt. De cetero, munus vitae religiosae in Ecclesia Christi iam habetur in constitutione *de Ecclesia,* cuius cap. VI ab ipsa commissione praeparatoria de religiosis expostulatum est et communi consilio elaboratum fuit. Munus autem apostolatus religiosorum, sub regimine episcoporum et quidem de exemptione religiosorum, saltem in lineis generalibus, tractatur in decreto *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* et pariter communi consilio confectum est.

Ceteri qui suas observationes protulerunt ad illud emendandum, complendum vel perficiendum implicite illud substantialiter acceperunt seu ut dicitur, iuxta modum. Absque dubio observationes iam factae in aula, vel in scriptis vel adhuc faciendae in suffragationibus iuxta modum, attente examinabuntur a commissione et ad textum praesentem locupletandum adhibebuntur.

Recolendum est quod facta distinctione inter aspectum theologicum et iuridicum status perfectionis acquirendae, tractatione sub aspectu theologico ad constitutionem *de Ecclesia* remissa, cuique clare apparet aspectus praevalenter iuridicus nostri schematis.

Schema, ut patet, complectitur cum Societatibus vitae communis et Institutis Saecularibus Religiones sive votorum solemnium sive votorum simplicium, sine distinctione inter cives religiosos primae vel secundae classis.

Non pauci queruntur de nimia schematis brevitate, quasi ponderoso momento status perfectionis et institutorum religiosorum in mundo non esset proportionatum neque communi, hac in re, exspectationi adaequate responderet. Iam plures explicationes huius rei in aula datae sunt. Plura, quae causa brevitatis omissae fuerunt, poterunt restitui in textu. Et si de Institutis Saecularibus non habetur distincta propositio, est praecise quia non sunt religiosi in sensu stricto, et insuper explicite in prooemio recensentur inter omnes illos qui perfectionem prosequuntur per professionem votorum. De cetero nemo ex materiali brevitate schematis propositionum decipiatur. Nam propositiones, etsi concise redactae, sunt praegnantes abundantioris materiae, quod eas attente legenti et perscrutanti faciliter patebit.

Quaedam observationes directe respiciunt textum priorem pro quibus textus emendatus iam providet ex toto vel ex parte: de facto, qui

has observationes scripserunt, prae manibus habebant solum et priorem textum.

Multae observationes indolis potius theologicae factae sunt, quae ad schema constitutionis *de Ecclesia* spectant.

Pariter dicendum de aliis quae relationes religiosorum cum episcopis et cum clero dioecesano necnon apostolatum sub moderamine episcoporum respiciunt, de qua materia tractat schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia.*

Aliae observationes ad particularia nimis descendunt, quae sunt reservanda futuris instructionibus vel maxime Codici recognoscendo; e. g., cum Concilium iam statueret de habitu religioso, quod « sit simplex ac modestus, pauper simul ac decens, insuper valetudinis requisitis consentaneus et temporum locorumque adiunctis necnon ministerii necessitatibus accommodatus », nimium esset exspectare ut ulterius loquatur de colore et de forma!

Multi exoptant, merito quidem, ut in schemate explicitis verbis extollatur status religiosus seu perfectionis adquirendae et opera Institutorum in universo mundo.

Quibusdam schema videtur renovationem in Institutis religiosis haud sufficienter vel efficaciter promovere, dum alii queruntur quod nimis ponat pondus in renovatione cum periculo abusivae interpretationis ex qua derivari posset detrimentum authenticae vitae religiosae. Iamvero satis apparet schema exigentiis utriusque rei, nempe restaurationis pristinorum et accommodationis hodiernis temporibus, perfecto aequilibrio respondere, normis quidem concisis prout iussum est, sed praegnantibus ditioris materiae.

Circa propositiones 5 et 6, de Institutis vitae contemplativae et activae, plures factae sunt observationes. Pernotum est quod agitur de doctrina antiquissima, in ipsa rerum natura solide fundata, diuturna praxi in Ecclesia probata, atque a Supremo Magisterio indubie sancita et luculenter inculcata.

Non pauca dicta sunt de paupertate religiosa, speciatim de testimonio paupertatis a religiosis exspectato. Forte hac in re, sicut quando sermo est de Ecclesiae paupertate, non semper debita servatur mensura. Etenim quoad spiritum paupertatis merito omnibus animis christianis, et a fortiori religiosis, proponitur ut ad perfectissimam alienationem a bonis temporalibus sese porrigant. Quando autem sermo est de statu paupertatis, mensura possessionis et usus bonorum nequit omnibus aequalis esse, sed peculiari cuiusque conditione vitae et operae necessario est commensuranda.

Nonnulli Patres timorem manifestaverunt quod propositio 16, quae

praecipit Institutis propria opera servare, impediat debitam religiosorum applicationem operibus apostolatus, prout hodie exigitur. Hoc tamen non est intentio neque sensus huius propositionis, ut patet ex aliis verbis ipsius propositionis, scil.: « atque temporum locorumque necessitatibus accommodent, opportunis ac etiam novis mediis adhibitis ».

Planum est tamen quod Sorores quae toto die adlaborant in scholis vel in aegrotis ministrandis, expleto munere quotidiano, non possunt ad familias visitandas horis serotinis sese conferre.

Hoc commentum ad observationes Patrum concludendo, liceat animadvertere quod, si de accommodata renovatione vitae et operae religiosae loquamur, non est quia Instituta religiosa universali quadam indigeant reformatione, quasi a propria vocatione ad sanctitatem et apostolatum defecissent. Est potius ad illam duplicem vocationem eorum consolidandam et perficiendam, conditionibusque temporum nostrorum melius aptandam: ut Instituta hucusque adeo merita sibi semper aequalia sint atque pro sua missione in Ecclesia fructus sanctitatis et apostolatus in dies uberiores afferre pergant. Dixi.

Secretarius generalis: Proceditur ergo ad suffragationem. Repeto formulam: « An placeat Patribus ut, post disceptationem schematis *de accommodata renovatione vitae religiosae,* transeatur ad suffragationem faciendam? ». Responsio est: *placet,* vel *non placet.*

Audite, Patres! Summus Pontifex, feria VI proxima, nempe crastina, coram se admittet episcopatus Asiae, sive linguae gallicae sive linguae anglicae. Episcopatus linguae gallicae ex Asia coram admittentur hora 18 cum dimidio.

Lego nationes ex Asia linguae gallicae. Attamen animadvertatis, Patres: si quae natio omittitur, iam comprehensa habetur, et velint repraesentantes harum nationum se conferre, ut iam moris est, ad officium Praefecti Cubiculi Apostolici, tempore opportuno, nempe mane posterae diei.

Ex Asia linguae gallicae sunt: Cambogia, Iraq, Laos, Libano, Siria, Vietnam.

Ex Asia linguae anglicae sunt: Hong-Kong, India, Indonesia, Iran, Malacca, Pakistan, Palestina, Thailandia, Arabia, Birmania, Borneo, Ceylon, Cina, Formosa, Corea, Filippine, Giappone, Giordania. Dixi.

[5]

SCHEMA PROPOSITIONUM DE INSTITUTIONE SACERDOTALI *

DISCEPTATIO

1 – SCHEMA PROPOSITIONUM

[*Prooemium*]. Sancta Synodus, probe noscens omnium Decretorum exsecutionem atque optatam Ecclesiae renovationem a sacerdotum ministerio magna ex parte pendere, gravissimum institutionis sacerdotalis momentum proclamat, eiusque primaria quaedam principia declarat, quibus confirmentur leges iam saeculorum experientia probatae in easque nova inducantur, quae mutatis temporum rationibus aptius respondeant. Quae sacerdotalis institutio ob ipsam catholici sacerdotii unitatem, omnibus sacerdotibus cuiusvis ritus necessaria est; ideoque haec praescripta, congrua congruis referendo, omnibus applicanda sunt.

I. (*De sacerdotalis institutionis ratione in singulis nationibus ineunda*)

1. Cum in tanta gentium regionumque diversitate nonnisi generales leges ferri possint, in singulis nationibus vel ritibus peculiaris « sacerdotalis institutionis ratio » ineatur, ab Episcoporum coetibus statuenda, certis temporibus recognoscenda atque ab Apostolica Sede approbanda, qua leges universales ad peculiaria locorum temporumque adiuncta accommodentur, ut sacerdotalis institutio semper respondeat pastoralibus necessitatibus illarum regionum in quibus ministerium exercendum est.

---

* *In initio huiusmodi fasciculi legitur*: Ss.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in Audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, de quo in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo deliberabitur, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXVII mensis Aprilis, anno MCMLXIV.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

Verba, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur.

II. (*De vocationibus sacerdotalibus instantius fovendis et seligendis*) [5]

2. Quamquam fovendarum vocationum opus ad totam christianam communitatem pertineat, tamen maxime in id conferant oportet tum familiae christianae, quae veluti primum seminarium constituunt, tum sacerdotum exemplum atque apostolicus zelus. Omnia pariter media adhibenda sunt, imprimis precationes christianaeque paenitentiae opera, congrua christifidelium instructio, puerorum iuvenumque christiana institutio ut, qui supernum vocationis donum etiam maturiore aetate acceperint, magno animo eidem respondere valeant.

3. Vigilanti cura inquiratur de candidatorum recta intentione ac idoneitate, de congrua valetudine physica et psychica, de capacitate sacerdotalia onera ferendi, necessaria adhibita severitate, etiamsi lugenda sit sacerdotum penuria, cum Deus Ecclesiam suam ministris carere non sinat, si digni promoveantur, non idonei vero arceantur.

III. (*Seminariorum moderatores melius seligendi et efficacius praeparandi*) [6]

4. Cum alumnorum institutio, in seminariis maioribus et minoribus, ab idoneis educatoribus magis quam a sapientibus legibus pendeat, seminariorum moderatores et magistri ex optimis viris seligantur atque congrua experientia pastorali et peculiari institutione spirituali et paedagogica diligenter praeparentur. Instituta ergo ad hunc finem assequendum vel saltem Superiorum seminariorum conventus statis temporibus celebrandi promoveantur.

5. Ubi singulae dioeceses seminario rite instruendo impares sint, erigantur ac foveantur seminaria pluribus dioecesibus vel universae regioni vel nationi communia ut solidae alumnorum institutioni, quae in hac re suprema lex est habenda, efficaciore ratione consulatur. Haec vero seminaria, si regionalia sint vel nationalia, regantur iuxta statuta ab Episcopis, quorum interest, condita et ab Apostolica Sede probata.

IV. (*Integra institutio fini pastorali cohaerenter aptanda*)

6. Integra clericorum institutio eo tendere debet, ut ad Divini Pastoris exemplar, alumni veri animarum pastores formentur. Quare omnes institutionis rationes, spiritualis, intellectualis, disciplinaris, consociata actione ad hunc pastoralem finem ordinentur, eique assequendo sedulam concordemque dent operam omnes moderatores et magistri, sub Rectoris ductu, Episcopi auctoritati fideliter obsequentes.

[6] V. (*De Institutione Spirituali impensius excolenda*)

7. Institutio spiritualis cum doctrinali et pastorali arcte connectenda ita impertiatur, ut alumni qui per sacram ordinationem Christo Sacerdoti configurandi erunt, amicorum more intima totius vitae consortione Ei adhaerere assuescant; divinam Eius lucem ac vitam ex verbo Dei fideliter considerato et actuosa cum sacrosanctis Ecclesiae Mysteriis communicatione haurire eos doceat; in fide, spe et caritate potissimum ita eos firmet ut, in earum exercitio spiritum orationis sibi acquirant, vocationis suae robur et munimen consequantur, ceterarum virtutum vigorem obtineant et zelo omnes homines Christo lucrifaciendi crescant.

8. Mysterio Ecclesiae clerici ita imbuantur ut sacerdotio aucti proprio Episcopo, tamquam fidi cooperatores laeta oboedientia [7] adhaerentes et sociam cum fratribus operam praestantes, testimonium exhibeant illius unitatis, qua homines ad Christum attrahuntur. Insuper clarissime intelligant alumni se non imperio vel honoribus destinari, sed totos servitio Dei et fidelium ministerio mancipari, in sacerdotali oboedientia et castitate atque in pauperis vitae ratione, qua sua obliviscentes, omnia omnibus fieri satagant. Huius futurae missionis luce tota seminarii ratio perfundatur oportet, ac praesertim discendi ardor, silentii custodia et amor, suique abnegandi exercitium.

9. Christianae educationis normae sancte serventur, et recentioribus sanae psychologiae et paedagogiae inventis rite compleantur. Firma rectae disciplinae principia iuxta alumnorum aetatem ita applicentur ut gradatim sibimetipsis moderari, libertate sapienter uti, sponte naviterque agere et cum aliis sociam praestare operam addiscant. Necessaria a mundo separatio congruam cum familia consuetudinem ac prudentem rerum humanarum experientiam ne excludat, ita ut homines, ad quos mittendi sunt, convenienter cognoscant. Illae quoque virtutes sedulo curentur quae in civili societate magni aestimantur, cuiusmodi sunt animi sinceritas, in agendo urbanitas, assidua iustitiae cura.

10. Ut alumni vocationem imprimis optione mature deliberata amplectantur, Episcoporum erit congruum instaurare temporis intervallum pro impensiore tirocinio spirituali necnon opportunitatem perpendere quandam studiorum interruptionem statuendi ut sacerdotii candidatorum probationi satius consulatur.

VI. (*De studiis praeviis apte ordinandis*) [7]

11. Antequam sacrorum alumni studia proprie ecclesiastica aggrediantur, ea humanistica ac scientifica institutione augeantur, qua iuvenes in sua cuiusque natione ad superiora studia peragenda praeparari solent ac praeterea eam linguae latinae cognitionem acquirant, maxime si de latini ritus alumnis agatur, qua tot scientiarum sacrarum fontes, liturgicos libros et ecclesiastica documenta intellegere et adhibere possint.

VII. (*De studiis ecclesiasticis recognoscendis*)

12. Studia vero ecclesiastica inchoentur generali introductione in mysterium Christi, quod totam generis humani historiam afficit, in Ecclesiam iugiter influit et in ministerio sacerdotali imprimis operatur; ad
idem mysterium alumnorum mentibus magis magisque aperiendum om- [8]
nes disciplinae apte componantur et concordi ratione conspirent.

13. Philosophicae disciplinae ita tradantur ut alumni perennis philosophiae principia clare perspiciant eiusque cohaerentem synthesim acquirant; alia quoque systemata philosophica, praesertim moderna, quae in propria natione maiorem influxum exercent, necnon recentiores scientiarum progressus cognoscant, ut suae aetatis mentem melius percipiant eiusque quaestionibus apte respondere valeant.

14. Universae theologiae Sacra Scriptura veluti anima sit oportet; ex eius accurato studio necnon SS. Patrum totiusque traditionis — spectata etiam eius relatione ad generalem Ecclesiae historiam — mysteria salutis alumni conspiciant, intime penetrent Angelico Doctore magistro; eademque in cultu et vita Ecclesiae praesentia et operantia agnoscere edoceantur, propriae vitae spiritualis reddant alimentum, atque in sacerdotalis ministerii exercitio ad mutabiles rerum condiciones applicare et modo coaevis hominibus aptato communicare discant.

15. Ii vero, qui Episcopi iudicio in superiora studia incumbere debent, ad ecclesiasticas Facultates vel Universitates mittantur, ubi secundum rationem studiorum apte recognitam, methodo scientifica, crebris imprimis exercitationibus sub professorum personali ductu accurate formentur.

VIII. (*De institutione stricte pastorali promovenda*)

16. Pastoralis illa sollicitudo quae integram prorsus clericorum institutionem informare debet, postulat etiam ut alumni diligenter instruantur in iis quae peculiari ratione ad sacrum ministerium spectant,

[8] praesertim in catechesi et praedicatione, in cultu liturgico et sacramentorum administratione, in animarum moderandarum arte, in officio occurrendi errantibus et incredulis, et in ceteris pastoralibus muneribus.

17. Subsidiis quoque uti edoceantur quae disciplinae sive paedagogicae, sive psychologicae, sive sociologicae afferre valent, iuxta rectas methodos et Auctoritatis Ecclesiasticae normas. Item ad apostolicam laicorum actionem excitandam ac fovendam accurate instruantur, necnon ad varias efficacioresque apostolatus formas promovendas; atque eo spiritu vere catholico imbuantur, quo propriae dioecesis, nationis, vel ritus fines transcendere et totius Ecclesiae necessitates respicere assuescant.

[9] 18. Cum vero opus sit ut alumni apostolatus exercendi artem non tantum theoretice, sed etiam practice addiscant, iam inde a studiorum tempore iidem praxi pastorali initientur per opportunas exercitationes, quae pro alumnorum aetate ac locorum temporumque condicione, prudenti Episcoporum iudicio, methodice et sub peritorum magistrorum ductu fieri debent.

IX. (*De institutione post seminarium perficienda*)

19. Cum sacerdotalis institutio, ob recentioris potissimum societatis adiuncta, etiam post seminarium prosequenda atque perficienda sit, Coetuum Episcoporum erit in singulis nationibus aptiora media adhibere, cuiusmodi sunt periodici conventus et accommodatae exercitationes, quarum ope iunior clerus sub aspectu spirituali, intellectuali et pastorali in sacerdotalem vitam atque apostolicam operositatem gradatim introducatur easque in dies magis renovare ac fovere valeat.

[13]

APPENDIX

RELATIO

CIRCA RATIONEM QUA SCHEMA ELABORATUM EST

DE ORIGINE ET INDOLE HUIUS DOCUMENTI

Ex schemate Constitutionis *De Sacrorum alumnis formandis* a Commissione Praeparatoria prius exarato, a Commissione Conciliari vero mense februarii 1963 funditus recognito et iussu Ioannis PP. XXIII mense maii 1963 Patribus Conciliaribus transmisso, in praesenti documento quaedam principaliores « propositiones » exhibentur, secundum mandatum a Commissione de Concilii laboribus coordinandis impertitum litteris die 23 ianuarii 1964 datis:

« Lo schema *De Sacrorum alumnis formandis* sia ridotto ai soli punti essenziali, da presentare in forma di *proposizioni,* sulle quali i Padri Conciliari esprimeranno il proprio voto; il resto sia destinato alla prossima revisione del Codice o a particolari istruzioni da parte della Santa Sede ». [13]

Cui mandatum additum erat sequens monitum:

« Codesta Commissione avrà cura di redigere una relazione esauriente — da stampare in appendice ai nuovi testi — sul lavoro compiuto e sull'esame delle proposte avanzate dai Padri conciliari ».

Commissio igitur de Seminariis, de Studiis et de Educatione Catholica, his normis obsecuta, Vobis paucis exponere intendit, curnam censeat quaestionem de institutione sacerdotali a Concilio Oecumenico tractandam esse; quanam ratione hoc argumentum elaboratum sit in Commissione Praeparatoria et imprimis in ipsa Commissione Conciliari; quaenam fuerit mens Commissionis in redigendis istis paucis, sed momentosis propositionibus quas prae manibus habetis.

A) DE OPPORTUNITATE TRACTANDI DE INSTITUTIONE SACERDOTALI IN CONCILIO OECUMENICO

De Institutione sacerdotali in Concilio opportune, immo necessario tractandum esse videtur. En praecipuae rationes:

1) Concilii centrale thema videtur esse ipsa Ecclesia: eius constitutio, vita intima, operositas in mundo hodierno. In hoc themate centrali formatio futurorum sacerdotum omnino recolenda est, cum ab eorum ministerio Ecclesiae vita et operositas quam maxime pendeant.

2) In votis pro Concilio parando missis plurimi Praesules ardenter petiverunt ut Concilium tractaret de clericorum formatione tuenda, promovenda et hodiernis adiunctis accommodanda, considerato etiam munere evigilandi, [14]
aptius dirigendi et coordinandi laicorum apostolatum.

Quaedam ex multis afferuntur dicta Episcoporum:

« Disciplina et institutio quam perfectissima tam scientifica quam ascetico-apostolica clericorum habenda est inter potiores, ne quidem forte potissima quaestio ex iis quae in S. Concilio examinanda venient » (Ep. Huelvensis).

« Puto ... necessarium Concilium hanc praestantissimam quaestionem tractare omni spatio et studio adhibitis, illa remedia praebendo, quibus nullo semoto authentico progressu, vitae Seminariorum dispositio reguletur iuxta Evangelium et traditionalem spiritum constantissime a Pontificibus Romanis edoctum » (Ep. Illerdensis).

« A Seminario incipiam a quo bonum totius Ecclesiae pendet » (Mauritius Card. Fossati).

3) Quibus Episcoporum optatis correspondet etiam instantissima exspectatio fidelium, qui Concilium eas normas laturum esse sperant, quibus corrigatur quidam defectus formationis sacerdotalis a multis egregiis laicis deplorati.

[14] 4) Secundum mentem Patrum in prima et secunda Concilii sessione manifestatam, in omnibus decretis aspectus pastoralis prae oculis habendus est. Summopere igitur interest ut Concilium ea decernat quibus sacerdotes formentur veri *pastores* ad imaginem Divini Pastoris.

5) Ratio non spernenda invenitur in eo quod quattuor iam expleta sunt saecula ex quo Concilium Tridentinum primum de Seminariis promulgavit decretum, quod tanti momenti factum est pro historia Ecclesiae subsequenti. Quattuor saeculis iam elapsis congruum immo necessarium videtur ut Concilium II novam magnam chartam sacerdotalis institutionis promulget.

Contra ea quae modo perstricta sunt, a quibusdam movetur haec *obiectio principalis*: De formatione sacerdotali habentur iam tot documenta ipsorum Summorum Pontificum vel Dicasteriorum Romanorum. Sufficit ut observentur decreta iam lata.

Respondendum videtur: Habentur quidem iam plura et optima, sed in documentis seiunctis in quibus insuper peculiaria adiuncta et munera a vita Ecclesiae hodiernae et ab ipso Concilio manifestata, nondum plene respici potuerunt.

1) Dum fere ubique laudabilia fervent studia renovandi clericorum institutionem, opportuna videtur enuntiatio compendiosa principiorum vere generalium, quae ab omnibus servari debent. Concilium Oecumenicum vero illas normas generales facilius dare potest ob duas rationes:

a) In Concilio repraesentantur Praesules totius mundi ita ut efficacius determinari possit id quod sit vere universale.

b) Concilium gaudet auctoritate in universam Ecclesiam, dum decreta SS. CC. de Seminariis et Studiorum Universitatibus vel De Propaganda Fide vel pro Ecclesia Orientali nonnisi aliquam partem Seminariorum respicere possunt.

[15] 2) Ex altera parte haec eadem generalia principia ita enuntianda sunt, ut necessitates a conditionibus mundi hodierni invectae in formandis sacerdotibus efficaciore ratione respiciantur. In Concilio autem hae necessitates plenius manifestari possunt.

3) Denique, secundum mentem generalem Concilii Vaticani II, documentum de institutione sacerdotali huiusmodi sit oportet, ut unitatem in necessariis et respectum ad condiciones quam maxime varias melius contemperet; competenti igitur auctoritati ecclesiasticae territoriali committatur munus principia generalia locorum circumstantiis accommodandi, ut sacerdotalis institutio efficacius respondeat necessitatibus pastoralibus illarum regionum in quibus ministerium exercendum erit.

B) QUA RATIONE SCHEMA ELABORATUM SIT [15]

I. In Pontificia Commissione Praeparatoria

Pontificia Commissio Centralis, cum explicita Summi Pontificis Ioannis XXIII approbatione, Commissioni Praeparatoriae « de Studiis et Seminariis » concredidit munus tractandi de vocationibus ecclesiasticis promovendis necnon de institutione spirituali, de disciplina, de ratione studiorum, secundum recentioris vitae sacerdotalis et operositatis pastoralis necessitates, prae oculis quoque habitis erroribus et periculis quae hodie iuniori clero insidiantur. Hisce normis obtemperans Commissio patienti labore exaravit Schema Decreti « de Vocationibus ecclesiasticis fovendis » et schema Constitutionis « De Sacrorum alumnis formandis ».

1. In priore schemate, urgente *vocationum sacerdotalium* necessitate ac penuria presse evocatis ac instanti praemisso monito ut ipsi vocati libere et generose Dei vocem sequantur, Ecclesiae universae impensissima exquiritur adiutrix opera in fovendis, tuendis et provehendis vocationibus sacerdotalibus. Indicatis praecipuis huius communis operae subsidiis, arcta omnium virium consortio atque iuvamen regionibus maxime sacerdotum expertibus praestandum expetuntur.

Commissio Praeparatoria, accurato instituto examine, nihil voluit decernere de duabus quaestionibus quae praesertim in aliquibus locis agitantur.

a) De habitudine elementi divini et elementi ecclesiastici in notione vocationis sacerdotalis determinanda. Nam etiam post Constitutionem Apostolicam Pii PP. XII « Sedes Sapientiae » (31 maii 1946, *A.A.S.*, 48 [1956], p. 357) auctores recentiores minime conveniunt in definienda necessitudine inter utrumque elementum. In ipsa Commissione Episcopi generaliter elementum ecclesiasticum premebant, ceteri vero totalem primatum actionis divinae magis efferre satagebant. Omnibus perpensis, Commissio abstinere voluit ab omni determinatione qua species alicuius veluti definitionis ingeri potuisset. Quare in schemate decreti mense ianuarii 1962 typis edito essentialia vocationis sacerdotalis elementa quidem proferuntur, sed modo descriptivo et in contextu paraenetico. Ceterum patebat, rem potius ad Commissionem Theologicam [16]
deferendam fuisse, si determinatio vere doctrinalis danda esset.

b) Etiam altera quaestio disputata de obligatione sequendi vocationem divinam certe cognitam attente considerata est a Commissione Praeparatoria; sed fere unanimis sententia fuit, Patribus proponendum non esse, ut hanc quaestionem hucusque libere disputatam dirimerent. Schema igitur *et* libertatem a qualibet coactione vel indebita interpositione externa premit *et* ipsos vocatos hortatur, ut animo volenti vocationem divinam sequantur.

Ipsi quoque Commissioni Conciliari opportunum visum est utramque quaestionem a Concilio dirimi non debere.

[16] 2. Alterum schema « *De sacrorum alumnis formandis* », brevi praemisso Prooemio, hoc modo erat dispositum:

Cap. I. De Seminariorum ordinatione generali.
Cap. II. De Institutione Spirituali.
Cap. III. De Disciplina in Seminariis.
Cap. IV. De Studiorum Ratione in Seminariis.
Cap. V. De Institutione Pastorali in Seminariis.
Cap. VI. De Formatione post Seminarium perficienda.

De indole horum schematum haec notare iuvabit:

a) Commissio Praeparatoria id studuit ut pro universa Ecclesia generales statueret normas quae — attentis recentioris temporis adiunctis, necessitatibus, periculis — regere debent candidatorum ad sacerdotium institutionem ita ut haec institutio Ecclesiae principiis saeculorum experientia probatis et optimorum fructuum fecundis respondeat, simul vero ad peculiares locorum et temporum rationes, quantum opus sit, accommodetur.

b) Commissio De Studiis et Seminariis non egit de admissione ad ordines, de interstitiis secundum multorum Praesulum vota prorogandis, de ordinatione sacerdotali ad aetatem aliquatenus maiorem differenda neque de quaestione, utrum obligatio castitatis perfectae nonnisi una cum presbyteratu definitiva seu perpetua contrahi deberet. De his omnibus egerat Pontificia Commissio de Sacramentis in schemate decreti « *De Sacramento Ordinis* ». Cum vero Pontificia Commissio Centralis de his quaestionibus in Concilio tractare opportunum non iudicavisset, de eisdem non amplius sermo fuit.

c) Ut schema, etsi pressum, completum tamen et concinnum sit, plura in eodem commemorantur quae iam in usu Ecclesiae habentur; imprimis vero proponuntur ea quae magni momenti sunt in clericorum institutione perficienda et hodiernis necessitatibus accommodanda. Huiusmodi sunt praescripta de Seminariorum moderatoribus peculiari institutione suo muneri efformandis necnon commendatio particularis tirocinii spiritualis cuius ope alumni ad vocationem matura decisione amplectendam ducantur; requiritur in schemate talis institutio spiritualis quae ex ipsis fontibus alumnorum vitam spiritualem alere studeat; atque futura pastorali operositate semper prae oculis habita, clericos ad virtutum theologicarum et sui abnegandi exercitium formet eosque consiliorum evangelicorum spiritui et praxi initiet.

[17] *De disciplina* in proprio capite (III) agebatur non solum quia inter quaestiones a Pontificia Commissione Centrali determinatas expresse « De Disciplina » sermo fuerat; verum etiam ob intrinsecum recte intellectae disciplinae momentum, necnon quia interventus Concilii opportunus omnino videbatur propter errores, impugnationes, dubia, quibus recentioribus temporibus sanae disciplinae sensus et vis in Seminariis haud ita raro extenuantur.

Ad studia in Seminariis peragenda quod attinet, norma magni momenti expostulat ut « in singulis nationibus Ratio studiorum habeatur, ab Episcoporum coetu redacta et a Sancta Sede approbata, qua ... leges generales evolvuntur et particularibus locorum temporumque adiunctis accommodantur ». De cur-

riculo philosophico postulatur ut alumni solide edoceantur in eis quae sunt essentialia; in quaestionibus socialibus diligentius initientur; suae aetatis errores cognoscant. Una cum institutione philosophica impensior Sacrae Scripturae lectio promoveatur ut alumni etiam perlabente biennio philosophico halitu spirituali a Verbo Dei dimanante imbuantur. Quoad curriculum theologicum urgetur ut disciplinae sacrae perfectiore ratione coordinentur eaeque ita tradantur ut alumnorum vitam spiritualem alant. Plenior sit oportet institutio in Sacris Litteris, in Sacra Liturgia necnon in quaestionibus Oecumenismum respicientibus. [17]

In capite V « *De Institutione Pastorali* », non tantum melior pro singulis pastoralibus muneribus praeparatio praescribitur, sed disponitur integram alumnorum institutionem eo praecipue tendere debere ut pastoralis animus ad Divini Pastoris imaginem in futuro Christi ministro effingatur.

In capite VI « *De Formatione post Seminarium perficienda* » respicitur quaestio nostris praesertim temporibus gravissima difficultatum nempe quas alumni patiuntur, quando a vita Seminarii transeunt ad plenam pastoralem navitatem medio in mundo explendam.

II. In Pontificia Commissione Centrali

1. Pontificia Commissio Centralis schema « *De Vocationibus ecclesiasticis fovendis* » examini subiecit die 24 februarii 1962. Schema in genere placuit. Quidam Patres autem petiverunt ut una tantum conficeretur Constitutio de vocatione ubi sapienter componerentur ea quae de vocatione christiana, religiosa, sacerdotali in diversis documentis parata erant. Commissio autem respondit schema de vocationibus ecclesiasticis vel potius sacerdotalibus aptius inserendum esse in schema « De Sacrorum alumnis formandis », tamquam primum huius Constitutionis caput. Aliae animadversiones vertebant circa evitatam vocationis sacerdotalis definitionem, de qua iam supra actum est; necnon circa signa vocationis enucleanda, circa vocationes corroborandas et excolendas, circa sollicitudinem de eis qui tardiore aetate ad sacerdotium tendunt: De his et similibus autem in schemate « De Vocationibus » non explicitius agendum erat, quia haec omnia in schemate « De Sacrorum alumnis formandis » satis considerantur. Quaedam denique animadversiones de se probandae a Commissione Praeparatoria receptae non sunt, cum conciliare schema ad valde particularia descendere nequeat (e. g. de pueris cantoribus, de prae- [18]
seminariis, de formis concretis auxilii ab Actione Catholica in vocationibus fovendis praestandi).

2. Schema « *De Sacrorum alumnis formandis* » a Pontificia Commissione Centrali examinatum est die 24 februarii 1962 (caput IV: De ratione Studiorum in Seminariis) et die 12 iunii 1962 (cetera capita Constitutionis).

a) A non paucis Patribus agnitum est momentum vere primarium institutionis sacerdotalis et opportunitas tractandi de ipsa in Concilio Oecumenico; item schemata de Seminariis continere « optima consilia et accuratissimas observationes ». Sed animadvertebatur quoque, genus dicendi recognoscendum

[18] esse ita ut *normae potius* darentur *concinnae* atque congruae exhortationes, cetera vero Instructionibus vel Directorio cuidam committerentur.

Commissio Praeparatoria tunc respondit, *breviorem* schematum redactionem optabilem esse, sed officium eam exarandi melius ad Commissionem Conciliarem remittendum esse, quae secundum ipsorum Patrum Concilii placita conficeret definitivam scriptionem. Nam dubium manebat, num nova brevior redactio quae in Commissione Centrali ab aliquibus desiderabatur, aliis quoque placeret. Patres insuper generale tantum desiderium brevioris schematis protulerunt; si quid in concreto tollendum indicasset, vix in eadem re auferenda consensissent. Praeterea plures Commissionis Centralis Patres non pauca additamenta proposuerant in singula capita inserenda.

b) Quidam petiverunt ut in schematibus separatim ageretur de Seminariis *maioribus* et de Seminariis *minoribus* et de Institutis quadam ratione aequipollentibus. Haec quaestio iam in conventibus Commissionis Praeparatoriae attente ponderata, iterum atque iterum mota est, decursu elaborationis et recognitionis schematum.

Commissioni Praeparatoriae placuit principia generalia pro sacerdote hodiernis in adiunctis rite formando statuere; quae quidem imprimis in Seminariis maioribus applicanda sunt. Ipsa enim ubique terrarum habentur; in ipsis impertitur institutio proprie sacerdotalis. Seminaria Minora non ubique exstant. Quia autem in plurimis regionibus utillima, immo necessaria sunt, data occasione, ratio habita est etiam condicionum peculiarium in Seminariis minoribus vigentium. Insuper Commissio Praeparatoria post disceptationem a Commissione Centrali institutam, in fine capitis I (De Seminariorum ordinatione generali) adiecit praescriptum, ut Seminariorum Statuta rationem haberent variorum institutorum indolis et alumnorum aetatis.

c) Postulatum quoque est ut auferretur totum Caput V (De Institutione Pastorali) eiusque praescripta et monita apte insererentur in cetera schematis capita; eo quidem consilio ut tali modo indoles pastoralis integrae institutionis sacrorum alumnorum clarius eluceret.

Commissio Praeparatoria admisit finem pastoralem debere penetrare omnia in Seminario et quaedam addidit ut id fortius in schemate affirmaretur; utile autem iudicavit in proprio capite agere de iis quae peculiari et veluti immediata ratione ad ministerium pastorale exercendum spectant.

[19] *d*) Ex animadversionibus a Membris Commissionis Centralis factis circa singulos numeros, non paucae receptae sunt a Commissione Praeparatoria. Subcommissio vero Centralis « De Schematibus emendandis » responsiones et emendationes a Commissione competenti datas ratas habuit. Textus Constitutionis hac ratione emendatus et typis impressus invenitur in Collectione cui titulus « Schemata Constitutionum et Decretorum ex quibus argumenta in Concilio disceptanda seliguntur », series IV, Typis Polyglottis Vaticanis 1963, pagg. 211-273. Notetur, ibidem schema « De vocationibus ecclesiasticis fovendis » iam insertum esse in ipsam Constitutionem « De Sacrorum alumnis formandis », tamquam primum eiusdem Caput.

III. In Commissione Conciliari « De Seminariis, de Studiis et de Educatione Catholica » [19]

1. *Elaboratio schematis Constitutionis « De Sacrorum alumnis formandis » mense maii 1963 Patribus transmissi*

Prima Concilii sessione exeunte schema « De Sacrorum alumnis formandis » insertum est « elencho 17 schematum, constitutionum et decretorum de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus ». Eodem fere tempore (die 5 decembris 1962) pro labore a Commissionibus Conciliaribus praestando hae praecipuae normae datae sunt:

« Schemata hac ratione conficienda sunt, ut potissimum pertractent generalia principia ...

Quae autem pertinere videntur ad futuram Iuris Canonici recognitionem, remittantur ad competentem Commissionem. Pariter oportet ut Commissionibus, quae post Concilium constituendae erunt, nonnulla specialia argumenta demandentur ».

Quae normae, ad schema de formatione sacerdotali quod attinet, ulterius determinatae sunt a « Commissione de Concilii laboribus coordinandis », litteris datis die 30 ianuarii 1963:

« *a*) Schema ita redigatur, ut post doctrinam de vocatione, enuntientur principia generalia de formatione spirituali, disciplinari, intellectuali et pastorali candidatorum sacerdotii; peculiari modo in luce ponantur momentum virtutum tum supernaturalium tum humanarum, disciplinae necessitas, studiorum dignitas et praeparatio ad vitam pastoralem. Nihil obstat quominus doctrina de vocatione proponatur ad modum Nuntii a Concilio Oecumenico dandi;

b) cetera remittantur ad Instructiones auctoritate Concilii promulgandas, cum parandum sit Directorium;

c) seligantur atque in ordinem redigantur normae quae ad recognitionem Codicis I. C. pertinere videntur ».

In luce harum normarum Commissio de Seminariis, de Studiis et de Educatione Catholica, conventu habito a die 21 februarii ad diem 2 martii 1963 funditus recognovit schema a Commissione Praeparatoria exaratum. Schema [20] recognitum die 25 martii 1963 submissum est iudicio Commissionis « De Concilii laboribus coordinandis ». Relator, E.mus Cardinalis Carolus Confalonieri hanc de novo textu sententiam tulit:

« Considerando la opportunità e vorrei dire la necessità che il Concilio tratti di questo argomento e riconoscendo che il nuovo Schema è contenuto in giuste proporzioni, e corrisponde alle linee che la Commissione di Coordinamento aveva tracciato, sono del sommesso parere che — per quanto si riferisce al giudizio esterno di nostra competenza — lo Schema stesso, così come è presentato, possa essere sottoposto alla discussione del Concilio, nella

[20] sicurezza di rendere con ciò un buon servizio alla causa della conveniente preparazione dei Leviti del Santuario all'opera di santificazione e di apostolato che li attende ».

Schema hac ratione refectum iterum typis impressum et mense maii 1963 iussu Ioannis PP. XXIII omnibus Patribus Conciliaribus transmissum est.

Notae huius schematis propriae hoc fere compendio exhiberi possunt:

a) Secundum normas pro recognoscendis schematibus datas, principia tantum generalia servata sunt, pluribus omissis, quae in instructiones auctoritate Concilii conficiendas opportune inseri poterunt. Attamen, etsi principia tantum generalia servata sunt, puncta quaedam determinate et concrete definiuntur ne Constitutio nimis generica et fere vacua remaneat ac, propter suam indeterminationem, inefficax fiat. Etsi forma brevior facta est, servata sunt, quantum fieri poterat, conceptus et verba schematum a Commissionibus Praeparatoriis approbatorum.

b) Clare enuntiatur finis totius formationis in Seminariis communicandae: praeparatio ad sacerdotalia et pastoralia ministeria; quem finem singuli institutionis aspectus (institutio spiritualis, studia, vita communis et disciplina, exercitationes practicae) concordi ratione prosequantur oportet (n. 7).

c) Schema institutionem futurorum sacerdotum, venerandis Ecclesiae in re principiis religiose servatis, ad *temporum et locorum necessitates accommodare* contendit:

(1) formatio *accommodanda* ad diversas *locorum et gentium* condiciones:

Schema *primarias tantum statuere* intendit *normas* sacerdotalis institutionis; quae normae autem fundamentum securum praebeant pro Statutis Seminariorum a singulis Episcopis conficiendis et pro Rationibus Studiorum ab Episcoporum Conferentiis redigendis, in quibus particulares conditiones nationum pressius respiciantur. Schema proinde saepius explicite remittit ad ulteriores determinationes ab Episcopis vel Episcoporum Conferentiis faciendas: e. g.

— circa instaurationem alicuius temporis intervalli pro impensiore tirocinio spirituali ante initium studiorum proprie ecclesiasticorum vel ante sacerdotii susceptionem (n. 17);

— circa *Rationem Studiorum* conficiendam in singulis nationibus (n. 18)
[21] ne alumni in Seminariis fiant extranei propriis concivibus, sed eorum mentem, traditiones culturales, ideas religiosas, vitam quotidianam cognoscant et recte aestiment;

— circa institutionem in disciplinis *paedagogicis, sociologicis* pressius determinandam (n. 23);

— circa mensuram et modum *exercitationum pastoralium* iam perlabente curriculo studiorum instituendarum « ut alumni apostolatus artem non tantum theoretice, sed etiam practice addiscant » (n. 24);

— circa modos *prosequendi et perficiendi formationem* iuvenum sacerdotum absoluto Seminario (n. 26).

Exemplum ulterioris determinationis Rationis Studiorum ab auctoritate loci faciendae sit imprimis curriculum studiorum praeviorum; de eo duo principia in schemate statuuntur (n. 19): [21]

— adeptio illius culturae generalis, quae requiri solet a iuvenibus laicis propriae nationis qui Universitates vel superiorum studiorum sedes ingredi volunt;

— acquisitio illius praeparationis particularis, quae ad studia ecclesiastica est necessaria (sicut congrua linguae latinae cognitio).

Componere utrumque principium in multis regionibus est res perardua; melior solutio a competenti auctoritate ecclesiastica territoriali plane quaerenda et proponenda est.

(2) formatio *accommodanda* iis quae communiter postulantur *a vita ecclesiastica hodierna:*

Proinde in conficiendo schemate prae oculis habebantur ea quae Episcopi et Commissiones Praeparatoriae vel Conciliares in sacrorum alumnis formandis emendanda vel promovenda esse edixerunt. Ita e. g. satisfit iis quae postulata sunt:

— a Commissione « *De Sacra Liturgia* » circa institutionem et vitam liturgicam in Seminariis ita curandas ut futuri sacerdotes actuosam fidelium in Divino Cultu participationem, internam et externam, promovere sciant (cf. nn. 14, 22, 23).

— a Commissione « *De Missionibus* » circa respiciendas condiciones diversarum regionum, ubi ministerium exercendum erit (cf. nn. 18, 21, 22).

— a Commissione « *De Apostolatu laicorum* » circa rectam institutionem ad cooperationem cum laicis fovendam (cf. n. 23).

— a Secretariatu « *Ad unitatem Christianorum fovendam* » circa meliorem cognitionem Communitatum Christianarum a S. Sede seiunctarum promovendam (cf. n. 22).

Pro optatis a plurimis Episcopis expressis, Schema:

— expostulat peculiarem praeparationem non tantum eorum qui in Seminariis docent, sed praecipue etiam Rectorum et Moderatorum spiritus (n. 9);

— commendat eam disciplinam moderandi rationem qua in alumnis una cum abnegationis ac oboedientiae spiritu excolatur etiam actionum officiorum- [22]
que conscientia et opera sponte incipiendi facultas (n. 11);

— providet ut, pietate sacerdotali et pastorali secundum Christi spiritum et Ecclesiae sensum imprimis exculta, vires quoque naturales, humanis etiam subsidiis adhibitis, promoveantur (nn. 7 et 16);

— mandat ut curriculum philosophicum melius coordinetur cum curriculo studiorum theologicorum et adaequata ratio habeatur studii hodiernae philosophiae (nn. 20 et 21);

— praecipit ut singulis disciplinis (imprimis sacris) intendatur non mera instructio, sed vera formatio; ut, evitato modo institutionis fragmentario, curetur dsciplinarum cohaerens connexio, ita ut alumni exinde hauriant ipsam

[22] substantiam sacrae praedicationis, catecheseos, directionis animarum; ut in singulis tractatibus theologicis omnes aspectus considerentur: theologia biblica, doctrina Patrum, investigatio speculativa duce S. Thoma, mysterii expressio in Ecclesiae hodiernae cultu et vita (n. 22);

— praecipit ut pastoralis aspectus in omnibus disciplinis attendatur (n. 23) et iam durante studiorum curriculo opportunis exercitationibus initiatio ad praxim pastoralem inchoetur (n. 24).

2. *Recognitio schematis iuxta animadversiones a Patribus missas*

Secunda Concilii sessione, mensibus octobri et novembri 1963, Commissio Conciliare schema novo accurato examini subiecit, habita ratione animadversionum quae a pluribus Coetibus Episcoporum et a permultis Concilii Patribus circa schema « de Sacrorum alumnis formandis » ad Secretariam missae sunt. Postquam singulae animadversiones a tribus Subcommissionibus mature perpensae erant, integra Commissio textum schematis recognovit.

Commissio, hac oblata occasione, gratissimam se profitetur erga Coetus Episcoporum et singulos Patres, qui suis observationibus Commissionis laborem non parum adiuverunt.

Omnium animadversionum mentionem facere limites huius Relationis omnino excederet. Quaedam vero ex praecipuis Vobis utiliter proponenda esse censeo.

I - Animadversiones quadam ratione *totum schema* respicientes.

a) Quidam schema in universum vel fere reiecerunt, his praesertim rationibus adductis:

1) schema nihil novi affert, sed tantummodo effata generalissima ab omnibus Manualibus proclamata. Imprimis schema funditus non mutat praesentem Seminariorum structuram; sed Concilii Vaticani II esse — quidam dicunt — hoc ipsum efficere, immo etiam de formatione clericali iam extra Seminaria peragenda deliberare;

2) schema nullam curam gerit de facto quod Seminaria et rationes studiorum non possunt esse eadem ubique terrarum;

3) schema nihil dicit de sensu « personalis responsabilitatis » promovendo in vita alumnorum spirituali, intellectuali, apostolica;

[23] 4) schema habet indolem aridam, iuridicam, « individualisticam »; non redolet spiritum spei et hilaris fiduciae qua Ecclesia prosequitur clericalem iuventutem.

Commissio attento harum obiectionum examine instituto, ea quae sequuntur respondenda esse censuit:

Ad (1) Multo plures Patres probaverunt schema eo « quod non tantum principia traditionalia repetit, sed omnino fundamenta ponit pro formatione alumnorum praesentibus necessitatibus adaptanda ». Id ex iis confirmari putamus, quae supra de schematis recogniti indole perstricta sunt. Admisit autem Commissio, haec elementa nova, simul cum antiquis proposita, non statim

omnibus apparere nec satis in luce poni. Quaerebat igitur Commissio schema [23] ita retractare ut elementa nova, antiquis non neglictis, clarius eniterent. Multa in clericis ad sacerdotium instituendis esse renovanda et in meliorem statum redigenda, ipsis schematis positivis praeceptis et monitis satis declaratur. Sed omnino abs re visum est Commissioni integrum fere Seminariorum institutum demittere, quod optimos tulit Ecclesiae fructus et — defectibus minime negatis — ferre pergit. Schema de cetero nullatenus excludit, e contrario aperte disponit ut Episcopi pro locorum adiunctis subsidiis quoque novis clericorum probationi provideant. Quod ut clarius eluceret, Commissio in schematis recogniti numero 12 (schematis typis impresso numero 17) hoc monitum addidit: « ... Episcoporum erit ... opportunitatem perpendere quandam studiorum interruptionem statuere ut sacerdotii candidatorum probationi satius consulatur » (cf. idem monitum in n. 10 « Propositionum »). Talis interruptio nullatenus imponitur, quia in multis regionibus parum utilis esse posset, alibi autem existimatur necessaria. Omnes autem Praesules sedulo examinent an praeter probationes quae in consueto tirocinio Seminarii habentur, aliae statuendae sint, sive post expletum cursum philosophicum sive post cursum theologicum ante sacerdotium, quibus per congruum temporis spatium candidati ad sacerdotium contendentes auxilio impenduntur in paroeciis vel missionibus praestando, sub periti sacerdotis moderamine, ut eorum vocatio melius agnoscatur, comprobetur et confirmetur.

Ad (2) Secunda gravissima obiectio reapse sustineri nequit, cum condiciones variae, imprimis ad Rationem Studiorum quod attinet, aperte omnino in schemate respiciantur (cf. nn. 6, 18, 21, 26). Commissio autem, cum mense martii 1964 paucas tantum propositiones Concilio subiciendas ex schemate excerpere debuit, primo loco de peculiari ratione institutionis sacerdotalis in singulis nationibus ineunda agere voluit, ut in re tanti momenti omnem illius obiectionis possibilitatem auferret.

Ad (3) Neque recte asseritur schema non exquirere ut alumni ad « personalem responsabilitatem et actuositatem » formentur; in fine numeri 11 (de disciplina), in numero 20 (de studiis), in numero 24 (de exercitationibus pastoralibus) huiusmodi institutio clare et nervose praecipitur.

Ad (4) Similiter Commissio non favebat animadversionibus de indole decreti nimis arida, iuridica, parum laeta. E contra Commissio censuit, validiore fundamento inniti obiectionem secundum quam schema « magis stylum litte- [24] rarium encyclicarum exhibet quam Constitutionis conciliaris »; curandum igitur esse, ut quaedam brevius ac pressius dicantur. Schema recognitum, in huius Relationis textu infra positum, hac ratione iam emendatum est; plenius autem ipsas « Propositiones » ex schemate excerptas et Vestro iudicio subiciendas, huic normae respondere putamus.

b) *De titulo*. Non videbatur opportunum recipere titulum ab aliquibus propositum: « De sacrorum alumnis *seligendis* et formandis », cum de selectione alumnorum nonnisi pauca in schemate dicantur; placuit vero uti verbo « *instituendis* » loco verbi « formandis »; atque ad difficultates praecavendas,

[24] quae ex hypothetica stabilis diaconatus restauratione oriri possent, Commissio sequentem titulum praetulit: « *De alumnis ad sacerdotium instituendis* »; schema enim de solis futuris sacerdotibus instituendis agere intendit.

Qua de re visum est mutare etiam titulum I capitis sequenti modo: « *De vocationibus sacerdotalibus* ».

Praeterea ad quaestionem solvendam utrum decretum valeat tantum pro Ecclesia latina an etiam pro Ecclesia orientali, pro clero saeculari an etiam pro clero regulari, Commissio opportunum censuit addere in fine prooemii verba sequentia:

« Quae institutio, ex intrinseca catholici sacerdotii unitate, omnibus sacerdotibus cuiuscumque ritus, etiam religiosis, necessaria est; ideoque huius Decreti praescripta, congrua congruis referendo, omnibus applicanda sunt ».

e) *De structura*. Commissio censuit in structuram decreti maiores mutationes introducendas non esse. Ut autem clarius eluceret, schema, excepto numero quinto, agere de sola institutione in Seminariis Maioribus impertienda, Caput II inscriptum est « De Formationis fine et de Seminariorum *Maiorum* ordinatione ».

d) *De adnotationibus*. Plures Patres conquesti sunt, schema mense maii 1963 typis impressum, adnotationibus non fuisse instructum, quibus illustraretur et roboraretur. Commissio quoque censuit, ex amplissimis notis, quae schematibus a Commissione Praeparatoria exaratis additae erant, et ex ipsis Patrum Conciliarium animadversionibus quaedam saltem in adnotationibus schematis recogniti apponenda esse.

II - Animadversiones *peculiares* maioris momenti.

Multa utillima proposita sunt a Patribus circa singulos schematis numeros. De his aliqua pauca saltem perstringam:

a) Quaedam optata de se legitima considerari non potuerunt quia expetebant ea quae iam in aliis documentis conciliaribus proponuntur et hic repeti non debent; id imprimis dicendum est de ampliore episcopatus et presbyteratus notione quam quidam universo schemati praemittendam esse censebant; de iis enim iam agitur in Constitutione dogmatica « De Ecclesia ».

b) Permultae observationes Patrum de se optimae et a Commissione probatae, recipi non potuerunt in ipsum schematis textum, quia respiciebant aut res omnino regionales-particulares aut nimis determinatas quae ad De-
[25] cretum Conciliare non pertinent, sed ad Instructiones, Directoria, legislationem particularem, Seminariorum Statuta nec non ad ipsam Decreti executionem. Quaedam afferuntur exempla: de reditu alumnorum in propria dioecesim tempore vacationum; de determinando numero minimo, absolute necessario magistrorum et alumnorum; descriptio vitae communis quam Moderatores cum alumnis agant; qualitates singularum classium Moderatorum Seminarii; collationes mutuae de opere educationis inter Superiores instituendae; dimissio Superiorum inter se dissidentium; recognitio studiorum in Seminariis peractorum a gubernio civili procuranda; particulares normae de vocationum selectio-

ne et probatione ad mentem Litt. Encyclic. Pii XI « Ad Catholici Sacerdotii »; [25]
maior explicatio errorum circa disciplinam; Encyclica « Mediator Dei » explicanda alumnis in curriculo theologico et plurima alia huiusmodi.

c) Ad vocationes fovendas et excolendas quod attinet, secundum plurium vota momentum *familiae christianae,* quae « constituit primum velut seminarium », in clariore luce positum est (cf. n. 3 schematis recogniti, quod infra ponitur).

d) Multi Patres observationes criticas protulerunt relate ad numerum 6, schematis: De Seminariis Minoribus. Quidam autumaverunt aestimationem Seminarii Minoris in hoc numero aliquatenus deprimi, quia Seminarium Minus qualicumque Collegio Catholico assimilaretur, et insuper formatio sacerdotalis ad Seminaria Maiora indebite restringeretur. Alii e contra animadverterunt, institutionem in Seminariis Minoribus talem esse debere ut alumni inferiores non sint iis qui in aliis scholis studia prosequuntur, atque quovis tempore studia in aliis institutis continuare possint. Insuper Seminaria Minora non esse imponenda ubique et omnibus. Commissio, ut his placitis aequa ratione satisfaceret, integrum numerum retractavit, iis etiam additis, quae in schemate typis impresso de studiis mediis dicta erant (cf. *infra* pag. 28 n. 5).

e) Propter non paucas obiectiones circa numerum 11, pars schematis de *disciplina* agens retractata est (cf. nn. 10 et 11 schematis recogniti infra), momento ipsius positivo apertius indicato, erroribus magis enucleatis, formatione ad personalem « responsabilitatem » fortius commendata.

f) In Studiis ecclesiasticis recognoscendis additum est monitum ut etiam quaestiones modernae e progressu scientiarum naturalium ortae tractarentur, « ne alumni imaginem mundi iam obsoletam prae oculis habeant » (cf. n. 20). Ad studia theologica quod attinet, in textu schematis recogniti (cf. n. 22) clarius patet, innui ibidem meliorem structuram magnorum tractatuum dogmaticorum, non singulas disciplinas theologicas; agi scilicet non de theologia biblica vel Patrologia vel Liturgia separatim, sed de doctrina Scripturae, Patrum, Liturgiae in singulis tractatibus dogmaticis cohaerenti modo consideranda.

g) Tota pars de institutione stricte pastorali agens (nn. 23-25; antea nn. 23-24), consiliis etiam cum Commissione de Apostolatu Laicorum initis, meliore modo disposita et hodiernis adiunctis magis accommodata est; ita
quidem, ut pro regionum temporumque adiunctis plurima ulteriori dispositioni [26]
auctoritatis ecclesiasticae territorialis committerentur.

Ut plurimis Patribus satisfiat qui de institutione sacerdotali suas animadversiones protulerunt, schema a Commissione secundum easdem animadversiones recognitum, in hanc Relationem inseritur.

[26] 3. *Schema Constitutionis « De Alumnis ad sacerdotium instituendis » iuxta animadversiones Patrum mensibus octobris et novembri 1963 a Commissione Conciliari recognitum* [1]

Prooemium.

1. Summi Sacerdotis, Magistri ac Pastoris munera in Se Ipso coniungens, Christus Dominus, cum potestatem suam Ecclesiae contulit eique mandatum dedit redemptionis opus ad saeculorum usque occasum perpetuandi, aliquot homines voluit sui Sacerdotii participes qui triplex illud munus adimplerent, eo ministrandi spiritu animati, quem Ipse verbo et exemplo docuit.

Quare Ecclesia, nihil antiquius habet quam ut homines, ad tam necessarium et sublime officium a Deo electi ac vocati, debitam recipiant institutionem ac propria munera rite exerceant « ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi » (*Eph.* 4, 12).

Quae institutio, ob intimam catholici sacerdotii unitatem, omnibus sacerdotibus cuiuscumque ritus, etiam religiosis, necessaria est; ideoque huius Decreti praescripta, congrua congruis referendo, omnibus sunt accommodanda.

I. *De vocationibus sacerdotalibus.*

2. [*Vocationis momentum et notio*]. Cum igitur Ecclesiae vita ex Ipsius Christi voluntate a sacerdotum ministerio praecipue pendeat, haec Sancta Synodus sacerdotales vocationes imprimis fovere cupit, quod quidem Divinae Providentiae actioni respondet, quae aliquot homines ad Christi Sacerdotium participandum eligit, eis congruas tribuit dotes simulque Ecclesiae committit ut, vocationis signis agnitis, candidatos qui tantum munus recta intentione et libere petierint, comprobatos vocet et Sancti Spiritus sigillo in aeternum consecret.

3. [*Condiciones vocationum fovendarum curandae*]. In opera vocationum fovendarum imprimis familia vere christiana curanda est. Ipsa enim constituit primum velut seminarium in quo pueri ab infantia spiritum fidei, caritatis et pietatis haurire valent.

Parentes vero apprime sentiant quantum in se ipsos recidat vocationum adiumentum vel impedimentum, et sacerdotalem vocationem tamquam eximiam gratiam aestimantes prompto atque hilari animo filios Deo offerre parati
[27] sint, eorum tamen libertate religiose servata.

Omnes sacerdotes, praesertim parochi et confessarii, zelum apostolicum in fovendis vocationibus quam maxime ostendant; bonae spei pueros ad pie-

[1] Pauca mutata sunt, quando mense martii 1964 a Commissione competenti ex schemate excerptae sunt « Propositiones » quaedam principaliores; tunc etiam electus est titulus brevior « De Institutione sacerdotali ».

tatem et castitatem informent, saeculi contagia superare doceant et Deo serviendi studio inflamment. [27]

Potissimum autem propria ipsorum vita humili, operosa, laeto animo peracta, necnon mutua sacerdotali caritate ac fraterna operae consortione adolescentium animos ad pastoris animarum munus amplectendum trahant. Omnibus denique, cuiusvis dignitatis, ministris Christi enixe commendatur ut etiam generoso animo pauperiores iuvenes Seminaria ingressuros adiuvando, pro sua ipsorum vocatione sacerdotali grates referant Deo.

Magistri pariter atque omnes qui puerorum iuvenumque institutionem quovis modo curant, imprimis Associationes Catholicae, adolescentes sibi concreditos ita excolere studeant ut vocationem divinam percipere et libenter sequi valeant.

Praesertim vero illi qui supernum vocationis donum acceperunt et in quibus spem suam collocat Ecclesia, monentur ut singulari Dei gratiae libere et magno animo respondeant, sibi persuasum habentes rem Deo gratissimam ac proprio totiusque Ecclesiae bono utilissimam se facturos esse.

4. [*Cooperationis subsidia praecipua*]. Inter praecipua communis cooperationis subsidia Sancta Synodus una cum christianae paenitentiae operibus imprimis orationem commendat ad vocationes a Deo impetrandas iuxta praeceptum Domini: « Rogate Dominum messis ut mittat operarios in messem suam » (*Mt.* 9, 38), necnon congruam christifidelium institutionem, sive praedicatione et catechesi sive etiam periodicis commentariis impertiendam, qua quidem necessitas, natura et praestantia vocationis sacerdotalis aperte declarentur; praeter enim generalem vocationem qua homines per baptisma ad vitam christianam vocantur, inter peculiares vocationes eminet illa ad sacerdotium quae mysteriorum Dei dispensationem secumfert.

Ut haec aliaque vocationum subsidia plenam assequantur efficacitatem, arcta inter parentes, parochos, religiosas familias, magistros et consociationes, Episcopo patre et duce, virium laborumque ineunda est coniunctio; ideoque in singulis dioecesibus vel regionibus « Opus Vocationum Sacerdotalium » erigatur atque foveatur, eiusque promotores causas quoque sacerdotum penuriae accurate inquirere ne praetermittant, eo quidem consilio ducti ut aptius huic inopiae mederi et efficaciora ad vocationes augendas subsidia comparare queant.

Cum vero in aliquibus praecipue regionibus sacerdotum numerus populi christiani necessitatibus et muneri Ecclesiae missionario impar existat, actuosa ad vocationes fovendas conspiratio fines singularum dioecesium, nationum atque rituum dilatato corde transcendat oportet atque ad universalis Ecclesiae necessitates respiciat, ita quidem ut illis regionibus auxilium afferri possit, ubi [28]
Domini vinea instantius advocat operarios.

5. [*De Seminariis Minoribus rite ordinandis*]. Praeterea, ut germina vocationis in adolescentibus praecipua cura excolantur, Seminaria Minora, secundum proprias ordinata leges, sedulo foveantur; necnon peculiaria illa

[28] Collegia vel scholae, quae pro locorum et gentium adiunctis eidem fini inserviunt, et specialia quaedam Instituta pro iis qui maturiore aetate divinam sequuntur vocationem.

In Seminariis vero Minoribus alumni, particulari religiosa conformatione, imprimis apta moderatione spirituali, ad Christum Redemptorem generoso animo sequendum componantur. Vitam aliunde ducant quae adolescentium aetati, spiritui et evolutioni conveniat et sanae psychologiae normis plene respondeat. Congrua rerum humanarum experientia et consuetudine cum propria familia non praetermissis, ita instituantur ut vocationem sacerdotalem maturo iudicio et plena libertate amplecti valeant.

Item studiorum mediorum curriculum rite absolvant, quo tum hominis efformatio intendatur, completa et cohaerenti omnium facultatum educatione, tum instructio impertiatur eorum quae homines culti propriae aetatis et regionis scire debent; quae quidem studia ita ordinentur ut Seminariorum alumni ea sine incommodo alibi prosequi valeant si ad vota saecularia transeunt. Discant praeterea quae futuris sacerdotibus propria sunt, imprimis eam linguae latinae cognitionem acquirant, maxime si de latini ritus alumnis agatur, qua tot scientiarum sacrarum fontes, liturgicos libros et ecclesiastica documenta intellegere et adhibere possint.

Etsi ea quae de alumnis ad sacerdotium instituendis ulterius in hoc Decreto statuuntur, nonnisi ad Seminaria Maiora referuntur, tamen plura ibidem de Seminarii regimine, disciplina, vita spirituali commendata, congrua congruis referendo, Seminariis quoque Minoribus accommodanda erunt.

II. *De institutionis sacerdotalis fine et Seminariorum Maiorum ordinatione.*

6. [*De institutionis fine pastorali et unitate cohaerenti*]. Sacrorum alumnorum formatio nullum aliud exemplar prosequatur oportet quam ipsum Dominum, qui Bonus Pastor « proprias oves vocat ... et animam suam dat pro ovibus suis » (*Io.* 10, 3 et 11); qui etiam de seipso affirmat: « Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere... » (*Io.* 10, 16). Quare ad sacerdotalia ministeria animo vere pastorali obeunda sacrorum alumni praecipue formandi sunt: quae quidem eo spectant ut Evangelium Christi ministerio verbi proclametur; actionibus liturgicis integer cultus publicus exhibeatur Deo et Christi vita hominibus tribuatur; fideles ad sectanda Christi vestigia pastorali zelo atque prudentia ducantur. Ad tanta vero munera rite adimplenda formari nequeunt alumni, nisi ipsis in hac impertienda institutione, genuina foveatur sacerdotalis et pastoralis pietas, atque simul vires naturales, humanis quoque subsidiis opportune adhibitis, rite excolantur.

[29] Quae omnia institutionis elementa ita concordi actione in unicam profundam alumnorum formationem conspirent oportet, ut in luce, quae a Verbo Dei procedit atque per profectum spiritualem formationemque liturgicam et pastoralem in vitam et actionem profluit, fideles Dei ministri effingantur, per quos Christus homines a se redemptos attrahere, illuminare ac vivificare valeat.

7. [*Varia Seminariorum genera secundum alumnorum necessitates constituenda*]. Ad hanc sacrorum alumnis formationem apte impertiendam, quae iam salubriter statuta sunt de Seminariis Maioribus erigendis et promovendis, Sancta Synodus materna sollicitudine confirmat et complet eademque apostolicae Episcoporum sollicitudini enixe commendat. Ubi vero congruus deest alumnorum numerus vel singulae dioeceses aliunde Seminario rite instruendo impares sint, erigantur ac foveantur Seminaria pluribus dioecesibus vel universae regioni vel nationi communia ut solidae alumnorum institutioni, quae in hac re suprema lex est habenda, efficaciore usque ratione consuli possit. Haec vero Seminaria, si regionalia sint vel nationalia, regantur iuxta statuta ab Episcopis, quorum interest condita et ab Apostolica Sede probata. [29]

8. [*De moderatoribus melius seligendis ac praeparandis*]. Cum vero alumnorum institutionis exitus ab idoneis educatoribus magis quam a sapientibus legibus pendeat, Seminariorum moderatores et magistri ex optimis viris seligantur, numero sufficientes, ab incompatibilibus officiis liberi, naturae et potissimum gratiae donis praediti, quae ad diversa munera exercenda requiruntur; quibus accedat oportet peculiaris quoque formatio communiter in peculiaribus Institutis comparanda, qua ornari debent tum ii qui ad docendum destinantur, tum ii qui ad superiorum vel moderatorum spiritus munera deputantur; ita quidem ut hi omnes virtute et scientia, prudentia et experientia pastorali quoque, psychologica et paedagogica arte polleant. Omnes vero moderatores et magistri, Episcopi auctoritati fideliter obsequentes, sub Rectoris ductu, in quo regiminis unitas innititur, servata officiorum distinctione, at arctissima simul operae consortione, alumnis instituendis sedulam concordemque dent operam.

9. [*De alumnorum selectione et probatione*]. Apta alumnorum institutio vigilantem eorum selectionem et probationem a Seminariorum moderatoribus postulat. Quare sedula cura, fideliter servatis normis ab Ecclesia statutis, inquiratur oportet de alumnorum idoneitate, de eorum recta intentione ac firma voluntate, de sano iudicio et idoneo ingenio, de congrua valetudine physica et psychica, de capacitate sacerdotalia onera ferendi; eos vero qui idonei non sint, superiores tempestive dimittant cum caritate, nullo autem habito humano respectu, neque aliis rationibus moti — cuiusmodi est lugenda sacerdotum penuria — cum Deus Ecclesiam suam ministris carere non sinat, si digni promoveantur, non idonei vero arceantur.

10. [*De disciplinae spiritu et momento*]. Moderatores Seminariorum, memores amorem plus valere quam timorem, et persuasionem plus quam coactionem, fiduciam et caritatem ita inspirare curent ut tota Seminarii familia Rectori sicut patri aequo animo oboediat et cuncti inter se fraterna concordia coniungantur. [30]

Recta Seminarii familiae ordinatio disciplinam custodiendam postulat quae, ex naturalis sapientiae principiis atque ex supernaturalibus rationibus, neces-

[30] saria apparet. Non solum enim fundamentum et incitamentum externum est ipsius formationis personalis et socialis alumnorum in familia seminarii viventium, neque tantummodo ad infirmitatem naturae humanae et sequelas peccati originalis medendas confert, sed alumnos adiuvat in virili formando animo eosque sensu boni communis et cooperationis imbutos ad apostolatum sacerdotalem in hierarchico ministerio exercendum praeparat; illam denique maxime fovet humilitatem et oboedientiam quibus sacerdos oboedientiae Christi configuratus redemptionis communicandae redditur efficacius instrumentum.

11. [*Errores vitandi et apta disciplinae temperatio curanda*]. Maxime igitur verae alumnorum formationi obstaret illa effrenata libertas quae ex false intellecta integritate naturae humanae, omnibus motibus internis indulget et omnes hominum mundi externos agendi modos, in seminario quoque vivendos esse praetendit, quinimmo disciplinam ipsam tamquam iniuriam sanae evolutionis hominis respuit; non minus noceret illa multorum sententia, qua auctoritatem non ex toto quidem renuunt, sed eius exercitium propriae opinationi committunt aut mutuae conventioni inter superiores alumnosque subiiciunt; fortitudini et spiritui abnegationis denique, futuro apostolo omnino necessariis, graviter praeiudicaret illa disciplinae moderatio, qua omnia ardua et molesta repelluntur, delectabilia autem et commoda sine modo foventur.

Huiusmodi errores, quibus sanae disciplinae sensus et vis extenuantur aut prorsus destruuntur, a Seminariis arceantur. Firma vero disciplinae principia iuxta diversam alumnorum condicionem et aetatem apte et prudenter executioni mandanda sunt ita ut alumni gradatim sibimetipsis moderari ac libertate sapienter uti addiscant, in eis actionum officiorumque suorum conscientia crescat, opera ultro sponteque incipiendi congrua eis concedatur facultas; ita ergo formandi sunt alumni ut e Seminario egressi vitam vere pastoralem suscipientes, internis viribus suffulti, mundi condicionibus occurrere valeant easque, per sacerdotale ministerium oboedientia erga superiores sociaque opera cum cooperatoribus exercitum, spiritu Christi consecrent.

III. *De institutione spirituali.*

12. [*Sanctitas in candidato ad sacerdotium imprimis requisita*]. Etsi integra doctrinalis et pastoralis institutio eo tendere debet ut sacrorum alumnus, non tantum sacrae ordinationis charactere, sed intima totius vitae consortione alter fiat Christus et ad plenum effectum adducatur illud Apostoli: « Vivo
[31] autem iam non ego, vivit vero in me Christus » (*Gal.* 2, 20), peculiaris tamen institutio spiritualis necessaria est ut, per sedulam virtutum exercitationem, totus eius animus spiritu Christi imbuatur, et « mortis Dominicae mysterium » celebraturus, vere agnoscat quod agit, imitetur quod tractat.

Praecipua igitur Rectoris cura sit ut in Seminario vita spiritualis potissimas partes habeat et cetera ita ordinentur ut in eius fastigium componantur. Haec vero institutio assiduam moderatoris spiritus operam postulat qui, sive unus

sit in seminario, sive plures adsint, servata semper spiritualis directionis unitate, singulos alumnos cognoscere et efficaciter curare debet. [31]

Ut alumni vocationem imprimis optione mature deliberata amplectantur, Episcoporum erit congruum instaurare temporis intervallum pro impensiore tirocinio spirituali necnon opportunitatem perpendere quandam studiorum interruptionem statuendi ut sacerdotii candidatorum probationi satius consulatur.

13. [*Virtutes praecipue theologicae excolendae*]. Praecipue ita in fide firmandi sunt alumni ut « Christum Dei virtutem et Dei sapientiam » (*1 Cor.* 1, 24) cognoscere addiscant sicut Apostolus exoptat, precans ut Christus habitet « per fidem in cordibus » (*Eph.* 3, 12). Ad christianam quoque excolendam spem sollicite componantur ut non sibi suisque viribus, sed potius Eius auxilio confidant qui vicit mundum suisque promisit: « Ego vobiscum sum » (*Mt.* 28, 20). Praecipue vero doctrina tradatur de caritatis primatu et sermones Domini in ultima Coena prolati (*Io.* 13-17) tamquam Seminariorum codex habeantur, quem assidue sacrorum alumni perlegant ac pertractent, ut discant cum Patre et Filio Iesu Christo et Spiritu Sancto familiari et assidua caritate vivere (cf. *1 Io.* 1, 3); ex qua caritate, per Spiritum Sanctum in cordibus effusa, alitur animarum zelus in futuris pastoribus, non solum erga fideles ipsis concreditos, sed erga omnia Mystici Corporis Christi membra, quinimmo erga eos qui nondum sunt de ovili Boni Pastoris.

14. [*Vita sacramentalis et oratio*]. Supernaturalem hanc vitam sacrorum alumni hauriant potissimum ex ipso eoque necessario fonte, hoc est ex actuosa cum sacrosanctis mysteriis publicis sollemnibusque Ecclesiae communicatione. Quare sacer cultus universus, praecipue autem eius centrum et fons, quod est ipsum eucharisticum sacrificium, in Seminariis sic explicetur et sic celebretur ut clerici ex sacro altaris mysterio, una cum Christo sese hostias Deo gratas offerendo et uno eucharistico pane refecti, in unitate mystici Corporis vivere addiscant; atque sacro Ecclesiae vertente anno, ad mysteria Christi participanda ducantur ut, aliquando sacerdotio aucti, populum sibi commissum, ex intima cultus imprimis sacrificalis participatione, in communitatem vere christianam coadunare valeant.

Ad spiritum orationis alumni formentur ut futuri sacerdotes viri orationis fiant, qui scilicet libenter orent et orandi necessitatem persentiant et ad debitum Trinitati beatae obsequium solvendum et ad ipsorum vitam interiorem alendam et ad quemcumque apostolatum fructuose exercendum. Quare pia exercitia Seminarii lege sancita vel usu probata, imprimis quotidianam meditationem fideliter peragant, et varias pietatis formas, praesertim in honorem [32]
Sacratissimi Cordis Iesu et Deiparae Virginis, assidue colant. Ut autem orationem, quam ipsa Ecclesia peculiariter eis committet, amare discant, institutione sapienter progrediente initientur in Psalterium totumque Officium Divinum intellegendum et colendum.

15. [*Consiliorum evangelicorum spiritus*]. Ad evangelicam perfectionem contendentes, vivendi modum vere simplicem et modestum iam a Seminario

[32] suscipiant qui pauperibus evangelizare atque vitae futuri saeculi validum testimonium mundo praebere debebunt. Sicut homines mundo crucifixi et quibus mundus ipse est crucifixus (cf. *Gal.* 6, 14), ad humilitatem quoque et mortificationis spiritum formentur, quo sacerdotio aucti et in mundo viventes, etiam ea quae licita sunt sed non expediunt, prompte abdicare valeant.

Vigili diligentique cura educentur ad sacerdotalem castitatem, vi cuius sacerdotes, secundum proprias diversorum rituum Ecclesiae leges, integra animi et corporis deditione Domino inserviunt atque aptissimum impetrant auxilium ad perfectam caritatem in ministerio continuo exercendam. De periculis quae eorum castitati in huius temporis societate occurrunt, alumni moneantur et aptis praesidiis instruantur; ita conformentur ut bonis quoque matrimonii christiani eiusque in Ecclesia dignitate clare cognitis, optione mature deliberata ac magnanimi, digniorem ac beatiorem Domini praeferant amorem eiusque Regno dilatando semetipsos offerant hostiam viventem, sanctam, Deo placentem (cf. *Rom.* 12, 1).

Discant imprimis alumni per oboedientiam semetipsos Ei coniungere qui factus est « oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis » (*Phil.* 2, 8); Mysterio Ecclesiae ita imbuantur ut in sacerdotali ministerio obeundo, proprio Episcopo tanquam fidi cooperatores laeta oboedientia adhaerentes et sociam cum fratribus operam praestantes, testimonium exhibeant illius unitatis, qua homines ad Christum attrahuntur.

16. [*Formatio etiam humana perfecte comparanda*]. Cum formatio christiana et sacerdotalis etiam formationem humanam complectatur oporteat, illae quoque virtutes sedulo curentur, quae omnibus hominibus necessariae sunt et in civili societate magni aestimantur cuiusmodi sunt vitae integritas animique sinceritas, a fallacia et a cuiusvis generis simulatione abhorrens, assidua iustitiae cura, promissis servata fides, in agendo urbanitas, in conversando comitas cum modestia et caritate coniunctae, quae omnia sacerdotem valde decent et apostolatum multum iuvant.

IV. *De institutione intellectuali.*

17. [*Ratio Studiorum particularis in singulis nationibus condenda*]. Cum scientia praesertim sacra sacerdos excellere debeat, studiorum curriculum sacrorum alumnorum secundum venerandas Ecclesiae consuetudines omni ope curandum est. Cum vero in tanta gentium regionumque diversitate nonnisi
[33] generales de studiis leges ferri possint, in singulis nationibus peculiaris Ratio Studiorum habeatur, a competenti Auctoritate Ecclesiastica illius territorii statuta et a Sancta Sede approbata, qua leges universales evolvantur et peculiaribus locorum temporumque adiunctis accommodentur, ut sacerdotalis institutio pastoralibus necessitatibus semper respondeat illarum regionum in quibus ministerium exercendum erit.

Ii vero qui ad ipsas disciplinas docendas vel promovendas destinantur vel ad peculiaria munera obeunda vel ad specialia ministeria exercenda, oppor-

tuno tempore ad studiorum ecclesiasticorum Facultates vel Instituta mittantur [33]
ut superiorem scientificam institutionem obtineant et gradus academicos consequantur.

18. [*Curriculum studiorum praeviorum opportune complendum*]. Antequam sacrorum alumni studia proprie ecclesiastica aggrediantur, necesse est ut studiorum mediorum curriculum secundum praescripta in numero 5 rite absolverint. Quodsi adolescentes vocationem sacerdotalem amplectuntur solummodo post peracta studia media quae non plene respondent iis quae futuris viris ecclesiasticis praescribuntur, necesse est, ut compleant ea quae desunt antequam ad curriculum studiorum proprie ecclesiasticorum accedant. De disciplinis supplendis et de temporis spatio quo huic studio incumbere debent, decernat competens auctoritas ecclesiastica ad mentem Rationis Studiorum quae in singulis regionibus pro studiis ante ingressum in Seminarium Maius absolvendis viget.

19. [*Studia philosophica melius coordinanda cum studiis theologicis*]. Studiorum ecclesiasticorum curriculum cursum philosophicum et theologicum complectitur. Cum vero philosophicus cursus theologico sit propaedeuticus, utriusque disciplinae cursus arcte et harmonice coordinentur, atque curetur ut sacerdotalis et pastoralis visio iam ab initio alumnis late aperiatur; Sacrae Scripturae praesertim lectione, qua generalis biblica intelligentia declaratur illius Christi mysterii, quod totam humani generis historiam pervadit.

In universum praeterea, collatis inter magistros consiliis, enitendum est ut disciplinarum et tractatuum ordo et nexus alumnorum mentibus clare pateat. Omni ope quoque magistri discipulos adiuvent ad audita et lecta proprio nisu peragranda et assimilanda, illosque, sapienter accommodata docendi ratione, institutis quoque colloquiis aptisque exercitationibus et praecipue suo ipsorum exemplo ad studiorum sacrorum amorem ita conforment, ut ex ipso, etiam sacerdotio aucti, lumen et robur pro suis aliorumque necessitatibus haurire pergant.

20. [*Studia philosophica apte recognoscenda*]. In cursu philosophico Philosophia perennis, secundum S. Thomae rationem, doctrinam et principia, accurate distinctis iis, quae ab omnibus propter fidei doctrinam servandam retineri debent, ab opinionibus, quae libere inter catholicos controvertuntur,
ita tradatur ut eius absolutam cohaerentemque synthesim alumni acquirant, [34]
omnium praecipuorum argumentorum solido atque accurato studio, omissis quaestionibus tum illis, quae vix ullum momentum retinent, tum eis, quae ad altiora academica studia remittenda sunt.

Introducantur alumni ad cognoscenda et critico iudicio subiicienda systemata philosophica praesertim suae ipsorum aetatis, quae in propria natione maiorem influxum exercent ita ut, quae bona probantur teneant, errores ad religionem praesertim spectantes refellere discant et hominum, quos evangelizare debent, mentem cognoscant quo aptius propriae aetatis quaestionibus respondere valeant. Etiam recentiores quaestiones e progressu scientiarum

[34] naturalium ortae tractandae sunt, ne alumni imaginem mundi iam obsoletam prae oculis habeant.

21. [*Institutio theologica communicanda integra, harmonica et vitalis*]. In cursu theologico theologia sacra, duce Ecclesiae Magisterio, ita tradatur ut alumni doctrinam catholicam ex divina revelatione accurate haustam profunde penetrent, propriae vitae spiritualis reddant alimentum atque in ministerio sacerdotali annuntiare, exponere atque tueri valeant. Omnes vero disciplinae theologicae, in Ratione Studiorum determinatae, ita doceantur ut cohaerenter in hunc finem conspirent, quippe quae singulae, ex intrinsecis proprii obiecti rationibus, mysterium Christi in historia salutis a Divinis Scripturis annuntiatum et in Ecclesia semper in actu clara in luce ponere debeant.

22. [*Peculiaria monita de studiis scripturisticis et dogmaticis*]. Quare Sacrae Scripturae studio, quae universae theologiae prope anima esse debet, peculiari diligentia alumni instituantur; congrua introductione praemissa, in exegeseos methodum accurate initientur, maxima divinae Revelationis themata perspiciant et in Sacris Scripturis quotidie legendis et meditandis incitamentum et adiumentum recipiant.

Singuli etiam tractatus dogmatici ita disponantur ut ante omnia ipsa themata biblica proponantur; quid Patres ad singulas Revelationis veritates fideliter transmittendas et enucleandas contulerint necnon ulterior dogmatis historia — considerata quoque ipsius relatione ad generalem Ecclesiae historiam — alumnis aperiatur; deinde ad mysteria salutis integre quantum fieri potest illustranda, ea ope speculationis, S. Thoma magistro sicut de philophia dictum est, intimius penetrare eorumque nexum perspicere alumni discant; eademque semper in cultu et vita Ecclesiae praesentia et operantia agnoscere edoceantur; atque humanorum problematum solutionem sub revelationis luce quaerere, eius aeternas veritates mutabili rerum humanarum condicioni applicare easque modo coaevis hominibus aptato communicare discant.

Manuducantur alumni ad plenius cognoscendas eas communitates quae christiano nomine decorantur, sed ab Apostolica Sede sunt seiunctae, ut fratres iuvare possint ad unitatem a Domino Nostro expostulatam.

[35] Introducantur etiam ad alias religiones cognoscendas in singulis regionibus magis vulgatas, quo melius id quod boni, Deo disponente, habent, agnoscant, errores refellere discant et plenum veritatis lumen non habentibus communicare valeant.

V. *De institutione stricte pastorali.*

23. [*Studiorum ecclesiasticorum indoles pastoralis particulari cura excolenda*]. Pastoralis sollicitudo, quemadmodum totam alumnorum formationem pervadere et imbuere debet, sic quasi vitalis halitus in disciplinis praesertim sacris tradendis a magistris diffundatur oportet, ut doctrinalis quoque insti-

tutio vere pastoralis evadat. Praeterea in Seminariis alumni diligenter instruantur in iis quae sacro ministerio ab ipsis exercendo peculiari ratione inserviunt. [35]

a) Accurate praeparentur ad sacram praedicationem et ad catecheticam institutionem tum pueris tum adultis apta impertiendam methodo.

b) Item sacram liturgiam ita celebrare addiscant, ut eius virtutem et momentum persentientes, secundum normas ab hac Sancta Synodo stabilitas, populum sibi committendum ad consciam et actuosam participationem manuducere valeant.

c) Insuper alumni diligenter instituantur ut principia in primariis disciplinis theologicis acquisita apte adhibere valeant in vita christiana tum communitatis tum singulorum fovenda; in fidelibus scilicet ad sacramenta suscipienda parandis, in officio pastoris praesertim in paroeciis obeundo, in animarum dirigendarum arte, in munere occurrendi errantibus et incredulis.

d) Peculiari cura alumni reddantur idonei ad apostolicam laicorum actionem excitandam et fovendam; cum efficacioribus formationis laicorum methodis necnon cum potioribus ipsorum associationibus atque apostolicis inceptis reddantur familiares. Laicorum cooperationem magni facere discant eosque humiliter et aperta mente audire assuescant, ut rei familiaris, vitae professionalis et socialis necessitates rectius cognoscant et in difficultatibus vitae christianae et apostolicae ab ipsis laicis gerendae consilium et auxilium praestare valeant.

e) Ad christianum sensum socialem alumni sedulo informentur; de iis quaestionibus quae coaevam societatem exagitant, doctrinam socialem Ecclesiae bene cognoscant eamque rite proponere valeant; secundum rerum adiuncta potiorum eius applicationum aliquod experimentum capiant, simul vero ab iis quae ad sacerdotem non pertinent abstinere sciant. Cetera etiam subsidia assumant quae disciplinae tum paedagogicae, tum psychologicae, tum sociologicae actioni pastorali utiliter afferre valent, iuxta rectas methodos, consilia et monita Auctoritatis ecclesiasticae.

f) De recentioribus quoque communicationis socialis instrumentis necnon de inceptis ad animi relaxationem spectantibus alumni, per graduales cognitiones et moderatos usus, congrue edoceantur ut eorum pro integra educatione humana momentum recte aestiment, eadem regno Dei utilia reddere, pericula autem cum iis saepe connexa praecavere sciant.

24. [*Pastoralis praxis aptis exercitationibus inchoanda*]. Cum opus sit ut alumni apostolatus artem non tantum theoretice, sed etiam practice addiscant, iam durante studiorum curriculo tempore quoque feriarum, ad praxim pastoralem initientur opportunis exercitationibus, quae pro alumnorum aetate ac locorum temporumque condicione, prudenti Episcoporum iudicio, tali quidem modo ne formationi spirituali et intellectuali damnum afferatur, sed methodice et sub peritorum magistrorum ductu fiant. Peculiari cura alumni exerceantur in actuosa una cum aliis socia praestanda opera, et cum apostolica incepta non solum paroeciae, sed ipsius dioecesis fines saepe transcendant, etiam ad proprium apostolatum in ampliore campo coordinandum praeparentur. [36]

[36] 25. [*Disciplinarum nexus et alumnorum tentamina promovenda*]. Etsi alumni sub variis istis aspectibus ministerio pastorali diligenter parandi sunt, nimia disciplinarum et lectionum multiplicatio sedulo vitetur. In Ratione igitur studiorum (de qua in numero 17) determinetur quaenam in traditis disciplinis philosophicis et theologicis opportune sint consideranda, quaenam particularibus studiorum vel exercitationum cursibus sint committenda. In singulis autem disciplinis vera et profunda formatio potius quaeratur quam mera notionum communicatio. Itidem Magistri cum ad proprios alumnorum conatus stimulandos attendant tum maxime illos edoceant ad fructuosam actionem pastoralem, divinam gratiam praeprimis esse necessariam et proinde orationis atque sacrificiorum auxilium omnibus aliis subsidiis semper et ubique anteponendum.

VI. *De institutione post Seminarium perficienda.*

26. Sacerdotalis institutio ob recentioris potissimum vitae adiuncta post Seminarium prosequenda et perficienda est, primis annis vitae sacerdotalis, sub aspectu spirituali, intellectuali et praesertim pastorali, ut neosacerdotes a quodammodo tecta et collecta Seminarii vitae consuetudine ad actuosam et non paucis periculis obnoxiam pastoralem navitatem sine incommodo transeant.

Quare Episcopi sollicitam eis paternamque curam continenter praestent, atque opportunitatem eis praebeant aptum spiritus directorem habendi, recollectiones menstruas et exercitia spiritualia ipsis aptata frequentandi ac pias consociationes sacerdotales participandi.

Parochi vero novensiles sacerdotes caritate vere fraterna suscipiant, in ministerio exercendo paterne adiuvent et moneant; ad quod maxime iuvabit vitae communis inter clericos consuetudo, summopere laudanda atque suadenda, uti in Directorio generali Parochorum huius Sanctae Synodus iussu edendo ulterius statuitur.

27. Ad pastoralis actionis primos gressus tutius dirigendos valde iuvabit pastoralem institutionem in Seminariis receptam per aliquot annos peculiari cura complere, diversis illis modis qui secundum Episcoporum experientiam in singulis regionibus videantur aptiores.

[37] 28. Illud tandem meminerint quotquot maximo sacerdotum formandorum operi se dedicaverint, quod « cum apparuerit Princeps Pastorum, immarcescibilem gloriae coronam » (*1 Pt.* 5, 5) ipsi percipient et eo pretiosiorem, quo Christo acceptiores ministros eosque in ministerio fecundiores recta paraverint institutione.

IV. Explicantur « Propositiones » desumptae ex schemate « De Institutione Sacerdotali » [37]

Commissio mense decembris 1963 animadversiones expetivit ab eis coetibus Episcoporum qui propriam de schemate mentem nondum aperuerant. Quorum responsa dum pervenirent, Commissio de Concilii laboribus coordinandis die 23 ianuarii 1964 dedit mandatum, ut schema ad propositiones principaliores Concilio submittendas reduceretur. Commissio de Seminariis, de Studiis et de Educatione Catholica igitur, in conventu a die 3 ad diem 11 martii 1964 celebrato, omnium Patrum animadversionibus perpensis, conata est ex schemate praecedenti ab ipsa emendato eas desumere Propositiones quae:

a) quoad formam brevitatem cum claritate ita coniungunt ut facile et cito a Patribus perpendi atque approbari possint;

b) quoad substantiam puncta vere essentialia continent atque, dum antiquas sapientesque normas quae quovis tempore validae probantur, confirmant, novas inducunt, quarum ope sacerdotalis institutio praesentibus necessitatibus efficacius accommodari valeat;

c) quae denique, principiis ab omnibus servandis clare enunciatis, quam maxime eo tendunt ut sacerdotalis institutio a competenti auctoritate ecclesiastica territoriali locorum et gentium adiunctis melius possit aptari. Exinde iam patet permulta utilia, immo utillima in his propositionibus praecipienda non fuisse, quia determinatis tantum circumstantiis regionalibus vel culturalibus conveniebant.

Cum ipsum schema, e quo hae « Propositiones » excerptae sunt, in praecedentibus iam luculenter illustratum sit, pauca sufficere possunt ad singulas propositiones ulterius explicandas.

Prooemium gravissimum proclamat momentum institutionis sacerdotalis rationemque arctissimam qua huius institutionis accommodata renovatio cum finibus a Concilio Vaticano II intentis connectitur.

Dum ad ea remitto, quae in huius Relationis exordio hac de re perstricta sunt, duorum Praesulum maxime peritorum optata recentissime Commissioni transmissa allego:

« Questo tema gravissimo, se non sbaglio dovrebbe stare al *primo posto* nel Concilio perché risolto il problema della santità del Clero, tutto il resto procederà bene; non risolto questo problema, tutti gli altri problemi rimarranno lettera morta ».

« If the great work of the Council and the spirit of renewal it has generated is to permeate the world, it is the Seminaries that must become the real [38]
bridge to the future of the Church ».

Ad n. 1: Nova maximi momenti ibi statuitur norma: in singulis scilicet nationibus vel ritibus peculiaris « institutionis sacerdotalis Ratio » ineatur. Quod necessarium omnino videtur, nam tanta est nationum, culturarum, condicionum socialium, venerabilium traditionum ecclesiasticarum varietas, ut

[38] totalis uniformitas in clericis ad sacerdotium instituendis neque possibilis neque optabilis appareat. Imprimis Ratio studiorum, sicut in variis ipsius schematis editionibus iam praescriptum erat, sed etiam universa institutio sacerdotalis, id est Seminarii ordinatio, clericorum vita communis, disciplina, institutio spiritualis, exercitia pastoralia variis locorum adiunctis accommodanda sunt. Quod quidem maxime respondet iis quae praecipue a novellarum Ecclesiarum Praesulibus expostulata sunt.

« ... *ab Episcoporum coetibus statuenda* »: Necessaria accommodatio secundum normas communes facienda est, pro clero saeculari ab Episcoporum coetibus, et congrua ratione a Moderatoribus Maioribus pro clero regulari (cf. Statuta Generalia Constitutioni Apostolicae « Sedes Sapientiae » adnexa, art. 19). Mens Commissionis nullatenus fuit singulorum Episcoporum officium et potestatem circa propria Seminaria coarctare; ipsius enim Episcopi est omnia et singula quae ad rectam Seminarii dioecesani administrationem, regimen, profectum necessaria et opportuna videantur, decernere. Sed praecipua accommodationis principia collatis in coetibus Episcoporum consiliis melius determinanda videntur in communem omnium utilitatem. Praesertim ad Rationem Studiorum quod attinet, quaedam uniformitas in eadem natione omnino optanda est, nisi adiuncta vere diversa in regionibus eiusdem nationis adsint. Confidendum omnino est Coetus Episcoporum, principio subsidiarietatis alte perspecto, singularum dioeceseon Pastoribus adiutorium eatenus praestare, quatenus in aliquibus institutionis sacerdotalis rationibus requiritur (cf. numeros 4, 5, 19).

« *certis temporibus recognoscenda* »: ratio enim institutionis etsi quadam stabilitate pollere debet, labente tempore, novis exsurgentibus necessitatibus adaptanda erit.

ab Apostolica Sede approbata: ita ut in ipsa varietate necessaria unitas servetur et fructus quoque multorum experientia collecti ad invicem facilius communicentur.

Ad nn. 2 et 3: Media ad vocationes sacerdotales fovendas commendantur ac simul earum accurata selectio, tantopere desiderata, inculcatur. Vocatio sacerdotalis, etsi tota sit Dei donum, sicut universa humani generis salus ministerio hominum est ex divina dispositione adimplenda. Omnia igitur Ecclesiae Membra evigilentur oportet ut propriam in vocationibus fovendis, tuendis et provehendis operam alacriore navent animo. Praecipue autem una cum familiarum christianarum momento urgetur sacerdotum exemplum; nam experientia millennaria constat, in iuvenum animis vocationi divinae viam saepissime parari exemplis vitae vere sacerdotalis, speciatim fraternae inter sacer-
[39] dotes caritatis, quippe quae quam maxime incitet ad vocationem sequendam; quae cum desit, ceteri nisus fere frustrantur.

Ad n. 4: Condiciones essentiales indicantur ad bonam Seminariorum ordinationem requisitae, quarum prima est accurata moderatorum et magistrorum selectio eorumque congrua ad haec officia praeparatio. Meritum quod Concilium Tridentinum, aptiore institutione clericorum inducta, de vita Ec-

clesiae renovanda sibi comparavit, ab hac Sacrosancta Synodo completur, si [39] perfectiori praeparationi spirituali et paedagogicae consulat eorum quorum curae iuvenes levitae committuntur.

Hic quoque afferri iuvabit testimonium Excellentissimi Praesulis qui per plus quam triginta annos clericorum ad sacerdotium instituendorum officio functus, causam praecipuam malorum quae hodie Seminariorum vitam perturbant indicat hanc: « *l'impreparazione* dei Superiori dei Seminari, impreparazione tecnica, l'ignoranza dei Documenti della Chiesa, la faciloneria nel crearsi sistemi personali di educazione, di selezione, di ammissione agli Ordini. Per questa causa avvengono tanti disastri. Sarebbe tempo di affrontare questo problema radicalmente.

Il Concilio di Trento è rimasto immortale specialmente per la creazione dei Seminari. Rimarrebbe immortale anche il Vaticano II, oltre che per gli altri importantissimi temi, se creasse " istituzioni " o " corsi obbligatori " o " iniziative di qualsiasi nome " per la formazione, l'educazione professionale e l'aggiornamento dei " Formatori " del Clero ».

Ad n. 5: Abunde quoque constat quanta damna alumnorum institutio de facili patiatur in studiorum sedibus quibus desunt magistri vere conspicui, congruus alumnorum numerus, opes vel facultates sufficientes. Urgetur propterea erectio seminariorum pluribus dioecesibus communium, « ubi singulae dioeceses Seminario rite instruendo impares sint ».

Statuitur autem ut in determinandis Seminariorum regionalium vel nationalium Statutis, omnes Episcopi quorum interest, partem habeant. Secundum multorum Praesulum vota derogatur igitur praescripto canonis 1357, paragraphi 4: « Seminarii interdioecesani vel regionalis regimen universum et administratio regitur normis a Sancta Sede statutis ».

Ad n. 6: Statuitur principium summi momenti pro cohaerenti totius institutionis unitate tuenda: « Seminarium inservire debet ad veros animarum Pastores formandos ».

Ad nn. 7-10: Institutio spiritualis alumnos ad ipsos vitae spiritualis *fontes* imprimis conducat oportet eosque ita conformet ut in virtutum theologicarum potissimum exercitio amicorum more Christo adhaerere discant. In numero *octavo* paucis insinuantur notae spiritualitatis sacerdotis, qui intima communione cum Episcopo, in quo inest sacerdotii plenitudo, et socia cum confratribus opera in ministerio et ex ministerio sanctificari debet; quae futura pastoralis navitas in alumnis instituendis iam in Seminario continuo prae oculis habenda est. In *nono* numero ea disciplinae moderandae ratio praescribitur qua alumni tum ad oboedientiae sensum ac praxim tum ad spiritum responsabilitatis personalis ac ad opera ultro sponteque incipienda conformentur. In [40] numero *decimo* duo subsidia suggeruntur, quibus secundum plurimorum Episcoporum sententiam et experientiam pleniori spirituali alumnorum institutioni eorumque securiori probationi hodiernis in adiunctis consuli potest; quae subsidia autem liberae Episcoporum determinationi relinquuntur.

Ad n. 11: Studia praevia indicantur, tum ea quae, sicut iuvenes exculti

[40] propriae nationis, etiam clerici perficere debent, tum ea quae futuris sacerdotibus sunt propria, sicut congrua latini sermonis cognitio cuius ratio apte et moderate determinatur.

Ad nn. 12-15: Insinuatur apta studiorum ecclesiasticorum recognitio ita ut alumni ab initio integrum conspectum acquirant mysterii Christi cui totos se devovere percupiunt; melius curetur studiorum philosophicorum et theologicorum coordinatio necnon singularum disciplinarum cohaerens connexio; solida institutione scientifica plene servata, intendatur non mera instructio, sed testium fidei formatio, qui — necessitatibus populorum et temporum apprime consideratis — suae aetatis hominibus laetum salutis nuntium communicare valeant.

Quae quidem in schemate a Commissione secundum Patrum animadversiones recognito apertius et plenius declarata erant; quae vero in Propositione 14 concinne perstringuntur, quoad substantiam saltem respondent optatis quae una cum plurimis aliis Patribus Secretarius generalis cuiusdam magnae Conferentiae Episcopalis protulit: « ... it seems imperative that the presentation of Theology, Scripture, etc., should be more living and dynamic, co-ordinated and unified, integrated with the life of the student, slanted towards the apostolate and correlated with the world of today and the country in which the students are to operate ».

Ad nn. 16-18: Ad formationem pastoralem melius promovendam quaedam particularia commendantur, nostris temporibus maxime necessaria, sicut est laicorum ad apostolatum promotio. In numero autem *duodevicesimo* principium magni momenti statuitur, nempe de necessitate formationis non tantum theoreticae, sed etiam practicae, quae propterea apta ratione et mensura iam studiorum tempore est inchoanda ut e Seminario exeant sacerdotes ad ministerium exercendum vere instructi.

Ad n. 19: Tangitur quaestio transitus a quodammodo tecta Seminarii vitae consuetudine ad actuosam et non paucis periculis obnoxiam pastoralem navitatem. Qui transitus praebet novellis sacerdotibus quaestiones gravissimas (« problemi immensi, nuovi e spiritualmente drammatici », Paulus PP. VI f. r. in Allocutione habita die 11 martii 1964 coram sacerdotibus Instituti « Gian Matteo Giberti » ex dioecesi Veronensi). Profecto formatio post seminarium prosequenda et perficienda est, primis sacerdotii annis, qui tanti momenti sunt pro tota vita sacerdotali. Summus Pontifex feliciter regnans in Allocutione laudata de huiusmodi continuata iunioris cleri formatione edixit: « È davvero cotesta un'istituzione così provvida e saggia, così reclamata dalle con-
[41] dizioni della vita pastorale moderna, da doversi ormai dire necessaria; il Concilio Ecumenico ne farà probabilmente oggetto di studio ».

Commissioni igitur cordi fuit hanc curam Episcoporum coetibus enixe commendare ut sicut Concilium Tridentinum primas leges de Seminariis sapientissime promulgavit, ita Concilium Vaticanum II primas normas de Post-Seminariis opportune tradat.

Eo tandem hae Propositiones spectant ut principia generalia de sacerdotali

institutione, quae tanti momenti est pro Ecclesia, a Sancta Synodo suprema [41]
sua auctoritate declarentur; quaedam iam antea praescripta renovantur; quaedam nova statuuntur, quaedam vero commendantur, eo consilio ut Seminariorum Institutum a Tridentina Synodo salubriter conditum, secundum temporum et locorum adiuncta, efficaciter recognoscatur.

C) DOCUMENTA SANCTAE SEDIS

Documenta Sanctae Sedis recentiora quaedam et principaliora:

S. PIUS X, Exhortatio ad Clerum Catholicum *Haerent animo,* 4 aug. 1908: *S. Pii X Acta,* IV, pp. 242-244.

PIUS XI, S. C. de Sacramentis, Instructio *Quam ingens Ecclesiae,* ad locorum Ordinarios, 27 dec. 1930: *A.A.S.,* 23, pp. 120-129;

Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), pp. 37-52.

PIUS XII, Allocutio ad universos Clericos Studentes eorumque Moderatores, 24 iun. 1939: *A.A.S.,* 31 (1939), pp. 245-247;

Adhortatio Apost. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950);

Litt. Encycl. *Sacra Virginitas,* 25 martii 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 161-191;

S. C. de Sacramentis, Instructio *Magna equidem,* 27 dec. 1955, ad locorum Ordinarios.

IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Sacerdotii Nostri primordia,* 1 aug. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), pp. 545-579.

Allocutiones in tribus Sessionibus Synodi Romanae: *A.A.S.,* 52 (1960), pp. 201-211; 221-230, 240-251;

Allocutio ad Sacrorum Alumnos, 28 ian. 1960: *A.A.S.,* 52 (1960), pp. 262-270;

S. C. de Seminariis et Stud. Univ. Epist. circul. *De aliquibus formationis ecclesiasticae quaestionibus,* 5 iun. 1959, centum devolutis annis ex S. Ioannis B. Vianney morte, ad locorum Ordinarios;

Epist. circul. *De aliquibus gravibus formationis ecclesiasticae quaestionibus,* 27 sept. 1960, trecentum ex S. Vincentii de Paoli morte revolutis annis, ad locorum Ordinarios.

PAULUS VI, Epist. Apost. *Summi Dei Verbum.* Quarto exacto saeculo post constituta a Concilio Oecumenico Tridentino sacra Seminaria, 4 nov. 1963:
A.A.S., 55 (1963), pp. 979-995; ibidem haec quoque continentur: « ... ad [42]
Oecumenicum Concilium Vaticanum II lata est Constitutio *De Sacrorum alumnis formandis,* quae, cum probata erit, opportuna Concilii Tridentini decreta, aliaque subsequentia Apostolicae Sedis praescripta perficiet, et sine ulla dubitatione id dabit, ut valde procedat opus ad sacerdotii tirones conquirendos spectans, atque, quod sane maioris momenti est, ad eosdem sive ad sacerdotalium virtutum amorem et exercitationem, sive ad sacrorum

[42] rituum, sive ad ingenii culturam, sive ad pastoralem, quam vocant, disciplinam informandos.

Dum igitur praeclaras normas, quae de Seminariis a Concilio Oecumenico edentur, exspectamus, supremi muneris Nostri partes esse putamus, omnes hortari, qui sacrorum alumnis erudiendis dant operam, ut pariter pericula acri animo perpendant, quae artem educandi, in Seminariorum usum nunc receptam, eiusque efficacitatem extenuare possunt, atque pariter ea prospiciant, quae in eorumdem institutione alumnorum impensiore studio sunt accuranda » (p. 989);

Allocutio in eadem occasione habita: *A.A.S.*, 55 (1963), pp. 1030-1035;

Allocutiones: in Pontificio Collegio Pio Latino Americano (30 nov. 1963); in Pontificio Seminario Romano Maiore (8 febr. 1964); in Pontificio Collegio Pio Brasiliano (28 aprilis 1964);

Nuntius Radiophonicus pro die Vocationum (11 aprilis 1964).

[5]

2 – Exc.mi P. D. IOSEPH CARRARO
Episcopi Veronensis

RELATIO *

Venerabiles Patres,

In fasciculo [1] « De Institutione sacerdotali » qui iam mense Maii Vobis transmissus est, a pagina 13 ad paginam 41, laboriosum describitur huius argumenti iter. Huius itineris historiam igitur hic ne perstringere quidem debeo.

Hoc unum autem liceat mihi notare. Labor ille perarduus, etsi non omnes eius fructus iam nunc maturitatem consecuti sint, inutilis nullatenus habendus est. Ea quae a Commissione Praeparatoria et ab ipsa Commissione Conciliari parata sunt, summam quandam constituunt plurimorum votorum ab Episcopis atque a peritissimis ecclesiasticis viris undequaque receptorum et accuratis disceptationibus iterum atque iterum ponderatorum. Quae omnia perutilia fore sperare fas est Sanctae Sedi et Episcoporum Conferentiis, quando ulteriores parabuntur Instructiones et Directoria nec non in Iure Canonico recognoscendo.

Nec silere vellem fructum quendam immediatum ac periucundum, mutuam scilicet in Commissione Praeparatoria et Conciliari consiliorum et operae consortionem, fraterno semper spiritu animatam, in ipsis quoque opinionum differentiis.

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus est in congregatione generali 101, die 14 octobris 1964.

1. Ad ipsas *Propositiones* vero quod attinet, notandum est imprimis, eas — secundum mandatum receptum a Commissione de laboribus Concilii coordinandis — excerptas esse ex schemate Constitutionis « De sacrorum alumnis formandis » mense Maii anni 1963 Vobis, Venerabiles Patres, transmisso. Circa illud schema plurimae animadversiones Conferentiarum Episcopalium et singulorum Patrum pervenerunt, quae in schemate recognoscendo non parum nos adiuvarunt; harum animadversionum auctoribus, totius Commissionis gratissimos sensus, hac mihi oblata occasione, pandere gaudeo. [5]

Etiam circa *Propositiones* recepta sunt quaedam documenta magni ponderis atque plures animadversiones, quae de singulis punctis utiles suggerebant mutationes. Secundum facultatem ab Auctoritatibus Concilio praesidentibus communi deliberatione concessam, Commissioni visum est peropportunum, quaedam in Propositionibus iam statim corrigere, quaedam alia addere, ita ut hoc documentum vel magis satisfacere posset Vestris exoptatis. En ratio textus emendati in huius Relationis Appendice positi, qui nunc Vestro suffragio submittitur.

2. Ex comparatione utriusque textus facile Vobis innotescunt emendationes ...[2] a Commissione introductae. De emendatarum Propositionum ordine et materia singillatim disserere necessarium non videtur. Notare [6]
tantum velitis quaedam additamenta maioris momenti a pluribus Patribus expostulata: veluti succinctam descriptionem elementorum et signorum vocationis sacerdotalis (cf. paragraphum secundam Propositionis secundae), novas propositiones de Seminariis Minoribus (Prop. 3), ...[3] de diligenti praeparatione ad castitatem sacerdotalem (Prop. 10), de disciplinis ecclesiasticis aptiore ratione tradendis (Prop. 17), necnon textus accuratius de totius formationis fine pastorali (Prop. 4) et de institutione theologica agentes (Prop. 14 et 16). Schema Propositionum emendatum absque dubio effectum est magis amplum. Sed fere omnes Conferentiae Episcopales et Patres, qui de Propositionibus suas animadversiones miserunt, censuerant plura esse dicenda; immo non deerant qui ad integrum schema redeundum esse fortiter dictitaverint. Ergo potius Vestram veniam petere debemus, quod ob limites nobis impositos non omnia additamentorum desideria explere potuimus.

3. Imprimis autem invitare Vos desidero, Venerabiles Patres, ut vel brevissime mecum perpendatis nexum organicum et vividum, quo hae « Propositiones de Institutione sacerdotali » cohaerent cum ceteris huius Concilii documentis, praecipue cum Constitutione Dogmatica « De Ecclesia », quae veluti cardo censendus est omnium quae in hac Aula communi nisu investigantur et disputantur, statuuntur et proclamantur. Qui nexus valet non tantum in ordine constitutivo Ecclesiae, ita ut de

[6] mysterio Ecclesiae ne cogitare quidem possimus nisi cum sacerdotio Christi, sed etiam in ordine, ut ita dicam, operativo seu practico.

Reapse ea quae in illius Constitutionis capite III asseruntur de *Episcopi* muneribus eiusque dotibus requisitis in munere docendi (cf. n. 25), sanctificandi (cf. n. 26) et regendi (cf. n. 27), supponunt Episcopum qui sit perfectus « Homo Dei », vere « Pastor Bonus » et « Magister sapiens », « ad omne opus bonum instructus » (*2 Tim.* 3, 17). Sed Episcopi « non nascuntur (*sicut poetae* [4]), sed fiunt »; ex « gremio presbyterorum » assumi solent; opus illis fuit optima praeparatione intellectuali, spirituali et pastorali. Media in operositate ministerii sacerdotalis haec praeparatio accrescere quidem potuit ac debuit; eius autem initia et solida fundamenta illis ponuntur annis quando futuri Pastores in Seminariis formantur.

Ea deinde quae in n. 28 Constitutionis de Ecclesia proclamantur de *sacerdotum* dignitate et potestate sacramentali, de eorundem *vicissitudine* [5] cum Christo, cum Episcopo, cum confratribus et cum populo christiano, — *ea quoque quae ibidem postulantur ut eorum ministerium pastorale evadat vere efficax,* [6] — omnia haec non quasi fortuitu obtinentur, sed nonnisi adaequata formatione parantur.

Quare Propositiones istae de institutione sacerdotali quaedam quasi corollaria sunt quae necessario ex huius Concilii Constitutione principali derivantur. Analogo modo illustrari posset intima ratio qua nostrae
[7] Propositiones ad Constitutionem De Sacra Liturgia, ad Decretum « de pastorali Episcoporum munere », ad Propositiones de Sacerdotibus et ad cetera documenta a Concilio parata referuntur. Neque oblivisci quis potest, omnium Decretorum conciliarium executionem magna ex parte pendere a spiritu atque universa ratione quibus sacrorum alumni ad ministerium sacerdotale praeparantur... [7]

4. Hae autem Propositiones, tum ad res in eis perstrictas tum ad proponendi modum quod attinet, respondentne reapse isti *vicissitudini* [8] cum universa Concilii opera? Congruuntne ipsis finibus ab hoc Concilio intentis eiusque notis characteristicis? Responsum posse dari affirmativum, mihi videtur. In propositionibus enim has notas inveniri puto:

a) notam pastoralem
b) accommodationem ad nostra tempora
c) accommodationem ad locorum et gentium necessitates
d) synthesim aequilibratam
e) opportunam renovationem.

a) *Nota pastoralis.*

Sollicitudo pastoralis omnes propositiones informat (cf. imprimis nn. 4, 9, 12, 19-22). Vocationum sacerdotalium selectio et promotio in

diversis institutionis gradibus, studiorum ordinatio et finis, eorundem [7]
si opus sit opportuna interruptio, — *confirmatio* [9] personalis, humana et supernaturalis, operositatis apostolicae experimenta, — omnia haec continuo considerantur sub luce ...[10] futuri muneris pastoralis.

b) *Accommodatio ad nostra tempora.*

Institutio sacerdotalis sic impertienda est ut ad vitam praeparet sacerdotalem pro necessitatibus et condicionibus progredientis temporis. Sine dubio existunt principia et normae quae pro vita sacerdotali semper et ubique valent. Nostrae Propositiones innixae in praeclaris documentis Pontificum, praesertim recentiorum et ipsius Papae Pauli VI (*Summi Dei Verbum*), dum illa principia (vel explicite vel implicite) iterum confirmant, normas et methodos ab hodiernis adiunctis expostulata in luce ponunt, etiam iuxta doctrinam et normas pastorales a Summo Pontifice Paulo VI in Suis Litt. Enc. *Ecclesiam Suam* datas. Institutionem sacerdotalem ad progredientis aetatis necessitates opportune adaptandam esse, alte declaratur in ipsa prima Propositione veluti quaedam totius documenti norma directiva, et in aliis quoque Propositionibus iteratim urgetur, imprimis ad formationem philosophicam, theologicam et stricte pastoralem quod attinet (cf. nn. 14, 15, 16 et nn. 19, 20).

c) *Accommodatio ad locorum et gentium necessitates.*

Propositiones ad tantam nationum, culturarum, condicionum socialium, traditionum varietatem continuo respiciunt et rigidam quandam in clericis instituendis uniformitatem omnino devitant. Propterea eadem Propositio prima mandat, ut in singulis nationibus peculiaris totius institutionis sacerdotalis Ratio condatur, a competente auctoritate ecclesiastica territoriali. Ipsius erit Seminariorum ordinationem, alumnorum [8]
vitam communem, studia ab ipsis peragenda, institutionem spiritualem et varia operositatis pastoralis initia locorum et gentium adiunctis sapienter et efficaciter accommodare.

d) *Synthesis aequilibrata.*

Ut institutio sacerdotalis melius hodiernis adiunctis aptetur, propositiones evitare intendunt *apparentem sic dictam « antinomiam »* [11] quae sive durante periodo formationis, sive in ipsa vita sacerdotali percipi *potest*; [12] « antinomiam » scilicet inter *passivismum* qui personalitatem deformet, et « *autonomiam* » *quae* [13] neget vel minuat valorem oboedientiae et disciplinae (cf. nn. 8, 9, 11, 21); antinomiam inter *rectam evolutionem virium humanarum* (n. 11) et *spiritum mortificationis atque abnegationis suiipsius* (n. 9); antinomiam inter *quandam a mundo eiusque periculis separationem et necessitatem adaequati contactus cum realitati-*

[8] *bus socialibus et humanis* (nn. 15, 16, 19, 20, 21); antinomiam inter *orationis et recollectionis spiritum et activitatem apostolicam, generosam et ferventem* (cf. nn. 11, 19, 20, 21).

Has apparentes antinomias, Propositiones superare intendunt non eligendo viam quandam mediam, sic dictum « compromissum », sed potius promovendo *organicam et vitalem synthesim* inter diversas tendentias, immo inspirando in tota educatione *actionem unitariam,* et devitando quamcumque « vivisectionem » in universa activitate formativa (cf. nn. 4, 16) ...[14]

e) *Opportuna renovatio.*

Secundum finem a Concilio intentum, nostrae Propositiones totam institutionem sacerdotalem vigorosae renovationis halitu instaurare volunt. Quod patefit:

1) *in actuosa ad vocationes fovendas conspiratione* quae dilatato corde transcendat oportet fines singularum dioecesium, et necessitates *totius* Ecclesiae respicere debet (cf. n. 2);

2) *in primatu valorum spiritualium* et virtutum supernaturalium, ...[15] spiritus et exercitii orationis, solidae formationis christocentricae in doctrina theologica fundatae et a S. Scriptura et S. Liturgia animatae (cf. n. 18 et alibi);

3) *in intimiore et magis ...*[16] *operosa communione inter Episcopum et sacerdotes,* ad quam formandi sunt sacrorum alumni, qui vividiore cognitione et amore mysterii Ecclesiae ita imbuendi sunt « ut sacerdotio aucti proprio Episcopo adhaerentes et sociam cum confratribus operam praestantes, testimonium exhibeant illius unitatis, qua homines ad Christum attrahuntur » ...[17];

4) *in formatione apostolica,* quae lucem recipiat oportet sive a disciplinis sacris quae magis magisque Mysterium Christi alumnorum mentibus aperiant, ita ut huius Mysterii visio integra et harmonica ipsis semper in propria vita sacerdotali praeluceat (cf. nn. 14 et 16), — sive
[9] ex humanarum rerum profundiore studio et adaequata experientia (cf. nn. 19, 20, 22);

5) *in accentu, quo efferuntur quaedam postulata actualis formationis sacerdotalis* e. g. cura eorum qui maiore aetate vocationem sequuntur; adaequata ordinatio Seminariorum Minorum et Institutorum analogorum (cf. n. 3); singulorum conformatio personalis, sensus propriae responsabilitatis (nn. 7, 21); selectio et formatio Moderatorum (cf. n. 5); recognitio studiorum ecclesiasticorum (nn. 14-17); institutio post Seminarium perficienda (cf. n. 22).

His rationibus breviter indicatis sperare licet, opus a Concilio Tridentino quattuor abhinc saecula feliciter coeptum, a Concilio Vaticano Secundo vere posse compleri, perfici novisque Ecclesiae condicionibus aptari, si prima instaurandae institutionis sacerdotalis lineamenta hic proposita, a Vobis probata, a Conferentiis Episcopalibus opportune applicabuntur et efficaciter in effectum ducentur. [9]

Venerabiles Patres,

Commissio nostra, plene agnoscit:

a) Operam a nobis praestitam perfici posse immo debere Vestris animadversionibus et emendationibus, de quibus iam nunc gratias Vobis anteferimus.

b) « Propositiones » aliis nimis breves, aliis longiores, aliis valde generales, aliis nimis particulares apparere posse. Vos, venerabiles Patres, rogare velimus ut attente consideretis ex una parte limites nobis impositos, ...[18] et ex altera ...[19] nisus peractos ad componenda in unitate, vota et desideria quae ad nos pervenerunt et quae necessitates et realitates sat diversas in mundo respiciebant. Permulta utilia, immo utillima in his Propositionibus praecipienda non erant, immo ne commemoranda quidem, quia determinatis tantum circumstantiis regionalibus vel culturalibus conveniebant...[20]

c) « Propositiones » non exhaurire omnia quae Concilium Vaticanum II vult proferre de argumento tam momentoso pro vita Ecclesiae; ipsas potius constituere quasi initium itineris non brevis quod explendum erit a Commissionibus post Conciliaribus, a Commissione iuris canonici recognoscendi et imprimis a Conferentiis Episcopalibus in singulis nationibus.

« Haec autem (ut dicit PAULUS VI in Litt. Enc. *Ecclesiam Suam*) est quaedam quasi lex nostrae terrestris peregrinationis, temporis cursu circumscriptae, quoniam opus quod nunc inchoatur, numquam finem esse capturum videtur »; sed clamat fidenter Summus Pontifex: « Ecclesia in praesentia vivacior est quam antea numquam ».

Hac spe ducti, Venerandi Patres, Vestrum « placet » petere audemus et in quantum fieri potest non nimis condicionibus onustum, dum Vobis, [10]
Vestrae patientiae Vestroque auxilio gratias agimus et a Deo humiliter imploramus ut sua opitulante gratia ex nostro labore Sanctae Christi Ecclesiae fructum qui semper maneat afferamus.

In oratione: [1] Brevitatis causa omittam — et confido ut hoc a vobis obtineat « placet » — ea quae continentur in pag. 1 meae relationis et referuntur ad histo-

[10] riam textus, et veniam statim ad n. 2 in fine eiusdem paginae. Duo textus sunt prae oculis vestris. Prior textus legebatur in fasciculo coloris viridis iam mense maio huius anni vobis transmisso. Alter est textus emendatus iuxta animadversiones et vota post editionem priorem recepta. [2] nuperrime, secundum facultatem concessam ab auctoritatibus Concilio praesidentibus. [3] et de aliis similibus institutis. [4] (sicut olim dicebatur de poetis, et nunc etiam de diurnariis scriptoribus — « giornalisti » dicitur). [5] necessitudine (est mendum typographicum). [6] deest. [7] Pro Concilio quoque valet illud effatum: « spes messis in semine ». [8] necessitudini. [9] conformatio. [10] et graduali et concreta initiatione. [11] apparentes sic dictas « antinomias ». [12] possent. [13] vel « autonomismum » qui. [14] ita ut, v. g. doctrina, praesertim theologica, in vitam vere traducatur. Vita autem nunquam seiungitur a luce doctrinae. Operositas apostolica ex intentione amoris in oratione et vitae spiritualis vere accensae impulsum et vigorem trahat, et vicissim operositas ipsa vitam interiorem et foveat et nutriat. [15] paupertatis et abnegationis. [16] *conscia et.* [17] ut dicitur in propositione 9. [18] quia de campo spatioso ubi laeti et impigri morabamur in commissione praeparatoria ad hortulum conclusum reducti sumus, et tamen humiliter censemus quod necessaria limitatio quantitatis profecerit perfectioni qualitatis. [19] parte consideretis. [20] Neque fusius repetere voluimus ea quae de clericis et de seminariis dicuntur in aliis schematibus, quia persuasum habemus opus Concilii ad modum unius considerandum esse; ita, e. g. deest in nostris propositionibus satis ampla descriptio formationis liturgicae, quia iam in constitutione *de sacra Liturgia,* et nuper in Instructione sapienter et luculenter de ea dicitur.

[11]

3 – Textus prior — Textus emendatus

Textus prior

[Prooemium]. Sancta Synodus, probe noscens omnium Decretorum exsecutionem atque optatam Ecclesiae renovationem a sacerdotum ministerio magna ex parte pendere, gravissimum institutionis sacerdotalis momentum proclamat, eiusque primaria quaedam principia declarat, quibus confirmentur leges iam saeculorum experientia probatae in easque nova inducantur, quae mutatis temporum rationibus aptius respondeant. Quae sacerdotalis institutio ob ipsam catholici sacerdotii unitatem, omnibus sacerdotibus cuiusvis ritus necessaria est; ideoque haec praescripta, congrua congruis referendo, omnibus applicanda sunt.

Textus emendatus

[Prooemium]. Sancta Synodus, probe noscens optatam *totius* Ecclesiae renovationem a sacerdotum ministerio magna ex parte pendere, gravissimum institutionis sacerdotalis momentum proclamat, eiusque primaria quaedam principia declarat, quibus confirmentur leges iam saeculorum experientia probatae in easque nova inducantur, quae mutatis temporum rationibus aptius respondeant. Quae sacerdotalis institutio ob ipsam catholici sacerdotii unitatem, omnibus sacerdotibus cuiusvis ritus necessaria est; ideoque haec praescripta, congrua congruis referendo, omnibus applicanda sunt.

Textus prior — *Textus emendatus* [11]

I – De sacerdotalis institutionis ratione in singulis Nationibus ineunda

Textus prior

1. Cum in tanta gentium regionumque diversitate nonnisi generales leges ferri possint, in singulis nationibus vel ritibus peculiaris « Sacerdotalis Institutionis Ratio » ineatur, ab Episcoporum coetibus statuenda, certis temporibus recognoscenda atque ab Apostolica Sede approbanda, qua leges universales ad peculiaria locorum temporumque adiuncta accommodentur, ut sacerdotalis institutio, semper respondeat pastoralibus necessitatibus illarum regionum in quibus ministerium exercendum est.

Textus emendatus

1. Cum in tanta gentium regionumque diversitate nonnisi generales leges ferri possint, in singulis nationibus vel ritibus peculiaris « Sacerdotalis Institutionis Ratio » ineatur, ab Episcoporum coetibus statuenda, certis temporibus recognoscenda atque ab Apostolica Sede approbanda, qua leges universales ad peculiaria locorum temporumque adiuncta accommodentur, ut sacerdotalis institutio semper respondeat pastoralibus necessitatibus illarum regionum in quibus ministerium exercendum est.[1]

II – De vocationibus sacerdotalibus instantius fovendis [12]

Textus prior

2. Quamquam fovendarum vocationum opus ad totam christianam communitatem pertineat, tamen maxime in id conferant oportet tum familiae christianae, quae veluti primum seminarium constituunt, tum sacerdotum exemplum atque apostolicus zelus. Omnia pariter media adhibenda sunt, imprimis precationes christianaeque paenitentiae opera, congrua christifidelium instructio, puerorum iuvenumque christiana institutio ut, qui supernum vocationis donum etiam maturiore aetate acceperint, magno animo eidem respondere valeant.

Textus emendatus

2. Fovendarum vocationum opus ad totam quidem christianam communitatem pertinet *quae vita plene christiana,* precationibus, paenitentiae *operibus aliisque subsidiis id promovere debet*; tamen maxime in id conferant oportet tum familiae, quae *suae dignitatis et missionis plene consciae* veluti primum seminarium constituant, tum sacerdotum exemplum atque apostolicus zelus.

Haec actuosa ad vocationes fovendas conspiratio Divinae Providentiae actioni respondet, quae quosdam homines ad Christi Sacerdotium hierarchicum participandum eligit, eis congruas tribuit dotes simulque Ecclesiae committit ut, vocationis signis agnitis, candidatos qui tantum munus recta intentione et plena libertate petierint, comprobatos vocet et Sancti Spiritus sigillo in aeternum consecret.

[12]

Textus prior | *Textus emendatus*

Opus vero fovendarum vocationum fines singularum dioecesium, nationum atque rituum dilatato corde transcendat oportet atque ad universalis Ecclesiae necessitates respiciat, ut illis regionibus auxilium afferri possit, ubi Domini vinea instantius advocat operarios.[2]

3. [Nova Propositio]. – In Seminariis Minoribus ad germina vocationis colenda erectis atque in peculiaribus Institutis quae pro locorum gentiumque adiunctis eundem finem prosequuntur, alumni particulari religiosa conformatione, imprimis apta moderatione spirituali, ad Christum Redemptorem generoso animo sequendum componantur. Viam aliunde ducant quae adolescentium aetati, spiritui et evolutioni conveniat et sanae psychologiae normis plene respondeat, congrua rerum humanarum experientia et consuetudine cum propria familia non praetermissis. Studia ab ipsis peragenda sic ordinentur oportet, ut ea sine incommodo alibi prosequi possint si ad vota saecularia transeunt. Peculiari cura foveantur Instituta aliaque incepta pro eis qui maiore aetate divinam sequuntur vocationem.[3]

[13]

III – De Seminariorum Maiorum ordinatione

6. Integra clericorum institutio eo tendere debet, ut ad Divini Pastoris exemplar, alumni veri animarum pastores formentur. Quare omnes institutionis rationes, spiritualis, intellectualis, disciplinaris, consociata actione ad hunc pastoralem finem ordinentur, eique assequendo sedulam concordemque dent operam omnes moderatores et magistri, sub Rectoris ductu, Episcopi auctoritati fideliter obsequentes.

4. (Olim Propositio 6). [*Integra institutio fini pastorali cohaerenter aptanda*].

In Seminariis *praesertim Maioribus* integra clericorum formatio *exemplum prosequatur oportet ipsum Dominum Nostrum Iesum Christum, Magistrum, Sacerdotem, Pastorem. Quare ad sacerdotalia ministeria spiritu Christi obeunda sacrorum alumni formandi sunt; ad ministerium Verbi: ut Verbum Dei revelatum semper melius intelligant, meditantes possideant, lingua et moribus exprimant; ad ministerium cultus et sanctificationis: ut orantes et sacras liturgicas celebrationes peragentes opus salutis per Sacrificium et Sacramenta exerceant; ad ministerium Pastoris: ut sciant repraesentare hominibus Christum, qui « non*

Textus prior | *Textus emendatus* [13]

venit, ut ministraretur ei, sed ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis» (*Mc.* 10, 45; cf. *Io.* 13, 12-17) *et ut sciant omnium fieri servi, ut plures lucrifaciant* (cf. *1 Cor.* 9, 19).

Quare omnes institutionis rationes, spiritualis, intellectualis, disciplinaris, consociata actione ad hunc finem ordinentur, eique assequendo sedulam concordemque dent operam omnes moderatores et magistri, Episcopi auctoritati fideliter obsequentes.[4]

4. Cum alumnorum institutio, in seminariis maioribus et minoribus, ab idoneis educatoribus magis quam a sapientibus legibus pendeat, seminariorum moderatores et magistri ex optimis viris seligantur atque congrua experientia pastorali et peculiari institutione spirituali et paedagogica diligenter praeparentur. Instituta ergo ad hunc finem assequendum vel saltem Superiorum seminariorum conventus statis temporibus celebrandi promoveantur.

5. (Olim Propositio 4). [*Seminariorum Moderatores melius seligendi et efficacius praeparandi*].

Cum alumnorum institutio ab idoneis educatoribus magis quam a sapientibus legibus pendeat, Seminariorum moderatores et magistri ex optimis viris seligantur atque *solida doctrina,* congrua experientia pastorali et peculiari institutione spirituali et paedagogica diligenter praeparentur. Instituta ergo ad hunc finem assequendum vel saltem Superiorum Seminariorum conventus statis temporibus cele- [14] brandi promoveantur.[5]

3. Vigilanti cura inquiratur de candidatorum recta intentione ac idoneitate, de congrua valetudine physica et psychica, de capacitate sacerdotalia onera ferendi, necessaria adhibita severitate, etiamsi lugenda sit sacerdotum penuria, cum Deus Ecclesiam suam ministris carere non sinat, si digni promoveantur, non idonei vero arceantur.

6. (Olim Propositio 3). [*De alumnorum selectione et probatione*].

Vigilanti cura inquiratur de candidatorum recta intentione *ac libera voluntate,* de idoneitate *morali et intellectuali,* de congrua valetudine physica et psychica, de capacitate sacerdotalia onera ferendi *et officia pastoralia exercendi,* necessaria adhibita severitate etiamsi lugenda sit sacerdotum penuria, cum Deus Ecclesiam suam ministris carere non sinat, si digni promoveantur, non idonei vero *tempestive ad alia munera obeunda paterne dirigantur.*[6]

[14]

Textus prior

5. Ubi singulae dioeceses seminario rite instruendo impares sint, erigantur ac foveantur seminaria pluribus dioecesibus vel universae regioni vel nationi communia ut solidae alumnorum institutioni, quae in hac re suprema lex est habenda, efficaciore ratione consulatur.

Haec vero seminaria, si regionalia sint vel nationalia, regantur iuxta statuta ab Episcopis, quorum interest, condita et ab Apostolica Sede probata.

Textus emendatus

7. (Olim Propositio 5). [*Seminaria secundum alumnorum necessitates disponenda*].

Ubi singulae dioeceses seminario rite instruendo impares sint, erigantur ac foveantur Seminaria pluribus dioecesibus vel universae regioni vel nationi communia, ut solidae alumnorum institutioni, quae in hac re suprema lex est habenda, efficaciore ratione consulatur. Haec vero seminaria, si regionalia sint vel nationalia, regantur iuxta statuta ab Episcopis, quorum interest, condita et ab Apostolica Sede probata.

In Seminariis autem ubi multi sunt alumni, retenta institutione scientifica communi, alumni apta ratione distribuantur in communitates parviores, ut singulorum conformationi personali melius provideatur.[7]

IV – De institutione spirituali impensius excolenda

Textus prior

7. Institutio spiritualis cum doctrinali et pastorali arcte connectenda ita impertiatur, ut alumni qui per sacram ordinationem Christo Sacerdoti configurandi erunt, amicorum more intima totius vitae consortione Ei adhaerere as-
[15] suescant; divinam Eius lucem ac vitam ex verbo Dei fideliter considerato et actuosa cum sacrosanctis Ecclesiae Mysteriis communicatione haurire eos doceat; in fide, spe et caritate potissimum ita eos firmet ut, in earum exercitio spiritum orationis sibi acquirant, vocationis suae robur et munimen consequantur, ceterarum virtutum vigorem obtineant et zelo omnes homines Christo lucrifaciendi crescant.

Textus emendatus

8. (Olim Propositio 7). – Institutio spiritualis cum doctrinali et pastorali arcte connectenda ita impertiatur, ut alumni qui per sacram ordinationem Christo Sacerdoti configurandi erunt, amicorum more intima totius vitae consortione Ei adhaerere assuescant; *Christum quaerere discant in Verbi Dei fideli meditatione,* in actuosa cum sacrosanctis Ecclesiae Mysteriis communicatione, *imprimis in Eucharistia; in Episcopo, qui eos mittit, et in membris Christi, praesertim pauperibus, peccatoribus, incredulis, ad quos mittuntur. Dum enixe colantur pietatis exercitia venerando Ecclesiae usu commendata, cavendum est ne formatio spiritualis in iis solis consistat et solum affectum religiosum excolat. Sed discant alumni secundum formam Evangelii vivere,* in fide, spe et caritate firmari, ut in earum exercitio spiritum orationis sibi acquirant, vo-

Textus prior

Textus emendatus [15]

cationis suae robur et munimen consequantur, ceterarum virtutum vigorem obtineant et zelo omnes homines Christo lucrifaciendi crescant.[8]

8. Mysterio Ecclesiae clerici ita imbuantur ut sacerdotio aucti proprio Episcopo, tamquam fidi cooperatores laeta oboedientia adhaerentes et sociam cum fratribus operam praestantes, testimonium exhibeant illius unitatis, qua homines ad Christum attrahuntur. Insuper clarissime intelligant alumni se non imperio vel honoribus destinari, sed totos servitio Dei et fidelium ministerio mancipari, in sacerdotali oboedientia et castitate atque in pauperis vitae ratione, qua sua obliviscentes, omnia omnibus fieri satagant. Huius futurae missionis luce tota seminarii ratio perfundatur oportet, ac praesertim discendi ardor, silentii custodia et amor, suique abnegandi exercitium.

9. (Olim Propositio 8). – Mysterio Ecclesiae *ab hac Sancta Synodo prae ceteris illuminato* clerici ita imbuantur ut sacerdotio aucti proprio Episcopo tamquam fidi cooperatores adhaerentes et sociam cum fratribus operam praestantes, testimonium exhibeant illius unitatis qua homines ad Christum attrahuntur. Clarissime intelligant alumni, se non imperio vel honoribus destinari, sed totos servitio Dei et pastorali ministerio mancipari. *Peculiari sollicitudine* in sacerdotali oboedientia, in pauperis vitae ratione et in sui abnegandi spiritu *ita excolantur, ut etiam ea quae licita sunt, sed non expediunt prompte abdicare et Christo crucifixo se conformare assuescant.*[9]

10. [Nova Propositio]. – Diligenti cura alumni educentur ad sacerdotalem castitatem, vi cuius sacerdotes, secundum proprias variorum rituum leges, integra animi et corporis deditione Domino inserviunt atque aptissimum impetrant auxilium ad perfectam caritatem in ministerio continuo exercendam. De periculis quae eorum castitati in huius temporis societate occurrunt, alumni moneantur et aptis praesidiis instruantur; ita conformentur ut matrimonii quoque christiani dignitate et momento clare cognitis, optione mature deliberata ac magnanimi [16] indivisum Domini praeferant amorem eiusque Regno dilatando semetipsos offerant hostiam viventem, sanctam, Deo placentem (cf. *Rom.* 12, 1).[10]

9. Christianae educationis normae sancte serventur, et recentioribus sanae psychologiae et paedagogiae inventis rite compleantur. Firma rectae disciplinae principia iuxta alumnorum aetatem ita applicentur ut gradatim sibimetipsis

11. (Olim Propositio 9). – Christianae educationis normae sancte serventur, et recentioribus sanae psychologiae et paedagogiae inventis rite compleantur. Firma rectae disciplinae principia iuxta alumnorum aetatem ita ap-

[16] *Textus prior*

moderari, libertate sapienter uti, sponte naviterque agere et cum aliis sociam praestare operam addiscant. Necessaria a mundo separatio congruam cum familia consuetudinem ac prudentem rerum humanarum experientiam ne excludat, ita ut homines, ad quos mittendi sunt, convenienter cognoscant. Illae quoque virtutes sedulo curentur quae in civili societate magni aestimantur, cuiusmodi sunt animi sinceritas, in agendo urbanitas, assidua iustitiae cura.

10. Ut alumni vocationem imprimis optione mature deliberata amplectantur, Episcoporum erit congruum instaurare temporis intervallum pro impensiore tirocinio spirituali necnon opportunitatem perpendere quandam studiorum interruptionem statuendi ut sacerdotii candidatorum probationi satius consulatur.

Textus emendatus

plicentur ut gradatim sibimetipsis moderari, libertate sapienter uti, sponte naviterque agere et cum *confratribus et laicis* sociam praestare operam addiscant. Illae quoque virtutes sedulo curentur quae in civili societate magni aestimantur, cuiusmodi sunt animi sinceritas, in agendo urbanitas, assidua iustitiae cura, *modestia cum caritate coniuncta. Tota seminarii ratio pietatis et silentii studio perfusa, ita ordinetur oportet ut iam quaedam initiatio sit futurae vitae a sacerdote ducendae.*[11]

12. (Olim Propositio 10). – *Ut formatio spiritualis solidiore ratione fundetur et* alumni vocationem optione mature deliberata amplectantur, Episcoporum erit congruum instaurare temporis intervallum pro impensiore tirocinio spirituali. Eorundem quoque erit opportunitatem perpendere quandam studiorum interruptionem statuendi *vel adaequatum tirocinium pastorale disponendi* ut sacerdotii candidatorum probationi satius consulatur. *Pro singularum regionum condicionibus Coetuum Episcoporum erit deliberare de augenda aetate a iure communi pro sacris Ordinibus expostulata.*[12]

V – De studiis ecclesiasticis recognoscendis

11. Antequam sacrorum alumni studia proprie ecclesiastica aggrediantur, ea humanistica ac scientifica institutione augeantur, qua iuve-
[17] nes in sua cuiusque natione ad superiora studia peragenda praeparari solent; ac praeterea eam linguae latinae cognitionem acquirant, maxime si de latini ritus alumnis agatur, qua tot scientiarum sacrarum fontes, liturgicos libros et ecclesiastica documenta intellegere et adhibere possint.

13. (Olim Propositio 11). [*De studiis praeviis apte disponendis*].

Antequam sacrorum alumni studia proprie ecclesiastica aggrediantur, ea humanistica et scientifica institutione augeantur, qua iuvenes in sua cuiusque natione ad superiora studia peragenda praeparari solent; ac praeterea eam linguae latinae cognitionem acquirant, qua tot *scientiarum sacrarum fontes et ecclesiastica documenta intellegere atque, si de latini ritus*

Textus prior — *Textus emendatus* [17]

Textus emendatus:

alumnis agatur, libros liturgicos profundiore intellectu adhibere possint.[13]

Textus prior:

12. Studia vero ecclesiastica inchoentur generali introductione in mysterium Christi, quod totam generis humani historiam afficit, in Ecclesiam iugiter influit et in ministerio sacerdotali imprimis operatur; ad idem mysterium alumnorum mentibus magis magisque aperiendum omnes disciplinae apte componantur et concordi ratione conspirent.

Textus emendatus:

14. (Olim Propositio 12). [*Studia ecclesiastica melius coördinanda et apta introductione inchoanda*].

In studiis ecclesiasticis recognoscendis imprimis id intendatur ut singulae disciplinae philosophicae et theologicae aptius componantur et concordi ratione conspirent ad alumnorum mentibus magis magisque aperiendum Mysterium Christi quod totam generis humani historiam afficit, in Ecclesiam iugiter influit et in ministerio sacerdotali imprimis operatur. *Ut haec visio ab ipso initio alumnis communicetur,* studia ecclesiastica inchoentur *cursu introductorio per congruum tempus protrahendo. In hac studiorum initiatione Mysterium salutis ita proponatur ut alumni ad vocationem laeto promptoque animo amplectendam iuventur et studiorum ecclesiasticorum sensum, ordinem eorumque finem pastoralem conspiciant.*[14]

Textus prior:

13. Philosophicae disciplinae ita tradantur ut alumni perennis philosophiae principia clare perspiciant eiusque cohaerentem synthesim acquirant; alia quoque systemata philosophica, praesertim moderna, quae in propria natione maiorem influxum exercent, necnon recentiores scientiarum progressus cognoscant, ut suae aetatis mentem melius percipiant eiusque quaestionibus apte respondere valeant.

Textus emendatus:

15. (Olim Propositio 13). [*De studiis philosophicis recognoscendis*].

Philosophicae disciplinae ita tradantur, ut alumni perennis philosophiae principia clare perspiciant eiusque cohaerentem synthesim acquirant; alia quoque systemata philosophica, praesertim moderna, quae in propria natione maiorem influxum exercent, necnon recentiores scientiarum progressus cognoscant, ut suae aetatis mentem melius percipiant eiusque quaestionibus apte respondere valeant.[15]

Textus prior:

14. Universae theologiae Sacra Scriptura veluti anima sit oportet; ex eius accurato studio necnon SS. Patrum totiusque traditionis

Textus emendatus:

16. (Olim Propositio 14). [*Institutio theologica communicanda integra, harmonica et vitalis*]. [18]

[18]

Textus prior

— spectata etiam eius relatione ad generalem Ecclesiae historiam — mysteria salutis alumni conspiciant, intime penetrent Angelico Doctore magistro; eademque in cultu et vita Ecclesiae praesentia et operantia agnoscere edoceantur, propriae vitae spiritualis reddant alimentum, atque in sacerdotalis ministerii exercitio ad mutabiles rerum condiciones applicare et modo coaevis hominibus aptato communicare discant.

Textus emendatus

In cursu *theologico scientia sacra, duce Ecclesiae Magisterio, ita tradatur ut alumni doctrinam catholicam ex divina revelatione accurate haustam profunde penetrent,* propriae vitae spiritualis reddant alimentum *atque in ministerio sacerdotali annuntiare, exponere atque tueri valeant. – Sacrae Scripturae studio, quae* universae theologiae veluti anima esse debet, *peculiari diligentia alumni instituantur; congrua introductione praemissa, in exegeseos methodum accurate initientur, maxima divinae Revelationis themata perspiciant et in Sacris Scripturis quotidie legendis et meditandis incitamentum et alimentum recipiant. Singuli tractatus dogmatici ita disponantur ut ante omnia ipsa themata biblica proponantur; quid Patres ad singulas Revelationis veritates fideliter transmittendas et enucleandas contulerint necnon ulterior dogmatis historia* — considerata quoque ipsius relatione ad generalem Ecclesiae historiam — *alumnis aperiatur; deinde ad mysteria salutis integre quantum fieri potest illustranda, ea ope speculationis, S. Thoma magistro, intimius penetrare eorumque nexum perspicere alumni discant*; eademque semper in cultu et vita Ecclesiae praesentia et operantia agnoscere doceantur, *atque humanorum problematum solutiones sub revelationis luce quaerere, eius aeternas veritates* mutabili rerum humanarum condicioni applicare easque modo coaevis hominibus aptato communicare discant. *Ceterae quoque theologicae disciplinae ex vividiore cum Revelatione divina contactu instaurentur.*

Manuducantur alumni ad plenius cognoscendas eas communitates quae christiano nomine decorantur, sed ab Apostolica Sede sunt seiunctae, ut fratres iuvare possint ad unitatem a Domino Nostro expostulatam.

Introducantur etiam ad alias religiones co-

Textus prior — *Textus emendatus*

gnoscendas in singulis regionibus magis vulgatas, quo melius id quod boni, Deo disponente, habent, agnoscant, errores refellere discant et plenum veritatis lumen non habentibus communicare valeant.[16]

17. [Nova Propositio]. [*De universis disciplinis apta ratione tradendis*].

Cum vero doctrinalis institutio non ad meram notionum communicationem, sed potius ad veram et profundam alumnorum formationem tendere debeat, methodi didacticae recognoscantur tum ad praelectiones, colloquia et exercitationes quod attinet, tum quoad alumnorum studium sive privatum sive in parvis coetibus incitandum. Totius institutionis unitas ac soliditas sedulo curetur, vitata nimia disciplinarum et lectionum multiplicatione atque iis quaestionibus omissis, quae vix ullum momentum retinent vel quae ad altiora academica studia remittenda sunt.[17]

15. Ii vero, qui Episcopi iudicio in superiora studia incumbere debent, ad ecclesiasticas Facultates vel Universitates mittantur, ubi, secundum rationem studiorum apte recognitam, methodo scientifica, crebris imprimis exercitationibus sub professorum personali ductu accurate formentur.

18. (Olim Propositio 15). – *Episcoporum erit curare ut iuvenes melioris indolis et ingenii ad peculiaria Instituta,* Facultates vel Universitates mittantur *ut in scientiis sacris, necnon in aliis quae opportunae videantur, Sacerdotes praeparentur altiore ratione scientifica instructi, qui variis apostolatus necessitatibus satisfacere valeant.*[18]

VI – De institutione stricte pastorali promovenda

16. Pastoralis illa sollicitudo quae integram prorsus clericorum institutionem informare debet, postulat etiam ut alumni diligenter instruantur in iis quae peculiari ratione ad sacrum ministerium spectant, praesertim in catechesi et praedicatione, in cultu liturgico et sacramentorum administratione, in animarum moderandarum arte, in officio occurrendi er-

19. (Olim Propositio 16). – Pastoralis illa sollicitudo quae integram prorsus clericorum institutionem informare debet, postulat etiam ut alumni diligenter instruantur in iis quae peculiari ratione ad sacrum ministerium spectant, praesertim in catechesi et praedicatione, in cultu liturgico et sacramentorum administratione, in animarum moderandarum arte, *in*

[19] *Textus prior*

rantibus et incredulis, et in ceteris pastoralibus muneribus.

Textus emendatus

operibus caritatis, in officio occurrendi errantibus et incredulis, et in ceteris pastoralibus muneribus.[19]

17. Subsidiis quoque uti edoceantur quae disciplinae sive paedagogicae, sive psychologicae, sive sociologicae afferre valent, iuxta [20] rectas methodos et Auctoritatis Ecclesiasticae normas. Item ad apostolicam laicorum actionem excitandam ac fovendam accurate instruantur, necnon ad varias efficacioresque apostolatus formas promovendas; atque eo spiritu vere catholico imbuantur, quo propriae dioecesis, nationis, vel ritus fines transcendere et totius Ecclesiae necessitates respicere assuescant.

20. (Olim Propositio 17). – Subsidiis quoque uti edoceantur quae disciplinae sive paedagogicae, sive psychologicae, sive sociologicae afferre valent, iuxta rectas methodos et Auctoritatis Ecclesiasticae normas. Item ad apostolicam laicorum actionem excitandam ac fovendam accurate instruantur, necnon ad varias efficacioresque apostolatus formas promovendas; atque eo spiritu vere catholico imbuantur, quo propriae dioecesis, nationis, vel ritus fines transcendere et totius Ecclesiae necessitates respicere assuescant.[20]

18. Cum vero opus sit ut alumni apostolatus exercendi artem non tantum theoretice, sed etiam practice addiscant, iam inde a studiorum tempore iidem praxi pastorali initientur per opportunas exercitationes, quae pro alumnorum aetate ac locorum temporumque condicione, prudenti Episcoporum iudicio, methodice et sub peritorum magistrorum ductu fieri debent.

21. (Olim Propositio 18). – Cum vero opus sit ut alumni apostolatus exercendi artem non tantum theoretice, sed etiam practice addiscant *et propria responsabilitate agere valeant,* iam inde a studiorum tempore iidem praxi pastorali initientur per opportunas exercitationes, quae pro alumnorum aetate ac locorum temporumque condicione, prudenti Episcoporum iudicio, methodice et sub peritorum magistrorum ductu fieri *debent, praepollente supernaturalium mediorum vi semper memorata.*[21]

VII – De institutione post seminarium perficienda

19. Cum sacerdotalis institutio, ob recentioris potissimum societatis adiuncta, etiam post seminarium prosequenda atque perficienda sit, Coetuum Episcoporum erit in singulis nationibus aptiora media adhibere, cuiusmodi sunt periodici conventus et accommodatae exercitationes, quarum ope iunior clerus sub aspectu

22. (Olim Propositio 19). – Cum sacerdotalis institutio, ob recentioris potissimum societatis adiuncta, etiam post seminarium prosequenda atque perficienda sit, Coetuum Episcoporum erit in singulis nationibus aptiora media adhibere, cuiusmodi sunt periodici conventus et accommodatae exercitationes, qua-

Textus prior

spirituali, intellectuali et pastorali in sacerdotalem vitam atque apostolicam operositatem gradatim introducatur easque in dies magis renovare ac fovere valeat.

Textus emendatus [20]

rum ope iunior clerus sub aspectu spirituali, intellectuali et pastorali in sacerdotalem vitam atque apostolicam operositatem gradatim introducatur easque in dies magis renovare ac fovere valeat.[22]

NOTAE [21]

Abbreviatio: I. S. = Schema Propositionum De Institutione Sacerdotali, Patribus mense maii 1964 transmissum.

De Propositionum origine, ordine, momento conferantur ea quae in I. S. pp. 22-26, 37-41 exposita sunt. Notae sequentes rationem tantum indicant mutationum in textu emendato inductarum.

[1] Propositio *prima,* cuius primordiale momentum (cf. I. S. p. 38) a fere omnibus agnitum est, remansit intacta. Commissio non censuit opportunum eam unire cum Prooemio, sicut quidam proposuerunt, quia tali modo eius vis minuta esset.

[2] In Propositione secunda, iuxta votum a pluribus Patribus exhibitum, explicitius asseritur totius Communitatis *vitam plene christianam esse* primum et maxime necessarium fundamentum operis fovendarum vocationum sacerdotalium; item fortius effertur momentum familiae. Praeterea, sicut plures Patres petierunt, ex schemate integro restituebantur notio descriptiva vocationis (I. S. p. 26 n. 2) atque monitum generosi ultra fines dioeceseon et nationum adiutorii (I. S. p. 27 n. 4).

[3] A pluribus Patribus postulatum est, ut ex praecedente schemate integro (I. S. p. 28 n. 5) quaedam pauca restituerentur de Seminariis minoribus et Institutis analogis. Secundum eorumdem et multorum aliorum Patrum sententiam inculcatur studia in huiusmodi Institutis ita debere ordinari, ut ii qui se non vocatos esse cognoverint sine difficultate ad aliam vitae rationem transire possint.

Cf. Pius XII, Adhortatio Apostolica *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 685.

Etsi reliquae Propositiones Seminaria Maiora respiciunt, tamen, congrua congruis referendo, Seminariis quoque Minoribus plura accommodanda erunt eorum quae in sequentibus statuuntur; id ut innuatur, in initio Propositionis quartae dicitur: « In Seminariis *praesertim* Maioribus... ». Secundum votum expressum a duabus Conferentiis Episcopalibus, in fine Propositionis commendatur peculiaris cura habenda circa eos qui maiore aetate vocationem sequuntur.

[4] A Commissione recepta est sententia plurium Conferentiarum Episcopalium quae propositionem de Seminarii *fine* agentem anteponendam esse censuerunt propositionibus circa Moderatores, alumnos, varias Seminariorum species. Item placuit propositio ut iste finis clarius enuntietur, ministeriis specifice sacerdotalibus in communitate populi Dei breviter delineatis.

[5] Contra hanc propositionem obiectiones non motae sunt; unus tantum Pater vel fortiorem monitionem praetulisset, cum maiora in Seminariis deploranda damna

[21] proveniant ex Moderatorum inepta selectione et neglecta praeparatione. Additum est « *solida doctrina* » inter ea quae requiruntur in Seminariorum moderatoribus.

De momento totius monitionis cf. I. S. p. 39 et imprimis PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii,* 20 dec. 1935: *A.A.S.,* 27 (1936), p. 37.

[6] Ut Patrum animadversionibus satisfieret, quaedam sunt addita (« ac libera voluntate »), quaedam magis explicite proposita (« de idoneitate *morali et intellectuali* »); memoratur etiam capacitas « *officia pastoralia exercendi* » ut indicetur in futuro pastore non sufficere qualitates passivas, sed requiri etiam eas activas, capacitatem ducendi alios (« leadership »), opera ultra incipiendi (« spirito di iniziativa »), alios alloquendi, audiendi, comprehendendi (« Kontaktfähigkeit »). De-
[22] nique modo magis positivo indicatur quomodo agendum sit cum eis qui cognoscuntur non idonei.

[7] Prima paragraphus huius Propositionis remansit, quia fere ab omnibus plausu accepta est. Additum est autem alterum monitum, a pluribus expostulatum, circa Seminaria in quibus multi alumni versantur. Cavendum est ne isti veluti militum more educati et conformationis vere personalis expertes « psychologiae massae » aliquatenus succumbant. Commissioni igitur videbatur opportunum ut Concilium etiam de hoc periculo vitando moneret; noluit autem Commissio determinata in re subsidia (sicut « team », « équipe ») explicite commendare quia Episcoporum est ea disponere quae pro locorum adiunctis efficaciora probantur.

[8] Plures Patres petiverunt, ut primatu institutionis spiritualis fortiter enuntiato, etiam caveretur ne eadem ad sola exercitia pia et affectum religiosum excolendum reduceretur; potius alumni ita conformandos esse ut *secundum Evangelium vivere* assuescant.

[9] Fortius quam in textu priore urgetur alumnos ad oboedientiam et sui abnegandi spiritum conformandos esse. Ultima sententia prioris propositionis octavae coniuncta est cum propositione undecima textus emendati.

[10] Cum caelibatus momentum hodie apud opinionem publicam quae dicitur et etiam apud quosdam catholicos perperam intelligatur, a pluribus postulatum est ut ea in textum restituerentur quae in priore schemate integro de formatione ad castitatem sacerdotalem asserta erant (cf. I. S. p. 32).

[11] Commissio qualitatibus humanis in Seminario excolendis libenter addidit « *modestia cum caritate coniuncta* », sicut a pluribus Patribus exoptatum est.

[12] Introductio alicuius impensioris tirocinii spiritualis a fere omnibus probata est. Quidam vero Patres optaverunt ut de hoc tirocinio, sicut de studiorum interruptione atque de tirocinio pastorali (in textum emendatum noviter introducto) normae magis particulares statuerentur, v. g. de eorum duratione, repetitione, de habitudine ad diaconatum et ad ordinationem sacerdotalem etc. Commissioni autem visum est opportunum, ut Concilium huiusmodi incepta commendans Episcopis committeret, ut ipsi pro locorum et gentium adiunctis normas ferrent magis particulares, consideratis etiam experimentis alibi bono cum exitu factis (cf. I. S. pp. 23, 40).

[13] Altera pars huius propositionis leviter mutata est: nam, sicut duo coetus Episcoporum animadverterunt, tantummodo pro alumnis ritus latini valet ratio ex libris liturgicis desumpta.

[14] Quae in hac Propositione praescribuntur, omnibus placuerunt. Sed optatum est ut explicitius commendaretur aptior studiorum philosophicorum et theo-

logicorum coordinatio; item ut finis cursus introductorii, qui apte cum impensiore tirocinio spirituali componendus est, pressius indicaretur. [22]

[15] Haec Propositio mutata non est. Quidam voluerunt, ut in eadem assereretur, philosophicas disciplinas in Seminario tradendas semper ad studia theologica ordinari debere; sed huiusmodi legitimo desiderio iam provisum est in praecedente propositione 14.

[16] Notatum est a pluribus dispositiones de institutione theologica, propter brevitatem factas esse minus claras. Commissio propterea restituit textum congruentem ex schemate priore integro (I. S. pp. 34-35) qui a multis magno cum favore receptus erat. Sicut plures Patres iure postulaverunt, additum est monitum ut, una cum Theologia Dogmatica, ceterae quoque theologicae disciplinae ex vividiore cum Revelatione divina contactu instaurentur. Secundum plurium Episcoporum coetuum votum, reassumpta sunt etiam quae in priore schemate integro de cognoscendis communitatibus acatholicis et religionibus non-christianis habe- [23]
bantur (cf. I. S. pp. 34-35).

[17] Plures Episcoporum coetus et etiam singuli Patres animadverterunt, saltem brevissime mentionem fieri debere de recognoscendis methodis didacticis. Quare addita est haec propositio nova, ex numeris *19 et 25 prioris* schematis integri contracta (cf. I. S. pp. 33, 36).

[18] Commendatio de iuvenibus altioribus in studiis excolendis redacta est eo modo ut variis condicionibus melius satisfacere posset.

[19] Plures Patres petiverunt, ut adderetur « in operibus caritatis ».

[20] Circa hanc propositionem nihil notandum est.

[21] Additum est « *et propria responsabilitate agere valeant* », atque monitum de evitando activismo naturalistico.

[22] De momento huius propositionis et de ratione cur in contextu institutionis sacerdotalis conservanda sit, cf. I. S. pp. 40-41.

Moderator: Gratias agimus relatori et membris commissionis. Nunc loquatur secretarius generalis.

Secretarius generalis: Lego nomina eorum qui verbo uti petierunt circa schema *de institutione sacerdotali*: Em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ioseph M. Bueno y Monreal, arch. Hispalensis in Hispania; Albertus Meyer, arch. Chicagiensis in Stat. Foed. Amer. Sept. Deinde, nomine plurium, exc.mi DD. Ioseph Drzazga, ep. tit. Siniandenus in Polonia; Ioannes Colombo, arch. Mediolanensis in Italia; Paulus Sani, ep. Denpasarensis in Indonesia; Benedictus Zorzi, ep. Caxiensis in Brasilia; Antonius Pawlowski, ep. Vladislaviensis in Polonia; Arcturus Rivera, ep. aux. S. Salvatoris in El Salvador; Andreas Charue, ep. Namurcensis in Belgio.

9

EM.MUS P. D. IOSEPH M. CARD. BUENO Y MONREAL
Archiepiscopus Hispalensis

Venerabiles Patres,

Schema *de institutione sacerdotali* non pauca quidem laude digna exhibet. Generaliora principia de hac materia concinne et nervose exponit. « Perfici tamen potest et debet », ut audivimus a clarissimo relatore. Liceat mihi lapillum afferre ex iis quae experientia viginti annorum me docuit circa propositiones 2 et 3 « De vocationibus sacerdotalibus instantius fovendis ».

Si « optata totius Ecclesiae renovatio a sacerdotum ministerio magna ex parte pendet » (ait Prooemium), unde gravissimum momentum institutionis sacerdotalis, per prius momentum gravissimum attendendum est operis fovendarum vocationum, quum prius sit « esse » quam « institui », nec institutioni sacerdotali locus erit si candidati desint; quod quidem hodie non raro evenit, ita ut problema seu « crisis », quam aiunt, vocationum gravem praeoccupationem inducat, atque adeo ut alicubi seminaria quaedam clausa fuerint ob defectum candidatorum...[1]

Tria ad rem consideranda occurrunt: 1) vera doctrina, sub aspectu pastorali, exponenda de vocatione sacerdotali; 2) media seu subsidia ad vocationes fovendas; 3) de natura et scopo Seminarii Minoris.

1. Necessitas clare ...[2] describendi sacerdotalem vocationem eo vel magis urget quod in dies verbum « vocatio » passim promiscue usurpatur diversis omnino significationibus; puta in ordine naturali dicitur de vocatione ad artes, ad militiam, etc.; in ordine supernaturali loquimur de « integra hominis vocatione » ad Deum (schema *de Ecclesia in mundo*), de « universali vocatione ad sanctitatem » (schema *de Ecclesia,* cap. IV), de « laicorum vocatione apostolica » *etc.*[3]; quae omnia diversa procul sunt ab illa specifica et libera vocatione aliquorum ad sacerdotium hierarchicum. Dum enim certo constat omnes vocari ad Deum, et ad sanctitatem, omnes laicos vocari ad apostolatum, nullatenus de via ordinaria constat aut saltem certo innotescit Deum aliquem elegisse et vocare determinatum iuvenem ad sacerdotium.

Schema descriptionem vocationis theologice correctam exhibet, nempe: Dei Providentia quosdam eligit eisque congruas tribuit dotes; Ecclesia vero, si recta intentione et plena libertate ducantur eos vocat. Ast omnino videntur expungenda verba illa « vocationis signis agnitis », quae omnino vaga et incerta sunt et ansam praebent plurimis cavillatio-

nibus adhuc et damnosis sequelis. Sunt enim iuvenes, bene dispositi, qui de sacerdotio optando neque cogitare audent, quia non se sensibiliter sentiunt *vocari* a Deo, aut inclinationem seu propensionem ...[4] non experiuntur; sunt e contra moderatores spirituum qui nimis leviter decernunt aliquem iuvenem *vocari* a Deo, eumque usque minantur amissionem gratiarum ad salvationem aeternam si illa « signa vocationis » ab eis inventa non obsequantur; quod maximas anxietates non raro parit.

Electio quae in aeterno Dei decreto est, signis certis, de via ordinaria, nullatenus nobis innotescit. Melius esset simpliciter dicere quod vocatio est gratia Dei qua quis, debitis qualitatibus praeditus, recta intentione et plena libertate se offert ad sacerdotium si ab Ecclesia vocetur. Excludatur quaelibet cavillatio an quis vocatus sit a Deo vel non. Immo iuvenibus potius significandum est Christum Dominum omnes suaviter invitare qui recto animo libere decernant sese Ecclesiae offerre ad tantum munus si digni inveniantur; quae oblatio, ut patet, est effectus divinae gratiae.

2. Schema nimis insufficiens videtur quoad media seu subsidia ad vocationes fovendas. Tantummodo memorat precationes, poenitentiae opera et ambitum familiae christianae; quae quidem magni momenti sunt, ast insufficientia, quia silent de arduo labore humano adhibendo ad illas « vocationes » quaerendas et promovendas.

Reapse experientia docet quod si adhibeatur specifica et veluti technica pastoralis opera erga iuvenes, vocationes abundanter exsurgunt veluti flores in agro bene exculto.

Non debemus exspectare ut vocatio Dei sensibiliter et veluti generatione spontanea in corde iuvenum germinet; nec sufficit exspectare ut inclinatio ad sacerdotium sponte oriatur in sinu familiae christianae, aut animi adulescentium trahantur exemplo aut apostolico zelo parochi aliorumque sacerdotum. Sunt et alia pastoralia subsidia quibus iuvenes suam vocationem adinvenire valent.

Talis est motus pastoralis vocationalis, qui in aliquibus Hispaniae dioecesibus magno cum fructu exercetur ...[5]. Intendit valorem seu bonum propriae vitae iuvenibus suggerere, ut Dei donum quod excolendum est; vocationem Dei ad Christum sequendum iuxta diversas vias quae eis in hoc mundo honeste offeruntur ...[6]; expositionem etiam muneris et dignitatis sacerdotalis, tamquam ideale *ipsis*[7] possibile; invitationem quam Christus peramanter ad eos dirigit ad participandum sui sacerdotii; considerationem responsionis quam quisque paratus est Christo reddere, ratione habita qualitatum, etiam technica investigatione, indolis, problematis sexualis, vigoris psychologici, stabilitatis voluntatis, etc. Mirum reapse est quot iuvenes qui studia civilia peragunt, nec unquam

forsan de sacerdotio cogitaverant, enthusiasmo ducuntur quando primo hoc panorama sacerdotale inveniunt et Christo offeruntur generoso ardore suae iuventutis.

Valde aestimamus quod bonum esset si schema nostrum aliquas saltem suggestiones referret circa subsidia adhibenda, iuxta hodiernam mentem, ad vocationes hoc specifico modo promovendas.

3. Evidens est quod pueri, adhuc et adolescentes, ignorant prorsus an vocationem habeant vel non; quid vero sit illud « germen vocationis » de quo schema, non satis calleo; ipsis deest sufficiens maturitas et humana et christiana ut conscio modo sacerdotium appetere queant.

Ubi sint Seminaria Minora, opus erit alumnorum maturitatem promovere, ad sensum responsabilitatis et propriam personalitatem efformandam eos ducere, vocationem ad sanctitatem et ad apostolatum, amorem Christi et Ecclesiae sentiendum ratione consecrationis baptismalis. Ast non expedit, ni fallor, eos expresse ad sacerdotium inclinare; carent enim capacitate libertatis ut ipsi proprio et personali marte electionem facere possint; secus non raro in animicos complexus incidunt qui veram moralem coactionem pariunt; aut veluti ex inertia progrediuntur ignari problematum vitae et mundi, aut non audent a via incoepta declinare, timentes mirationem aliorum, aut offensionem parentum, aut propriam vitam incassum cedere.

Adhuc dicerem quod adolescentes qui familiarem ambitum vere christianum et honestum habent, et studia litterarum humanarum peragere possunt in lycaeis, sive civilibus sive religiosis, seminarium magis naturale et perfectum habent in suo ambitu familiari quam in quolibet alio centro alieno a familia; cauto quidem quod sub moderamine spirituali prudentis sacerdotis positi crisis et pericula aetatis propria superare valeant. Quod certe si hoc ambitu familiari aut iis cautelis gaudere non possint, melius erit ut seminarium ingrediantur et sic illud vocationis germen colant.

Petimus ergo ut commissio rationem habeat horum defectuum in reficiendo schemate. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Non quidem in Hispania. [2] definiendi aut saltem. [3] (schema *de apostolatu laicorum*). [4] veluti spontaneam. [5] Opus pastorale vocationale inde a 18 annis Hispali exsistit. A piissimo et competenti sacerdote, in arte medica doctore, rev. Francisco Garcia Madueño, fundatum fuit ad inveniendas et promovendas vocationes iuvenum, praesertim studentium qui 16 annos excesserunt. Huic labori pastorali addicti sunt quinque sacerdotes, qui vitam communem agunt in domo ad hoc disposita. Quotannis plures centenas iuvenum domum frequentant ut problema suae vocationis accurato examine perpendant, et per plures menses suas dispositiones, qualitates, indolem, in-

clinationes etc. sub ductu horum sacerdotum discutiunt. Qui tandem conscie et deliberate eligunt sese offerre ad sacerdotium, recipiuntur in speciali collegio maiori, ubi per unum aut plures annos vitam spiritualem colunt, in ministerio Ecclesiae et sacerdotii ministerialis Christi formantur, et linguam latinam et graecam plenius addiscunt. Dein iam ad seminarium maius transeunt et cursus philosophicos et theologicos agunt communiter cum aliis seminaristis. Fructus huius operis quod « Obviam Christo » audit, hi sunt: plus quam 100 sacerdotes sunt qui ita suam vocationem invenerunt, quotannis 50 et amplius iuvenes, aetatis 18 inter et 25 annos, seminarium ingrediuntur; ita ut nunc in Seminario Hispalensi adsint 177 alumni (50%) qui ab hoc opere procedunt. Aliae etiam dioeceses partem habent in hoc opere. Numerus vocationum quotidie in augmentum est. Interesse et aestimatio populi christiani erga seminarium et sacerdotium maius in dies est. Perseverantia fere totalis est; quod aliunde expensas minores reddit. Exstat praeterea seminarium minus, in quo ingrediuntur 100 circiter adolescentes singulis annis, qui potius ex rurali ambitu procedunt.

Qui motus, alicui coetui sacerdotum commissus qui ex integro ad tantum opus dedicantur in propria ad hoc adaequata domo, duplici via incedit: a) *indirecta*: labor aptationis opinionis publicae; divulgatio, omnibus instrumentis communicationis socialis adhibitis, argumentorum de sacerdotio ac de sacerdotali vocatione; cursus pastoralis vocationalis; precationes continuae sive privatae sive communitariae; Missae pro iuvenibus cum liturgica participatione et praedicatione ordinata ad examen vocationis. *Directe* vero: cursus specialis orientationis professionalis et vocationalis ad iuvenes; assiduus et quotidianus labor cum iuvenibus, sive singillatim sive parvis coetibus collectis, circuli studiorum, conferentiae, conviventiae, dies sic dicti iuventutis (giornate giovanili), coetus amicitiae ad propriam formationem excolendam, exercitia spiritualia, directio spiritualis etc. His vel similibus subsidiis pastoralis opera quaerit vocationes promovere, eas analysi submittere, easque conscio modo et firma voluntate disponere ut ii iuvenes sese tandem Ecclesiae offerant. [6] cum studio qualitatum, indolis, et possibilitatum uniuscuiusque. [7] deest.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis peractae:

Votum dederunt		2.042
Dixerunt	*placet*	1.155
	non placet	882
	placet iuxta modum	3
Suffragia nulla		2

Ergo, cum habita sit maioritas absoluta requisita, transitus fit ad suffragationes faciendas super singulis punctis.

Et suffragatio initium habebit sabbato proximo, hoc quidem ordine (vobis dabitur, Patres, folium typis impressum; pro nunc audite ordinem):

1ª suffragatio fiet circa prooemium, nn. 1, 2 et 3 schematis;

2ª suffragatio fiet de n. 4;

3ª suffragatio fiet de nn. 5 et 6;
4ª suffragatio fiet de nn. 7, 8, 9, 10;
5ª suffragatio, de nn. 11, 12, 13;
6ª suffragatio erit de n. 14;
7ª suffragatio de nn. 15, 16, 17;
8ª suffragatio de nn. 18 et 19;
9ª et ultima suffragatio erit de n. 20.

Hae suffragationes, Patres, fient per *placet, non placet* et *placet iuxta modum*. Quapropter, si quis vult suffragium dare *placet iuxta modum,* iam nunc praeparet modos exhibendos una cum schedula. Gratias.

10

EM.MUS P. D. ALBERTUS GREGORIUS CARD. MEYER
Archiepiscopus Chicagiensis

Venerabiles Patres,

Hoc Schema *de Institutione sacerdotali* sine dubio multa utilia de efficaci formatione seminaristica continet. Placet praesertim principium generale in n. 1 enuntiatum, iuxta quod « in singulis nationibus vel ritibus peculiaris " sacerdotalis institutionis Ratio " ineatur, ab episcoporum coetibus statuenda, certis temporibus recognoscenda atque ab Apostolica Sede approbanda, qua leges universales ad peculiaria locorum temporumque adiuncta accommodentur ». Hoc principio vera datur possibilitas « ut sacerdotalis institutio semper respondeat pastoralibus necessitatibus illarum regionum in quibus ministerium exercendum est ». Hoc principium igitur, ut mihi videtur, vere correspondet scopo pastorali huius Concilii.

Attamen dubitari potest num sufficienter enucleantur principia quae omnibus regionibus omnibusque sacerdotibus certo communia sunt, necnon quae legitime diversa esse possunt.

Momentum huius schematis tale est ut vix exaggerari possit. Inde mihi videtur quod multa quae tam praeclare a multis Patribus de schemate super « Vita et ministerio sacerdotali » in aula dicta erant etiam huic schemati applicari possunt. Formatio enim seminaristica eo praecise tendit ut sit praeparatio vitae et ministerii sacerdotalis. Inde forsitan dubitari licet, sicut de illo schemate, num revera praesens nostrum schema his paucis propositionibus thema tam praecellens sufficienter tractaverit, ratione habita praesertim eorum quae a recentibus Pontificibus in litteris encyclicis prolata sunt. Quaestio etiam oriri potest

num forsitan ex his duobus schematibus unum fieri deberet, vel saltem quod in confectione distinctorum schematum collaboratio quam maxima inter duas commissiones haberi non deberet.

His praemissis, dicere vellem quod non sit mea intentio ut omnia puncta tangam, cum multa alia eaque optima in aliis interventionibus ab aliis Patribus aut iam dicta aut dictura sunt. Duas tantum generales animadversiones notare vellem quae, ut mihi videtur, subsunt multis propositionibus in schemate iam contentis, quaeque forsitan suggerent schema magis evolvendum et elaborandum esse.

1[a] animadversio generalis. Qualitates essentiales sacerdotii optime compendiantur in celebri illa definitione Paulina: « Omnis pontifex ex hominibus assumptus constituitur in iis quae sunt ad Deum ut offerat dona et sacrificia » ...[1]. Hic textus duo praesertim asserit: primum, omnes sacerdotes natura sua esse homines; et secundum, opus eorum esse mediatores agere inter Deum et homines. Haec duo igitur fundamentum constituunt *omnis* formationis seminaristicae.

Schema optime dicit: « sacerdotalis institutio ob ipsam catholici unitatem, omnibus sacerdotibus cuiusvis ritus necessaria est ». Quaeri tamen licet: quid sit haec unitas catholici sacerdotii? Secundum traditionalem doctrinam haec unitas consistit in mediatione quam sacerdos sacrificio Missae et vitae oratione operatur ...[2]. Unitas inde sacerdotii indicat etiam unitatem apostolatus cuiuscumque sacerdotis, sive sacerdos sit regularis sive saecularis, sive in activo ministerio sive in vita contemplativa, sive in ministerio ordinario sive in ministerio extraordinario versatur. Omnis enim sacerdos etiam apostolus esse debet, nam ut dicit S. Ioannes Eudes, « sacerdos propter animas ». Fons huius apostolatus pro unoquoque sacerdote vita interior esse debet, promanans praesertim ex actu principali omnis sacerdotis, nempe ex Sacrificio Missae, secundum dictum alicuius sacerdotis sancti: « Qualis Missa talis sacerdos *et* apostolus ». Finis igitur omnis formationis seminaristicae est apostolatus, quocumque modo hic apostolatus exercendus est.

Sed ex hac identitate et unitate apostolatus non sequitur identificatio formationis seminaristicae omni ex parte. Et haec distinctio non clare elucet in nostro textu. Dicitur utique quod haec diversitas in sacerdotali vivendi ratione agnoscatur, dicendo « congrua congruis referendo », sed non videtur rem his tribus vocabulis sufficienter absolvi posse. Normae enim in schemate statutae videntur imponere universae Ecclesiae id quod spectat solam formationem cleri in Ecclesia Latina et in activo ministerio sub ductu episcoporum occupati. Si schema hoc intendit, id clare statuere oporteat. Sin autem sermo est de institutione omnibus omnino sacerdotibus necessaria, schema aut restringendum est

ad vere essentialia aut rationem habeat de principalibus ex variis modis exercendi sacerdotium. Hoc autem alterum, nempe ut schema rationem habeat de diversis formis apostolatus, mihi praeferendum esse videtur, ita ut habeamus schema undequaque elaboratum, sicuti in voto erat plurimorum Patrum pro schemate de vita et ministerio sacerdotali.

2ª *animadversio generalis*. Schema in n. 11 optime indicat normas *christianae* educationis sancte servandas esse in formatione seminaristica. Attamen, ut mihi videtur, non sufficienter insistit quod sacerdos iam ut homo christianus obligatur ad eamdem perfectionem ad quam omnes ad populum Dei pertinentes vocati sunt. Sacerdotium, quamvis sacramento collatum, est imprimis gratia individuo gratis data *in bonum Ecclesiae*. Utrum quis digne an indigne hac gratia utatur pendet a cooperatione eius humana, quam, gratia adiuvante, praestare debet. Nemo prudenter in se suscipere potest obligationes vitae sacerdotalis nisi praevie humanam capacitatem praebuerit has obligationes suscipiendi atque in eis adimplendis perseverandi. Paucis verbis, sacerdos in ministerio suo non erit vere efficax, nisi in se excoluerit veracitatem, sinceritatem, fortitudinem, iustitiam. Uno verbo, priusquam aliquis bonus sacerdos evadere potest, oportet eum esse bonum hominem et bonum christianum, secundum dictum illud Pii XII, felicis recordationis: « Ut quis sit sacerdos perfectus, debet prius esse aliquo modo perfectus homo ».

Haec forsitan obvia esse videri possunt. Sed timendum est ne non omnibus candidatis ad sacerdotium sint obvia. Experientia teste, sunt alumni qui prospectant sacerdotium non tam ut gratiam gratis datam cum qua omni vi cooperanda est quam ut gratiam medicinalem vi cuius exigentiis vitae christianae se commodius satisfacturos esse sperant. Ideo omnino necessarium esse videtur ut normae formationis spiritualis non exclusive futurum sacerdotem spectent, ut simpliciter in fine n. 11 dicitur...

Moderator: Em.me Pater, faveas concludere!

Orator: ... ubi dicitur: « tota seminarii ratio pietatis et silentii studio perfusa, ita ordinetur oportet ut iam quaedam initiatio sit futurae vitae a sacerdote ducendae » ...[3]

Conclusio. Haec, inter alia certo ab aliis Patribus dicenda, offeruntur ad schema nostrum magis elaborandum et magis expoliendum, ut habeamus novum impulsum in spiritu renovationis Concilii Tridentini ad for-

mandos illos qui vere magna ex parte in se continent spem illorum fructuum quos omnes nos ex hoc Concilio exspectamus. Et dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Hebr.* 5, 1). [2] (*Hebr.* 5, 1). [3] Principium quidem optimum, sed omnino magis evolvendum, nam sufficienter non indicat quod alumni iam ad perfectionem christianam obligantur in virtute moralitatis christianae. Ex principio n. 4 enuntiato modo tam generali, periculum haberi potest ne oriatur in alumnis idea futurae vitae sacerdotalis quae omnino diversa sit a vita christiana simpliciter. Sine dubio sacerdotium prospectatum determinare debet formationem seminaristicam non aliter ac futura professio medici determinat formationem eius. Sed aliquando in schemate efferatur necesse est ea quae ab alumnis in campo ethico exiguntur, eaque exigi quidem non tantum in praeparatione ad sacerdotium, sed pertinere ad formationem veri nominis christiani. Hoc tantum modo evitatur ne alumni vane sperent indolem suam naturalem per ordinationem quasi magice transformatum iri et simul inculcatur necessitas enitendi omnibus viribus, gratia Dei adiuvante, in formanda illa personalitate quae naturale fundamentum constituit sanctitatis et efficaciae sacerdotalis.

11

EXC.MUS P. D. IOSEPH DRZAZGA

Episcopus tit. Siniandenus, aux. Gnesnensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine episcoporum Poloniae. In Epistola Apostolica *Summi Dei Verbum,* Sanctus Pater Paulus VI spem suam expressit, Concilium nostrum talem de alumnorum formatione constitutionem promulgaturum, « quae — ut ipse dicit — cum probata erit, opportuna Concilii Tridentini decreta, aliaque subsequentia Apostolicae Sedis praescripta *perficiet* et sine ulla dubitatione id dabit, ut valde *procedat opus* ad sacerdotii tirones conquirendos spectans... » ...[1]

1. Absque dubio textus emandatus schematis *de institutione sacerdotali,* comparatione facta cum praecedente eius redactione, *notabilem progressum ostendit,* maxime quia hanc centralem ideam manifestat, quod « In seminariis, praesertim maioribus, integra clericorum formatio exemplum prosequatur oportet ipsum Dominum Nostrum Iesum Christum, Magistrum, Sacerdotem, Pastorem » ...[2]. Utrum tamen schema hoc, etsi in quibusdam emendatum sit, exspectationem Epistolae Apostolicae, supra allatae, vere adimpleat, dubitare licet. Praescripta enim Romanorum Pontificum non perficere, sed potius ab earum perfecta elucidatione recedere videtur.

Schema enim nostrum continet principia nimis universalia quae

propter suam indeterminationem pro formatione sacerdotum huius temporis insufficientia videntur. Iam Doctor Angelicus animadvertit quod « sermones morales universales sunt minus utiles, eo quod actiones in particularibus sunt » ...[3] Seminariorum moderatores ac professores a Concilio exspectant indicationes huic tempori magis adaptatas, ut pateat, quomodo educare oporteat eos qui seminarium ingrediuntur spiritu materialismi, saltem practici, et nimio cultu progressus technici imbuti.

Nec valet ratio, quod « sacerdotalis institutio a competenti auctoritate territoriali locorum et gentium adiunctis melius possit aptari ». Illae enim auctoritates a Concilio id praecise exspectant, ut tales ab eo normae proponantur, quibus « tirones ad sacerdotalium virtutum exercitationem informentur » in toto quidem orbe terrarum. Nunc enim ubique terrarum fundamentales difficultates in formatione alumnorum similes sunt. Auctoritates territoriales non possunt nisi quasdam particulares determinationes statuere, quibus scil. principalia lineamenta a Concilio statuta, ad concretam vitam applicentur, prout conditiones regionis postulant.

2. Omnes quaestiones, quae in schemate tanguntur, profundiore et latiore elaboratione indigent.

Sic e. g. praeter ea, quae recte dicta sunt in schemate, magis expresse in lucem ponere oportet, quod non solis, etiam optimis, educationis principiis alumni formantur, sed personalitate, cogitandi agendique ratione moderatorum et professorum, quorum errores atque defectus nullo modo supplentur. Professores non solum se viros doctos aestiment, sed magis adhuc paedagogos futuri cleri una cum moderatoribus pro eius formatione responsabiles.

Opportuna quoque videtur fusior explicatio naturae necnon signorum vocationis sacerdotalis, propter multitudinem opinionum hucusque in hac re vigentium. Doctrina de vocatione divina debet esse fundamentum formationis futuri sacerdotis. Magis enucleare oportet opera vocationum fovendarum et simul magis in memoriam sacerdotum revocare, quod ipsi coram Deo et Ecclesia responsabiles sunt, utrum scil. vocationes sacerdotales excitare et educare curaverint.

Quaestio de seminariis minoribus, utpote maximi momenti pro formatione clericorum, non sufficienter exponitur sub uno numero, sed indiget speciali capite.

In quaestione de formatione ascetica necesse est indicare, institutionem sacerdotalem super solidum fundamentum virtutum naturalium et verae humanae culturae fundatam esse. Homines enim huius temporis multo facilius rectam et securam viam ad Christum invenient, si in persona sacerdotis imaginem bonitatis et humanitatis Salvatoris nostri videbunt.

Hic etiam sublineare opus est, quod in formatione alumnorum pars omnino integralis et essentialis est vera devotio erga B.mam Mariam Virginem ad mentem cap. VIII constitutionis *de Ecclesia*.

Oportet etiam ut schema nostrum altiorem gradum institutionis tum scientificae tum moralis in seminariis et in institutis studiorum religiosorum, postulet. Unde in initio institutionis philosophicae necessarium videtur, saltem in pluribus regionibus, instaurare « Tirocinium » in forma cursus praeparatorii, maxime propter defectum spiritualis et intellectualis dispositionis adspirantium ad statum clericalem et propter eorum fidei et morum ignorantiam.

Maiore attentione in schemate digna videtur educatio liturgica in seminariis, quam quidem doctrinalem, spiritualem et practicam Encyclicae Litterae Papae Pii XII *Mediator Dei* et constitutio *de sacra Liturgia* postulant...[4]

Conclusio. Schema *nostrum* [5] non plene correspondet exigentiis, quae a decreto conciliari *de institutione sacerdotali* exspectantur. Propterea videtur ut iterum ad commissionem remittatur, ut perficiatur et ita digna sit Sacrosancti Concilii Oecumenici.

Sicut enim Tridentina Synodus immortalem sibi comparavit gloriam decreto suo de Seminariis condendis, ita omnino expedit, ut praesens II Vaticanum Concilium hoc opus in Ecclesia praestantissimum feliciter ac funditus perficiat. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (pag. 27). [2] (n. 4, pag. 13, linn. 2-6). [3] (II-II, prol.). [4] Quos enim alios promotores renovationis liturgicae requirere oporteat nisi sacerdotes, imprimis iuvenes? Ideoque eadem constitutio statuit «ut clerici, in seminariis... formationem vitae spiritualis liturgicam acquirant cum apta manuductione qua sacros ritus intelligere et toto animo participare queant » (n. 17). Liturgia ergo magistra vitae censeri debet, sacrorum alumnos in arctissimo nexu et communione cum Christo Sacerdote educatura totamque formationem seminaristicam vivificatura. Totum schema constitutionis in auctoritate Sacrae Scripturae fundari oportet. Haec enim constitutio, tanti momenti pro Ecclesia, non solum est actus iuridicus, sed integra pars expositionis doctrinae Ecclesiae. Animadversiones magis particulares in scriptis secretariatui tradam. [5] praesens.

Animadversiones particulares:

1. In structura et compositione schema in nonnullis propositionibus defectu *organicae unitatis laborat,* quasi constructus esset ex variis propositionibus diversorum auctorum et in diversis temporibus allatis, et non raro logico ordine carentibus. E. g. in prop. 2 pag. 12 primo est sermo de opere vocationum, postea generalis notio vocationis ponitur, et tunc de novo ad opus vocationis revertitur.

2. In schemate indicare oportet, quod praeter familiam christianam, etiam paroecia optimus est ager in quo sacerdotalis vocationis germen accrescit.

3. In propositione de seminariorum ordinatione opportunum erit sublineare ut moderatores et sacrorum alumni invicem sinceram confidentiam et amicitiam foveant, sine quibus optata personarum formatio impossibilis est.

4. In formatione sacrorum alumnorum ad apostolatum, praeter doctrinam pastoralem, quae traditur, praeter habitus operativos pastorales, qui exercentur, etiam Ecclesiae eiusque missionis amor, vocationis apostolicae zelus, pro Regni Dei in terra dilatatione animarumque immortalium salute responsabilitas attendatur, ut futuri pastores dynamicam, victricem, missionariam et oecumenicam agendi rationem addiscant.

5. Oportet perficere propositionem de institutione post seminarium perficienda, sublineando quidem: *a*) necessitatem et commoditatem vitae communis neosacerdotum sub directione vere virtuosi et periti parochi; *b*) opportunitatem institutionis directoris spiritualis pro sacerdotibus; *c*) praxim exercitiorum spiritualium singulis annis habendis.

12

EXC.MUS P. D. IOANNES COLOMBO

Archiepiscopus Mediolanensis

Em.mi et exc.mi Patres,

Anno elapso, decurrente IV centenario Decreti Tridentinae Synodi de Seminariis, multa dicta et scripta sunt in laudem huius Instituti, et quidem iure meritoque.

Attamen fere ubique terrarum urgens quoque necessitas manifestatur non pauca mutandi vel melius adaptandi necessitatibus progredientis aetatis: plures enim lacunae vel etiam defectus in seminaristica institutione sine dubio notantur.

Duo defectus potissimum sunt memorandi quippe qui maximi momenti videantur et latiori deploratione denuntientur: carentia unitatis organicae et carentia formationis humanae.

Primus defectus in hodierna formatione seminaristica est *carentia unitatis organicae*: spiritualis scil. formatio, et intellectualis, pastoralis, disciplinaris, mutuo ignorantur, ita ut unaquaeque per viam suam procedat sine communi convergentia, sine ulla idea unitaria et dynamica.

Secundus defectus in hodierna institutione seminaristica est *carentia formationis humanae* et in eo revelatur quod alumni non perveniant ad sufficientem maturitatem humanam, imprimis ii qui ab aetate puerili in seminariis educantur. Hodierna enim institutio sacerdotalis a pluribus accusatur quod sit nimis passiva, nimis prophylactica seu fere unice intenta ad mundi contagia praecavenda, nimis avulsa a societate...[1]

Interdum licet suspicari quod deficiat plena et intima libertas in decernendo de propria vocatione.

Quibus omnibus in mentem revocatis, venerabiles Patres, exsurgit quaestio utrum supradictis defectibus remedium praebeant necne, praesentes *Propositiones de institutione sacerdotali.*

Meo iudicio necessitatibus illis respondent et quidem efficaciter et laudabiliter, etiamsi redactio concisa in forma propositionum argumentum quodammodo coarctet.

1. Contra periculum formationis disgregatae, unitate organica et dynamica destitutae, hoc schema praebet ut centrum convergentiae et totum opus formationis spiritualis, intellectualis et pastoralis ad unitatem perducens, ipsum Dominum Iesum Christum. In ipsum, Magistrum, Sacerdotem et Pastorem, converti debent incessanter alumnorum oculi.

Nam amor erga Christum, ...[2] non solum educationem asceticam et pastoralem in unitatem redigit, sed intellectualem quoque formationem in unum componit. Optime enim praescribitur (in propositione 14) ut singulae disciplinae philosophicae et theologicae concordi ratione conspirent in Mysterium Christi; et inculcatur ut ab ipso ecclesiasticorum studiorum initio — quod est novum et felicissimum consilium — Mysterium Christi refulgeat mentibus alumnorum in visione synthetica quae sua clara simplicitate animos alliciat et inflammet ad vocationem amplectendam corde magno, laeto et volenti.

Immo, meo iudicio, studia quoque *praevia,* si humanistica et scientifica institutio traditur in seminariis vel in nostris scholis, evolvenda sunt in lumine mysterii Christi, qui est cordium rex et humanae historiae centrum, per quem omnia facta sunt. Quod schema non dicit, sed necesse est ut suggerat.

Numquam est obliviscendum in formatione seminaristica nullum dari validum progressum, nisi coniungatur cum progressu in amore personali, sincero, virili, indiviso erga Christum: quem si quis assecutus fuerit, reliqua omnia adiicientur illi.

2. Ad secundum defectum quod attinet, maturitatis scil. humanae et psychologicae, hoc schema remedium affert praeceptis variis et consiliis valde opportunis, quibus institutum seminariorum vere iuvenescit et renovatur. Quorum pauca tantum refero.

Sapienter hoc schema praescribit ut alumni eo genere vivendi ducantur quod normis sanae psychologiae plene respondeat...[3]

Providet ut formatio sit personalis, praecavendo ne alumni tractentur ut massa iners et anonyma...[4]

Facultatem episcopis facit — quod quidem novum et providum est — curriculum studiorum interrumpendi sive pro impensiore tiro-

cinio spirituali sive pro vocatione probanda, anticipato quodam tirocinio pastorali...[5]

Haec postrema connectuntur cum quaestione summi momenti de libertate electionis status clericalis, quam mihi liceat parum evolvere. Seminarii alumnus, quovis momento curriculi, ante irrevocabilem sponsionem *suam,*[6] oportet ut sentiat se esse plene *et vere*[7] liberum sive prosequendi sive derelinquendi viam ad sacerdotium. Quae libertas ne coarctetur timore servili punitionum divinarum, neque affectibus familiae vinculetur, neque difficultate retineatur se denuo inserendi in vitam saecularem coram hominibus honoratam.

Quicumque igitur seminarium relinquit, ne existimetur ingratus et transfuga, sed paterne prosequatur ut locum suum honestum in vita saeculari inveniat, quod facilius eveniet, si studia sic ordinentur in seminariis « ut ea sine incommodo alibi prosequi possint »...[8]

Libertas electionis res est adeo delicata et momentosa ut a nobis episcopis omnibus modis et viribus defendi et protegi debeat. Fortasse bonum erit si textus definitivus hanc libertatem clarius extollat, innixus authentico spiritu evangelico.

Ad conclusiones venio.[9] Schema ergo valde placet ...[10]. Et quia optime in his propositionibus affirmatur renovationem seminariorum magis ab idoneis hominibus dependere quam a bonis praeceptis, nulla interponatur mora neque sacrificiis parcatur ut illi homines parentur qui sint vere periti et spiritu huius Concilii animati. Quapropter nihil carius seminario esse debet episcopo qui homines idoneos personaliter detegere et eligere valebit et ad suam imaginem efformare.

Sed simul cum magistris et moderatoribus, necesse est parare novos libros, textus scil. ad scholam inservientes, qui alumnos veluti manuducant in lumine principiorum quae in schemate...[11] innuuntur circa studia ecclesiastica recognoscenda. Officium erit commissionis post-conciliaris invitare et incitare doctos homines et bene cordatos ut in ambitu internationali quam citius talia necessaria subsidia producant.

Sine hominibus et libris idoneis, periculum adest ut sapientissimae huius sanctae Synodi...

Moderator: Exc.me Pater, tempus est!

Orator: ... praescriptiones litterae mortuae maneant...[12] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] in quam mittentur et cui evangelizare futuri pastores debebunt. [2] secundum schema nostrum. [3] « congrua rerum humanarum experientia et consuetudine cum propria familia non praetermissis » (ut legi-

tur in propositione 3). [4] (in propositione 7). [5] (in propositione 12). [6] deest. [7] deest. [8] (ut monet propositio 3). [9] Conclusio. [10] propterea quod supradictis desideratis et exspectationibus in tota Ecclesia exsurgentibus apprime respondeat. [11] (nn. 14, 15, 16). [12] Postremum, fortasse in schema magis explicitum et pleniorem sermonem merebatur illa quae dicitur spiritualitas propria cleri dioecesani secundum quam sacrorum alumni instituendi sunt et cuius elementa constitutiva a doctrina de episcopatu, quam profundius haec sancta Synodus protulit, oriuntur. Quod humillime commissioni propono.

Moderator: Congregatio proxima erit sabbato, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA PROPOSITIONUM DE ACCOMMODATA RENOVATIONE VITAE RELIGIOSAE

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA PROPOSITIONUM DE ACCOMMODATA RENOVATIONE VITAE RELIGIOSAE *

1

EM.MUS P. D. BENIAMIN CARD. DE ARRIBA Y CASTRO
Archiepiscopus Tarraconensis

Bona multa fecerunt et faciunt in Ecclesia; quis dubitat? unde gratias agamus. Sed autonomia, quasi totalis, certo non favet caritati nec unitati laboris apostolici. In meis humillimis animadversionibus, initio Concilii missis, hoc scripsi quod nunc repeto: « unum ovile et unus Pastor; etiam in dioecesi ».

Puto utillimum fore si in nova redactione C.I.C. statueretur ut Visitatio Canonica Ordinarii loci ad omnes Communitates et Instituta Religiosa cuiusvis generis extenderetur, audiens singulos, non ut Visitator aliquid novi disponat per seipsum, sed, ut quod opportunum iudicaverit Superioribus, vel etiam S. Sedi, exponat.

2

EM.MUS P. D. NORMANNUS THOMAS CARD. GILROY
Archiepiscopus Sydneyensis

In par. 2 propositionis 19 schematis *de Religiosis* dicitur: « Institutis autem fas est sui notitiam, ad vocationes fovendas, divulgare atque candidatos quaerere, dummodo hoc fiat cum debita prudentia et servatis normis a S. Sede traditis ».

Attamen, ad servandam unitatem et concordiam in dioecesi necesse est ut opus ad vocationes religiosas fovendas promoveatur non tantum « cum debita prudentia et servatis normis a S. Sede traditis » sed etiam iuxta normas ab Ordinario loci datas. Quapropter proponimus ut in pag. 8, lin. 27, inter verba « Sancta Sede » et verbum « traditis » inserantur verba « et Ordinario loci », ita ut textus legatur: « ... servatis normis a S. Sede et Ordinario loci traditis ».

---

* Huiusmodi textus lecti non fuerunt vel quia Patres, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio interrupta est.

[*Subscripserunt etiam*] P. Lyons, ep. Sale; J. Gleeson, arch. tit. Aurusuliana; E. Klein, ep. tit. Echino; L. Goody, ep. Bunbury; B. Gallagher, ep. Port Pirie; B. Stewart, ep. Sandhurst; F. Henschke, ep. Wagga Wagga; J. O'Collins, ep. Ballarat; H. Ryan, ep. Townsville; M. Beovich, arch. Adelaide; A. McCabe, ep. Wollongong; P. O'Donnell, arch. tit. Pelusio; Th. Cahill, ep. Cairns; H. Ryan, ep. Townsville; W. Brennan, ep. Toowoomba; A. Thomas, ep. Bathurst; F. Rusch, ep. Rockhampton; M. McKeon, ep. tit. Antipirgo; L. Arkfeld, vic. ap. Wewak; A. Noser, vic. ap. Alexishafen; E. O'Brien, arch. Canberra and Goulburn; P. Farrelly, ep. Lismore.

3

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Animadversiones generales.

Momentum schematis. Indispensabile est in hoc Concilio agere de renovatione in vita religiosorum et religiosarum. « Status religiosus licet ad Ecclesiae structuram hierarchicam non spectet ad Eius tamen vitam et sanctitatem inconcusse pertinet » (sch. *de Ecclesia,* c. VI, n. 44).

Nunc autem si tota Ecclesia iterum et iterum quaerit de suiipsius natura et missione ita quidem ut ad profundam renovationem impellatur, sine ullo dubio omnes religiosi et religiosae (et quidem sine exceptione) ad speciale examen conscientiae tenentur de suo proprio statu et missione ut sese ad Ecclesiae renovationem celeriter accommodent.

Defectus schematis. Novissimus textus emendatus schematis melior evadit quam textus priores, sed adhuc valde insufficiens apparet, unde melius esset eum totaliter reficere. Eius, tamen, novus titulus, aptus videtur.

Schema est vagum et genericum; procedit cum timore et sine vigore, modo incompleto et abstracto, cum visione potius iuridica quam pastorali. Non sufficit de voluntate renovationis in genere, promulganda sunt principia directiva practica ad eam in concreto perficiendam.

Finalitas practica schematis indicanda est sive sub luce renovationis Ecclesiae ad intra, sive sub luce renovationis missionis Ecclesiae ad extra. Schema, e contra, ita redactum est ac si non adesset renovatio in ipsa Ecclesia ad intra; argumenta quae tractat magis conveniunt congressui religiosorum Romae habito a. 1950 sub Pio XII p.m. quam schematibus Concilii Vaticani II. Post istas tres sessiones conciliares schema revera anachronicon evadit.

Ecclesia insuper in sua missione ad extra maximam invenit mutationem in actuali modo vivendi hominum et sic cogitare debet de suo novo modo praesentiae in mundo huius temporis. Schema redactum est ac si nihil de hac quaestione dictum sit quod specialiter ad vitam religiosam attineat.

In schemate non invenitur, saltem modo explicito et concreto, vera metanoia cum sensu necessitatis verae reformationis.

In hoc Concilio Ecclesiae hierarchia metanoiam totius Ecclesiae non semel clare manifestavit ac defectuum vel culparum veniam petiit. Cur religiosi et religiosae exceptionem facerent in ista materia?

Fidelitas erga Fundatorem magis ecclesiologice et magis historice manifestanda esset. Charisma Fundatoris est vis dynamica ad promovendam vitam Ecclesiae peregrinantis secundum determinatas situationes historicas. In tali charismate duplex distingui debet elementum: *a*) dynamismus vitalis, qui est donum speciale Spiritus Sancti in favorem totius communitatis christianae (iste dynamismus potest vel solet vocari « spiritus Fundatoris »), et *b*) forma externa incarnationis illius dynamismi, quae morphologice induit structuras temporum secundum mores uniuscuiusque culturae vel organizationis humanae.

Nunc autem clare et perspicue dicendum est in schemate quod nostra aetas implicat vere maximam novitatem in conditionibus ac structuris humanis ita ut revera pro omnibus religiosis (immo pro omnibus institutionibus) necessarium evadat profunde reconsiderare charisma sui Fundatoris ad clare percipiendum eius « spiritum », qui per vivam traditionem servari debet, sed simul ad vere innovandas eius formas externas secundum exigentias historiae. Quo magis structurae vel opera ad « situationes » humanas pertineant eo amplius renovabuntur.

Ecclesia in omnibus suis structuris, et proinde etiam in Institutis Religiosorum, non est alligata neque definitive vinculata cum culturis et situationibus humanis, sed ita eas transcendit ut facile ab ipsis, quando veterascunt, praescindere possit ad homines melius serviendos. Schema debet clare proclamare quod hodie est hora renovationis pro omnibus, quia signa temporum hoc exigunt.

« Cum omnis renovatio Ecclesiae essentialiter in aucta fidelitate erga vocationem eius consistat » (sch. *de Oecumenismo,* c. II, n. 6), fidelitas, procul dubio, vera ratio est innovationis ita ut religiosi et religiosae qui sese non renovent, in dies infideles practice evadant charismati sui Fundatoris et proinde suae vocationis in Ecclesia.

Explicitis ergo verbis indicandum esset quod unumquodque Institutum Religiosum, post perfectum Concilium, quam primum et maxima cum cura convocare deberet Capitulum Generale ad studendum renovationi secundum sensum concretum schematum a Concilio promulgatorum.

Uti aiebat Pius XII « Legiferi Patres ... religiosorum Institutorum cum suo tempore sua exaequabant incepta ... Quodsi vultis patriis insistere exemplis, ita et vos agite » (Alloc. *Annus sacer*: *A.A.S.,* 1951, pp. 33-34).

Indicandum est primatum caritatis in vita religiosa, amor scilicet Dei et proximi. Ex hoc principio facile etiam deducitur necessitas aptationis ad conditiones hodiernas hominum: « proximus » sunt homines qui vivunt in mundo huius temporis.

Hoc bene explicandum esset.

Denique indicandum esset crescens impulsus ad unitatem in omnibus activitatibus vitae Ecclesiae, ex quo speciales conclusiones deducendae essent, e. g., quoad actionem pastoralem pro vocationibus. Talis actio debet cordi esse totius communitatis christianae et debet perfici in spiritu unitatis organicae, simul nempe pro clero saeculari et pro religiosis utriusque sexus. Vitanda est mutua insinceritas et quasi lucta primatus, ac si non omnes adlaborarent in aedificationem Corporis Christi. Actio ista organizanda esset secundum normas a Conferentia Episcopali una cum coetu superiorum religiosorum statutas. Omnis coactio, cuiuscumque generis, vitanda est. Ad hoc plene consequendum planificanda est tota actio pastoralis vocationum secundum unitatem organicam ipsius Ecclesiae, seu secundum suam intrinsecam unitatem et vitalem pluralitatem. Hic revera datur locus magnae renovationis.

Sensus unitatis organicae Ecclesiae clare in toto schemate proponendus est.

Ecclesia, uti vidimus in schemate proprio, non est imprimis societas iuridica sed mysterium vivum: est Corpus Christi; est organon vivum qui agit in unitate; est veluti persona mystica, cuius sunt omnes operationes supernaturales fidelium: operationes enim sunt suppositorum.

Ex his considerationibus duo sequuntur quae in schemate explicite tractari deberent:

a) ex una parte spiritualis pluralitas vocationum quae a Spiritu Sancto pendet et inservit toti Corpori Mystico: initiativa vitalis in Ecclesia non est propria hierarchiae sed propria divini Spiritus, qui est anima Corporis et ubi vult spirat. Hierarchia perspicue et amanter perscrutare debet plura dona Spiritus et plures « spiritualitates » ex eis ortas ita ut non solum eas agnoscat sed etiam ut eas adiuvet ad fideliter vivendum secundum initiativas Spiritus Sancti. Dicatur ergo in schemate quod etiam ex parte hierarchiae debet adesse maior sensibilitas pluralitatis vocationum et charismatum in Ecclesia;

b) ex altera parte adest « caput » in organismo ecclesiali; per voluntatem Christi invenitur in Ecclesia institutionalis « capitalitas » in collegio episcopali una cum Romano Pontifice. Omnia dona activitatis in Ecclesia organizari debentur sub ductu episcoporum. Dicatur ergo in schemate aliquid magis concretum de collaboratione in activitate pastorali (« de coniunto » seu « d'ensemble ») cum omnibus christianis sub ductu hierarchiae, de concretis relationibus cum Clero dioecesano et cum laicis. Ad hoc bene faciendum non esset timendum reconsiderare, methodo theologica et pastorali potius quam iuridica, totam difficilem quaestionem de exemptione, prae oculis habendo quod exemptio est propter Ecclesiam in bonum commune.

Adnotationes particulares.

Ad n. 1. Dicatur quod haec renovatio « a Spiritu Sancto inspiratur et ab Ecclesia ardenter desideratur ».

Ad n. 2. Magis prematur necessitas sese adaptandi « ad spiritum, non

vero ad litteram » constitutionum uniuscuiusque instituti religiosi. Dicatur quod in constitutionibus multa esse conditionata peculiaribus circumstantiis temporis et loci in quibus fundatores vixerunt. Oportet igitur ut illa nostris temporibus accommodentur. Dicatur explicite quod etiam « regimen debet aptari et renovari ».

Ad n. 3. Dicatur quod « post Concilium omnia instituta religiosa debent habere Capitulum Generale ut secundum spiritum ac normas Concilii Oecumenici sese renovent ». Addatur: « In supradicto Capitulo Generali debent habere repraesentationem mediante suffragiis omnia membra Instituti et non solum superiores ». Hoc videtur esse magni momenti, praesertim pro religiosis feminis.

Ad n. 6. Vitentur expressiones « finis proprius » et « finis specificus ». *Ratio*: Hae expressiones ansam praebent multis controversiis et iure meritoque licet dubitari de earum exacto valore.

Ad n. 10. P. 12, linn. 40 ss. Dicatur: « Congregationes religiosae suis Constitutionibus permittere *debent* ut ... ». Introducatur hic paragraphus, quae « mysticam paupertatis » exaltet. Loquendum esset de necessitate degendi vitam vere pauperem, habendi amorem praedilectionis erga pauperes, compartiendi aliquomodo sortem pauperum.

Hic dicendum est quomodo sit contra spiritum paupertatis, proindeque contra missionem religiosis ab Ecclesia assignatam, omnis luxus vel species eius; omnis ostentatio potentiae mundanae quoad domus, quoad influxus sociales, quoad media apostolatus, quoad « standard vitae », etc. Idem dicendum est de lucro, de commercio, de inversionibus anti-socialibus, de accumulatione pecuniae vel proprietatum inamobilium.

Ad n. 11. Dicatur quod actio Eucharistica deberet esse veluti centrum christianae fraternitatis, quae in omni communitate religiosa vigere debet. Dicatur quod haec vita communis natura sua — quod etiam valet, servatis servandis, de contemplativis — debet tendere ad apostolatum. In Institutis vero vitae activae vita communis non debet esse obstaculum sed magnum adiutorium pro actione apostolica membrorum. Hoc dicendum esse videtur, quia nonnumquam inveniuntur casus, ubi inverso modo religiosi agunt: vita communis ita extollitur ut cura animarum magnum detrimentum patiatur.

Ad n. 14. Haec propositio potest et debet compleri quia, prout iacet, valde ieiuna est. Magno cum fructu possunt hic inseri ea quae in schemate « De Institutione sacerdotali » dicuntur circa « formationem moderatorum » (n. 5), circa « probationem alumnorum » (n. 6), circa « dispositionem Seminariorum » (n. 7), circa « institutionem spiritualem » (nn. 8 et 9), circa « studia » (nn. 13-18) et circa « institutionem pastoralem » (nn. 19-21). Patet quod haec inserenda sunt modo aptato pro religiosis utriusque sexus, qui non necessario ad sacerdotium destinantur. Tamen, cum multa etiam pro iis valeant, videtur necessarium ut haec completio n. 14 fiat.

Ad n. 16. Hic esset locus opportunus ad insistendum in sensu ecclesiali omnium operum, quae a religiosis fiunt. Pariter aliquid dicendum esset de dependentia religiosorum ab episcopis localibus quoad activitatem apostolicam. Similiter inculcanda esset necessitas ut religiosi activitatem suam apostolicam modo coordinato cum actione episcopi navent.

* * *

Problema in hoc schemate examinatum nobis magni momenti videtur, ex his praesertim rationibus:

1. In hoc Concilio Ecclesia sibi proposuit sese de sua propria natura interrogare, ac ita se reformare, ut intentionibus sui Fundatoris atque exspectationibus mundi nostri temporis magis corresponderet, unde ut signum Christi in gentibus clarius appareret.[1] Iamvero in Ecclesia religiosi illi sunt, qui vestigia Christi magis presse sequi contendunt, et qui ex peculiari vocatione eius signum esse debent. Unde problema renovationis Ecclesiae eos specialiter tangit, secundum duplicem directionem, maioris fidelitatis suo Divino Exemplari suoque Fundatori[2] atque maioris adhaerentiae exigentiis nostri temporis.[3] Quod si traditio Ecclesiae, ut vitalitati suae originis fidelis sit, sensu dynamico et progressivo intelligi debet, id eo magis de traditionibus singulorum Institutorum dicendum est ...[4]

2. Crisim vocationum omnes religiosi experiuntur, quae profecto est phaenomenon valde complexum, et a pluribus causis pendens. Sed fortasse etiam ex eo aliquatenus procedit, quod iuvenes hodierni iudicant Instituta religiosa suis aspirationibus iam non correspondere: dum enim spiritualitas

---

[1] « ... nunc cum maxime Ecclesiae opus est testimonium publicum et sociale quod vita religiosa impertitur » (PAULUS VI, Alloc. *Magno gaudio* ad Supremos Moderatores, 23-5-1964: *A.A.S.,* 1964, p. 567).

[2] « Generalium Capitulorum praecipuum munus esto, Religiosae Familiae normas a Legifero Patre suo statutas, labente tempore, sartas tectas servare. Quod attinet autem ad nova ineunda incepta et opera, ab iis abstinete, quae praecipuo Instituti vestri muneri, vel menti Conditoris non omnino respondeant. Religiosa enim Instituta tamdiu vigent et florent, quamdiu in eorum disciplina et operibus, et in sodalium moribus ac vita, integer Conditoris animus perstat ac spirat ... Quod si contigerit, regularum vestrarum *littera* quidem immutabitur, non autem *spiritus,* qui integer perstabit » (PAULUS VI, Alloc. citata: *A.A.S.,* 1964, pp. 568-569).

[3] « ... breviter attingere de studio religiosorum Institutorum mutatis temporibus sese accomodanti et pulchro foedere simul nova et vetera iungendi ... Plerumque enim contigit, ut legiferi patres religiosorum Institutorum novum suum excogitarent opus, quo emergentibus neque moram patientibus Ecclesiae necessitatibus vel muneribus occurrerent; itaque cum suo tempore sua exaequabant incepta. Quodsi vultis patriis insistere exemplis, eo modo quo ipsi se gesserunt, ita et vos agite. Aequalium vestrorum, inter quos vivitis, scrutamini opiniones, iudicia, mores et, si ibi particulae boni et iusti inveniantur, pretiosis hisce elementis potimini; aliter eos collustrare, iuvare, sublevare, ducere non valetis » (PIUS XII, Alloc. *Annus sacer,* 8-12-1950: *A.A.S.,* 1951, pp. 33-34).

[4] « ... legiferi patres religiosorum Institutorum ... *cum suo tempore sua exaequabant incepta.* Quodsi vultis patriis insistere exemplis ..., ita et vos agite » (PIUS XII, Alloc. *Annus sacer*: *A.A.S.,* 1951, pp. 33-34).

laicorum suo renovato vigore eos allicit, spiritualitas religiosorum ipsis aliquando obsoleta videtur.[5]

Nostro itaque iudicio, praesens schema, ut suo titulo respondeat, accuratius ostendere deberet nexum inter renovationem generalem a Concilio promotam, et renovationem religiosorum propriam.

Inter principia autem quae huic renovationi praeesse debent, nobis adnumerandi videntur sensus personae, sensus Ecclesiae et sensus temporis.

I - *Sensus personae.* Sensus dignitatis personae ad praecipua signa nostri temporis spectat. Quapropter in ideali religioso proponendo et prosequendo, ita exigentiae abnegationis et subiectionis affirmentur, ut dignitas personae non laedatur, ut scilicet religiosi nunquam sese homines diminutos sentiant, vel ut tales appareant.[6]

Hoc autem generale principium nonnulla problemata excitat, nonnullas « tensiones » manifestat, quas recolere velimus: nempe tensionem inter libertatem et auctoritatem, inter valores profanos et religiosos, inter laicatum et clerum.

a) Quod spectat *habitudinem inter auctoritatem et libertatem,* ut plures Patres in hac aula animadverterunt, laici hodierni adulti facti sunt, et ut tales sunt tractandi. Rebus sic stantibus, cavendum est ne, dum laici adulti fiunt, religiosi infantes maneant. Profecto, ad essentiam vitae religiosae spectat, ut sit unio cum holocausto Christi oboedientis usque ad mortem. Quae autem oblatio eo ditior erit, quo a maturiori personalitate dimanabit. Praeterea, actio communitaria et tot crescentibus difficultatibus obnoxia, quae a religiosis vitae activae exercetur, eo efficacius bonum commune prosequetur, quo magis in illa omnes et singuli sodales, sua responsabili initiativa [7]

---

[5] « Imprimis vos animadvertere volumus Institutorum religiosorum momentum maximum et eorum munus plane necessarium esse Ecclesiae hisce temporibus. Est quidem fatendum doctrinam de universali ad sanctitatem vocatione fidelium cuiusvis ordinis et condicionis multum in praesenti, ac merito quidem, commendari; quae eo innititur, quod primaria ratione in Baptismo Deo consecrantur. Praeterea horum temporum necessitates postulant, ut ardor vitae christianae in ipso mundo ferveat et animos accendat, scilicet « consecrationem mundi » requirunt, cuius rei officium praesertim ad laicos pertinet. Haec omnia e providentis consilio contingunt, estque cur de tam salutaribus inceptis gaudeamus.

Cavendum tamen est, ne ea de causa germana notio vitae religiosae, ut semper in Ecclesia viguit, obscuretur, atque iuvenes cum de deligendo vivendi genere cogitant, aliquo modo praepediantur, propterea quod peculiare munus et momentum immutabile status religiosi in Ecclesia non amplius distincte et dilucide perspiciunt » (PAULUS VI, Alloc. *Magno gaudio,* 23-5-1964 ad Summos Moderatores ...: *A.A.S.,* 1964, p. 566).

[6] « ... nunc cum maxime Ecclesiae opus est testimonium publicum et sociale, quod vita religiosa impertitur. Nam quo imprensius officium laicorum expetitur vitam christianam in ipso mundo agendi et propagandi, eo magis postulatur, ut exempla praefulgeant eorum qui mundo revera renuntiant, atque adeo aperte demonstretur *Regnum Christi non esse de hoc mundo* » (*Io.* 18, 36) (PAULUS VI, Alloc. *Magno gaudio*: *A.A.S.,* 1964, p. 567). « ... auctoritas exercenda ... cum respectu personae humanae ... » (*Ibidem*). Cf. etiam PIUS XII, Const. Apost. *Sedes Sapientiae*: *A.A.S.,* 1956, pp. 358-359; atque *infra* n. 14.

[7] « Quam ob causam ii qui sacris Seminariis praesunt modum prudenter animadversionibus imponent, ac crescentibus iuvenum annis ab strictiore eorum custodia vel cuiusvis generis refrenationibus sensim temperent; id prorsus consecuturi ut sibimet ipsis adulescentes

et pro sua quisque competentia, ab ipsa auctoritate promotis, collaborabunt. Porro, ut religiosi talem maturitatem attingant, eorum formatio ad hoc tendat, ut sensui responsabilitatis personalis, plusquam extrinsecis regulationibus, fiducia praestetur. Sensus oboedientiae potius filialis quam servilis inculcetur, et auctoritas modo paterno exerceatur: ita tamen ut filii adulti ut adulti tractentur, ne paternitas in paternalismum labatur.[8] Possibilitas praebeatur omnibus sodalibus de activitate Instituti sincere et efficaciter suam mentem aperiendi, ita ut apud religiosos, sicut in universa Ecclesia, munus constructivum « opinioni publicae » tribuatur, competenti auctoritate moderante.[9] In rebus denique magni momenti, a constitutionibus bene determinandis, Superiores collegialiter deliberent, sive in singulis domibus et provinciis, sive in universa societate.

b) Quod spectat *habitudinem inter valores religiosos et profanos,* mens religiosorum mentem ipsius Ecclesiae clare reflectere debet. Haec autem ex uno capite ordinem profanum transcendit, et primatum valorum spiritualium affirmat; qui primatus a religiosis sua renuntiatione etiam valoribus de se positivis exprimitur.[10] Inter has autem renuntiationes, specialiter extollen-

---

moderentur, seseque suorum esse operum auctores sentiant ... » (PIUS XII, Adhortat. *Menti nostrae* 23-9-1950: *A.A.S.,* 1950, p. 686).

Summopere igitur in vitae actione *religiosam oboedientiam* excolite. Ea est et manere debet holocaustum, uti appellant, propriae voluntatis, quod Deo offertur. Quod sacrificium sui eo fit, quod submisse legitimis Moderatoribus paretur, quamvis auctoritas exercenda sit infra fines caritatis et cum respectu personae humanae, et licet haec nostra aetas religiosos vocet ad plura gravioraque munera obeunda et ad incepta alacrius et expeditius suscipienda » (PAULUS VI, Alloc. *Magno gaudio*: *A.A.S.,* 1964, p. 567).

[8] Hoc vero in gravissimo munere explendo educatoribus prima regula sit, quam Dominus enuntiavit in Evangelio dicens: « *Ego sum pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis ... Ego sum pastor bonus et cognosco meas et cognoscunt me meae* » (*Io.* 10, 11-12, 14), quamque divus Bernardus hisce verbis expressit: « *discite, subditorum matres vos esse debere, non dominos; studete magis amari, quam metui* »; atque ipsum Tridentinum Concilium Ecclesiasticos Moderatores saepissime adhortans, « *illud primum eos admonendos censet, ut se pastores non percussores esse meminerint, atque ita praeesse sibi subditis ut non eis dominentur sed illos tamquam Filios et Fratres natu minores diligant ...* » (PIUS XII, Const. *Sedes Sapientiae*: *A.A.S.,* 1956, pp. 358-359).

[9] « L'opinion publique est, en effet, l'apanage de toute société normale composée d'hommes qui, conscients de leur conduite personnelle et sociale, sont intimement engagés dans la communauté dont ils sont les membres. Elle est partout, en fin de compte, l'écho naturel, la résonance commune, plus ou moins spontanée, des événements et de la situation actuelle dans leurs esprits et dans leurs jugements.

La où n'apparaîtrait aucune manifestation de l'opinion publique, là surtout où il en faudrait constater la réelle inexistence: par quelque raison que s'explique son mutisme ou son absence, on devrait y voir un vice, una infirmité, une maladie de la vie sociale.

... Finalement, Nous voudrions encore ajouter un mot relatif à l'opinion publique au sein même de l'Eglise (naturellement, dans les matières laissées à la libre discussions).

... Car elle est un corps vivant et il manquerait quelque chose à sa vie si l'opinion publique lui faisait défaut, défaut dont le blâme retomberait sur les Pasteurs et sur les fidèles » (PIUS XII, Alloc. *L'importance de la Presse catholique,* 18-2-1950, in *Discorsi e Radiomessaggi* di S. S. Pio XII, Tip. Poliglotta Vaticana, vol. XI, pp. 365, 371).

[10] « ... hic enim status (religiosus), qui e votorum evangelicorum professione indolem propriam accipit, est, secundum exemplum ac doctrinam Iesu Christi, perfecta vivendi ratio, quippe quae eo spectat, ut caritas augescat et ad absolutionem perducatur; aliis autem vitae

dum est hodie, in Ecclesia pauperum, testimonium paupertatis tam a singulis quam a communitatibus reddendum.[11]

Ex alio vero capite, Ecclesia est valoribus profanis aperta eosque promovet, quatenus in vocatione hominis integrali partem habet. Rebus sic stantibus, hodierna spiritualitas religiosorum, praesertim vitae activae, relate ad valores profanos, nequit in sola « fuga saeculi » resolvi. Debet e contra in eorum personalitate harmonice componi cultus valorum temporalium, seu, ut aiunt, formatio humanistica,[12] cum exigentiis valorum religiosorum, firma manente diversitate inter munera religiosorum et munera laicorum in ordine profano.[13] In hoc contextu, evolvenda videtur sectio quaedam theologiae apostolatus, quae sensum apostolatus religiosorum, etiam sacerdotum, declaret, ubi hic in ordine profano exercetur (v. g. in scholis, in officinis, in nosocomiis).

c) In religionibus clericalibus, sicut in universa Ecclesia, aggrediendum videtur problema *de relationibus inter clericos et laicos,* ne accusationi clericalismi ansa praebeatur. Etiam laici religiosi ut adulti haberi exoptant; etiam in religionibus urget promotio laicorum, quibus accuratior formatio culturalis sive professionalis sive religiosa impertienda est; et quibus in Instituto accessus ad omnes illas mansiones patere debet, ad quas caracter sacerdotalis non requiratur.[14]

---

generibus fines, utilitates, officia temporalia, quamquam per se legitima, sunt proposita » (PAULUS VI, Alloc. *Magno gaudio*: *A.A.S.,* 1964, pp. 566-567; cf. *supra* n. 6).

11 Ne desieritis *studium paupertatis* inculcare; de qua hodie multus est sermo in Ecclesia. Religiosi enim exemplo verae paupertatis evangelicae omnibus debent praelucere. Quapropter paupertatem, qua se sponte astrinxerunt, ament oportet; neque satis est, circa usum bonorum, e Superiorum arbitrio pendere, sed religiosi ipsi contenti sint rebus necessariis, quibus vitae rationibus consulitur, et fugiant commoditates et lautitias, quibus vita religiosa enervatur. Sed praeter paupertatem, quae *singulorum* propria esse debet, non licet neglegere paupertatem, qua *familia ipsa seu totum corpus sodalium* eniteat oportet. Itaque Instituta religiosa in aedificiis suis et quibusvis operibus cultum et ornatum nimis exquisitum, et quidquid luxum redolet, devitent atque rationem habeant condicionis socialis hominum qui circa habitant. Abstineant quoque a nimio studio quaestus faciendi, immo subsidiis temporalibus, quae divina Providentia iis est largita, veris necessitatibus fratrum indigentium subveniant, sive hi sint conterranei sive aliis in orbis terrarum partibus degant » (PAULUS VI, Alloc. *Magno gaudio*: *A.A.S.,* 1964, pp. 567-568).

12 Quo tamen rationum atque operum ordine servato (supernaturalis ordinis instrumenta primum obtinent locum), nihil prorsus neglegetur, quod ad corpus animumque perficiendum ad omnes naturales virtutes excolendas et ad integram humanitatem viriliter conformandam quolibet modo conferat, ita ut supernaturalis deinde sive religiosa sive sacerdotalis institutio huic solidissimo inhaereat naturalis honestatis *excultaeque humanitatis* fundamento, siquidem hominibus eo facilior securiorque ad Christum via patet, quo in sacerdotis persona evidentior ipsis appareat « *benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei* » (*Tit.* 3, 4) (PIUS XII, Const. Apost. *Sedes Sapientiae*: *A.A.S.,* 1956, pp. 359-360; cf. *infra* n. 14).

13 Cf. *supra* notam 10.

14 *La formation de vos Sœurs* au travail et à la tâche qui leur incombe. Ici pas de mesquinerie, mais soyez larges de vues. Qu'il s'agisse d'éducation, de pédagogie, de soin de malades, d'activités artistiques ou autres, la Sœur doit avoir ce sentiment: la Supérieure me rend possible une formation qui me met sur un pied d'égalité avec mes collègues dans le monde. Donnez-leur aussi la possibilité et les moyens de tenir à jour leurs connaissances professionelles. Cela aussi, Nous l'avons développé l'année passée. Nous le répétons afin de souligner l'importance de

II - *Sensus Ecclesiale.* Sensus Ecclesiae prae ceteris spiritualitatem afficere debet. Renovatio enim vitae religiosae in primis sibi vult profundiorem vitam interiorem.[15] Spiritualitas scilicet uniuscuiusque religionis ita theologice fundanda est, ut caracteres proprii illarum familiarum appareant ut aspectus universalioris spiritualitatis christianae et ecclesialis. Praeterea, ad normam constitutionis *de sacra Liturgia,* tota vita Instituti « liturgico spiritu penitus informetur ».[16]

Sensus autem Ecclesiae ad hoc etiam perducere debet, ut activitas uniuscuiusque Instituti cum tota vita Ecclesiae coordinetur.[17] Porro, ad hoc obtinendum, non sufficit ut habeantur conferentiae Superiorum Maiorum, sed requiritur ut inter has conferentias et conferentias episcopales periodici habeantur conventus; [18] immo, ut aliqui saltem Superiores Maiores in territorio degentes in conferentiis episcopalibus partem habeant. Praeterea, cum exigentiae collaborationis nequeant ad ambitum nationalem restringi, sed universum mundum prae oculis habere debeant, proponere velim ut etiam in Consilio Centrali episcoporum (de quo in schemate de pastorali munere episcoporum)

---

cette exigence pour la paix intime et l'activité de vos Sœurs » (PIUS XII, Alloc. *Nous vous adressons,* 15-9-1952: *A.A.S.,* 1952, p. 826).

« Religiosi enim viri (qua religiosi), quibus hoc praecipuum officium incumbit, ut nempe Deum unice requirentes eique adhaerentes divina contemplentur, aliisque tradant, meminerint se nullatenus hoc sanctissimo munere rite ac fructuose fungi posse et ad sublimem cum Christo coniunctionem efferri, si copiosa illa destituantur, quae e sacris doctrinis hauritur, Dei eiusque mysteriorum profunda et indesinenter perficienda cognitione » (PIUS XII, Const. Apost. *Sedes Sapientiae*: *A.A.S.,* 1956, p. 361; cf. etiam *Statuta generalia* adnexa Const. Ap. *Sedes Sapientiae,* art. 16, par. 3, 2).

15 « In huiusmodi autem vestrorum Institutorum renovatione procuranda, vobis semper cura habenda est, ut spirituali sodalium vestrorum vitae praecipuae semper partes tribuantur ... Alacris operositas et spiritualis vitae cura, nedum altera alteri noceat, artissimam requirunt coniunctionem, ita ut ambo pari gradu et gressu semper procedant. Ferventibus igitur operibus, congruenter ferveat precandi studium ... » (PAULUS VI, Alloc. *Magno gaudio*: *A.A.S.,* 1964, pp. 569-570; cf. *supra* n. 14).

16 « Liturgia est culmen ad quod actio Ecclesiae tendit et simul fons unde omnis eius virtus emanat » (art. 10).

« ... est enim primus, isque necessarius fons, a quo spiritum vere christianum fideles hauriant » (art. 14).

« Clerici, in seminariis domibusque religiosis, formationem vitae spiritualis liturgicam acquirant, cum apta manuductione qua sacros ritus intelligere et toto animo participare queant, tum ipsa sacrorum mysteriorum celebratione, necnon aliis pietatis exercitiis spiritu sacrae liturgiae imbutis; pariter observantiam legum liturgicarum addiscant, ita ut vita in seminariis et religiosorum institutis liturgico spiritu penitus informetur » (art. 17) (*Const. de Sacra Liturgia*: *A.A.S.,* 1964, pp. 102, 104, 105).

17 Ad apostolatum quod attinet ... haec addere velimus. Instituta religiosa ad hodiernas rerum condiciones et adiuncta apostolicum munus ipsorum proprium seduto conformare debet. Sodales iuniores praesertim ad id recte instituendi atque educandi sunt; ita tamen, ut apostolicum studium, quo incensi esse debent, non intra fines sui ordinis circumscribatur, sed pateat ad ingentes spirituales necessitates horum temporum ... Magnopere etiam nobis cordi est, ut religiosorum sodalium navitas cum sacrae Hierarchiae normis concordi ratione procedat. .. patet, quantopere conferat ad Ecclesiae bonum socia atque adiutrix religiosorum opera dioecesano clero praestita, cum vires unitae fortiores validioresque evadant » (PAULUS VI, Alloc. *Magno gaudio*: *A.A.S.,* 1964, pp. 570-571).

18 Cf. Schema *De munere pastorali Episcoporum,* n. 35, 6.

Superiores generales religiosorum repraesententur, et etiam Antistites religiosarum audiantur. Oportet scilicet ut, ad occurrendum urgentibus necessitatibus Ecclesiae, rationes (italice « piani ») ad dimensiones mundi accurate elaborentur, omnibus viribus Ecclesiae cooperantibus, clericis nempe, religiosis et laicis, viris et mulieribus, orientalibus et occidentalibus, firma manente necessitate adaptationis singulis situationibus.

III - *Sensus temporis.* Attenta celeritate evolutionis in nostra aetate, instituta religiosa illa media adhibere debent, quae ipsis permittant constanter signa temporum perspicere, atque sese ipsis accommodare salva semper fidelitate spiritui Fundatoris. Ad quod, ut in schemate dicitur, omnes sodales cooperare debent. Sed praeterea, requiruntur institutiones peritorum, quae situationum et problematum tam complexorum studio scientifico incumbant, ita ut Superiores de eorum conclusionibus in suis deliberationibus rationem habere possint. Collaboratio inter moderatores et technicos essentialis est cuilibet modernae institutioni.

Quinimmo, cum evolutio mundi hodierni in omni ordine viros peritos exigat, curent instituta religiosa ut sua membra quam maxime periti sint: studia itaque classica, scientifica, philosophica, theologica, summa serietate perficiantur; et in activitate sociorum determinanda hoc pro posse intendatur, ut unusquisque in sua sphaera vere peritus fiat.[19]

Fundatores Institutorum religiosorum, ut spiritum Christi in suam aetatem infunderent, geniales novatores, immo creatores fuerunt, quia caritas Christi eos urgebat. Si nos, eadem caritate compulsi, mundo hodierno occurramus, Christus in nos Spiritum suum Creatorem mittet, qui renovabit faciem terrae.[20]

4

EXC.MUS P. D. REMIGIUS AUGUSTIN

Episcopus tit. Turuzitanus, aux. et adm. ap. s. p. Portus Principis

Utile immo necessarium videtur in schema *de accommodata renovatione vitae religiosae,* fundamentum proponere ipsius renovationis ac disciplinae vitae religiosae. Scilicet:

---

[19] « ... praeter sanctitatem et scientiam congruentem ... omnino postulari ... accuratissimam et ex omni parte perfectam pastoralem praeparationem ... suae cuiusque arti exercendae diligens praehaberi solet sive theoretica ... sive technica, sive practica ... praeparatio » (PIUS XII, Const. Apost. *Sedes Sapientiae*: *A.A.S.*, 1956, p. 363). « Praeter generalia studia, iis omnibus communiter praescripta qui ad sacerdotium contendunt, alia specialia a singulis institutis, non tantum in genere possunt, sed etiam, si pro variis adiunctis necessarium aestimetur, institui debent, ac triplici ratione: 1) ad communia studia complenda et sic humanam culturam et doctrinam Instituto congruentem ad apicem conducendam; 2) ad eas peculiares res addiscendas, quas singulorum Institutorum natura postulat; 3) ad eos rite praeparandos alumnos qui ministeria educationis et institutionis vel alia pecularia v.g. missiones ad exteras gentes, exsequi debent » (Statuta gen. adnexa Const. Ap. *Sedes Sapientiae,* art. 46, pag. 1-3).

[20] Cf. *supra* n. 4.

A) Oportet periculum vitare falsae interpretationis quae obedientiam difficilem redderet. Religiosi seniores difficultatem habent ad renovationem sese accommodare et tentationi subiacere: « Ad quid mutationes istae, res optime habent ». Iuniores vero proclivitatem habent interpretandi renovationem idem esse revolutionem.

Ut senioribus iunioribusque religiosis obedientia facilior reddatur, oportet statuere uti fundamentum quod renovatio vitae religiosae oritur a caritate et ad caritatem tendit sine qua nulla perfectio haberi potest.

B) Tranquillitatem conscientiae oportet fovere, praecipue in Institutis vitae activae. Scrupula oriuntur ex oppositis inclinationibus: scilicet ex ipsa cura adaptationis et ex desiderio legitimo ac sincero fidelitatis servandae spiritui traditionibusque propriae Congregationis. Conflictus haberi potest inter amorem Dei fidelitatem profitentem regulae antiquae, et amorem proximi qui totum pro apostolatu se devovet in hodiernis conditionibus. Nunc autem conflictus iste nequit; nam apostolatus oritur a caritate et ad caritatem ducit. Oportet instaurare influxum permanentem vitae interioris in apostolatum et apostolatus in vitam interiorem. Idem amor Dei fovere debet orationes et actiones religiosorum ac religiosarum. Consequitur ergo quod ordinatio vitae religiosae omnia praedisponere debet ut pax conscientiarum servetur.

Conclusione. a) Ponere n. 4, pag. 10, ut n. 1, pag. 10; *b*) Ad n. 4, pag. 10, addere verba ista vel similia: « Fundamentum totius verae renovationis semper remanet amor Dei et proximi; ordinatio vitae religiosae per orationem et actionem exigentiis hodiernae conditionis necnon apostolatus respondere potest et debet ».

5

EXC.MUS P. D. FLOYD LAURENTIUS BEGIN
Episcopus Quercopolitanus

1. In revisione Caeremoniarum, vota professionis, cum sint publica et ab ipsa Ecclesia accepta, debent accipi etiam « Caeremonialiter » ab Episcopo, vel Ordinario Religioso Eorumve delegatis, non vero a Superiorissa, vel Superiore laico (cf. pag. 1, lin. 20).

2. In revisione Caeremoniarum eliminantur in caeremonia « Receptionis et Professionis » omnia elementa profana, et theatrica. Fiant Receptio et Professio intra Missam et imitent Sacram Ordinationem.

3. Indultum Saecularizationis pro Professis a Votis temporariis pro omnibus Institutis religiosis sit sub potestate Ordinarii, quin recurrendum ad Sanctam Sedem requiratur.

6

EXC.MUS P. D. EUGENIUS BEITIA ALDAZÀBAL
Episcopus Santanderiensis

Schema emendatum propositionum de religiosis, quod nunc inscribitur *de accommodata renovatione vitae religiosae* nimiam forte brevitatem prae se fert. Faxit Deus ut revera « haec pauca principia a Concilio Oecumenico summa auctoritate edicta conferant ut vita religiosa ampla accipiat incrementa » quin nostrum laborem tangat Horatiana sententia: « brevis esse laboro, obscurus fio ».

In disceptatione uberrima, scripto facta, praelati et primi textus huius schematis, propositum est ut explicite innueretur criterium de excellentia vitae religiosae in se, etiam cum sacerdotio vel exercitio externo apostolatus non sit coniuncta. Et quamvis tali observationi apposite responsum sit, sufficere tenorem schematis, tamen ipsa Commissio fatetur: « Non est autem negandum adesse specialem necessitatem inculcandi vitam religiosam sine sacerdotio aliquid completum et per se stans constituere, praesertim contra illos qui asserunt Fratres docentes ad sacerdotium accedere debere » (Appendix, pag. 15).

Liceat mihi, nomine tantum proprio loquenti, sed votis annuenti superiorum generalium septem Institutorum religiosorum a scholis, educatione et instructione christiana, circiter 40 millia religiosorum complexive numerantium, enixe rogare ut brevissimus et generalis tenor conciliaris n. 6, « de institutis vitae activae fovendis eorumque actione rite ordinanda » paucissimis sed expressivis lineis, hac in re, amplificetur. Quod quidem fieri posset etiam in schemate de scholis catholicis ubi Ecclesia aciem ordinatam suae gentis, in re de educatione praesentat, ubi fratres religiosi educatores, sine dubio inter praecipuos, forsitan et primi sunt.

Merito quidem Ecclesia se profitetur gratissimam erga omnes — religiosos et laicos — utriusque sexus, qui sanctissimo et omnino necessario operi de christiana iuventute educanda se tradunt. Merito utique eos adhortatur ad laborem in dies progredientem in scholis catholicis magis magisque conferendum.

Non est cur hic extollamus sublimitatem tanti ministerii, quod iam egit Sanctitas Pii XI in Enc. *Divini Illius,* abhinc 30 annis (31 dec. 1929, *A.A.S.,* vol. 22, pp. 49-86).

At ob peculiaria adiuncta nostri temporis — recolantur verba Commissionis ante dicta — iudicarem oportere ut Oecumenicum Concilium Vaticanum II specialem attentionem praestet iis Institutis religiosis virorum laicalium, qui tamquam proprium, imo unicum ministerium, hoc de christiana educatione iuventutis amplexi sunt.

Sancti eorum Fundatores, sacerdotes forte ipsi, tamen non sacerdotium, non officia sacerdotalia filiis suis quaesierunt, sed praetulerunt ut in statu

laicali semper manentes, se totos ac totum tempus huic sanctissimo ac summe necessario operi dicarent. Ad rem apposite Pius Pp. XII f.r.: « Religiosa sodalitas quamvis fere unice ex iis constet, qui peculiari Dei vocatione sacerdotii dignitati, iisque solatiis, quae ex eo oriuntur renuntient, magno tamen apud Ecclesiam in honore est, ac sacros ministros in christiana iuventutis conformatione summopere adiuvat » (Epist. ad card. Valeri, 31 mart. 1954, *A.A.S.,* 46, pp. 202-205).

Et quidem quis recensere valeat horum Institutionum merita, his praesertim temporibus quibus iuniorum multitudo, institutione indigentium — et humana et supernaturali — in dies crescit et quos aliunde atheismus a recto ordine avertere conatur.

Quis poterit numerare quot S. R. Ecclesiae cardinales, episcopi, sacerdotes et religiosi ex illorum scholis prodierunt? Quot viri laici qui summa officia in societate civili et in operibus pietatis et caritatis ubique sunt adepti?

Innumeri sunt utique animarum pastores qui ab istis Institutis laicalibus virorum, optimos efflagitant educatores; at forte non desunt qui talia Instituta minus aequo aestiment; immo iisdem obicem in eorum munere exercendo quandoque ponant; quod quidem supremi illarum Congregationum moderatores deplorant; quo etiam fit ut quidam ex his religiosis dubium concipiant de vero valore suae functionis educatricis, immo et suae vocationis.

His adde quod occasione Concilii nostri, quidam accesserunt, scripto et ore, ad ipsos sodales, propugnantes accessum ad ordines sacros — ad presbyteratum vel saltem ad diaconatum — istorum religiosorum. Quod quidem in detrimentum pacis et concordiae, intra domestica saepta, et fidelitatis ad spiritum primaevum fundationis ipsius, sine dubio vergeret. Hoc ipsi supremi harum religionum moderatores formidant.

Quapropter auderem proponere ut in n. 6, ubi de institutis vitae activae fovendis post primam paragraphum haec vel similia verba interiicerentur: « Speciatim tenendum est fratres laicales, qui operi christianae educationis incumbunt, summam conferre opem et statui perfectionis ut veri religiosi, et evangelii diffusioni ut fidelium conformatores ».

Sic, ut puto, vacillantes confirmabuntur in sua vocatione, fideles allicientur ad hanc perfectionis viam aggrediendam, animarum Pastores operam dabunt ut prospera cuncta sint in his Institutis, et auctoritate Concilii complebitur quod disertis verbis f.r. Pius Pp. XII scripsit, nempe: « Religiosa sodalitas, quamvis fere unice ex his constet qui peculiari Dei vocatione sacerdotii dignitati iisque solatiis quae ex eo oriuntur renuntient, *magno tamen apud ecclesiam in honore est,* ac sacros Ministros in christiana iuventutis conformatione *summopere adiuvat* ».

Haec licet brevissima « relatio » in textu Concilii summus foret honor. Puto quod tot Episcopi qui, ut hic minimus qui haec verba facit, primam institutionem christianam horum ex ore Fratrum laicalium in scholis acceperunt, mecum consentient in hoc voto.

7

Exc.mus P. D. MICHAEL BLECHARCZYK

Episcopus tit. Iotanus, aux. Tarnoviensis

N. 5, pag. 6, post lin. 6 opportunum esset — censeo — addere sequentia: « Doceantur fideles de dignitate vocationis ad vitam in Ordinibus et Congregationibus Christo Sponso offerenda nec non de uberrimis fructibus, quas talis vita toti Ecclesiae affert; speciatim instruendi sunt de ratione Ordinum contemplativorum. Maxime conveniens esset, ut in omni dioecesi, saltem numero maiori, monasterium vitae contemplativae, quod gratias divinas imploret, satisfactiones pro peccatis offerat atque vitae communis exemplar sit, existat ».

Cum laicismus in dies diesque invalescat et cum viva fides, quae olim vigebat, debilitetur, etiam vocatio ad statum religiosum non secundum spiritum evangelicum recognitur. Multi verum finem vitae religiosae ignorant, alii Congregationes inutiles esse putant, certo multi religiosos non convenienti aestimatione persequuntur. Quo magis fides languescit, eo minus vita religiosa aestimatur, unde et vocationum numerus minuitur. Fideles proinde saepius edoceantur de religiosa vocatione, de dignitate vocationis ad hunc statum, de fructibus, quos Congregationes afferunt, de historia Congregationum, statuentur eximia exempla religiosorum, vitae hodiernis temporibus accommodata. Possumus in genere dicere, numerum vocationum aliquo modo manifestare paroeciae vel dioecesis fidem.

In meridionalibus regionibus dantur multa monasteria contemplativae vitae cum papali clausura, attamen sunt aliae regiones, in quibus talia desiderantur; conveniens esset, ut in dioecesibus maioribus numero talia erigantur. Spiritus orationis e talibus monasteriis mire dilatatur. Silentium, quod adest, ineffabilem influxum exercet, desiderium eorum, quae supra sunt, talia monasteria excitant, peroptima exempla christianae vitae proponunt satisfactiones pro hodierno mundo offerunt et pro hodierno mundo aliquo modo tamquam remorsus conscientiae exhibentur.

8

Exc.mus P. D. PETRUS BOILLON

Episcopus Virodunensis

De religiosis loqui non audeo nisi cum timore et tremore. Schema enim legens iterum atque iterum, semel tantum nominari Ordinarium inveni, ac in ultimo fine, ubi agitur de vocatione, scilicet de iis qui religiosi adhuc non sunt. Quod mihi mirandum visum est in hac ipsa sessione dum episcopalem doctrinam statuimus ac conferentiae episcopales ubique in Ecclesia latina instituuntur tanquam structura Ecclesiae. Forsan ad id respondeatur episco-

pum in vitam activam religiosorum auctoritatem exercere. Sed quid de ipsa vita religiosa? Nonne ex experientia patet, Venerabiles Patres, episcopis de ea curam incumbere, praesertim quando adsunt difficultates? Nonne ex ipso Codice Iuris Canonici? Cur in schemate istud silentium? Nonnullis certe non placet.

De n. 5 aliquas animadversiones addere intendo, scil. de « Vita Contemplativa ».

Certe certius ex Ecclesiae historia, ex vocationum experientia et ex ipso Evangelio, necessaria et perutilia sunt Instituta vitae contemplativae. Attamen quae dicuntur de eorum renovatione, scil. « in ratione formaque vitae » mihi non sufficere videntur. Etenim opus essentiale vitae contemplativae est Officium Divinum, seu Sacra Liturgia. Mementote autem quid Summus Pontifex Paulus VI in Monte Cassino recenter dixerit, de « renovatione liturgica secundum recentissimam Constitutionem quae requirit a monachis perfectam adhaesionem ac apostolicum auxilium ». Itaque opto ut mentio formaliter fiat in hoc articulo sub illo textu:

« At etiam ipsa in ratione formaque vitae et liturgiae secundum Constitutionem de Sacra Liturgia sese renovent ».

Pauca addere debeo secundum ea quae a me postulaverunt nonnulli monachi et quidem piissimi prudentesque.

Certe, non obstante constitutione de sacra Liturgia, multum laudabile est monachos « nobilem servare linguam latinam » secundum verba eiusdem Summi Pontificis, et quidem in ineffabili cantu gregoriano. Quae illam servare possunt monasteria, ut Ordinis Sancti Benedicti monasteria, in quibus vitam degunt doctissimi viri ad litteras praediti, diligentissime servent. Attamen sunt monasteria et virorum et monialium, ad quae aggrediuntur hodie multi viri ac mulieres qui numquam linguae latinae studuerunt nec ad studia dicta classica, scilicet ad linguas latinas apti sunt, etsi nonnulli scientia aut arte aut technica valde praediti sunt. Pro illis ad orandum, quod est praecipuum officium, magnum affert obstaculum lingua. Atqui nemo affirmare audet linguam latinam esse de essentia vitae contemplativae, et eos qui ad illam linguam apti non sunt, a vita contemplativa arcendos esse.

Ad id addendum quod egregie dicitur in n. 11 ubi legitur: « Qui conversi vocantur, vitae et communitatis operibus arctius coniungantur ». Sed conversi linguam latinam ignorant. Ergo debent a principali communitatis opere arceri ac Rosarium absolvere dum fratres latine orant et cantant. Num opportunum videtur saltem ea quae communia sunt orationes et cantus lingua absolvere vernacula, ad immensum conversorum gaudium et profundiorem in oratione monasterii unitatem.

9

EXC.MUS P. D. ADOLFUS BOLTE
Episcopus Fuldensis

Schema nostrum de renovatione vitae religiosae exigentiis huius temporis adaptatae, bene tractat, quamvis restrictio huius schematis « de religiosis » a relatoribus fusius descripta minus placere potest. Existentia etenim vitae et apostolatus Religiosorum pro ecclesia huius et futuri temporis gravissimi est momenti.

Si autem propter temporis angustiam rerum dispositio non est mutanda, tamen proponere audeo, ut n. 14, qui alumnorum institutionem tractat, adimpleatur *reflexione et decisione habita de superioribus studiis alumnorum* fovendis et coordinandis. Agitur enim — mea humili sententia — de materia gravissimi momenti tum pro religiosis ipsis eorumque institutis, tum pro eorum apostolatu in ecclesia et mundo.

1. In omnibus regionibus terrae numerus eorum, qui studiis superioribus incumbunt, de die in diem crescit. Vita enim professionalis hodierna in campo technico et oeconomico profundiorem institutionem humanam exigit quam culturae agrariae temporibus. Quo fit, ut studia superiora pro quam plurimis iuvenibus ab omnibus fere guberniis necnon in omnibus nationibus a partibus politicis, patronis in campo oeconomico, ab associationibus operariorum maxima cum expectatione postulantur et foventur, ita ut numerus scholarum superiorum, institutorum, universitatum et facultatum quotannis respectabili modo crescit.

Res cum ita sint, indiscutibile mihi esse videtur, ut in familiis religiosorum utriusque sexus et cuiuslibet indolis — hic agitur praesertim de institutis laicalibus — sodales idonei ad studia superiora deputentur. Primum locum certe studia theologica obtinere debent, aliis autem disciplinis scientificis minime neglectis. Ista institutione scientifica aliquorum sodalium aestimationem publicam totius instituti necnon formationem totius familiae religiosae, sed imprimis apostolatum in mundo hodierno fovere potest. Omnino evitandum est, ut Sorores et Fratres nostri religiosi propter mancam institutionem culturalem, professionalem, scientificam a coaevis vituperentur et despiciantur.

2. Quod autem studia superiora omnium religiosorum et laicorum et clericalium attinet serie perpendendum est, utrum exigentiis nostri temporis adhuc correspondet, quod quidque fere institutum religiosum et saepe saepius etiam quaeque provincia proprias institutiones pro studiis philosophicis sustinet, quod non solum magnum numerum professorum — forsan pro paucis alumnis — sed etiam sat pecuniae et denique dona et subsidia a dioecesanibus nostris offerenda expostulat.

Ideo exortandum mihi esse videtur, ut commissiones mixtae — ex episcopis et superioribus religiosorum compositae — in quacumque natione vel

regione instituantur, ut situationem recognoscant et auctoritatibus competentibus remedia idonea proponant. Propter varias in variis nationibus conditiones impossibile esse videtur, quaestionem tractatam pro universa ecclesia hac in Aula conciliari deliberare et resolvere.

Proponere ergo mihi liceat, ut in n. 14 momentum studiorum superiorum, coordinatio sive unio Seminariorum maiorum sive facultatum ecclesiasticarum, necnon institutio commissionis specialis mixtae suggeratur et commendetur.

10

REV.MUS P. D. NORBERTUS CARMELS

Abbas generalis Ord. Praemonstratensis

Membrum cum sim Ordinis Canonicalis qui iam a saec. XII operam dat ut sodales in presbyteratus ordinem assumpti, Dei servitio plene mancipentur et simul episcopis satisfaciant, in quantum, animarum curam suscipientes, praxes vitae monasticae cum activitate apostolica in felicem synthesim coniungunt, proponere audeo quod « de accommodata vitae religiosae renovatione » tractantes, a renovatione in ipso textu schematis incipere deberemus. Textus ipse progressui doctrinali de vita religiosa sit accommodatus!

I. Approbatis Institutis saecularibus aliisque associationibus vitae Deo consecratae, titulus schematis essentialia status perfectionis adquirendae melius exprimat, nempe *consecrationem vitae et plenam Deo et animabus deditionem* in professione religiosa vel in donatione membrorum peractam. Rectius, ut in schemate « de Ecclesia », de « vita Deo dicata » vel melius de vita Deo animabusque consecrata » loquamur.

Distinctio autem inter *religiosos sensu stricto et sensu lato audiendos* confusionem fovet; essentialia non exprimit, atque novis formis vitae consecratae non correspondet. Difficulter sine confusione loqui possumus de religiosis Institutorum saecularium!

II. Insuper, attentis hisce recentioribus formis vitae Deo et hominibus dicatae, melius fiat Charismatum in Ecclesia distinctio. Loquamur non iam de vita *contemplativa* et *activa* sed de vita *monastica* et *apostolica.*

Monastica vita est illa quae in silentio et solitudine orationi, poenitentiae et considerationi mysteriorum divinorum devoventur. In ea facilior et habitualis sit oratio contemplativa, quae tamen in aliis institutis vitae consecratae habetur et foveri debet.

Vita apostolica est illorum qui sacerdotali ministerio fungentes, homines adiuvant vel variis operibus misericordiae spiritualis et temporalis sese Deo in Ecclesia toti mancipantur. Ipsi omnes « in actione apostolica contemplativi » sint oportet. Eos « activos tantum » vocando eorum vitae norma saepius falso describitur atque valor apostolicus eorum laboris minuitur.

III. Neque tantum per accommodatam terminologiam fiat renovatio; fiat profundior reformatio!

Monachis, qui vere monachi esse volunt, ab ipso Concilio inculcetur valor silentii et necessitas completae solitudinis, amor evangelicae paupertatis et poenitentiae redemptivae, simplicitatis vitae et cultus liturgici, laboris monastici et vis maxime « apostolica » i. e. redemptiva eorum sacrificii personalis.

Apostolicis institutis proprium finem melius assequendum proponamus: qui paupertatem in Regula extollunt illam hodie aptius observent; qui pueris praesertim pauperibus sese devovere debent, ne latiora studia quaerant; qui sacerdotali ministerio et fidei propagationi primario destinantur, alia opera, magis profana, culturalia vel scientifica laicis paulatim tradant.

IV. De renovatione vitae Deo animabusque consecratae loquentes, verba facere debemus *de novis his associationibus vitae Deo* dicatae. Meliores aliquando apostoli, etiam laici, frustra essent, et merito quidem, si Concilium, qui de renovatione agit, illos ignoraret. Non sufficit mentio de possibilitate alicuius conferentiae pro Superioribus Institutorum saecularium, uti nunc habetur in hoc schemate, ut votis plurimorum Institutorum modernorum respondeatur.

Essentialia eorum in schemate saltem innuenda sunt. Vita eorum est « fermentum in massa »; apostolatus eorum est apostolatus praesentiae in mundo et veluti ex mundo; forma vitae exterior sociologice quam maxime accommodetur vitae consuetudini eorum quibuscum vivunt et quibuscum in munere obeundo collaborant. Finis eorum est vitae humanae et totius mundi plenior consecratio.

V. *Concludendo dicendum videtur.* Textus qui de renovatione vitae Deo consecratae agit, ipse nova terminologia charismata propria Ordinum aliorumque Institutorum melius exprimat; de novis in Ecclesia fermentis apte loquatur, monachorum vocationem in pristinam lucem extollat, apostolicorum Institutorum finem et opera clarius proponat; apostolatum penetrationis et praesentiae in mundo collaudet; vetera expurgentur, uti est distinctio inter activos et contemplativos; neque sub una voce « Religiosorum » omnes huius status vitae formae in Ecclesiae compendio designet.

11

Exc.mus P. D. BERNARDINUS COLLIN
Episocpus Diniensis

Iuxta huius Concilii Vaticani II finalitatem, quae Ecclesiae renovationem attigit, praesens schema ita ordinatum est ut vitam religiosam ad hodiernum mundum adaptet. Ideoque sub hoc respectu, quatenus scil. Concilii finalitatibus consonans est, ipsum laude dignum dico.

Nihilominus, prout mihi videtur, nihil novi circa oboedientiam religio-

sam ibi proponitur. Et inde, ne hac carentia laboret, duo animadvertenda nobis esse videntur. Scil.: 1) Circa renovationem sensus servitii universalis in Ecclesia. 2) Circa modernam notionem personae humanae.

1. *Renovatio sensus servitii universalis in Ecclesia.* Favet Concilium ut universalis servitii in Ecclesia sensus authenticus detegatur, ad exemplaritatem Christi qui « non venit ministrari sed ministrare ». Equidem tota Ecclesia ad serviendum populum Dei tenetur, sive directe sive indirecte, sive de personis physicis agatur, prout nos episcopi sumus, sive moralibus prout sunt Instituta religiosa. Quodlibet enim religiosum Institutum non sibi vivere potest, sed seipsum ad Ecclesiae et Regni Dei serviendum vovere debet. Hoc idem pro unoquoque suorum membrorum, sive de superioribus sive de subditis agatur, eadem ratione valet. Auctoritas enim in Ecclesia nihil aliud quam servitium est, ipiusque auctoritatis exercitium eo tendit ut subditos ad hoc *servitium* societ.

Participatio haec, velitis directa quam indirecta, qua quis ad apostolatum admittitur, per oboedientiam principaliter actuatur. Et hoc ad imitationem Christi, qui « factus est oboediens usque ad mortem » ut mundum redimeret. Neque quis potest suam perfectionem attingere unice propter semetipsum, sed omnino propter Ecclesiam quae Corpus Mysticum Christi est. Propterea tota vita religiosa ita concipi potest immo et debet ut servitus Ecclesiae.

2. *Notio moderna personae humanae.* His diebus persona humana minime concipitur prout saeculo decimo quinto concipiebatur. Hodie enim theologia, philosophiam assecuta, divitias personae humanae excellentiam ontologicam constituentes iterum detexit. Consequenter, honor ipsi debitus denuo inventus est. Homo igitur, quisque ipse sit, omnisque humana vel religiosa institutio, personam humanam debito honore prosequi absolute tenetur. Deus ipse enim, qui omnium Dominus est suarum creaturarum et libertatem et dignitatem respectat. In ipsa vocatione, qua unusquisque nostrum vocatus est ut eius vestigia sequamur, suaviter agit, dicens: « Si vis ».

Hinc persona humana in omnibus circumstantiis dignitate sua inspicienda est. Quod quidem de ipsa oboedientia religiosa verum esse debet. Humana persona enim est praesertim anima libera, duplici facultate pollens: videlicet, voluntate et intelligentia. Oboedientia ideo quae unam voluntatem attingat, personam humanam angustia coarctat, saltem per eius intelligentiae praeteritionem. Dominus autem, amore suo coactus, aliquas inter humanas personas, quae iam filii et filiae Dei exstabant, libere vocavit ut libere ad amoris perfectionem tenderent: « Diliges Dominum, Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua et ex toto spiritu tuo » (*Mt.* 22, 37). In ipso schemate *de Ecclesia* (p. 155, lin. 2 ss.) loquitur de libertate per oboedientiam amplificata et de iis qui « in caritatis via spiritu gaudentes progrediuntur ».

Nec dicatur: alibi quam hic quaerenda est traditionalis notio oboedientiae. Si enim historia religiosorum Ordinum generatim, sicut et speciatim familiarum tanta varietate distinctarum religiosorum attente perscrutatur, facile deprehenditur quod notio oboedientiae decursu temporis pluries per-

mutata atque evoluta est. Primaevis temporibus nec quaestio aderat. Saec. XIII Pater S. Franciscus in sua *Regula,* cap. X, iam declarat: « Fratres ... ad suos ministros debent ac possint recurrere. Ministri vero caritative et benigne eos recipiant, et tantam familiaritatem habeant circa ipsos ut dicere possint eis et facere sicut domini servis suis; nam ita debet esse ut ministri sint servi omnium fratrum ».

Hic vero iam dialogus habetur quam Paulus VI in sua encyclica *Ecclesiam suam* requirit ut instituatur cum iis quoque qui extra Ecclesiam versantur. Subsequentibus saeculis evanuit huiusmodi sensus tam humilis et tam paternae auctoritatis. Atque ii Superiores tamquam exemplum proferebantur qui subditos suos ita coarctabant ut plantulas radicibus in coelum evectis in horto sererent. Prostant adhuc casus frequentiores atque recentiores, immo et actuales, maxime inter religiosas, quas superiorissa cogit sese « humiliare », sub praetextu humilitatem exercendi. Agitur tamquam virtus haec, essentia sua, non esset libera amoris dispositio erga Deum, ut coarctari possit. (Quin aliquid dicam de epistolis ad ipsam familiam vel ex familia provenientibus, quae toto vitae decursu religiosae feminae a superiorissa aperiuntur ac leguntur; necnon de confessionibus religiosarum personarum, adultarum immo et superadultarum, ad instar puellarum in domo educationis). Hoc nihil aliud est quam ad infantilismum coactio.

In discussione *de laicis* assertum est eos, laicos videlicet, clericalismum pavere eo quod seipsos aequo titulo adultos considerent. Tunc vero ex his adultis vocationes, tam iuvenum quam puellarum, oriuntur. Qui cum libere apostolatum antea exercissent, eveni potest dum ipsis vitam religiosam amplectere consulitur, ut toto cursu vitae ad infantilismum practicandum ipsi damnentur, et hoc sub specie Creatorem glorificandi. Tamen S. Irenaeus suo tempore iam dicere potuit « Gloria Dei, homo vivens ». Auctoritarismus in vita religiosa abusivus est, qui humanam personam destruit, et consequenter servitium Ecclesiae impedit. Dum illi, sive homines sive feminae, qui vocati sunt, aptius Domino vel Ecclesiae inservirent si agere possent ex tota anima sua: intelligentia videlicet et voluntate.

Paragraphus inculcat quidem auctoritatem superiorum, sed sine ulla contributione ad solutionem novi problematis oboedientiae hodiernae. Unde propono ut huic paragrapho substituatur sequens textus: « Ecclesia tota vult se in servitium et Domini et Populi Dei. Unde omnia membra sua, tam personae morales quam singuli fideles ad hunc finem destinantur. Praesertim instituti religiosi, eorumque membra, ad hunc servitium per medium oboedientiae tendere debent. Aliunde hodierna die melius agnoscitur pretium inaestimabile personae humanae et reverentia eidem debita. Ideo superiores necnon superiorissae, hoc semper prae oculis habentes, in exercitio auctoritatis ad intelligentiam aeque ac voluntatem subiectorum provocent, ad meliorem atque magis perspicuum servitium obtinendum. Oboedientia enim cordialis et filialis requirit a superioribus ut praecepta sua cum intelligentia necnon paterna vel materna caritate formulent ».

12

EXC.MUS P. D. ALFREDUS COUDERC
Episcopus Vivariensis

In schemate *de Ecclesia* nuper admisso (cap. VI, de Religiosis) mentio fit de « variis formis vitae *solitariae* vel communis » quas religiosi amplecti possunt.

Nec sine ratione revocatur vitae *solitariae* memoria, nam praeter varias societates religiosas canonice erectas, inveniuntur hodie eremitae, seu anachoretae, qui totaliter a mundo separari intendunt. Ideo, nullam cum hominibus relationem servantes, in solitudine, remotiores ab hominibus et curis saeculi, propinquiores facti Deo, poenitentem et contemplativam vitam agunt.

Haec quidem conditio, olim non adeo infrequens, saeculis proxime elapsis in Ecclesia occidentali minus viguisse videtur, semper tamen hic aut illic animas generosas attrahens. Hodie multo plures surgunt eremitae, etiam in regionibus ubi illud genus vitae obsoletum erat: in mea dioecesi, quatuor sunt, viri tres et mulier una, qui cum permissu Superiorum de religione egressi, ad solitudinem perfectam anhelant, vel iam in ea vivere coeperunt.

Porro nec in Codice Iuris Canonici nec in constitutionibus societatum religiosarum, inveniri possunt regulae huic conversationis generi convenientes. Anachoreta ideo propriam voluntatem sequi et sibi ipsi facere suam propriam regulam aliquomodo cogitur, et ad id quasi necessario adducitur. A nullo superiore pendet, et a nullo licentiam petit eundi et redeundi. Unusquisque est sibi ipsi superior et lex.

Multi tamen conscii sunt istam libertatem nimiam non esse secundum Dei voluntatem. Communiter sentiunt quod vita religiosa et perfecta debet sub oboedientia instaurari, et ardenter optant sibi exhiberi principia aliqua generalia, quibus erudirentur de sensu et de natura istius vocationis, et adiuvari possent ad perseverandum in ea. In votis habent ut Ecclesia Matrem se exhibeat, adiutricem operam praebens de sua sapientia et experientia, necnon sacerdotes praeparans qui directores spirituales fiant prudentes in hac materia. Ideo desiderant, sive ipsi anachoretae, sive sacerdotes de illis curam agentes, — nec excluduntur episcopi — quod Concilium de hac quaestione studeat, nec rem relinquat sine aliqua solutione.

Rogo ergo: 1) ut in schemate *de religiosis* fiat mentio de vita eremitica, sicut iam factum est in schemate *de Ecclesia.*

2) ut in revisione Iuris Canonici et in futuro C.I.C. aliqua enuntientur principia de eadem materia pro Ecclesia Latina.

3) ut instituatur commissio competens, quae, sive ex documentis temporis praeteriti, sive ex documentis vigentibus in Ecclesia Orientis, aliquas regulas colligens, aliquod « directorium » conscribat de praecipuis rebus in

hac causa, v. g. de ista vita suscipienda vel dimittenda, de obligationibus ex ea ortis, de relationibus cum superiore, etc. ...

4) ut illud « Directorium » omnibus episcopis mandetur, qui illud notum faciant omnibus qui vitam eremiticam ingredi desiderant, priusquam ad illam canonice admittantur, et qui, sive per se, sive per sacerdotes delegatos, de illius observatione curare satagant.

13

EXC.MUS P. D. BRONISLAUS DABROWSKI

Episcopus tit. Hadrianotheraeus, aux. Varsaviensis

Schema propositionum *de accommodata renovatione vitae religiosae* ut in prooemio schematis dictum est, intendit vita et disciplina agere eorumque necessitatibus, prout tempora nostra suadent, providere.

Huius declarationis delibata proposita schema omnino obliviscitur; de se incompletum atque efficacitate carere videtur. Etenim de Religiosis, praeter schema supra commemoratum, tractat cap. VI schematis *de Ecclesia* ac schema *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* at nullo loco ostenditur actualitas vitae religiosae his nostris temporibus, unde dubium oriri possit an ipsa ut adhuc necessaria consideranda sit.

Summus Pontifex, Paulus VI, in allocutione de die 23-V-1964 declarat: « Ecclesiae valde necessarium est publicum et universale testimonium, quod ipsius status religiosus praestat » (*A.A.S.,* 56 [1964], p. 567).

Curnam schema religiosae vitae socialem characterem haud ostendit? Paucis saltem verbis, sed patenter, Concilium exhibere fas est quanti ponderis revera sit vita religiosa in ipsa Ecclesia et in universa familia humana. Claris verbis indicet civilibus hominibus, sacerdotibusque atque religiosis ipsis quod ipsa non solum tamquam inutilis non est derelinquenda, sed contra ut ipsa quocumque alio tempore hodie utilior consideranda atque fovenda sit. Homini quippe hodierno verbis fidem deneganti, exemplo tantummodo ostendetur et veritas et pulchritudo supernaturalis vitae. Schema prorsus videtur capacitatem istius temporis hominis qualem esse oblivisci suaque asserta valde generalis et traditionalis apparent. Sicut v. g. propositiones huius schematis nemini certe vitam religiosam suadebunt.

Testimonium vitae religiosae tamen pro hominibus, in praesenti viventibus, intelligibile esse debet, quapropter obsoletae iam atque hodie vix intelligibiles formae removendae sunt.

Singuli Fundatores, ut patet, sibi statuebant, ut Christi testimonium darent captui hominum suorum cuique temporum accomodatum.

Singuli igitur religiosi digne ambulant in vocatione qua vocati sunt si spiritu Fundatorum necessitudines suorum cuique temporum clare percipiunt. In mundo viventes, quamvis de hoc mundo non sint, homines proximos sicuti sunt, considerare debent.

Hodiernorum autem mentis habitus formalismum, qui dicitur, et ficta saepta quae succedentibus saeculis imprimis in ordinibus Monialium magnopere accreverunt sollerter fugit atque abhorret.

« Quodsi vultis patriis insistere exemplis, eo modo quo ipsi se gesserunt ita et vos agite. Aequalium vestrorum, inter quos vivitis, scrutamini opiniones, iudicia, mores et si sibi particulae boni et iusti inveniantur, pretiosis hisce elementis potimini, aliter collustrare, iuvare, sublevare, ducere non valetis » (Pius XII, 8-XII-1950). Ita Pius XII St. memoriae et PP. Paulus VI.

Schema tamen pauca de hac magni momenti accommodata renovatione dicit.

In formatione religiosa supradictae necessitudines prae oculis habendae sunt. Formatio religiosa totum hominem concretum, non vero nimis idealem, complectatur necesse est. Veri nominis vir religiosus est is qui non solum de intimo affectu circa fundamentales rationes traditionesque Familiae religiosae propriae, sed prae primis de necessario ac vitali nexu cum aliis membris Mystici Corporis Christi, quod est Ecclesia, sollicitus est.

In nostra sic dicta realitate communista Poloniae probatum est perfectiorem ducere vitam religiosam illum, qui magis magisque Ecclesiae hodiernae vitae quam traditione atque emolumentis suae familiae religiosae se praebet. Quapropter opportunum erit si hucusque vigentia venerabilia quidem, sed saepe saepius iam obsoleta praescripta modum et rationem vitae religiosae regulantia quamprimum revisioni subicientur. Vitae religiosae praescripta vitam ducendam iuxta consilia evangelica ac obligationes proficiendi perfectionis via homini *hic et nunc viventi* aptiorem reddant oportet.

Omnes asserunt hodiernum hominem alium atque olim esse alias igitur methodos aliasque formas quam hucusque adhibendas esse, ne liberi arbitrii secreta in contactu cum gratia conculcentur.

Gratia, etenim, naturam supponit, S. Augustinus adfirmat. Propositiones ergo schematis, quae fundamentum futurae renovationis accommodatae vitae religiosae esse debent, defectu hoc laborant, quod in iis indoles hodierni hominis et quidem tales quales nunc sunt, non vero tales quales olim fuerant et numquam reversurae, parvipenduntur, immo neglectae sunt.

Ut efficaciter valor apostolicus perfectae Deo suiipsius consecrationis ostendatur ita potius esset ratiocinandum: Salvator noster proclamat: « Hoc genus daemoniorum non eicitur nisi ieiunio et oratione ». Testes sumus quomodo revera hoc genus daemoniorum pervagetur in mundo! Taliter enim mentes quorumdam hominum invasit Satana et in peius finxit, ut gratis Deum et oderint et persequentur. Rebus sic stantibus, nullus praeclarus sermo, ut videtur, tales homines convertire posse: tantummodo orationibus et sacrificiis, favente Deo, fiet ut tenebrae a luce dissipentur. Propterea ergo actualis necessitas vitae religiosae illiusque contemplativae et proclamanda et extollenda est ante Ecclesiae et totius mundi faciem. Suadente ipso Summo Pontifice, Paulo VI (adhortatio 23-V-1964) oportet nostri temporis hominibus ostendere perpetuam castitatem, paupertatem, et oboedientiam religiosorum

necessarias esse ut mundus veniat ad lucem. Nemo non videt bonorum inordinatum appetitum, immoderatam divitiarum cupiditatem causam subversionis socialis et miseriae esse. At contra mundum pacifice et obtinere et regere pauperes spiritu.

Impudicitiam et incontinentiam exhibere immediate viam ad servitutem et sui ipsius causam perditionem: at contra castimoniam quae acris mortificationibus obtineatur homini veram libertatem praebere ipsique et sui ipsius et mundi imperium conferre certum est. At sic dicta anarchia atque refugium ob imperium auctoritatis universam societatem subvertere eamque ad abyssi fines ducere; at contra oboedientia religiosa, quae sit voluntaria, generosa, hilarisque, hominibus suadere bonae voluntatis quidem, sed desiderio vano sese extollendi imbutos, veritatem illam: « servire Deo regnare est ... » (*de Imitatione Christi* - Thomas de Kempis).

In congregationibus generalibus de paupertate perplures oratores fovenda in Ecclesia disceptabantur. Attamen ubinam efficacius et abundantius diffundetur gratia paupertati evangelicae iuncta, nisi in hominibus, qui divinitus tracti, paupertatem liberrime amplexati sunt, quorum igitur vota sacra necnon sua cuiusque dicatio spem afferunt et expostulant, ut inter mundanas varietates ipsi sint quasi ardescens fax candidissimum lumen eradians aliosque inflammans? Non est dubium, quin homines nostrae aetatis trahentibus indigeant exemplis pauperum, pauperum nempe qui beati praedicantur, pauperum spiritu, quibus paupertatis status in extrema necessitate non est propriae sustentationis occasio aut refugium, sed status verae sui ipsius abnegationis et firmae voluntatis soli Deo adhaerentis atque a bonorum huius mundi cupidine liberae. In disceptatione super schema de accommodata renovatione vitae religiosae plures patres conciliares cum approbatione de activitate externa religiosarum loquebantur.

Sancta Sedes etiam in documentis nuper editis valorem ac necessitatem benefice et « active » participationis religiosarum in vastissimis apostolatus catholici regionibus expressis verbis agnoscit.

Pius Papa XII, cum internationalem Religiosarum conventum puellis educandis addictarum clauderet, coram omnibus die 13 mensis septembris anno 1951 aperte professus est missionem ab Ecclesia nostris temporibus plene adimpleri non posse, nisi centenarum millium religiosarum admittatur auxilium, quae cum magno zelo caritatis opera exequuntur ac puerorum et iuventutis educationi serio incumbunt (cf. *A.A.S.*, 1951, p. 739).

Cum autem adstantes in conventu moderatrices supremas die 15 septembris anno 1952 alloqueretur, Summus Pontifex in haec prorupit verba: « Dicite sororibus vestris nos gratias eis agere pro orationibus, quibus valde egemus, pro dato bono exemplo quod plurimos catholicos valide in fide confortat aliosque permultos ad Ecclesiam conducit, ad quam nondum pertinent; pro laboribus exantlatis in inserviendis puellis, aegrotis, pauperibus, necnon in regionibus missionum in praestandis multis aliis adiutorii modis tam pretiosis ad augendum et dilatandum Christi regnum in animis hominum.

Dicite porro sororibus vestris nos erga eas benevolentiae affectu duci: earum sollicitudines declaramus esse nostras, earum laetitias quoque ducimus nostras; omnibus autem sororibus impense duplicem exoptamus fortitudinem, quae consistat tum in promptitudine, tum in patientia in acquirenda perfectione cuique propria et in explicando apostolatu a divino Magistro et Sponso concredito » (cf. *A.A.S.,* 1952, p. 826).

Simili modo Ioannes Papa XXIII in epistola encyclica quae « ad Petri Cathedram » inscribitur, sororum merita extollit, dum inter alia haec adiicit: « Sacrae Virgines nempe procul dubio non modo optime de catholica Ecclesia, de christiana educatione et de operibus, quae a misericordia appellantur, sed de civili etiam societate merentur; atque incorruptibilem aliquando in caelis adipiscendam sibi comparant coronam » (cf. *A.A.S.,* 1959, p. 522).

Episcopi omnes magna aestimatione congregationes religiosarum prosequuntur atque gaudent quod in dioecesibus et paroeciis adsunt ibique operam navant; quoddam quasi brachium prolongatum esse conspiciuntur in variis caritatis operibus praestandis. Eo vel magis quod Ecclesiae condicio nostris temporibus similis esse videtur condicioni christianismi primorum saeculorum. Apostoli et Episcopi scilicet tot tantisque obruti erant laboribus, qui eorum vires, facultatesque plus aequo superaverint. Quapropter diaconorum ordinem vicaria Christi potestate creaverunt; simulque cum diaconorum institutione feminarum coetus exorti sunt, qui quasi quoddam diaconorum sunt genus, viduis, virginibusque constantes, qui pauperum mensae inservirent, ne primum maximumque Christi praeceptum vanum redderetur.

Quod nostris quoque temporibus fere adamussim contingit. Singuli Episcopi et Sacerdotes plurimum supra vires occupantur; dioeceses enim amplissimae sunt, homines materialismo, qui dicitur, supra modum saginati, ab eo abhorrentes, desideriorum suorum finem in Deo reponere satagunt, quo fit, ut innumerae quaestiones solutu difficiles exoriantur. Quibus in angustiis religiosae episcopos et sacerdotes libentissime adiuvant, christianum nomen salvantes et Christi regnum propagantes. Ideoque nihil mirum Episcopos gratissimos esse virginibus sacris, quod vitam sacrificiis plenam in proximos impendunt, in asylis pro infantibus et nosocomiis, quod tenerrima caritate prosequuntur matres, debiles, imbecilles, qui communitatis scoriae passim reputari videntur.

Dona animi ab Ecclesia accepta religiosae sorores in domos christiano nomine destitutas deferunt ac distribuunt inter familias, quae nostris temporibus multis miseriis afficiuntur, quae vix superari possunt. Parochi et sacerdotes has domos semel in anno, aut cum ad assistendum moribundum vocantur, adeunt, semel aut bis in anno diem qui dicitur aegrotorum instituunt. Religiosae vero continuum iter faciunt distributum panem non quidem sub specie eucharistica latentem, sed mystice appropinquantem. Caritate Christi motae, indigentibus subministrant victum eosque tali medicina curant, quae corpori et animae sanitatem confert. Opera a misericordia dicta,

recentissima forma vestita, ab eis administrantur. Quo modo agendi religiosae sorores non solum Ecclesiae compatiuntur, sed ab ea missae in mundum, Christi efficiuntur testes.

Nostrorum temporum homines iudicia de Ecclesia proferunt ratione habita eius utilitatis in sublevandis egenorum indigentiis, eamque habita ratione caritatis proximi aestimant.

Em.mus card. Suenens, in praestantissimo opere suo cui inscribitur « de Ecclesia in statu missionum » iam anno 1956 haec scribebat: « Inter homines Deo consecratos, Religiosae Sodales tralatitiarum congregationum « activarum » uti dicitur, quae vocationis suae vi ac natura immediatam cum mundo habitudinem habent, speciali dignae sunt mentione; primum ideo quod in hoc coadiutorum genere numerosissimae sunt, deinde quod internae indolis Instituti gratia ad succurrendas Ecclesiae necessitudines facillime aptantur ».

Idem em.mus cardinalis, cum de quaestione evolvendi laicatum feminarum in Ecclesia disceptaret, asserit precise hanc partem Christi gregis a congregationibus religiosarum attendendam esse.

Ecclesia a religiosis, plusquam ab aliis suis membris, expectat id quod ad sustentandam aequilibritatem ipsius Ecclesiae attinet. Oboedientia nempe et castitas plurimorum credentium ab intima observantia oboedientiae et castitatis animarum Deum sacratarum tendet.

Episcopatus Poloniae maximam vim tribuere videtur operae, quam religiosae-adiutrices paroeciales quae dicuntur, praestare tenentur, dum de eis earumque officiis in statutis pro eis latis fusius loquitur. Singulae adiutrices paroeciales omnia omnibus egentibus fieri debent. Ad eas spectant quae sequuntur: egentibus obviam ire afferendo eis non tantum bona ordinis materialis, sed ordinis imprimis moralis; invisendo frequentare aegrotos et pauperes; egentes inquirere et indicare; neglectos ad recipienda Sacramenta parare; aegrotantibus in domibus assistere; medicamentis ad medicorum ope munire; bonos libros subministrare; ad necessitudines paroeciae totiusque Ecclesiae attentos esse reddere etc. Cum autem praecipuus earum laboris campus in mulierum cura consistat, explicabunt eam erga mulieres neglectas aut derelictas, erga matres innuptas aut infames, erga familias rixa perturbatas, aut multa prole gravatas. Sicque huiusmodi soror religiosa adiutrix quasi alter angelus paroeciae erit.

Iamvero adiutricis sororis facultates cum sint limitibus obductae, haec, adiuvante parocho, laicatum feminarum efformandum curabit, quae in omnibus operibus valido praesidio ei erunt. Insuper adiutrix et modo suo agendi quasi parochi oculus et auris erit. Per eam quoque animarum pastor ad singulas in paroecia familias penetrabit et sui muneris influxum salutare exercebit.

Sorores Congregationum vitae activae ut suam missionem adimplere valeant, vitam internam, imprimis autem humilitatem et caritatem summopere colant.

Vita interna enim, profundius explicanda, basis est firmissima earum

fructuosae actionis, secum modo nimis naturali agitabuntur et tandem munus eis aliquando potietur. Cotidianus etenim modus agendi, quo mediocriter honestus vir aut mulier etiam ad quaedam sacrificia sustinenda parata vitam ducit, religiosae iam non sufficit. Haec enim ad superiorem animi perfectionem ascendere et sub influxu gratiae supernaturalis quandam sanctitatis suae equilibritatem consequi tenetur, secus inevitabiliter a religiosa vocatione deficiet et fiet mulier vix mediocris aut etiam suspectae honestatis, in omnibus quaerens quae sua sunt ac pedetentim confusionem rerum in paroecia parans.

Rem nostram bene illustrant omnibus notae difficultates cum sacerdotibus operariis in Gallia, qui, ut notum est, oleum operamque perdiderunt atque in naufragium incurrerunt. Qui enim submergentem in undis eripere conatur, cum ipse natandi artem ignoret nec se cinctorio a securitate dicto muniat, nedum periclitantem salvabit, sed et ipse peribit. Sic et illi sacerdotes, maximo fervore rapti, hominum miseriae succurrere conabantur, at improvidi et incauti eorum miseriae ipsi succubuere. Vitam communem non ducebant, persuasum non erat se eis quos succurrerent virtute animi excellere debere; illi autem se eis uti pares coaequabant. Quomodo autem ad altiora traham eum, cui par in omnibus efficiar?

Concilium Oecumenicum Vaticanum II quod bene ordinatam activitatem vitae religiosae propugnat, ut suo praecaveat officio, normas practicas et taxativas huius activitatis proponere debet, ut religiosae praesertim sic dictae activae suae vocationi ad adipiscendam perfectionem solide et digne possint attendere. Verbi gratia: ad vitam religiosam tutandam necesse est ut omnis parochus tempus exercitiis pietatis destinatum intactum curent, ut vitae communi religiosarum prorsus non obstaret; ut statui religiosae perfectionis necnon superioribus religiosarum congruum honorem exhiberet, vitae religiosae praescriptis et consuetudinibus quae inter alia ad clausuram et paupertatem servandam aut epistolarum commercium spectant, debitam reverentiam profiteretur.

Poenitendi fructus oriuntur, si in domibus religiosarum pro paroeciis addictarum prudentes et docti confessarii, moderatores et magistri spiritus desiderantur. Ad hoc munus debito modo praestandum deficiunt parati animarum pastores, qui laborem in dirigendis animis sororum utpote parum utilem ac fructuosum aliquando conqueruntur. At luce clarius est eos qui ita loquantur, ignorantia crassa laborare. Numquid enim vim suam exseret Ecclesia Apostolica, posthabita renovatione spiritus in iis Mystici Corporis Christi membris, quae spectatissimam constituunt portionem gregis Christi?

Necesse videatur alumnos seminariorum praxim atque asceseos vitae religiosae studere debere.

Unde in Ecclesia maiorem invenies sacrificii spiritum, nisi in illis millibus feminarum Deo sacratarum, quae propter amorem Dei omnia reliquerunt? Verum quidem est eas quoque a defectibus et miseriis vitae humanae communibus liberas non esse, immo eas in quadam mediocritate et in campo

suae actionis cum invidia custodito aliquando languescere. Attamen nonne huius rei auctores sumus nos, quibus Ecclesia Lumen commisit ferendum ac praesidium, quo religiosae maxime indigent quodque a nobis iure merito expectant?

Atque domibus religiosarum ad auxilium paroeciis praestandum destinatis summum est opus ordinata pastoralis cura; ibi enim sorores permultis laboribus, operibus occupatae, in medio diversorum maximorumque periculorum versantur, quibus plurimae magnanimiter obsistunt. Hae autem religiosae partem Ecclesiae vividissimam, prosperrimam, maximam ei spem allaturam constituere videntur. Quae autem spes in eis collocata fructibus salutiferis parebit, nisi eis auxilium validum feramus.

In accommodata renovatione vitae religiosae fovenda, caute et omnibus mature perpensis et tutandis quae ad essentiam et naturam vitae religiosae pertinent procedendum est.

14

EXC.MUS P. D. IOSEPH D'AVACK

Archiepiscopus tit. Leontopolitanus in Pamphylia

I. *De institutis religiosis Fratrum Docentium.* Praemittenda quaedam:
1) Consideranda est peculiaris efficientia qua in vita supernaturali Ecclesiae pollent animae — omnes, sacerdotes vel *non* sacerdotes — Deo consecratae in « statu perfectionis », quippe quae in perfectione Caritatis nituntur prosequi oboedientiam redemptricem Christi, complere ea quae desunt eius passionum, pro Ecclesia (verum immensum beneficium vitae religiosae in Ecclesia!);

2) Considerandum est ingens momentum educationis puerorum et iuvenum: opera vere ecclesialis, licet non stricte sacerdotalis;

3) Considerandum est momentum *supremum* operum stricte sacerdotalium; unde expedit quod Sacerdotes tantummodo iis operibus incumbant, relictis ceteris — licet pergravibus — ad Laicos praesertim « consecratos ». (Non necesse est Ordinatione sacerdotali ad docendum mathesim vel litteras profanas vel ad perscrutandum motum stellarum!)

His bene attentis, videtur necessarium quod schema nostrum:

1) extollat et promoveat Instituta religiosorum Fratrum Docentium; enixe commendet ut foveantur tales vocationes; quae certo Ecclesiae magis proderunt quam si iuvenes sic vocati, praesumant accedere ad Sacerdotium permoti quadam ambitione spirituali;

2) Commendet docilem cooperationem talium Institutorum cum episcopis et sacerdotibus; et ut episcopi cum omni cura per selectos sacerdotes praebeant auxilium spirituale talibus religiosis, eorumque operibus et alumnis;

3) Commendet ut religiosi docentes prudenti discretione fungantur munere suo educativo, quasi imitati S. Ioannem Baptistam, scil. remittendo suos alumnos ad sacerdotes pro vera directione spirituali;

4) Commendet ut Instituta, in plena fidelitate erga suos Fundatores et

sua Statuta, praesertim incumbant in educatione *pauperum,* firmiter confisi quod Deus superabunde — valde magis quam per quamvis humanam industriam — providebit iis qui paupertatem amplectuntur ut evangelizentur pauperes.

II. *Circa « Instituta saecularia ».* Immutato titulo et circumscripto argumento huius schematis, loco prioris « de statibus perfectionis acquirendae », factum est ut Concilium vix aut fere ne vix quidem verbum dicat de Institutis saecularibus. Ea sunt nova forma vitae consecratae, non iuridice religiosae, sed in iuridico statuto perfectionis, iuxta disposita per Constitutionem Apostolicam *Provida Mater* anno 1947. Minime intendunt se substituere Institutis Religiosis; sed mirabiliter respondent quibusdam necessitatibus nostri temporis.

Sunt *saeculares,* qui — suffulti in Communione Sanctorum supernaturali auxilio animarum degentium in secreto claustro — vivent totaliter in mundo profitentes Consilia Evangelica, plene, immo quasi ratione quadam magis profunda personali responsabili; aut ut incumbant operibus apostolatus quibus minus convenit « habitus » et ordo « vitae religiosae »; aut ut, imitati vitam nazarethanam Christi Domini, ex professo operentur circa res terrenas, iuxta divinum originale praeceptum: « ... subiicite terram », eas diligendo amore quo Deus Creator et Providens eas diligit, scil. in perfectione Caritatis cui se pandunt per Consilia evangelica.

Curnam de istis Institutis fere ne verbum quidem cum ageretur de Ecclesia, de Laicis, immo de accommodata renovatione vitae religiosae, si tandem aliquando vitam religiosam intendimus sensu non stricte iuridico sed plene theologico?

Haec est amarissima et perdamnosa deceptio plurimis animabus summe generosis; est praeiudicium et periculum pro nova forma vitae consecratae quam Spiritus Sanctus providissime suscitaverat in Ecclesia in nostro tempore.

Utique talis forma « status perfectionis » est adhuc melius polienda et definienda; et hoc non poterit facere Concilium; sed tam generosa incepta, tam provida, iam Auctoritate Summi Pontificis probata, laudare eisque animum conferre, Concilio conveniens est et dignum et iustum.

Formula inserenda in Schemate (vel similis): SS. Synodus, agens de vita religiosa accommodate renovanda, animum benevolum et gratum intendit etiam ad « Instituta Saecularia »; quae iuxta Const. Apostolicam *Provida Mater* anni 1957, inter « Religiosos » iuridice non adnumerantur, sed item constituunt « statum perfectionis ». Eorum sodales sunt « saeculares » qui totaliter vivunt in mundo profitentes plene Consilia evangelica: aut ut incumbant operibus apostolatus quibus minus convenit « habitus » et ordo « vitae religiosae »; aut ut, imitati vitam nazarethanam Christi, ex professo operentur circa res terrenas.

Talia Instituta, ditando mirabilem varietatem in vita Deo consecrata, qua Ecclesia ditatur et munitur, provide respondent necessitatibus et adiunctis huius temporis.

15

Rev.mus P. D. GODEFRIDUS DAYEZ

Praeses Congregationis ab Annuntiatione B. M. V. O.S.B.

Nemo hoc factum negari potest: Etsi, nostro saeculo, abrenuntiatio et desiderium Christum sequendi non raro apud iuvenes invenitur, multi ordines et Congregationes crisim plus minusve gravem subeunt.

Memores etiam simus tot religiosorum et religiosarum quae ab hoc Concilio magna cum humilitate et quandoque dolorosa patientia, omnibus votis sperant. Et quidem sperant non verba generalia sed vere ad rem pertinentia et revera remedia ferentes.

Quidquid sit de futura conditione huius schematis, haec verba quamquam audacia proferre cupio.

Hoc venerabile Concilium, ad Ecclesiam renovandam et adaptandam a Ioanne Papa Vigesimo tertio vehementer optabatur. Mirandum est quod in titulis schematibus praepositis, illa verba « renovatio » vel « adaptatio » nunquam adhibentur nisi tamen in novissimo titulo ad hoc schema religiosis attributo.

Quidquid sit, illa reformatio tam optata a Sancto Papa Ioanne in renovatione et adaptatione consistit.

Quapropter et antequam ad positivam conclusionem veniam, duas animadversiones, diligentiae vestrae, Reverendissimi Patres Conciliares, proponere velim, alteram quoad renovationem, alteram quoad adaptationem.

Primo quoad renovationem: Haec renovatio facienda secundum fundatoris mentem et probatas traditiones sane et merito ab omnibus videtur. Atqui illam renovationem secundum fundatoris mentem talis vel talis interpretatio Iuris Canonici saepe prohibet. Quod fit imprimis quando de antiquis ordinibus agitur quorum renovatio eo difficilior est quod saepe in Codice Iuris Canonici sub eisdem legibus ac ordines recentiores subduntur.

Exemplum affero: In ultimis lineis n. 11 huius schematis, propositiones leguntur, quae ad ordines antiquos maxime conveniunt, scilicet de vita clericorum et non-clericorum omnino communi in eadem domo. Atqui, in vita monastica qui, de se, non est clericalis, sed de facto in Iure canonico regimini omnium aliorum religionum clericalium subditur, haec vita communis, vera et non tantum externa prohibetur. Nam a iure ipso, vel potius ab aliqua interpretatione iuris, vita monastica plena et vera denegatur, cum non-clerici privilegiis et iuribus aliorum gaudere non possunt, quod, de facto, est negatio vitae *plene* communis in familia monastica.

Itaque per multos annos, dispositiones ad adaptationem, vel potius ad reditum ad antiquas et sanas traditiones humillime petitae sunt. Nam in religione monastica, caracter sacerdotale, etsi sublime et pro multis optabile non est tamen essentiale et hoc secundum mentem fundatoris clare expres-

sam. Sed cum hae petitiones, quamquam Regulae et menti fundatoris omnino conformes, aliquam interpretationem Iuris Canonici obstabant, per plures annos (feliciter elapsos) acceperunt responsionem negativam et quidem una vice cum commentario verbali parum amabili: « Petitio nimis extraordinaria abbatis talis monasterii ».

De archeologismo tamen non agebatur, sed de vocationibus hodiernis et non paucis. Quot vocationum vere religiosarum et monasticarum, haec deliberatio nimis morosa perditionis causa fuit.

Secundo: quoad adaptationem. Non pauci, heu, Ordines antiquos utpote museorum custodes saepissime vident: custodes murorum, custodes habitudinum etc. et ita ab adaptatione pro omnibus desiderata Ordines antiquos excludunt, ut thesauri medioevales asservari possint. Volunt aliqui ut in proximo decennio archeolisti in monasteriis adire possint ut videant quomodo liturgia in saeculo undevigesimo celebrabatur.

Quis non videt Ordinem monasticum ad hanc vocationem restrictum et a tempore contemporaneo extraneam, mox ab omnibus deesse vocationibus? Qui haec volunt, inconscii, ad destructionem vitae monasticae laborant, quia, monachi, sicut alii religiosi de tempore suo esse debent.

In multis regionibus, monasteria multos iuvenes et hospites recipiunt et Ecclesia aperta multis fidelibus adimpletur. Sed quia ad thesauros antiquos custodiendos ab aliquibus videntur monasteria, hospites et fideles tam numerosi a participatione vera et in sua lingua ad precem monachorum sine iusta causa arcentur.

Haec deplorandae sunt maxime in regionibus missionum ubi nulla archeologica curiositas adest. Adest monasterium, quem vidi, ubi aliquandiu vixi. Saepe, circa quingenti fideles qui antea, in paraliturgia catechumenorum psalmos in sua lingua canebant, nunc, post receptionem baptismi ad fores Ecclesiae permanent usque ad finem officii vesperarum ut in benedictione Sanctissimi Sacramenti in sua lingua cantari possint.

Non est secernendus modus precandi a modo vivendi.

Adaptatio vitae religiosae esset pure ens rationis et sine veritate si leges vigentes longius *pertraherentur*.

Sed non tantum quaerimonias de rebus elapsis exprimere velim, sed imprimis aliqua futura positiva et speranda proponere cupiam.

Omnes ordinum antiquorum fundatores, de reformatione vel adaptatione Ordinum non praeviderunt. Attamen, iam saeculo decimo tertio, Sanctus Dominicus de his rebus cogitabat et in Regula sua providebat ut Ordo, a suo proprio Capitulo generali seipsum reformare posset.

Quod principium adhuc laudabile permanet.

Sic, Capitula Generalia, ad adaptationem necessariam iuribus extensis et efficacibus nimis indigent. Quare hoc votum exprimere velim: Scilicet capitula generalia de propositionibus concretis renovationis et adaptationis statuere valeant et post experimentum alicuius temporis ad approbationem Sanctae Sedis proponere.

Nonne mirandum est dispensationem in favore religiosi flebilis facillime obtineri, sed adaptationem vel etiam reditum ad veram mentem Regulae magna cum difficultate obtineri? Et hoc, quia Ius Canonicum omnes Ordines, omnes Congregationes, sed prorsus omnes, sive monachos, sive religiosos ordinum recentiorum sine ulla acceptione indolis propriae Ordinis sub uno eodemque capitulo redegit.

Laici ut adulti, in nostro concilio considerati sunt. Nonne oporteret tot religiosos et religiosas etiam ut adulti et adultae considerari?

Etsi potest adesse periculum alicuius abusus, melius est ipsis capitulis generalibus propositiones renovationum et adaptationum relinquere. Ipsi enim cognoscunt mentem fundatoris.

Textum propositum pro linn. 21-25, pag. 10. Quapropter, illis ad quos spectant (scil. capitulis generalibus) ea omnia quae ad proprii instituti renovationem et reformationem necessaria appareant, legitime statuere valeant atque provideant, approbante Sancta Sede post experimentum, necnon Constitutiones, « Directoria », « Consuetudinaria », libri precum et Caeremoniarum.

Ratio emendationis: Superiores et sodales talis ordinis vel Congregationis, quamquam in actuosis difficultatibus implicati, melius scopum ordinis et mentem fundatoris cognoscunt quam membra Congregationis de Religiosis.

Animadversiones additae: *In pag. 5, n. 2.* Ut accuratius et citius accommodata renovatio fieri possit proponimus mutationes sequentes a lin. 18: « Quapropter illi, ad quos spectat, ea omnia quae ad proprii instituti renovationem et reformationem necessaria appareant, legitime statuere valeant atque provideant, necnon Constitutiones, " Directoria ", " Consuetudinaria ", libros precum et caerimoniarum aliosque id genus codices congruenter recognoscere ».

In nn. 5 et 6. 5. (De iis, quae omnibus institutis religiosis communia sunt). Omnia instituta religiosa contemplationem, qua Deum prae omnibus et unice quaerunt, cum amore apostolico, quo opus redemptionis consummare Regnumque Christi dilatare nituntur, secundum cuiusque missionem propriam consocient oportet.

Non obstante fine particulari operibusque propriis omnia instituta tenentur vitam Ecclesiae universalis participare eiusque proposita, v.g. in re biblica, liturgica, sociali et oeconomica, pro viribus fovere.

6. (De diversis formis vitae religiosae earumque accommodata renovatione). Monachi, quorum primum sane officium est, Divinae Maiestati intra ambitum monasterii humile simul ac nobile servitium praestare, apostolico fervore impulsi rationem vitae suae ita instaurent, ut hominibus melius exemplo et adiutorio esse possint. In re oeconomica et sociali prodant exemplum doctrinae Ecclesiae, foveant in sanctuariis suis actuosam fidelium participationem operis Dei, praebeant omnibus qui ipso adeunt Verbum Evangelii et vitae spiritualis divitias, quo fit ut eorum monasteria sint centra et seminaria instaurationis christianae. Instituta vitae stricte contemplativae, quae

suas partes in Corpore mystico Christi habent et missioni salvificae Ecclesiae eximie inserviunt, in ratione formaque vitae congruenter moribus et necessitatibus hodiernis sese renovent.

Ratio et ordo institutorum, quae ex fine suo proprio ministerio apostolico vel operibus caritatis dedita sunt, ita componantur, ut neque exercitia pietatis apostolatui neque opera apostolatus orationi officiant, sed potius sese mutuo perpenetrent, inspirent atque incitent, quo unitas vitae religiosae obtineatur. In his autem institutis, in quibus labor apostolicus et beneficus constituit finem vere specificum, omnes bene considerent illum tantum laborem fovere caritatem erga Deum et proximum, qui ex intima unione cum Deo procedit.

Ratio. Nn. 5 et 6 penitus non satisfaciunt ideoque ex integro mutentur oportet. In Schemate agi quidem debet de diversis vitae religiosae formis sed tunc praecise dicendum est, quaenam puncta singulis relate ad accommodatam renovationem nostro tempore sint maxime urgentia. In respectivis numeris schematis impressi fere nihil nisi veritates per se evidentes afferuntur.

In n. 7, pag. 6, linn. 15-19. Non sufficienter in his lineis evocatio fit difficultatum hodiernae psychologiae. *Proponimus* ut addatur aliquid de his difficultatibus, ex. gratia: In educatione religiosorum et religiosarum magistri vel magistrae bene noscant (et ideo ipsi formantur) leges psychologicas castitatis et oboedientiae.

In particulari, bene sciant sodales virtutem oboedientiae non minuere responsabilitatem individualem.

In n. 9. Addere oporteret aliqua verba de laboribus, quibus vere paupertas manifestatur, necnon de adoptione novarum technicarum quae — saltem in regionibus magis evolutis — paupertatem non contradicunt.

In n. 10. Opportunum esset referri ad textum Pii Papae XII: « Ad ministerium clericale neminem promoveant (Superiores) qui se religiosam solummodo vocationem divinitus recepisse demonstret » (*Sedes Sapientiae,* Intr. II: *A.A.S.,* 48 [1956], p. 357).

Ista animadversio compleri potest pro monachis per notam sequentem:

« Ad ministerium clericale neminem promoveant (Superiores), qui se religiosam solummodo vocationem divinitus recepisse demonstret » (PIUS XII, *Sedes Sapientiae,* Intr. 11).

Admonet nos haec sententia Pii XII, quantum oporteat duas vocationes diversas non confundere, quamvis frequenter ambae in eadem persona conveniant.

Atqui, iuxta vigentem hodie legem et disciplinam, exstat quaedam species vitae religiosae, antiquissima utique et authentica, vita scilicet monastica, quae plene vivi non potest, cum omnibus iuribus et officiis ad eam pertinentibus, nisi a religiosis qui presbyteri sint.

Etenim, ut plene vivatur vita monastica, requiritur ut conventuali capitulo participet monachus. Quod ius numquam ab obligatione chori seiunctum est, sed semper eam comitabatur. Nostris diebus tamen, in Congregationibus

benedictinis non licet monachum fieri chori, nisi insimul ad sacerdotium tendatur.

Quaedam indulta sunt utique his ultimis annis concessa. Sed haec ipsa indulta satis demonstrant ipsas leges sacerdotium imponere monachis chori. Immo, addendum est ultima indulta non esse concessa nisi adiecta clausula restrictiva: « sine voce activa vel passiva in capitulo ».

Vix opus est profiteri nullam intercedere repugnantiam inter sacerdotium et vitam monasticam. Attamen, iuvat asserere nullam utriusque necessariam esse coniunctionem.

Monachi, aeque ut ceteri christiani, indigent sacerdote. Iuxta naturam rerum est, ut sacerdotes, quibus indigent monachi, inter ipsos monachos eligantur. Insuper, inde ab exordiis monasteria exercuerunt quaedam ministeria sacerdotium flagitantia, verbi gratia scholas vel curam peregrinorum; ministeria hospitalitatis, non exclusa auditione sacramentali confessionum, adhibentur etiam ab ipsis monasteriis, quae nullum apostolatum sensu proprio dictum suis monachis desiderant. De cetero, sententia Pii XII, quam huic nostrae Notae praescripsimus, ita pergebat: « neminemque tandem a sacerdotali statu avertant, qui divinitus ad illum vocari certis signis dignoscatur ». Nullo ergo modo suggerere volumus, ut is a sacerdotio avertatur, qui ad illam sacram functionem a Deo revera vocetur.

Sed vehementer optandum est, ut monasticae vocationi restituatur novitas sua, sinendo scilicet ut plene vivi possit, cum omnibus iuribus officiisque suis, absque sacerdotio.

Enixe ergo membra commissionis *de religiosis* rogamus, ut de aliquot lineis schemati inscribendis cogitare dignentur, quibus superioribus maioribus Ordinum Monasticorum liceat, congruenter cum Regula S. Patris Benedicti, monachos chori suscipere qui ad sacerdotium non destinentur.

Patet talium formationem in religione sacrisque disciplinis studiose esse excolendam, sicut iis iam evenit, quibus indulta hucusque concessa erant.

In n. 19. Opportunum esset referri ad textum Pii Papae XII: « Neminem proinde umquam quovis modo ad statum sacerdotalem vel religiosum cogant, neve ullum alliciant vel admittant, qui vera divinae vocationis signa reapse non praebeat; item ad ministerium clericale neminem promoveant, qui se religiosam solummodo vocationem divinitus recepisse demonstret; neve eos qui hoc quoque donum a Deo habuerint, ad saecularem clerum coarctent aut distrahant » (*Sedes Sapientiae,* Intr. 11: *A.A.S.,* 48 [1956], pp. 357-358).

16

Exc.mus P. D. EUGENIUS DE ARAÚJO SALES

Episcopus tit. Thibicensis, adm. ap. Natalensis et S. Salvatoris in Brasilia

Schema *de accommodata renovatione vitae religiosae* quoad ea quae in eo dicuntur est quidem sat bonum; sed omittuntur multa quae meo sensu omitti non deberent.

Praesertim autem in eo invenio defectum, quod de religiosis utriusque sexus indiscriminatim tractatur, dum multae et summi momenti quaestiones essent tangendae, quae peculiari ratione ad vitam et actionem religiosarum referuntur. Ex istis paucas tantum hic indicabo:

Imprimis nos oportet vitam religiosam femininam respicere ut realitatem praesentis temporis eamque cum exigentiis nostrae aetatis conferre. Promotio enim mulieris est unum ex praecipuis signis hodierni temporis — quod ceterum Synodus nostra aperte et laudabiliter admittit eo quod auditrices ad congregationes generales convocat. Itaque, cum de religiosis agitur, speciatim de religiosis mulieribus agendum est. Religiosae enim, eo quod Deo consecrantur, non eo ipso mutantur natura, sed retinent personae femininae notas distinctivas, quibus physiologice, psychologice et dynamice a viris distinguuntur et servant propterea valorem suum proprium ac modum suum agendi peculiarem inter homines et propter homines. Urget igitur religiosarum promotio et actualizatio, quod si omiserimus, rationes Deo reddemus ob detrimentum quod inde capiet regnum Dei.

Efficax haec religiosarum promotio atque actualizatio tanti mihi videtur esse momenti ut eam non possimus totam relinquere commissionibus postconciliaribus vel Commissioni Codicis recognoscendi, sed nobis ipsis, Venerabiles Patres, saltem principia quaedam statuere incumbit.

Inter plura, quae a Concilio ipso mihi videntur esse decernenda, sequentia commemoro:

a) Instituantur cursus verae actualizationis pro religiosis sexus feminini, quae vota perpetua iam emiserint, eo fine ut mentes earum aperiantur ad problemata religiosa et pastoralia diversarum regionum perspicienda et deinde superiorissae vel visitatrices factae domos suas vel congregationem regere possint vel visitare cum genuino fructu apostolico.

b) Tempus iuvenatus satis sit diuturnum, ut in rebus theologicis, liturgicis, sociologicis, pastoralibus et practicis institutio tam solida sit quam ea quae in Seminariis religiosorum praebetur vel praebere deberetur.

c) Formatio humana, nempe physica, psychica, affectiva, socialis, sit accurata et totalis, intellectum attingens et voluntatem, sicut exigunt tempora nostra.

d) Spiritualis efformatio fiat secundum principia spiritualitatis Ecclesiae universae, quod non excludit normas peculiares cuique scholae asceticae proprias.

e) Formatio autem apostolica sit practica et technica. Actio apostolica non subordinari sed coordinari debet cum ceteris officiis, studiorum nempe et exercitiorum spiritualium. Quae formatio apostolica, Venerabiles Patres, interdum fortasse traditiones quasdam venerabiles offendet, immo mutationes in ipsis quorumdam institutorum structuris exiget sed opus salutis animarum nostris temporibus audaces tales interventus a nobis exigit.

Ea quae hucusque exposui, ad omnes fere nationes possunt applicari. Nunc vero rogo vos, venerabiles Patres, ut mentes vestras ad eas orbis partes vertatis, quae « tertius mundus » solet appellari, et cum sollicitudine illa omnium ecclesiarum, quae cum apostolo Paulo communem habetis, problemata pastoralia consideretis, quae Americae Latinae, in specie patriae meae sunt peculiaria.

Videte quibus in conditionibus versamur qui laboribus pastoralibus ibi in Brasilia sumus addicti. In praesenti incolarum numerantur octoginta milliones et sacerdotum tantum duodecim milia, dum religiosas habemus circiter 40 milia. Versus finem huius saeculi, id est, elapsis annis triginta sex, incolas Brasiliae, numerum 200 millionum superaturos esse aestimatur. Quis non videt quam nefasta esset omissio, si has magnificas religiosarum cohortes praeparare non curaremus, et praeparatas non vocaremus ut nobiscum cooperentur in omni opera apostolica quae sacerdotibus stricte reservata non sit?

Huius apostolicae actionis religiosarum nos ipsi experimentum fecimus in Archidioecesi Natalensi, primo loco quidem in paroecia « Nisia Floresta », deinde in paroecia « Taipú », quod experimentum interea in aliis dioecesibus imitatores invenit.

Ubique exitus fuit optimus et communitates fidelium, quae antea greges sine pastore videbantur, nunc speciem prae se ferunt illarum Ecclesiae primitivae communitatum, in quibus Spiritus Sanctus mirabilia operabatur.

Rogo vos, igitur, Venerabiles Patres, et obsecro, ut in schemate « De Religiosis » principia quaedam enuntientur, quibus structura Congregationum ita reformetur et apostolica efformatio religiosarum ita instituatur, ut in posterum non habeamus tantum piissimas moniales vel docta magistras linguarum et scientiarum vel heroicas infirmorum curatrices, sed etiam, et praecipue quidem, religiosas ad apostolatum perfecte instructas, quae « ut castrorum acies ordinata » compleant actionem sacerdotum numero adeo deficientes, et, ut tempora exigunt, etiam extra terras Missionum imbuantur genuino spiritu missionario, qui spiritus est totius Ecclesiae.

17

REV.MUS P. D. ODEMARUS DEGRIJSE

Superior generalis Congr. Immaculati Cordis Mariae

Peto ut n. 6 sic mutetur: « In Institutis, tam virorum quam mulierum, vitae activae, vera vita religiosa coniungitur cum vita apostolica, ideoque e duobus elementis aeque essentialibus constat et formam propriam ac specificam vitae religiosae constituit. Opera et apostolatus, utpote sanctum ministerium et opus caritatis proprium, ab Ecclesia commissum eiusque nomine exercendum, finem constituunt vere specificum, quem sodales ardenti studio aptisque mediis prosequi debent. Tota vita religiosa spiritu apostolico imbuatur. Actio autem apostolica ex intima cum Deo unione procedat; inde fit ut caritas ipsa erga Deum et proximum foveatur » (vel loco ultimae paragraphi dicatur: « Tota autem actio apostolica spiritu religioso informetur »).

Hic infra quaedam rationes huius supplementi dantur:

1. De die in diem evidentius apparet doctrinam, theologiam et spiritualitatem vitae religiosae fere exclusive considerari sub respectu vitae monastico-contemplativae, quae fere sola tamquam vita vere religiosa habetur.

E quo sequitur membra vitae religiosae activae, praesertim in Congregationibus, insatisfactionem (*malaise*) manifestare.

Vita religiosa, historice considerata, primo formam vitae monastico-contemplativae habuit, prout nunc in antiquis Ordinibus observatur. Vita religiosa activa tantum ultimis his saeculis apparuit, praesertim saeculo decimo nono plurimae Congregationes, praesertim mulierum, fundatae sunt. Quapropter mirum non est praedictam vitam religiosam nondum ad perfectam suam evolutionem pervenisse ac forsan nondum plenum *ius civitatis* obtinuisse.

2. Erroneum est vitam religiosam unice sub respectu historico velle definire. Spiritus Sanctus in omnibus epochis historiae Ecclesiae operatur. Vita religiosa activa circumstantiis ac necessitatibus Ecclesiae nostri temporis respondet. Exinde vita religiosa activa non est minus perfecta forma vitae religiosae quam vita religiosa contemplativa.

3. Vita religiosa essentialiter consistit in totali consecratione suiipsius Deo (Christo et Ecclesiae) facta per professionem consiliorum evangelicorum. Quae consecratio duplici modo in actum deduci potest, nempe secundum regulas sive vitae contemplativae sive vitae activo-apostolicae. Earum fines specifici, ac proin etiam earum natura, sunt diversi. Duo illa genera vitae religiosae propriam suam theologiam, propriam spiritualitatem, propriumque modum consilia evangelica observandi, vitam communitariam ducendi ac orationem et mortificationem peragendi habent. Saepius in documentis de vita religiosa agentibus ratio non habetur praedictae distinctionis,

atque vita religiosa fere exclusive consideratur sub respectu vitae contemplativae.

4. E praedicta situatione plurimae sequelae nocivae pro institutis vitae religiosae activae, praesertim vero pro sororibus, habentur.

Constitutiones elaboratae sunt ad modum et exemplar vitae religiosae contemplativae, atque pauca vel nihil proferunt de proprio fine apostolico Congregationis: apostolatus videtur esse *secundarius,* « en marge des Constitutions ». Constitutiones saepius non sunt accommodatae proprio apostolatui Congregationis atque plura impedimenta continent. Congregatio tamen a fundatore vel fundatrice erecta est intuitu talis definiti apostolatus: est ratio eius exsistentiae eiusque essentiae, atque candidati intuitu huius finis Congregationem ingrediuntur.

Quo fit ut institutio durante novitiatu et annis sequentibus unice pro vita religiosa datur, minime vero pro vita apostolica, si excipias eius aspectum professionalem. E quo sequitur multos religiosos, praesertim sorores, exiguo tantum spiritu apostolico imbutos esse, parum de animabus curare, sensum ecclesialem fere non habere, minorem influxum apostolicum exercere, methodos technicas apostolatus directi fere ignorare, se limitare ad vitam religiosam *clausam* et individualisticam domus suae, ac vires tantum impendere ut sint boni religiosi.

E quo sequitur multos religiosos valorem pastoralem-apostolicum omnium elementorum vitae religiosae numquam perspicere: valorem nempe paupertatis, castitatis, obedientiae, vitae communitariae, orationis, mortificationis, etc.: quae omnia habent aspectum apostolicum.

Integra vita religiosa cum omnibus suis elementis in apostolatum specificum Congregationis dirigi debet, ac imbui debet spiritu apostolico, sicut et tota activitas apostolica inspirari et fundari debet vita religiosa.

Multi religiosi non valent *synthesim* inter vitam religiosam et apostolatum efficere nec primam per alterum compenetrare. Non satis sibi conscii sunt quod activitas apostolica quae maiorem partem diei occupat, aeque ac oratio forma est caritatis et proinde medium est propriae sanctificationis.

5. Supra relata insatisfactio (*malaise*) orta est e facto quod vita religiosa hucusque nimis exclusive sub respectu vitae contemplativae considerata est. Vita religiosa activa duobus elementis essentialibus constat: vita religiosa (elementum commune utriusque formae vitae religiosae, activae nempe et contemplativae) et apostolatus specificus Instituti. Hic aspectus apostolicus nondum ad plenum suum valorem evolutus est. Theologia et spiritualitas apostolatus religiosorum adhuc in statu initiali versantur. Theologia vitae religiosae activae, quae synthesim inter vitam religiosam et apostolatum elaborat, vix opus incepit. Quamdiu hoc non efficitur, vita religiosa activa ad completam suam evolutionem et aequilibrium non pertinget.

6. Quo autem hic finis citius attingatur, maxime interest ut textus conciliaris modo omnino claro indicet distinctionem inter vitam contemplativam et vitam religiosam activam, atque in huius formam specificam atten-

tionem vertat ac affirmet eam e duobus elementis essentialibus constare. Haec erit solutio liberativa problematum decies millium religiosorum *activorum,* praesertim in Congregationibus Sororum. Concilium intendit omnes baptizatos ad apostolatum vocare et totam Ecclesiam spiritu apostolico et missionario animare, propter angustiantes necessitates Ecclesiae in mundo hodierno.

Quapropter Concilium religiosis occasionem et possibilitatem praebere debet, ut hi invitationi Ecclesiae respondere et munere suo in Ecclesia huius temporis plene fungi possint.

18

EXC.MUS P. D. REMIGIUS IOSEPH DE ROO

Episcopus Victoriensis in Ins. Vancouver

Not a word is said about Hermits in the Code of Canon Law. One is left with the impression that they are excluded from the category of Christians recognized by the Code as Religious. For Canon 487 defines the religious state as a " stabilis in communi vivendi modus, quo fideles, praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per vota obedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt ".

This Canon treats religious life as essentially lead *in common,* since it supposes as a minimum requirement association with a canonically erected society. It requires no less essentially what are known as the *public vows* of religion.

Hermits therefore, if not already religious by a previous profession, cannot under present conditions be considered as such. On the other hand, if they are already religious, their new condition as hermits creates a problem solved until now only by the granting of an indult of exclaustration " ad nutum S. Sedis " (Cf. *Canon* 639).

The Latin Church however, is experiencing an ever-growing renewal of the life of hermits. It is urgent therefore that the Western Church officially recognize the life of hermits as a state of perfection. And Vatican Council II should make a point of this.

A declaration by the Council would destroy many prejudices and misunderstandings. It would reassure the Hermits that the Church still considers their life as both legitimate and sanctifying.

And the normal consequence of this approval in principle should be the establishment of appropriate canonical legislation. Monks and other religious, members of societies without vows and of Secular Institutes, would thus be enabled to respond to a vocation as hermits by a simple and easily followed procedure.

Such legislation would protect the vocation of Hermits from arbitrary interference by religious superiors. It should remain simple and flexible, for the life of the hermit is something very personal by its very nature. To

impose numerous precise and rigid norms on every hermit without distinction would cause great harm.

The abnormal situation whereby a prospective Hermit cannot leave his community except by secularisation should also be corrected. (Cf. *Canons* 640-643).

Here are some of the arguments in favor of the official recognition of Hermits:

1. The fact of the growing renewal of this type of life. This indicates a special influence of the Holy Spirit who inspires initiatives beneficial to the Church and the modern world. The influence of the work of Father de Foucauld illustrates this point well.

2. The sanctifying value of the hermit's life. This has been proven by the countless Christians who have followed it in the course of history.

3. Its contribution to the life of the Church. The Hermit fills a prophetic role. He lives by anticipation in heaven. He reminds the world and the Church that the building of an earthly city is not the final end of all things. Fleeing the noisy whirlwind of worldly activities, he opens his heart to the Holy Spirit in an atmosphere of calm and interior recollection. Thus he pursues an essential calling of the Church, the direct contemplation of God.

His life, like that of Christ in the desert, is essentially a combat with the devil. If he triumphs, the Hermit does so by his total submission to God. And this victory necessarily influences the entire life of the Church.

4. The ecumenical value of the hermit's life. The solitary life of the hermit seems to have known no decline in the East. Its restoration would enhance the vitality and inner integrity of the Western Church.

5. Finally, recognition of the Hermits would correct the impression still prevalent in the Western Church that the practice of the evangelical counsels is limited to that form of institutionalized community life commonly known as the religious life.

As the Bishop of a Diocese where a colony of some ten Hermits is in the process of development, I earnestly request of this Second Vatican Council the official recognition of the life of the Hermits as a state of perfection in the Church.

19

EXC.MUS P. D. ALBERTUS CONRADUS DE VITO

Episcopus Lucknovensis

I - *The teaching Brother: his specific mission.*

1. *In Catholic Countries* surely the specific mission of the Teaching Brothers is well defined.

2. *In Mission Countries* however this mission must take into consi-

deration the fact that their apostolate of teaching must be fulfilled in a Mission.

The Teaching Brothers are free to accept the invitation of Ordinaries or not, but, if they accept it, they must adapt themselves to the needs of a Mission. One of the greatest difficulties we are experiencing in the Missions is actually the practical difficulty of securing Teaching Brothers for our schools, so much so that in many places we are compelled to run the schools through priests and secular teachers. This fact compells us to use many priests in administrative and teaching offices, while they are badly needed in the direct apostolate.

When Teaching Brothers accept to open schools in a Mission, as a rule, they do not accept to open them for poor children and orphans in mission stations, but only in big towns, where there will be well-to-do people who will offer to pay high fees. This is a fact which can be verified in the Catholic Directories of the Missions.

3. *Teaching cathechism and, in general, Religion.* I believe that in some places there may be misunderstandings, but are they caused by the Ecclesiastical Superiors or by the Brothers themselves?

According to Canon Law the Ordinary of the place has the right and duty to make the Syllabus for Religious instruction, to choose the text books, and decide about method, classes, etc. Many Brothers refuse to accept the Ordinaries directions in the matter. Their Provincial Superiors, who reside out of the diocese concerned, assume the right to fix syllabus, text books, method, classes, examinations, etc., and impose them in all the schools conducted by the Brothers in all the dioceses where they are.

No wonder then if the Ordinaries and priests concerned are at times dissatisfied and even reach the point to claim as their exclusive right to appoint teachers, syllabus, etc.

4. *Exemption of Teaching Brothers.* As Religious they enjoy a certain amount of canonical exemption. The limit of this exemption should be made very clear by both sides: the Ecclesiastical Superiors and by the Teaching Brothers.

The canonical prescriptions in this matter do not seem to be very clear since, in practice, usually they are not clear enough to prevent misunderstandings and quarrels.

Some Brothers claim a total exemption from the Ecclesiastical Superiors in spite of Canon Law. They appeal to privileges received before the codification of Canon Law. Does such an exemption exist? How far does it go?

Bishops must appoint Chaplains, confessors, and other priests to deal with the Brothers and their charges. How can they do so without the right to visit the Brothers?

The Bishops must know how the Brothers teach catechism, morals, Religion, whether they keep to the Syllabus, text books, method, etc. ...

prescribed in the Diocese. How can they do so if the Brothers extend their exemption even to such matters?

Even if the Brothers are exempt, surely the secular staff, the students, the servants, and the people, like Sisters in charge of services, etc. are subject to the pastoral visitation of the Ecclesiastical Superiors. Yet many Brothers make this almost impossible, even when they admit the right of the Ecclesiastical Superior.

The Ordinary of the place has the right to visit chapels, oratories, sacristies, sacred vestiments and vessels, and see at it how the time-table for religious services, confessions, etc. is made and kept. Yet either he is prevented from doing his duty or it is made almost impossible for him to perform it.

Superiors General, Provincial, and special Visitors, while visiting the house and schools of the Brothers, as a rule, just ignore the Ecclesiastical Superiors, Chaplains, Confessors, etc.

I can prove whatever I have stated. Now if the Brothers behave in this way, do you expect Bishops and priests to praise them, recommend them, help them? May be that, in order not to waist time or quarrel uselessly, they just ignore them.

5. *Lack of coordination.* The schools of the same Region or at least those of the same Diocese should be coordinated and help each other, consult each other with regard to teaching, disciplinary rules, fees, etc. Instead each of them carries on independently. Bishops and priests at times are compelled to request the Brothers to admit either some Catholic children or some non Catholic children, at times children of very influential parents, of very high officers in the State, etc. Usually no notice is taken of his recommendations!

The Brothers usually ignore rules and directions of the Ecclesiastical Superiors, and their Superiors Provincial give orders even about prayers, services, non Catholic children, teachers, etc.

Brothers often make collections, hold concerts, etc. to help Institutions out of the Diocese without any reference to the Ecclesiastical Superiors, and ignore directions given to help diocesan institutions.

Brothers go so far as to start Associations of their own choice among the students, and either hinder or even suppress those which are established by the Ecclesiastical Superiors.

Do you expect that, if the Brothers behave in this way, there will be much understanding, and advantage to the Church? There should be coordination and cooperation in the apostolate. The students should often go to the Parish church, know the parish work, become parish minded, etc. As a rule there is not such a cooperation, rather there is a tendency to prevent it. The children of some Brothers' schools for years, if ever, are not taken to the parish church, or made to meet the parish priest, the Vicar General of the Diocese, and even the Bishop! ...

As a rule the Brothers isolate themselves and refuse any cooperation with the diocesan Clergy and authorities. Work on their own as independent and isolated agencies.

Surely such a state of things should come to an end and a new spirit should guide the Congregations of Teaching Brothers and their members.

II - *Religious Status of Teaching Brothers.*

1. I admit the canonical status of the Brothers; and feel that all the Bishops and priests would do the same, if the Brothers themselves would make a better use of priests, and ask their spiritual help.

2. Some Brothers refuse even to help in their own Chapel at the altar and serve Mass or at benediction. At times the priest has to remain alone at the altar, and cannot have a Brother to be Master of ceremonies, direct the altar boys, and have a Brother as an Announcer or Commentator. The services of the Holy Week, for instance, would be much more impressive and fruitful, if one or more Brothers would help.

3. Many Brothers never ask the priests of the place to preach to them, explain the liturgy, etc. ..., and for the annual retreat invite always priests from outside the diocese. Some of them show very clearly to have no respect for the priest, may be, because he does not know their mother tongue as well as they know it.

4. Some Brothers refuse to show their Constitutions, directories, books on spiritual life, etc. How can Bishops, and priests know their religious status, spirit, special aim of the Society, etc.?

5. Some Brothers, when invited to meetings either for the schools, or the coordination of the apostolate, refuse to do so stating they have no permission from the Provincial or the General! ...

6. Some of the Brothers state clearly that their Congregation was erected for Catholic children in Catholic Countries, and state plainly that they became Religious for this aim, and are not in favour of staying in a Mission, or having schools for non Catholic or non Christian children or in which the majority are non Catholics. Some of them for this very reason refuse to learn the local language, and are unable to teach catechism to Catholic servants, and help in teaching catechism out of the classrooms! ... If they accept to open schools in a Mission, they should also accept elementary cooperation.

III - *Non-Clerical Status of Teaching Brothers.*

I fully agree with you about the non-Clerical status of Teaching Brothers.

Besides the reasons given by you there are many more why Brothers should have the lay-status in the Church. But it is out of place to mention them.

Yet they should help the priest as much as possible at the altar, especially now that the Constitution on Liturgy allows even lay people to have liturgical

offices like lectors, commentators, etc. ... A few Brothers who know liturgy well can help the Priest and make services much more impressive. They can teach children, lead them, read lessons, read comments during services, and make the children more community minded.

20

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS ODO DE WILDE
Episcopus Niangaraensis

Ad n. 1. Loquens de accommodata renovatione vitae religiosae, quis deberet facere necessarias distinctiones. Sunt quaedam quae sunt essentialia in genere pro quacumque vita religiosa; alia quae sunt essentialia in specie pro determinato genere vitae religiosae. Ab initio clare distinguendum esset ita ut nullo periculo exponantur illa sine quibus non amplius haberetur vita religiosa aut forma eius determinata. Renovatio enim intendit ipsam vitam religiosam ferventiorem et efficaciorem reddere.

Ad n. 2. Illud quod est imprimis conservandum est spiritus originalis instituti, charisma quo moti sancti viri et feminae processerunt ad fundationem institutorum permanentium in Ecclesia, qua fundatione, acceptante ipsa Ecclesia, quasi institutionalisatum est charisma Ecclesiae perutile. Ille spiritus si servatur, illud charisma si vivens permanet, facilius ipsa Instituta transitoria a permanentibus separabunt, facilius activitates charismate illae imbutae pro diversorum temporum necessitatibus adinvenient. Constitutiones etc. igitur tali modo sunt conformandae ut vivum, efficax, iuvenis remaneat charisma.

Ad n. 3. Omnes religiosi debent spiritu proprii Instituti magis ac magis penetrari. Ita moderatoribus facilius erit munus debitam accommodationem perficiendi. Sed munus moderatorum ab ipsis est exercendum.

Ad n. 4. Cum vita religiosa sit conamen ad realizandum totaliter ideale evangelicum manifestum est illam praeprimis esse debere vitam intimae unionis cum Deo in caritate et plenae caritatis fraternae in Christo. Monitum huius numeri deberet non sic simpliciter enuntiari, sed fundari in ipsa vitae religiosae natura notando forsan quod caritatis praeceptum est omnibus commune.

Ad n. 5. Clare omnino esset exprimendum Instituta contemplativa habere momentum eximium in Ecclesia, eo praecise quod contemplativa sunt: propter unionem cum Deo et cultum, ut ita dicam, fere exclusivum virtutum theologicarum. Dum alii aliis occupantur, contemplativi litteraliter Deum ut portionem, ut partem haereditatis elegerunt, vel melius Deus hos elegit ut Ipse eis sit portio, haereditas praeclara. Nec haec exclusiva occupatio impedit characterem apostolicum harum religionum: fundatur in ipsa vita contemplativa qua procuratur invisibile gratiae augmentum in Corpore mystico Chri-

sti, qua datur testimonium totalis dedicationis illi quod est « unum necessarium », « optimam partem » et testimonium communitatis fraternae.

Inde non videntur aptae voces « et etiam ipsa in ratione formaque vitae se renovent »: relate enim ad ipsam rationem propriam vitae religiosae contemplativae non est mutatio!

Ad n. 6. Ipsa nota addita refert ad triplicem speciem vitae religiosae cum in numero opponantur simpliciter contemplativa et activa. Inde aliqualis superficialitas asserti.

Insuper notandum videtur quod sub alio respectu possunt considerari religiones, nempe quatenus habentur instituta clericalia, instituta laicalia virorum, instituta laicalia feminarum. Instituta laicalia virorum videntur aliqualiter oblivioni mandari licet et ipsa munus excellens habent, v. g. munus iuventutem educandi. Optandum esset verbum in uno aliove numero addi quo talis institutis cor additur et eorum existentia iuvenibus aptis et christianis generatim in memoriam revocetur.

Ad n. 7. « Religiosi ... quamvis ... »: non quamvis, sed quia!

Ad n. 8. « Quod sacrificium ... quamvis »: et heic quamvis male sonat.

Ad n. 10. Hoc assertum est nimis generale. Quaestio paupertatis et modi eam nunc perfecte realizandi est quaestio gravis quae ipsos religiosos quandoque vere torquet. Nihil iuvat assertum ut idea paupertatis iuxta sanas exigentias vitae religiosae in praxim deducatur, nullam viam indicat.

Ad n. 11. Significatio vitae communis ut testimonium possit modo praegnantiori exprimi.

Ad n. 12. Ipsa clausura posset laudari et commendari. Debetque cavere ne clausurae nimis derogetur ut ipsa vita contemplativa quam maxime foveatur quia ipsa est summi momenti.

Ne sit conamen ut omnia Instituta religiosa directo apostolatui subordinentur.

Ad n. 15. Elementum supernaturale, inspiratio Dei, deberet praeprimis prae oculis haberi.

Ad n. 16. Cf. animadversiones in n. 2. « Omnia instituta tenentur vitam Ecclesiae participare ». Intentum forse esset clarius exprimendum: omnes religiosi debent praeprimis vitam Ecclesiae participare in propriae vitae intentione et institutione. Quomodo vero ad extra vitam Ecclesiae participare possunt et debent dependet a propria indole Instituti. Idem esset dicendum de activitate missionali.

Ad n. 18. Ubi agitur de Instituto vere originali et accommodato, non citius gressus fiat ad suppressionem. Quaeratur prius quomodo salvari possit si ut « signum » vel ut apostolatus formam agens hoc est pro bono Ecclesiae optabile.

Ad n. 20. Illud quod est recommendandum est propositio omnibus fidelibus idealis evangelicae ut expressio normalis plenitudinis gratiae baptismalis

et filiationis divinae. Aestimatione huius vitae fervor apud fideles excitari potest et vocationes enasci possunt. Hoc evidenter non impedit quominus non omittatur explicita propositio vitae religiosae secundum suas formas differentes ad vocationes fovendas.

21

Exc.mus P. D. DIONYSIUS VINCENTIUS DURNING
Episcopus Arushaensis

Submittimus. 1. Quod adaptatio ostendi debet non mere ut bona praxis vel concessio propter influxus externos haud favorabiles necessaria, sed potius ut pertinens ad ipsam vitae religiosae naturam.

2. Quod conceptus vocationis in eius sensu vere biblico incorporare debet.

3. Quod relatio essentialis inter opus particulare alicuius institutus et perfectionem distinctivam eius membrorum, quae solum ex impletione vocationis ad illud opus evenire potest, clare manifestari debet.

4. Quod differentiam specificam inter formam contemplativam et formam activam Vitae Religiosae declarari debet, ideoque etiam differentiam specificam perfectionis attingendae in his duobus formis.

5. Quod, essentiam Vitae Religiosae in Communitate consistere, declarari (vel definire) debet.

1. *Adaptatio. Adaptatio ex ipsa natura vitae religiosae fluit* quia societas religiosa est Corporis Mystici membrum *vivens,* et ideo subiecta est omnium (organismorum) viventium legibus inter quas fundamentales sunt *motus, mutatio* necnon *augmentatio.* Exemplum adaptationis vidimus in ipsa Ecclesia, quia etsi divina in sua doctrina et omnino immutabilis manet, tamen in eius forma et expressione est semper *humana* et adaptabilis.

2. *Vocatio.* Analysis notionis biblicae vocationis ostendit eam esse semper appellatio alicuius personae ab ipso Deo ad aliquod *servitium, missionem* vel *opus implendum* (*Eccl.* 33, 10-14).

Communis vocatio totius creationis est ad gloriam Dei *manifestandam* (*Prov.* 16, 4).

Vocatio generalis omnis hominis in ordine supernaturali est ad Sanctissimam Trinitatem *cognoscendam* et *amandam* (*1 Cor.* 1, 26; *Eph.* 4, 1; *Phil.* 3, 14; *Thess.* 1, 11; *Hebr.* 3, 1).

Vocationes *specificae* non sunt extra hanc *generalem* vocationem, sed mere viae individuales huius vocationis generalis implendae secundum voluntatem Dei (*Eph.* 4, 11-13).

Hoc clare ostenditur in variis appellationibus divinis ad quaedam opera agenda secundum voluntatem Dei.

Vocatio Abrahae (*Gn.* 12, 1-3).

Vocatio Moysis (*Exod.* 3, 1-4, 7).

Vocatio David (*1 Reg.* 16, 13).
Annuntiatio (*Lc.* 1, 26-38).
Vocatio Apostolorum (ad Apostolatum).

In Sacra Scriptura nullum exemplum habetur vocationis ad perfectionem in se, sed solummodo ad opus, cuius impletio in perfectionem duceret.

Ergo verus conceptus scripturisticus vocationis, ut *appellatio* potius *ad opus* quam ad perfectionem, in ulla definitione vel tractatu vitae religiosae est includenda.

3. *A*) Ratio ipsa cur aliqua societas fundatur est *opus specificum* propter quod societas instituitur.

B) Quod *opus specificum* distinguit societates inter se e. g. societas ad docendum, ad evangelisandum, ad praedicandum.

Solum operis est specifice distinguere societates inter se, et ita constituuntur illae duae formae vitae religiosae, nempe, contemplativa et activa; etiam opus facit solam differentiam veram inter societates illarum formarum.

Exempli gratia. Missionarii est habere suam spiritualitatem ad quam pertinet aliquod proprium. *Ex ipsa natura vitae missionariae emanat haec proprietas.*

4. Contemplatio et Actio sunt operationes specifice distinctae.

Ergo, vita contemplativa et vita activa sunt formae vitae specifice distinctae.

Sequitur quod utraque forma sua principia (specifice distincta) habere debet.

Sed vita activa non est consideranda ut monasticismus dimidiatus.

Vita religiosa activa est vita *actionis.* Quae actio ad essentiam eius spiritualitatis pertinere debet.

5. Communitas adest ubicumque aliqui homines, vocati ad quamdam vocationem specificam, istam implent *simul cum invicem, in communi.*

Nonne vocatio specifica ad aliquod opus *in communi* est quae ponit fundamentalem communitatem in instituto, scilicet, communitatem essentialem?

Actualis impletio huius vocationis in opere concreto determinat varias expressiones communitatis fundamentalis, ut vitam communem, preces in communi, vota, regulas etc.

Physicae regulae in communitate ut vita in communi, mensa communis et exercitia pietatis communia non sunt in seipsis ipsa vita religiosa; sunt merae expressiones huius vitae — *communitas essentialis vocationis communis* — ea validae sunt tantummodo quando huius vocationis communis impletionem colunt atque nutriunt.

Conclusiones practicae. 1. Finis generalis institutorum in regulis constitutionibusque contentus *non* declarari debet ut procurationem gloriae Dei et sanctificationem membrorum ex observantia votorum Religionis et praxi Regularum et Constitutionem (Cf. Can. 487) *sed* ut procurationem gloriae divinae *ex* ipsa impletione membrorum vocatione ad finem specificam distinc-

tamque institutis secundum consilia evangelica, ut exercentur in instituto, atque eius regulas et constitutiones.

2. Finis specificus societatis in aliquo modo mutari vel ampliari possit sed hoc solummodo cum eadem approbatione ecclesiastica ac in initiali fundatione recepit.

3. Regulae constitutionesque societatis activae necessitatibus operis specifici determinentur.

22

Exc.mus P. D. BERNARDINUS ECHEVERRIA RUIZ

Episcopus Ambatensis

Textus schematis, prout proponitur, quamvis magnum laborem exhibeat, non placet. Non praecise quia nimis brevis est, sed quoniam expectationi tam ipsorum religiosorum quam etiam totius ecclesiae non respondet. Non est responsio Concilii ad grave problema de renovatione profunda vitae religiosae in nostro tempore. Etenim:

a) Schema non incipit cum quadam declaratione circa valorem, necessitatem et momentum ipsius vitae religiosae quae non solum centena millium fidelium qui hanc vitam aggressi sunt attingit, sed totam vitam ecclesiae. Religiosi enim splendorem et fermentum authenticae vitae christianae sunt, de illorum renovatione in sanctitate dependet non solum personalis sanctitas sed sanctitas ipsius ecclesiae. Hac de causa desiderandum esset quod istud schema incipiat cum quadam declaratione de momento vitae religiosorum in ecclesia et de necessitate sanctitatis adipiscendae ad exhibendam ecclesiam in perfecta praxi perfectionis evangelicae.

b) In schemate dantur quidem quaedam optimae regulae pro renovatione, sed tales regulae apparent simpliciter ut bona consilia, vel ad summum ut optima desideria ut sanctitas augeatur. Exigentia perfectionis deberet esse logica consequentia ipsius conceptionis vitae religiosae et non conamen exstirpandi particulares defectus mediantibus quibusdam exhortationibus. Sicut tradita est optima et quidem completa doctrina circa naturam ecclesiae, circa naturam Episcoporum, sic etiam desiderandum erat ut tradatur quaedam quasi philosophia de vita religiosa.

c) Schema nihil dicitur de problemate fundamentali, scilicet, de relatione quam habere debet tam ad intra, quam ad extra. Ad intra, in quantum vita perfectionis religiosorum non est phoenomenon distinctum ab ecclesia, sed pars eiusdem ecclesiae, hac de causa definienda esset clariori modo relatio referentiae communitatum religiosarum relate ad fundamentales structuram et organizationem ecclesiae. Vita religiosa non est quasi quaedam ecclesia in ecclesia, sed solummodo pars principalis eiusdem ecclesiae. Hac de causa clariori modo loquendum esset de relationibus religiosorum relate ad structuram hierarchicam et ad functionem propriam quae si ex una parte indepen-

dens esse debet, ex alia parte nonnisi in intima unione cum ecclesia totali concipi debet.

In relatione ad extra, nempe ad societatem et humanitatem totam, etiam clarificanda esset et complenda doctrina. Non sufficit dicere quod necessarium est religiosos etiam ad exigentias nostri temporis accommodari debere, sed tradenda est quaedam doctrina profundior ita ut renovatio non simplex praeceptum sit, sed quoddam consectarium logicum ipsius conceptus vitae religiosae.

d) Schema videtur confectum esse sub quodam praeiudicio. Nempe defendendi exemptionem religiosorum. Secundum nostram opinionem, quaestio de exemptione non pertinet ad rem, exemptio potest esse maior vel minor prout opus sanctificationis id exigat. Quod desiderabatur non est recordatio iurium et privilegiorum, sed generosa responsio ad exigentias modernas. Talis responsio esset possibilis solum mediante quodam humili examine vitae religiosae in relatione ad propriam sanctificationem et ad mundum qui sanctificari debet. Estne, in praesens, vita religiosa verum testimonium sanctitatis coram Deo et hominibus? Tunc renovatio necessaria non est; si autem aliqua desunt, si vita sanctitatis, vita testimonii Christi perfecta non est, quaerendum est quid agere debeamus ad talem finem obtinendum. Omnes ceterae quaestiones quae ad vitam religiosam esse referunt, in hoc schemate considerandae non sunt.

e) Quaestio etiam de formatione iuvenum profundius tractanda est, non in eo sensu ut aliquae regulae pro meliori observantia tradantur, sed in revisione quorumdam methodorum. Examini subiiciendus est status actualis humanitatis et revisendae sunt constitutiones. Regulae et normae quae pro efformanda anima religiosa perfecta aliquando bonae erant, forsitan hodie non sunt nisi senescentes structurae sub quibus vita languida sanctitatis immo et tepiditas sese abscondent.

f) Praesertim insistendum esset, ad studium profundiorem spiritus fundatorum, revertendum ad studium fontium sanctitatis quae pro religioso praeter evangelium sunt spiritus fundatoris et primaevae traditiones. Generatim hodie quaedam realis differentia specifica inter diversas congregationes vel ordines non datur, omnes quasi eodem modo sese gerunt, easdem habent structuras externas, fere eadem statuta ita ut praecipua differentia iam solum in forma vel colore habitus sit forsitan quaerenda.

g) Ut melius effici queat insertio vitae religiosorum in vitam totius ecclesiae contactus profundiores et sinceriores inter superiores religiosos et hierarchiam ecclesiae quaeri debent. Nec Episcopis nec Superioribus Religiosorum relaxationem vitae religiosae volunt, Superiores quando exemptionem defendunt ante omnia salvare sanctitatem vitae religiosae praetendunt, sed indubium est quod Episcopi quando aliquid a religiosis petunt, nihil aliud petunt nisi ut sanctiores sint, quoniam non forma externa collaborationis nec quaedam obligatoria immissio in apostolatum, sed authentica sanctitas, imitatio generosa Christi et spiritus Fundatoris constituunt fermentum renovativum et adaptationis in mundo hodierno.

h) Iis omnibus consideratis, quamvis in schemate multa et quidem optima sint, quamvis magnum laborem ex parte Commissionis exhibeatur omnino et penitus refundi debent res. Non necesse est ut Schema amplius sit, etiam retentis solummodo paucis illius decretis ea omnia dici possunt quae mundus et ecclesia de vita religiosa exigunt. Particularia ad scriptores asceticos vel etiam ad Commissionem postconciliarem sunt remittenda. Ideo concludimus: remittatur Schema ut penitus denuo conficiatur.

23

Exc.mus P. D. IOSEPH FADY

Episcopus Lilongwensis

Le schéma manque totalement de précisions; il appartiendra donc à la Commission de Droit Canon de donner les précisions nécessaires. Et là il y aurait une question à poser: On parle toujours en ce moment de la « Promotion de la Religieuse » et de la démocratisation des institutions ecclésiales, mais on fait toutes les lois de l'Eglise qui intéressent les religieuses et très spécialement les moniales *sans demander leur avis*. Pourquoi pas poser quelques questions précises sur lesquelles les Sup. Générales devraient répondre *après consultation* des Religieuses (car là aussi il faudrait de l'esprit evangélique: « Le Seigneur éclaire souvent les plus petits »).

En ce qui concerne les moniales p. ex. on leur impose des lois (sur la réception des novices, sur l'élection des supérieures etc. en ayant consulté tout au plus les Supérieurs masculins! du 1° Ordre correspondant qui pour la plupart ne mènent pas la vie contemplative. Inde d'innombrables postulations, dérogations et parfois des drames.

Il faudrait donc que les Religieuses elles-mêmes aient voix au chapitre surtout sur les points où elles seules ont l'expérience.

Démocratisation aussi en donnant possibilité aux simples Religieuses, particulièrement les jeunes, de s'exprimer, de dire leurs désirs — quitte à obéir après.

Ad n. 3. Attention! Il est facile aux Supérieures d'imposer leurs point de vue en prétendant que l'unanimité est faite!

Ad nn. 5 et 11. Espérons que tout le monde comprendra que le silence et la solitude sont essentiels à la vie contemplative et que par conséquent la clôture garde sa raison d'être. Mais il est bon et necessaire que l'évêque puisse donner les permissions raisonnables. Nn. 5 et 11 sont bien.

Ad n. 10. Très bien! Oui, qu'il n'y ait plus de convers qui soient seulement des domestiques.

Ad n. 16. Il y a des Religieuses qui étouffent dans des petites Congrégations et surtout de monastères « languescentes ». C'est pitoyable. Mais là aussi l'essentiel est la question d'autorité. Rien ne sera fait pour que l'on ferme un monastere s'il n'y a pas une loi fixe à ce sujet. La question du

noviciat est essentielle. Il ne faut pas permettre de noviciat là où les cadres sont insuffisants. Mais il ne faudrait pas pour autant généraliser les « noviciats communs » qui sont contraires à l'esprit même de l'institution monastique.

Conclusion: Pour qu'il y ait rénovation il faut des lois nouvelles. Qu'on ne les impose pas aux Religieuses (à un million et plus) sans les consulter. Ce serait du *paternalisme* de la part de l'autorité et de l'*infantilisme* de la part des gouvernées.

L'esprit d'enfance est une vertu, l'infantilisme en est la caricature.

Devant Dieu un enfant, entendu, mais devant les hommes un homme!

24

BEAT.MUS P. D. ALBERTUS GORI
Patriarcha Hierosolymitanus Latinorum

De superioribus ad vitam. Optime, schema nostrum, uberioris vitae religiosae sollicitus, exoptat renovationem, seu aggiornamento formarum institutionis religiosae, melioremque earum adaptationem conditionibus vitae hodiernae.

Vellem ultro ut in rebus duabus magni momenti, adaptatio illa extendatur etiam antiquioribus ordinibus, in quibus, formae religiosae, redeuntes ad tempus feodalitatis, non amplius respondent mentalitati hodiernae, ita ut impedimentum sint potiusquam adiutorium, fructuosae vitae religiosae.

1. *Institutio superiorum ad vitam.* De se, iam difficile est tale regimen mentalitati nostri temporis tam mutabili, etiam si agitur de auctoritate non immediata. Sed difficilius est certo, si agitur de auctoritate *immediata,* sicut est in monasteriis quorum clausura molestiam talis institutionis graviorem reddit.

Si enim superior ad vitam aspera indole sit, facile intelligitur quantum onerosa evadere potest vita illorum subditorum qui *nullum alleviamentum in futuro* prospicere possunt.

In Ordinibus praesertim in quibus observantiae religiosae iam valde austerae sunt, institutio illa feodalis obsoleta superioris absoluti ad vitam, *in magnum discrimen ponit* aequilibrium, quietem, profectumque animarum, simul ac perseverantiam vocationum.

Postulo ergo ut, etiam his paucissimis antiquioribus Ordinibus ad quos non pervenit renovatio illa canonica, imponatur etiam sine mora sana forma regiminis *cum superioribus ad tempus.*

2. In iisdem Ordinibus doletur quod in Capitulis generalibus generaliter habeatur unice repraesentatio superiorum, et revera istorum superiorum ad vitam.

Postulo ergo instanter ut iis Ordinibus extendatur hodierna institutio

iuridica secundum quam ab inferioribus eliguntur delegati inferiores ita ut isti inferiores vocem suam votaque sua efficaciter manifestare valeant.

Duas has petitiones facio, duplici ratione motus. *Primo,* ob propriam pastoralem *experientiam,* quam comparavi, gravium incommodorum quae in Monasteriis ex his institutionibus superiorum ad vitam et non repraesentationis inferiorum originem habent. *Secundo* ex multiplicibus *instantiis* ad me transmissis ab inferioribus talium monasteriorum; quibus vita religiosa, iam ex se sat austera, intolerabilis redditur regimine illo obsoleto, praesertim ubi clausura tale incommodum quam maxime aggravat.

Ius canonicum hodiernum, ipsa causa vitae religiosae, bonum, quies profectusque spiritualis animarum, tranquillitas etiam episcoporum vere postulant ut hodierna renovatio canonica extendatur etiam quam primum paucissimis his Ordinibus quos adhuc non tetigit. Hoc instanter petens, volui animam meam simul ac optimas animas religiosas liberare.

25

Rev.mus P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

1) Perraro istae propositiones exulunt a modo generico res tractandi; ideo non video quomodo vel quantum conferre possit ad sacram renovationem tam exoptatam Institutorum Religiosorum.

2) Expositio non est bene ordinata et in ea pene ignorantur constitutiones conciliares iam approbatae (*De Sacra Liturgia* et *De Ecclesia*).

3) Relate ad schema in anno elapso distributum, certo certius, expositio paupera facta est misera!

4) Ad singulos numeros: Nn. 1-3: Cum de « accommodata renovatione » sermo fit, opportunum esset declarare quod renovatio non modo Constitutiones et Regulas attingit sed et preces, Sororum praesertim, quae preces debent ad liturgicum et renovatum spiritum aptari! Insuper regula, bene in luce ponenda, ut habeamus veram renovationem, duo amplecti debet: *a*) notionem praeteriti; *b*) notionem praesentis.

Nn. 4-6: Sunt veluti umbra nn. 17-22 praecedentis schematis!

Parum dicitur de vita contemplativa, et bene scimus omnis crisis in eius despectione radices habere!

« Testimonium christianae vitae », obligatio prima religiosorum, e suo loco decessit (habebat numerum proprium, 19 scil., nunc habet locum sat angustum in n. 7)!

De apostolatu Religiosorum vitae activae (n. 6) parum dicitur et plura bona elementa in priori schemate contenta hic non apparent, ita v. g. *a*) ut religiosi apostolatum exerceant fere *specificum* secundum spiritum et regulam Instituti; *b*) ut activitas religiosorum sit magis *directe ecclesialis* et non *vix ecclesialis* uti semper accidere solet; *c*) ut religiosi ad exteras nationes

missi, ad hoc praeparentur ut possint penetrare animum fidelium sibi commissorum (cf. quae ad art. 22 dicebantur, in priori schemate, de religiosis ritus latini apud Orientales!).

Nn. 7-9. Oportet clarius loqui non tantum de paupertate sed et de castitate et de oboedientia (cf. nn. 25-26 prioris schematis). Expositio debet esse *clara* et *positiva.*

Ad oboedientiam quod attinet clare dicatur de eius natura filiali, deque necessitate subditorum, debitis in modis, mentem aperiendi: hoc modo ditior evadit ipsa vita religiosa et augetur sensus vitae communis.

N. 10. Ad reintegrationem conversorum fratrum in vita communitatis, verba non sufficiunt; oportet quaedam practice suggerere, ita v. g.: *a*) de loco eis assignando in communitate (cito, post religiosos sacro Ordine insignitos, secundum professionem!); *b*) de officiis eis assignando cum responsabilitate plena coram fratribus (et non circa viliora tantum exerceantur!); *c*) de participatione, ut membra perfecta, in vita communitatis, praesertim in capitulis conventualibus; *d*) de instructione, *necessario,* illis praebenda. Hoc modo, vel similibus modis, vocationes florescerent et laici redirent ad pristinam figuram laicorum.

N. 12. Consideratum est casus « clergyman » Religiosorum proprium? ... Distinctiones sunt odiosae, sed utile esset scitu si datur possibilitas conficiendi « clergyman » paupertati Religiosorum magis accommodatum!

N. 13. Ad unitatem fovendam, in expositione, bonum esset omnia quae de formatione alumnorum dicuntur, in competenti schemate ponere. Hic tandem notare valet: a) *ad Religiosos quod attinet,* provide et opportune praeparare iuvenes ad futurum ministerium etiam secundum indolem ipsius iuvenis, in quantum possibile; b) *ad Religiosas quod attinet* bonum esset tempus determinare protractae formationis « in domibus aptis » post transactum novitiatum, secus, ratione prementis necessitatis, omnia manebunt uti prostant!

N. 18. Istae conferentiae, meo iudicio, deberent: *a*) excitari in omnibus nationibus; *b*) cum episcopalibus conferentiis semper coniungi ut testimonium unitatis Ecclesiae clarius appareat etiam in unitate cleri.

26

Exc.mus P. D. HENRICUS GUFFLET

Episcopus tit. Calamensis, coad. c.i.s. Lemovicensis

De titulo schematis. Modificetur titulum quia non correspondet materiae schematis.

Etenim, in isto schemate non agitur tantum de vita religiosa, sed etiam de *Institutis saecularibus.*

Atqui termini « saecularis » et « religiosae » in Ecclesia a multis saeculis, ut contrarii opponuntur.

Quaestio de « institutis saecularibus » usque modo non in Ecclesia decisa fuit, an « religiosi » aut « laici » sint.

Propono ergo titulum sic sonans: *De Professione vitae perfectae* aut: *De accommodata renovatione Professionis vitae perfectae.*

Ad n. 7. Cum de votis religiosorum agitur, magna differentia facienda esset inter obedientiam et, ex altera parte, paupertatem et castitatem.

Etenim, in Evangelio, sine dubio, agitur de « Consiliis » *paupertatis* et *castitatis.*

Consilium, ut ab ipso verbo significatur, non obligat in conscientia omnes fideles, non est praeceptum. Est propositio a Domino facta ad quosdam ut ad perfectionem perveniant.

Hoc consilium ut status vitae stabilis proponitur.

Sic de paupertate et castitate; sed, in Evangelio, quando Iesus loquitur de oboedientia, eam semper ut praeceptum ostendit pro omnibus valiturum; immo ut summum praeceptum ad amorem erga Patrem et Filium ostendendum.

Ergo oboedientia non potest Consilium evangelicum dici.

Consequens est vota religiosa non posse aequiparari Consiliis Evangelicis.

Votum religiosum (melius dicerem, in religione aliqua) quando agitur de oboedientia, in eo consistit ut aliquis sese obligare velit ad oboediendum alicui superiori secundum Constitutiones unius aliusve Religionis.

Sed de hoc non video ne unquam allusionem in Evangelio.

Hoc mihi summi momenti videtur ad bene intelligendum quid sit oboedientia in vita religiosa, et consequenter quaenam sint limites et discretio (sensu Sancti Benedicti) auctoritatis superiorum in coetibus religiosis.

27

REV.MUS P. D. BENNO GUT
Abbas Primas O.S.B.

Pag. 10, n. 3, linn. 28: *placet iuxta modum.* Modus autem est sequens. *Loco:* « Efficax autem renovatio et recta accommodatio obtineri nequit nisi cooperantibus omnibus Instituti sodalibus, moderante vero competenti auctoritate »; *dicatur:* « efficax autem renovatio obtineri nequit nisi cooperantibus omnibus instituti sodalibus qui quidem ipsius instituti spiritu imbuti ac vocationis suae memores sese renovare debent quotidie. Novae autem accommodationes a competenti auctoritate tantummodo procedant ».

Ratio modi: Ut clare appareant et distinctio inter renovationem et accommodationem et partes quae in unaquaque sodalibus et Superioribus competant. Ita confusiones vitantur atque omnis abusivae interpretationis occasio; ita, praeterea, quaevis etiam apparens contradictio tollitur inter hunc numerum, in quo pro accommodatione videtur omnium sodalium cooperatio

exigi, et Allocutionem Summi Pontificis Pauli VI, in qua expresse dicitur a « *competenti auctoritate tantummodo ipsa procedat* ».

Pag. 11, n. 5, linn. 3-9: *placet iuxta modum.* Modus autem est sequens. *Loco*: « Instituta vitae contemplativae ... sese renovent »; *dicatur*: « Instituta vitae contemplativae, quae potiores partes (cf. *Lc.* 10, 42) in Corpore Mystico Christi semper habuerunt, etiam hodie sua vivendi ratione ac forma, quae plene totaque apostolica est, uberrimos sanctitatis fructus Ecclesiae afferunt, at etiam in ipsa ratione formaque vitae suae sese renovent ».

Ratio modi: a) Distinctio inter vitam contemplativam et activam, ac illius super hanc praelatio sunt in textu litterali *Lc.* vere implicatae atque in traditione patristica et in doctrina S. Thomae saepissime inculcatae et demonstratae (cf. ex. g.: *Origin. in Lc.* frag. 39 [Rauer, 251, 34] in *Lc. Hom.* 1 [*ibid.* 9, 26]; S. AMBROS. *Exposit. in Ps.* 118, 11, 11 [*CSEL.,* LXII, 1913, p. 239]; S. AUGUST. *Serm.* 103-104 [*PL* 38, 613-618]; CASSIAN. *Collat.* I, c. 8 [*PL* 49, 490-492]; POMER. *De vita contempl.* lib. I, c. 8, 12 [*PL* 59, 423-428]; S. GREGOR. *Moral.* lib. VL, c. 37, n. 57 [*PL* 75, 761]; S. TH. 2, 2, qq. 81, a. 1 ad 5; 179, a. 1; 188, a. 3 etc.);

b) ut affirmetur contra nonnullorum placita « absolutissimum vitae contemplativae quam vocant institutum ..., quod per tot saecula incolumen in coenobiis exstiterat », etiam hodie « multo plus ad Ecclesiae incrementum et humani generis salutem conferre ... quam qui dominicum agrum laborando excolunt » (PIUS XI, Const. *Umbratilem: A.A.S.* [1924], p. 389; cf. S. PII X, Litt. *Communis vobiscum*: *A.A.S.* [1910], pp. 10-11; PII XII, *Sponsa Christi: A.A.S.* [1951], pp. 15-16; Litt. *Quemadmodum Decessor: A.A.S.* [1941], p. 490; All. radioph. ad Moniales: *A.A.S.* [1958], pp. 563 sq., 572 sq., 581 sq.; IOANNIS XXIII, Litt. Apost. *Causa praeclara: A.A.S.* [1962], p. 566).

Pag. 11, n. 6, linn. 11-12: *placet iuxta modum.* Modus autem est sequens. *Loco*: « In Institutis vitae activae tam laicalibus quam clericalibus, opera ... »; *dicatur*: « In Institutis vitae activae tam clericalibus quam laicalibus in quibus fratres et sorores vel christianam iuventutis eruditionem vel alia ministeria fortiter navant, opera ... ».

Ratio modi: Magni interest operae Fratrum docentium, quos vocant, pretium facere in Schemate etsi brevissima formula: *a*) ut omnes clare dignoscant eos educationis apostolatu, ad quem fortiter et naviter exercendum etiam sacerdotii gaudiis valedicunt, in curis Ecclesiae pastoralibus propriam partem habere; *b*) ut eorum ministerium, quod Instituti finem constituit vere specificum, ab omnibus retineatur « sanctum ministerium ab Ecclesia ipsis commissum eiusque nomine exercendum ».

Haec Fratrum docentium mentio habebatur iam in primis Schematibus, sed in actuali, quod dolendum est, huiusmodi mentio non apparet; verba autem proposita brevitatis legi minime videntur officere et ad difficultates peculiares tollendas, quas haec Instituta experiuntur in praesentibus, multum conferrent.

Pag. 13, n. 11, linn. 18-19: *placet iuxta modum.* Modus autem est sequens. *Post verba:* « illi qui conversi vel alio nomine ... arctius coniungantur »; *dicatur:* « Illi qui conversi vel alio nomine appellantur et quorum authentica vocatio religiosa ab omnibus magni facienda et promovenda est, vitae et communitatis operibus arctius coniungantur ».

Ratio modi: quia authenticus valor supernaturalis huius vitae humilis et absconditae hodie a multis iam non intelligitur et iam in hoc campo exsistit seria crisis vocationum.

Pag. 13, n. 11, lin. 21: *placet iuxta modum.* Modus autem est sequens. *Post verba:* « ... in institutis mulierum ... », *haec addantur vel similia:* « Si vero diversi ordines personarum aliquando necessarii videantur, illa tantum personarum retineatur diversitas, quam diversarum operum distinctio exigat ad quae sorores vel speciali Dei vocatione vel speciali aptitudine destinentur, semper tamen omnium sororum eadem vitae ratione servata ».

Ratio modi: Quia si ex una parte rerum natura et ordo in ministeriis exercendis aliquando postulare videantur diversos personarum ordines in Institutis, ex altera vero condiciones sociologicae horum temporum et caritas fraterna postulant ut haec diversitas intra debitos limites contineatur et eadem sit forma et vitae ratio omnium sororum quae eamdem professionem sectantur et eamdem matrem habent Religionem.

28

Rev.mus P. D. BASILIUS HEISER
Minister generalis O.F.M. Conv.

Observationes generales. Optimo consilio schema ad res essentiales contractum est, quia Constitutiones Ordinum et Congregationum a Sede Apostolica his ultimis annis adprobatae generatim accommodatam renovationem secundum documenta pontificia iam continent.

Alia ex parte, accommodata renovatio inducenda, debet fovere perfectionem evangelicam religiosorum, ideoque disciplinam regularem, observantiam Constitutionum, exercitium virtutum religiosarum, unionem cum Deo, etc.

E contra, omnino aliena a mente Concilii est accommodata renovatio quae disciplinam regularem relaxaret, exercitium virtutum impediret, auctoritatem Superiorum internorum minueret, vitam interiorem excluderet, etc.

Observationes particulares. Ad n. 1, lin. 9: loco « Sancta Matre Ecclesia », dicatur: « Apostolica Sede », quia prima formula est nimis generica; potest quidem significare « Sacram Hierarchiam », sed iudicium dare in concreto de natura accommodationis in singulis casibus pertinet ad Congregationem de Religiosis.

Ad n. 1, lin. 10. Dicatur: « secundum Christi sequelam et Evangelii consilia votis firmata ». Equidem regula suprema imprimis est imitatio Christi

Domini; Evangelium autem continet praecepta et consilia; illa ab omnibus servanda, haec vero omnibus proponuntur, sed tamquam regula suprema accommodationis habentur solummodo consilia fundamentalia quae votis firmantur.

Ad n. 1, lin. 11. Dicatur: « Fundatorum praeceptis (monitis) », loco « propositis », quia Fundatores plura poterant habere proposita, quae nec ipsi ad actum adduxerunt, nec filiis mandarunt ut exsecutioni traderent, utpote non necessaria pro omnibus ad finem assequendum; e contra in accommodatione prae oculis haberi debent Fundatorum praecepta vel monita.

Ad n. 2, lin. 16. Non intelligitur quo sensu ratio vivendi, operandi et orandi aptari debeat hodiernis sodalium conditionibus « psychicis ». Huiusmodi enim conditiones non mutantur secundum loca et tempora, sed vel sunt normales, vel aliquo defectu laborant; e contra, saepe mutatur mentis habitus, animi inclinatio, et quidem vel in bonum vel in malum.

Ad n. 4. Hic numerus ponatur vel post n. 1, cum quo nexum habet, vel post n. 9, uti finis ad quem assequendum tota accommodata renovatio tendere debet.

Ad n. 5. Rubrica loquitur de « fovendis » institutis vitae contemplativae; in textu autem verbum omittitur, et indicatur solummodo momentum vitae contemplativae. Ideo dicatur: « *Foveantur* instituta vitae *unice* contemplativae, quae suas partes ... ». Additur « unice », quia etiam alia instituta vitam contemplativam colere debent.

Ad n. 6. Proponitur novus textus: « Etiam instituta vitae activae, tam clericalia quam laicalia, vitam contemplativam colere debent; ideo opera caritatis et apostolatus, quae finem vere specificum ab Ecclesia adprobatum constituunt, a sodalibus ita adimpleantur, ut caritatem ipsam erga Deum et proximum fovere et augere possint ». *Ratio est:* textus, ut iacet, indirecte saltem negat Instituta vitae activae de vita contemplativa cogitare debere; alia ex parte non constat de incompatibilitate inter vitam contemplativam et opera caritatis vel apostolatus, dummodo omnia rite ordinentur et exsercitium operum non impediat vitam interiorem.

Ad n. 7. Non intelligitur quomodo religiosi debeant sese renovare in obedientia, castitate et paupertate. Nonnulli quidem putant quod modo religiosi debeant obedire solummodo quando superior praecipit ea quae ipsis rationabilia videntur; quod castitatem servare quidem debeant, sed eodem tempore eis liceat omnia videre, audire, inspicere; quod etiam vitam pauperem ducere debeant, sed tamen nihil quoad victum, vestitum et commoditates deficiat. Aliis verbis, accommodata renovatio hic in virtutibus seu votis consisteret in quadam emancipatione ab humilitate, mortificatione, asperitate vitae religiosae, etc.

Ad n. 10. Desideratur conceptus canonicus vitae communis, quae videtur exigere cohabitationem plurium sub eodem tectu, sub immediata auctoritate eiusdem Superioris, qui eadem mensa utantur, exercitia pietatis principaliora simul peragant ...

Ad n. 11. Novus proponitur textus: « Clausura papalis maior pro omnibus monialibus vitae unice contemplativae firma maneat; clausura vero papalis minor pro monialibus quae operibus externis apostolatus ex instituto deditae sunt, accommodetur iuxta temporum locorumque conditiones, prae oculis tamen habitis Apostolicae Sedis praescriptis. Etiam Regularium virorum clausura papalis firma maneat. In omnibus denique domibus religiosis, sive virorum sive mulierum, clausura episcopalis religiose servetur ». *Ratio est:* Moniales votorum solemnium non intelliguntur seu non admittuntur absque clausura papali; si unicae vitae contemplativae, clausura debet afficere totum monasterium; si etiam operibus externis incumbunt, tunc clausura minor accommodari poterit secundum naturam operum; in utroque casu Sedes Apostolica sat consulit exigentiis monialium, sive quoad egressum, sive quoad extraneorum ingressum. Item proponitur ut in aliis domibus religiosis clausura episcopalis servetur, ideo ut excludatur ingressus mulierum in domos religiosorum, et virorum laicorum in domos religiosarum. Clausura enim omnino necessaria videtur, sive ut suspiciones removeantur, sive ut pericula vitentur, sive ut moniales vitam pacificam seu quietam ducere possint, etc. Nonnulli non possunt videre crates in monasteriis monialium; sed crates etiam sensum religiosum habent, sunt signum separationis a mundo, et multa in Ecclesia deberent deleri si ratio « signi » non haberetur.

Ad n. 16. Aliud est « languescere » et aliud « spem incrementi » non dare. Languescunt instituta quae vix vitam ducere possunt, quae opera propria vel alia opera apostolatus adimplere nequeunt, quae decrescunt quoad numerum, etc. E contra etiam instituta et monasteria sat solida possunt « spem incrementi » non dare, quia non possunt numerum sodalium augere, v. g. monasteria, vel non possunt alia opera assumere. Ideo textus mutari debet, v. g. dicatur: « Instituta vero et monasteria languescentia, quae iudicio Apostolicae Sedis nullam amplius praebent fundatam spem incrementi et renovationis ... ».

Ad n. 19. lin. 24. Addatur quod parentes nullo modo filios inducere possunt ad statum religiosum amplectendum si divina vocatione carent, vel ob rationes temporales.

De pastorali episcoporum munere in Ecclesia.

Ad n. 31, linn. 15-16. Exhortatio ut religiosi « ad externa quoque apostolatus opera impensius accedant », non videtur necessaria. Equidem, notorium est quod Religiosi Ecclesiam Dei etiam effuso sanguine plantaverunt in Asia, Japonia, Africa, America et etiam in Europa; quod etiam hodie operibus apostolatus forse nimis incumbunt, etiam cum detrimento vitae spiritualis; nec potest exigi ut religiosi valedicant operibus propriis, quae semper in bonum animarum cedunt, et assumant opera dioecesana.

Ad n. 32. Admitti potest quod religiosi sacerdotes « quadam ratione ad clerum dioecesanum pertinere dicendi sunt » (lin. 20), et etiam alii religiosi « peculiari ratione ad familiam dioecesanam pertinent » (lin. 23-24); salvo

tamen iure Superiorum eos mutandi ab una ad aliam domum, ab una ad aliam provinciam vel regionem, quia religiosi stricte pertinent ad Institutum, ad provinciam vel ad domum religiosam, et in omnibus subiacent proprio Superiori, educantur et formantur ab ipso Instituto ut operibus propriis incumbant, etc. Consectaria quae deducuntur ex pertinentia religiosorum ad clerum dioecesanum vel ad familiam dioecesanam haud componi possunt cum tota vita et organizatione iuridica status religiosi.

Ad n. 33, lin. 3. Exemptio pontificia non respicit « potissimum » « ordinem internum » Institutorum, sed ordinem externum. Equidem, quoad regimen internum, quoad ordinem internum, quoad vitam internam, disciplinam, formationem, etc. omnia Instituta religiosa, sicut omnes personae morales in quolibet iure, *plena gaudent autonomia* ab auctoritate episcoporum, exceptis institutis iuris dioecesani. Exemptio respicit ordinem externum, idest exercitium operum quae nexum habent cum cura animarum, necnon ea quae ad ordinem publicum pertinent. At etiam quoad huiusmodi opera, praesertim si non propria Instituti, Episcopi non possunt libere disponere de religiosis, « prout horum pastorale munus perfungendum et animarum rite ordinanda curatio requiritur », quia religiosi stricte sunt membra Instituti, subditi Superiorum internorum, et non possunt acceptare opera absque consensu Superioris, nec adimplere independenter a vigilantia Superioris.

Ad n. 33, lin. 4: « varia apostolatus opera » intelligi debent stricto sensu, idest opera quae per se iure proprio et exclusivo Episcopo reservantur. Consequenter opera quae vel a Statu vel a laicis legitime exerceri possunt, non recensentur inter opera apostolatus ob solam rationem quia a Religiosis eriguntur et exercentur, uti officinae librariae, scholae, etc., excepto iure Episcopi quoad « imprimatur » et quoad catecheticam institutionem.

29

Exc.mus P. D. ADAM KOZLOWIECKI
Archiepiscopus Lusakensis

Toto animo adhaerens eis, quae heri ab em.mis et exc.mis Patribus, et praesertim a cardd. Camara, Ruffini, Döpfner et Bea super hoc schema dicta sunt, liceat mihi desiderium exprimere, ut in hoc schemate clare exprimatur munus episcopi tamquam pastoris — immo melius *patris* pro omnibus in sua dioecesi, — cum omnibus ex hoc sublimi munere profluentibus tam iuribus quam et obligationibus.

Loquor nomine meo tantum, scio tamen me exprimere affectus multorum episcoporum qui simul membra familiarum religiosarum sunt, et permultorum religiosorum, qui non parvo dolore affecti sunt, cum audierunt non tantum in hoc schemate, sed et in aliis, praesertim vero in schemate *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia* — hanc imaginem episcopi utpote patris

familiarum religiosarum, quae in eius dioecesi vivunt, orant et laborant, non satis clare apparere.

Peto itaque, ut in praesenti schemate haec, vel similia verba appareant: « Episcopus religiosas familias et alia instituta perfectionis acquirendae in sua dioecesi domos habentes, paterno amore et sollicitudine amplectatur, eas in eorum necessitatibus adiuvando, et — si necesse sit — etiam paterne corrigendo. Religiosi vero et religiosae episcopum non tantum honore prosequantur, sed et ut patrem ament, pareant et totis viribus adiuvent ».

Cum homines sumus — clare declarentur iura et obligationes mutuae tum Episcoporum erga suos filios et filias in familiis religiosis, tum religiosorum et religiosarum erga eorum patrem-episcopum.

Inter iura religiosorum et religiosarum uni tantum, quod tamen nullo modo unicum est, in praesenti schemate providetur, scl. iuri vivendi et vitam sui Instituti conservandi per acquisitionem vocationum (vide art. 20 « De vocatione religiosa fovenda »).

Valde gaudeo hoc ius ad vocationes religiosas fovendas a Concilio Oecumenico tam clare declaratum esse in art. 20 « etiam in praedicatione ordinaria, saepius agatur de Consiliis Evangelicis et de statu religioso amplectendo » ... ac: « Institutis autem fas est sui notitiam, ad vocationes fovendas, divulgare atque candidatos quaerere, dummodo hoc fiat cum debita prudentia et servatis normis a Sancta Sede et Ordinario loci traditis ».

Heri audivimus in hac aula de abusibus religiosorum in vocationibus quaerendis, qui — ut dictum est — viam Consiliorum Evangelicorum, tamquam unicam viam perfectionis evangelicae alicubi praesentabantur. Tales abusus deploro. Recriminationes tamen tamquam inutiles, immo nocivas censeo, quia recriminationes tantum ad reciprocas recriminationes ducunt, et ego ipse nosco casus in quibus aliqui Religiosi abusus, eorum, immo etiam Spiritus Sancti libertatem, in vocationibus religiosis excitandis restringentes passi sunt.

Nos, episcopi, in servitium Populi Dei constituti sumus, et Religiosi — vocante Spirito Sancto — in servitium Ecclesiae Dei vocati sunt, insuper et partem gregis nobis a Domino commissi constituuntur.

Tam multa in hac aula audivimus de *collegiali* charactere muneris episcopalis. Huic aspectui muneris episcopalis — si Summo Pontifici eum vi Sui muneris Summi Pastoris, sine quo nullum adest Collegium, confirmare placebit — toto animo adhaerebo, cum omnibus consectariis. Unum ex his consectariis est, quod unusquisque nostrum *primario* in servitium *totius* Ecclesiae Dei costitutum esse, — et *secundarie* tantum, et ex voluntate *Summi Pastoris,* nobis Ecclesias particulares commissas esse. Ideoque religiosos et Instituta religiosa ad bonum Ecclesiae *Universalis* Spiritu Sancto inspirante et Ecclesia approbante vocatos, tamquam adiutores in obligatione nostra erga Ecclesiam *Universalem,* et non tantum uti competitores in sollicitudine nostra erga Ecclesias particulares nobis commissas aspicere debemus. Aliqua Instituta iuniora timent, ne eis difficilius evadat suscitatio vocationum pro eorum

labore pro Ecclesia Universali, si Dioecesibus particularibus ex constitutione sua non inserviunt. Sed ubi esset hodie Africa sine e. g. Missionariis Africae (vulgo « White Fathers »), qui praesertim in Europa et Canada iuvenes colligunt, eosque mittunt non in dioeceses suas nativas, sed in dioeceses Africae?

Certe, cavendum nobis est ne sub specie libertatis — etiam in vocationibus promovendis — anarchia irrepat. Ideoque huic periculo Commissio ad Codicem Iuris Canonici recognoscendum sapientibus legibus provideat. Ex altera tamen parte cavendum nobis etiam est ne bono Ecclesiarum particularium bonum Ecclesiae Universalis subiiciatur. Spiritus ubi vult flat, Spiritus Sanctus est auctor uniuscuiusque vocationis tam sacerdotalis, quam et religiosae, — et etiam missionariae. Tam multa de libertate religiosa pro non-Catholicis diximus. Ad periculum anarchiae praecavendum ne introducamus restrictivas leges quasi dictaturae, sed relinquamus aliquantulum saltem libertatis ovibus Ecclesiae — immo etiam Spiritui Sancto. Spiret sibi, ubi vult, et nos — Episcopi — patres amantes simus toti gregi Dei, Familiis Religiosis et Membris Institutorum a Spiritu Sancto in servitium Dei et Fratrum vocatorum non exclusis.

Aliae animadversiones additae:

In primis placet quod in additione ad caput speciale « de religiosis » in schemate *de Ecclesia,* insuper habetur schema speciale *de religiosis:* sicut enim episcopi et laici specialia capita in schemate *de Ecclesia* habent, et deinceps quaestiones quae non sunt doctrinales sed practicae et disciplinares tractantur in propriis schematibus ita etiam optimo iure quaestiones doctrinales de religiosis speciali capite in schemate *de Ecclesia* erant tractandae, quaestiones vero practicae et disciplinares in proprio schemate *de religiosis.*

Hoc autem speciale schema practicum et disciplinare *de religiosis* in genere placet et retinendum est. Aliqua autem videntur emendanda:

1. Ita optimo quidem iure est sermo de necessitate adaptationis et reformationis; tamen evitanda est impressio ac si fere omnia hodiedum essent adaptanda et reformanda. Omnia enim elementa substantialia vitae religiosae immutata conservanda sunt et etiam multa elementa practica quae per se mutabilia sunt, nulla profecto reformatione indigent. Optimum fructum enim hucusque dederunt nec ergo est cur nunc immutentur.

Providendum ergo est, ut post generalem confirmationem et laudem concretae vitae religiosae hodiernae clare dicatur aliqua tantum seu pauca puncta necessario vel utiliter vel opportune hodie esse reformanda.

2. Secundo clarius dicatur quod cura externa apostolatus numquam diminuere debet ipsorum religiosorum et religiosarum vitam internam et spiritualem. Semper in Ecclesia erunt, qui sortem Marthae habebunt, sed simul etiam semper et necessario in Ecclesia erunt quos Dominus ad sortes Mariae vocat. Sed bene retineamus oportet quod secundum verbum ipsius Domini nostri « Maria optimam partem elegit ». Datur ergo bonum et melius

et optimum in Ecclesia et nihil omnino faciendum est quod meliorem et optimam partem Mariae ex Ecclesia auferret.

Ut autem omnes erroneos conceptus a limine arceantur, propono ut in schemate introducantur clarissima verba Pauli Papae VI, quae hoc anno in solemni allocutione protulit et quae directe ad hanc materiam spectant: « In Institutorum (Religiosorum) renovatione procuranda, semper cura habenda est, ut spirituali sodalium vitae praecipuae semper partes tribuantur. Quare apud religiosos omnes, quorum munus est sacri apostolatus muneribus vacare, omnino nolumus, falsa illa quicquam valeat opinio, operibus externis primas dandas esse curas, intimae vero perfectionis studio secundas, quasi id aetatis huius ingenio et Ecclesiae necessitatibus postularetur ». (Ex Allocutione solemni Pauli Pp. VI, die 23 maii 1963 ad religiosos habita.)

3. Tandem propono ut disertis verbis statuatur, quod in opere adaptationis et reformationis larga libertas ipsis Institutis relinquatur.

Multa hisce diebus audivimus de libertate religiosa. Absurdum ergo esset si in hac nostra materia legislationem nimis restrictam et angustam proponeremus et libertatem Religiosorum et Religiosarum coarctaremus. Amplum, e contra, locum praebeamus fiduciae et libertati filiorum Dei, qui Spiritu caritatis adiuti in multis rebus sanctitati et efficaciae propriorum Institutorum melius providere poterunt quam littera iuridica quasi ab extrinseco coacti.

Schema nostrum hunc defectum in genere evitat, sed cum ad futuram legislationem praeparandam in primis proponitur, non abs re erit, ut principium de libertate relinquenda modo valde claro et explicito in schemate nostro statuatur.

30

EXC.MUS P. D. ALOISIUS LORSCHEIDER
Episcopus Angelopolitanus

Scopus schematis videtur esse renovatio et accommodatio religiosorum ad praesentes vitae condiciones. Hoc sensu verumtamen inspecto, *doctrinaliter* loquendo, valde debilis apparet. Desunt rationes theologicae, desunt fundamenta dogmatica.

Integrum caput nimis iuridicum et disciplinare est et nihil aliud facit quam repetere aspectus asceseos traditionalis.

Schema igitur cum praemissis a Concilio positis non concordat. Concilium nostrum tot dixit de mysterio Christi, de mysterio Ecclesiae, de loco Episcoporum in Ecclesia, de loco populi Dei, laicorum ... Maxime igitur deceret ut huic Schemati « de Religiosis » praeluceret mysterium Christi et mysterium Ecclesiae necnon dicta de Episcopis, de populo Dei, de laicis. A. v. oporteret schema tali modo conficere ut pateret fundamentum eius christologicum et ecclesiologicum, nam vita religiosa tantum bene potest intelligi in sua habitudine ad mysterium Christi et Ecclesiae. Verum est perplura haberi in constitutione *de Ecclesia,* sed hic opportunum esset ea breviter meminisse

et ut fundamentum totius schematis ponere. Nam istis praemissis, deduci potest obligatio ad sanctitatem personalem, cum religiosi munus assumant repraesentandi vividius sanctitatem Christi et Ecclesiae; possent quoque deduci obligationes religiosorum erga Ecclesiam, cum religiosi totaliter in servitium Ecclesiae propter Dei et proximi amorem stare debent.

Praeterea mihi videtur deesse in hoc schemate fundamentum biblicum quod in aliis schematibus tam explicitum semper est.

Uno verbo, schema hoc propositionum *de religiosis* ut publicatio quaedam pia apparet, cui desunt elementa concreta et fundamentalia.

Magis nunc in specie. N. 4, pag. 5: melius staret in initio. Oportet proficisci ex argumentis principalibus et descendere postea ad secundaria.

N. 9, pag. 6: videtur supponere bona pertinere ad Religiosos et non ad Ecclesiam. Immo videtur supponere Religiosos ipsos non pertinere ad Ecclesiam. Quid in hoc numero seu articulo intelligitur per « Ecclesiam » (lin. 28)? De cetero, deest sensus positivus pro paupertate.

Praeterea plura desiderarentur *quoad oboedientiam.* Sine quidem ullo dubio si agitur de renovatione vitae religiosorum, oportet offerre verum sensum oboedientiae. Thema est valde actuale, immo urgens. Oboedientia quoque deberet habere sensum christologicum (ut insinuatur sub n. 7, lin. 17) et ecclesialem.

Credo, uno verbo, maxime conveniens esse si paragraphus quaedam specialis conficeretur de unoquoque voto.

N. 2, pag. 5: sermo fit de renovatione spirituali. Dicendum tamen videtur renovationem religiosorum *sub plano quoque humano valde necessariam esse.* Oporteret indicare modo positivo omnia quae necessaria sunt pro renovatione in isto plano humano.

N. 18, pag. 8: inter religiosos opera apostolica deceret melius coordinari. Si hoc non fit, tunc evenit ut duo Ordines vel Instituta, in eodem loco, idem opus perficiant. Collaboratio cum Episcopis etiam valde necessaria apparet. Quamobrem in conventibus Episcoporum aliqua Commissio Religiosorum praesens esse deberet.

Demum ad generalia redeundo quaero utrum in hoc schemate propositionum « de Religiosis » revera problemata moderna, actualia tangantur?

31

Exc.mus P. D. CORNELIUS LUCEY

Episcopus Corcagiensis et Rossensis

I. Impossibile est nimis aestimare quantum religiosi his temporibus contribuant et ad aedificationem totius Corporis Christi et in bonum Ecclesiarum particularium. Contributio eorum non mere in orationibus et in propriae vitae exemplo consistit, sed etiam in multiplicibus apostolatus operibus, quibus tot religiosi sese tam generose dedicant. Quando inter Episcopos de Reli-

giosis mentio fit, in mente fere semper veniunt soli Religiosi *clericales*. Qui tamen non sunt nisi minima pars eorum qui nomine Religiosorum decorantur. Habemus enim et varias congregationes fratrum non-clericalium. Habemus etiam praesertim varias congregationes et ordines mulierum religiosarum. Mulieres religiosae non tantum sunt numero plures quam viri religiosi, sed earum opera apostolica sunt multo magis diversa, extensiva et laboriosa quam opera virorum religiosorum, tam in ecclesiis diu conditis quam in locis missionum. Propono igitur ut hae moniales et sorores, quae revera diaconissae Ecclesiae huius temporis sunt, mentionem specialem et commendationem specialem ab hoc Concilio recipiant. « Procul et de ultimis finibus pretium earum » (*De Parabolis,* XXXI).

II. Hoc Concilium finem primario pastoralem habet. Inter opera pastoralia sunt plura quae soli sacerdotes perficere possunt. Sed eheu, gravissima adest penuria sacerdotum nostris temporibus pro opere pastorali in multis orbis partibus, dum e contra in aliis partibus sunt domus sacerdotum religiosorum qui vitae contemplativae non sunt addicti, quique tamen, utpote sine cura animarum, vel parvam vel nullam opportunitatem habent opus pastorale faciendi. Quantum lucrum animarum cessans et quam omnino indebite! Sacerdotes omnes, etiam sacerdotes religiosi, vi sacrae ordinationis sunt et ipsi cooperatores providi ordinis episcopalis. Quare in illis praesertim locis locari debent in quibus eorum cooperatio maxime requiritur pro cura animarum et pro operibus apostolatus. Ubi populo Dei magis necessarius, ibi sacerdos providus esse debet.

Propono igitur ut Concilium sacerdotibus religiosis idem statuat quod pro sacerdotibus statuitur in Schemate « De Vita et Ministerio Sacerdotali », id est, ut, quandocumque in aliqua domo vel regione plures dentur sacerdotes quam qui ibi fructuose in apostolatu laborare possint, a Superiore mittantur in locos in quibus eorum servitium magis requiratur. Si hoc fiat, ille phenomenon triste, et quidem scandalosum, cessabit quo una urbs vel regio ita copia gaudet sacerdotum ut unus adsit sacerdos pro sex vel septem centum fidelium, dum in aliis dioecesibus vel regionibus non est nisi unus sacerdos pro quinque vel etiam quindecim millibus animarum. Distributio huiusmodi religiosorum, secundum necessitates apostolatus pastoralis Ecclesiae Dei, indubitanter exiget deminutionem numeri et sodalium et fortasse etiam domuum quae in aliquibus regionibus sive ab Ordinibus sive a Congregationibus iam fundatae sunt. Sed pro hac deminutione quanta compensatio tam Ordini vel Congregationi quam Ecclesiae Dei in expansione quae alibi oritura est. Quare valde urgeo paragraphum ad hunc effectum in hoc Schemate inserendam esse, cui titulus: *Cleri religiosi aptior distributio.* Textum autem huius paragraphi ad Secretariam transmitto.

Textus est: « Ad apostolatus hodierni necessitatibus melius consulendum, aptior cleri religiosi distributio desideratur et, firmis semper manentibus vitae religiosae fundamentis, quamprimum effici debet. Sacerdotes religiosi domuum quae maiori sodalium copia ditantur, libenter se praebeant

paratos, Superiore hortante et disponente, ad suum ministerium exercendum in domibus vel regionibus vel missionibus quae penuria sacerdotum laborant. Ius et officium est Superioris Maioris una cum Ordinariis locorum ad quos pertinet, discernendi ubi et quousque in aliqua domo adsit sacerdotum superfluitas relate ad necessitates loci pastorales, itemque discernendi ubi et quomodo hi sacerdotes superflui disponi possint meliori cum commodo apostolatus Ecclesiae universae ».

Quis vero iudicabit utrum in aliqua regione adsit superfluitas sacerdotum vel domuum? Mea opinione, responsio debet esse: Superior Religiosus *una cum* loci Ordinario. Ius et officium Superioris in re per se patet. Ius et officium Ordinarii loci ex eo demonstratur quod ipse est in lege moderator et coordinator omnium operum apostolatus in dioecesi sua, et ideo munus habet et inquirendi et aestimandi tum necessitates pastorales fidelium, tum auxilia quibus sacerdotes dioecesani egeant a religiosis in dioecesi eo ut his necessitatibus efficaciter et fructuose satisfieri possit. Praeterea cum consensus Ordinarii loci iam requiritur antequam domus religiosa fundetur, nullum novum principium introducitur in iure si Ordinarius constituatur co-iudex in discernendo quantum in aliquo loco, decursu temporis, religiosi eorumque activitates contribuant ad apostolatum dioecesanum.

Haec dicendo, non urgetur querela quasi sacerdotes religiosi partem maximi momenti iam non agant in operibus evangelisationis et in regionibus diu catholicis et in terris missionum. Sed forsitan adhuc maiorem partem agere possint! Quaestio est fundamentaliter quaestio facti, i. e. utrum in aliquibus locis plures dentur sacerdotes religiosi qui nullam animarum curam exercent dum in aliis locis detur inopia operariorum pro messe. Scimus omnes pro certo res ita se habere. Cur cunctamur, ergo, requirere a clero religioso quod a clero dioecesano requirimus alibi in constitutionibus nostris, i. e. aptiorem distributionem? In re tam magni momenti pro Ecclesiis novellis vel languescentibus oportet ut nos omnes, Superiores Maiores aeque ac Ordinarii locorum, examen conscientiae sincerum ac profundum faciamus.

32

Exc.mus P. D. FREDERICUS MELENDRO
Archiepiscopus Nganchimensis

Schema *puncta essentialia* sub brevissima forma proponit. Continet *decem et novem* articulos vel numeros, ex quibus *decem* tribus vel quatuor lineis tantum constant. Plura omittit quae ad Codicem Iuris Canonici vel ad instructiones Sanctae Sedis remittuntur.

Ut notum est Schemata huiusmodi generatim exponere debent *principia fundamentalia,* necnon *generales normas* indolis practicae.

Schema nostrum *de Religionum ... vita et disciplina agere intendit* (pag. 5, linn. 4-5): de facto vero agit de Religiosorum accommodata renovatione, prout declaratur numeris 1. 2. 3. 5. 6. 7. 8. 9. 11. 12. 13. 15.

His notatis, quaedam *ad Schema perficiendum* indicare placet.

N. 2, pag. 10, lin. 15, post verbum constituunt additio proponitur haec: « ... constituunt: ideoque nulla disciplinae renovatio inducenda est, quae cum Instituti natura non congruat aut a mente Conditoris quoquo modo discedat »: Paulus VI, Alloc. ad Cap. Gen. Relig., 23-V-64.

N. 2, pag. 10, linn. 15-18 legitur: « At ratio vivendi, operandi et orandi hodiernis sodalium conditionibus physicis et psychicis, necnon apostolatus necessitatibus, animi culturae requisitis et circumstantiis socialibus et oeconomicis, praesertim in locis missionum aptanda est ».

Renovationis normae, hac paragrapho contentae, complexae, obscurae, periculosae plane apparent.

Complexae, nam sodalium conditiones physicae et psychicae multae dantur et quidem valde inter sese discrepantes: animi culturae requisita, multiplicia et variabilia sunt: circumstantiae sociales et oeconomicae etiam valde diversae de facto dantur.

Obscurae, utpote quae valde genericae et abstractae sunt.

Periculosae, quia sodalibus facilem materiam praebebunt quaerelarum contra disciplinam religiosam, quae iuxta eorum mentem, postulatis hodierni temporis minime erit aptata; et quia fundantur magis in exigentiis naturae lapsae, quam in principiis asceticae et spiritualitatis christianae, quae sunt perennia.

N. 2, pag. 10, linn. 18-21, legitur: « Quapropter, prout necessarium fuerit, Constitutiones, " Directoria ", " Consuetudinaria ", libri precum et caerimoniarum, aliique id genus codices congruenter recognoscantur ».

Haec supprimenda videntur: nam in renovatione agenda haec omnia, ut patet, subintelliguntur.

N. 3, pag. 10 linn. 26-31, legitur: « (A quibus accommodata renovatio sit perficienda). Efficax autem renovatio et recta accommodatio obtineri nequeunt nisi cooperantibus omnibus Instituti sodalibus, moderante vero competenti auctoritate ».

Ad haec observare oportet: Ut renovatio in quacumque religione vel communitate reapse detur, maxima religiosorum pars eam absque dubio acceptare eique sese accommodare debet. Attamen renovatio et normarum Religionis ad eam accommodatio a legislatione pendent: haec autem recte ordinare et fideli executioni accommodare, competentis auctoritatis proprium est.

Ideo hic art. vel n. 3 melius mutari poterat hoc modo: « Disciplinae renovatio postulat, ut a competenti auctoritate tantummodo procedat. Religiosi autem sodales ne quidquam proprio marte inducant, neve disciplinae habenas laxent, vel censuris indulgeant: sed ita se gerant ut, fidelitate et obedientia, renovata cum gaudio acceptent et exsequantur »: Paulus VI, Alloc. superius citata.

N. 4, pag. 10, linn. 32-39, legitur: « Perfectio amoris Dei et proximi ante omnia quaerenda). Omnes qui evangelica consilia profitentur, credentes

" caritati quam habet Deus in nobis " (*1 Io.* 4, 16), ante omnia assiduo studio fortique animo consequi nitantur perfectum Dei amorem, ex quo proximi dilectio profluit in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem ».

Hoc principium pro omnibus et singulis valet: quippe qui omnes, per exercitium perfectae dilectionis Dei et proximi, ad sanctitatem acquirendam tenentur.

Proponitur ergo ut hic N. hac vel simili ratione mutetur: « Omnes, qui Evangelica Consilia profitentur, per fidelem ac quotidianam proprii Instituti Constitutionum et Regularum observantiam, illam Dei et proximi dilectionem assiduo fortique animo consequi nitantur, cui se votis et totali sui consecratione devoverunt: memores se teneri semper sollicitos esse illorum quae Domini sunt, quomodo placeant Deo (*1 Cor.* 7, 32) ».

N. 5, pag. 11, lin. 3, legitur, *suas partes.* Optatur ut potius dicatur: *praeclaras partes.*

Ibid. lin. 6, post vocem *sanctitatis,* addatur, *et apostolatus.*

Ibid. lin. 7, legitur: « At etiam ipsa in ratione formaque vitae suae sese renovent ». Haec non placent, exprimunt enim ideas aliquantulum vagas. Forte melius est ea supprimere et in eorum locum addere quae sequuntur: « In renovatione, firmis omnibus potissimis Instituti elementis, quoad ea quae externa et adventitia censentur, illae caute prudenterque ad hodierna adiuncta accommodationes inducendae erunt, quae cuique Instituto pleniorem sanctitatis et apostolatus efficacitatem tribuere poterunt »: PIUS XII, Const. Apost. *Sponsa Christi,* n. 25.

N. 11, pag. 13, lin. 12 sqq. In hoc numero putamus necessarium principium clare exponendum esse. Scilicet, essentialis necessitas, quae datur in multis Institutis, tum mulierum tum virorum, conservandi classium diversitatem. Aliter, permultae vocationes amitterentur. Dantur enim viri et mulieres, qui necessariis dotibus ad unam tantum classem carentes, libentissime tamen amplecti volunt inferiorem classem, ut in humilioribus operibus, Instituto necessariis, Deo serviant.

N. 12, pag. 13, linn. 28-33. Quae hic indicantur, *de clausura monialium,* magis propria Codicis Iuris Canonici esse videntur.

N. 15, pag. 14, linn. 31-40. Quae in hoc numero, *de novis Institutis condendis,* innuuntur, videntur relinquenda iudicio ac prudentiae Ordinarii loci. Ideoque hic numerus vel articulus supprimi poterat.

N. 17, pag. 15, lin. 19 sqq. Quae in hoc numero, *de Institutis et Monasteriis languescentibus* praecipiuntur, potius Sanctae Sedi plene relinquantur. Proinde hic articulus etiam omittendus videtur.

33

EXC.MUS P. D. BERNARDUS MELS
Archiepiscopus Luluaburgensis

In propositionibus omnino abest aspectus missionalis, qui tamen semper et ubique fuit una ex praecipuis notis Institutorum religiosorum. Hic spiritus missionalis, hisce ultimis saeculis, originem dedit Evangelizationi in omnibus terrae regionibus, qui, ut fructum pulcherrimum, aedificationem novellarum Ecclesiarum in omnibus terrae regionibus habuit.

Hic spiritus missionarius in Institutis religiosis in lucem poni et omnino servari debet, praesertim in declarationibus nostri Concilii Oecumenici, qui se vult pastoralis et missionalis. Unde, sequentes modificationes proponimus:

1. Post art. 14 addatur: « Eclosio vitae religiosae in novellis Ecclesiis, aptata indoli populorum et usibus localibus foveatur ». *Ratio*: Praeter vitam religiosam typi occidentalis, quae ab Institutis religiosis missionalibus introducta fuit, omnino necessaria est eclosio vitae religiosae aptata usibus et indoli populorum non occidentalium. Non imponentur ipsis constitutiones typi occidentalis ut usque nunc semper fit.

2. Post art. 15 addatur: « Spiritus missionalis in Institutis religiosis omnino servetur et aptetur conditionibus actualibus, ita ut praedicatio Evangelii omnibus populis et gentibus intensificetur ». *Ratio:* Actio missionalis et eclosio tam multarum novellarum Ecclesiarum quasi tota, his ultimis saeculis, sub influxu Institutorum religiosorum realisata fuit.

Haec actio, ratione erectionis Hierarchiae et multiplicationis cleri localis in multis regionibus missionalibus, non potest minui, sed aptari debet novis conditionibus.

[*Subscripserunt etiam*] G. Romantoanina, arch. Fianarantsoa; J. Rakotomalala, arch. Tananarive; J. Wolff, arch. Diego Suarez; A. Messmer, ep. Ambanja; X. Thoyer, arch. tit. Odesso; C. Chilouet, ep. Farafangana; A. Martinez, ep. Tsiroanomandidy; F. X. Rajaonarivo, ep. Miarinarivo; A. Tsiahoana, ep. tit. Abtugni; J. Bretault; P.Zoungrana; R. Dosseh, arch. Lomé; E. Kwaku; J. Amissah; A. Konings; G. Champagne; J. Strebler; J. Lesourd; F. Lehaen, ep. Sakania; G. Bouve, ep. Kongolo; A. Jacques, ep. Boma; U. Morlion, ep. Baudouinville; X. Geeraerts; V. Keuppens; J. Weigl; J. Cornelis, arch. Elisabethville; A. Creemers, ep. Bondo; M. van Rengen, praef. ap. Mweka; A. Leroy, ep. Kilwa; R. Ndudi, aux. Boma; J. Van Cauwelaert; F. Bouckaert, ep. Popokabaka; G. Van den Elzen, praef. ap. Doruma.

34

EXC.MUS P. D. IACOBUS MENDONÇA

Episcopus Tiruchirapolitanus

Pag. 6, in regula 9, post verba « sacrum habeant », subsequens immutatio substituenda est: « congruamque partem bonorum, onerata conscientia, in utilitatem dioecesis, praesertim in locis missionum, ubi domus religiosa sita est, consentiente Ordinario loci, insumant », vitata omni specie etc. Secus haec regula nona utpote nimis indeterminata nunquam in praxim deducetur.

35

REV.MUS P. D. MARIANUS OSCOZ

Superior maior Congr. Erem. Camald. Montis Coronae

Indulgete mihi, cuncti in hac augustissima aula praesentes, quod sicut *plures* ex vobis, *pluries* loquuti estis, et quidem iure ac sapienter, indulgete, inquam, quod ego semel tantum loquendo, aliquantulum longior et prolixior evadam, non tamen nimis ...

Mea propositio et meum optatum, ad quod propugnandum, ex officio quo licet indignissime fungor, me existimo teneri, huiusmodi est: *Salvemus vitam eremiticam.* Audite quaeso:

Ecclesia Christi, quam pulchra, quam varia et speciosa! Nonne talem oculis eam intuentium se exhibet? Vere « circumamicta varietatibus » prout in ps. 44, iuxta versionem vulgatam, figurate depingitur. Nos hic eam dumtaxat miram et uberrimam varietatem spectamus quae ex innumeris religiosis Institutis illi obvenit, quibus, fere ab incunabulis incipiendo et dehinc pedetemptim progrediendo, undequaque scatet ac floret. Praetermissis virginibus et ascetis qui velut praecursores fuere vitae sensu proprio religiosae, primum locum sibi vindicat vita monastica in duplici forma eremitarum et coenobitarum, dispertita. Veniunt subinde, quin in describendis canonicis regularibus et ordinibus militaribus immoremur, religiosi sic dicti mendicantes; quot familiae diversae! Deinceps, *clerici regulares,* item multiplices, quibuscum aurea clauditur aetas religionum quae *Ordinum* titulo decorantur. Succedit postmodum recentior, haud minus gloriosa, aetas *Congregationum* religiosarum quae, et numero et strenuitate, veris militum agminibus accenseri merentur. Nec silentio praetereundae piae societates veris religionibus affines, quamquam votis *publicis* orbae; ac postremo, Instituta saecularia quae, novissimis temporibus, in certamen descenderunt.

Hae sunt, ut verbis utar Pii IX in Enc. 17 iunii 1874, « lectissimae illae auxiliares Christi militum turmae, quae ad maiorem omnipotentis Dei gloriam et salutem animarum procurandam a sanctissimis viris divino afflante spiritu institutae, tum christianae tum civili reipublicae usui, ornamento

atque praesidio fuerunt et sunt ». Hi sunt religiosi, viri et mulieres, quos Pius XI in suo nuntio radiophonico ad universum orbem die 12 febr. anni 1931 transmisso, postquam eos appellavit « filios et filias praedilectionis », ita solemniter et eloquenter allocutus est: Vos omnes, « charismata meliora aemulantes atque in fide sanctissimorum votorum et in religiosa disciplina totius vitae nedum praeceptis sed et desideriis consiliisque divini Regis et Sponsi obsecundantes, Ecclesiam Dei virgineo odore fragrantem facitis, *contemplationibus* illustratis, orationibus fulcitis, scientia et doctrina ditatis, ministerio verbi et apostolatus operibus in dies percolitis et augetis » ...

En breviter adumbrata et origo divina et finis tam generalis omnium religionum quam particularis uniuscuiusque. Omnes viam perfectionis, per observantiam consiliorum evangelicorum, sectantur; omnes opem adiutricem pro animarum salute Ecclesiae porrigunt; sed non omnes aequo modo vel eadem mensura in his quae commune habent. Laudantur ibi qui vitae contemplativae dediti, sunt decus Ecclesiae, et orationibus (ac paenitentia) eam fulciunt; qui scientia et doctrina ipsam ditant; qui ministerio verbi et aliis apostolatus operibus eamdem percolunt et augent. Haec, ut patet, prolata sunt summatim per modum exempli, quia non erat ille locus nec opportunitas omnia singillatim enucleandi.

Et quaenam sunt, licet hic quaerere, arma praecipua quibus religiosorum exercitus consulit efficaciter animarum bono spirituali? Sunt, absque dubio, media sanctificationis supernaturalia quibus, dum sic dictam vitam interiorem fovendo, propriae perfectionis aedificium construere nituntur, pluviam provocant copiosam caelestium gratiarum, qua animarum ager fertilis redditur. Nemo est qui neget, huiusmodi *vitae interioris culturam,* assiduas preces et quidquid sub nomine paenitentiae comprehenditur, esse velut fundamentum et conditionem sine qua non, ut sacra ministeria « fructum plurimum afferant ». Idcirco, praeterquam quod talis conditio praerequiritur in omnibus qui saluti animarum quoquo modo dant operam, et tamen non omnes de facto id adimplent saltem quantum satis est, sive quia nimis occupationibus praepediuntur sive alia de causa; semper exstiterunt et semper exsistant oportet, qui *hoc unum intenderent;* qui huic parti fundamentali ex toto inhaererent; et hi sunt qui vitam, quam *contemplativam* nuncupant, sibi exercendam suscipiunt, *altera aliis relicta* quae activa sive mixta nominatur. Exstiterunt, inquimus, semper, et semper exsistant oportet. At: ubinam sunt hi? Ad quos hoc munus et onus spectat? Responderi potest non alios hodie remanere pro tali necessario munere obeundo, praeter eremitas, qui pauci sunt, chartusianos, non multo plures, et cistercienses strictioris observantiae, quibus forsitan adiungenda erit aliqua ignota communitas, et magna ex parte, ut puto, Ordo Carmelitarum discalceatorum in quorum regula haec clausula legitur: « pars potior contemplativa ».

Iam inde profluit illico spontanea et ineluctabilis conclusio quam, huius capitis initio, verbis *queribundis* enuntiabamus: *salvemus vitam eremiticam* cuius sensus est: retineamus mordicus id quod vitae eremiticae essentiale

est, praeservemus eam ab omni *extraneo elemento ipsius naturae non consono,* custodiamus sedulo illam ab ambitu, qui non noster sed aliorum est, segregatam.

Hoc quod iam per se manifestum est, clarius adhuc apparebit, si disposita tota religiosorum congerie in duplicem velut aciem, hinc milites vitae activae (inclusa vita mixta), illinc cultores vitae contemplativae, recenseamus globatim quot et quinam ad primam pertineant, quot et qui pro altera remaneant et *remanere debent.*

Pertinent ad aciem vitae activae: 1) Ingens turma *mendicantium,* PP. nempe Praedicatores seu Dominicani; Franciscani sub triplici sobole Observantium, Conventualium et Cappucinorum; Carmelitani; Augustiniani; Servitae; Minimi a S. Francisco de Paula; Trinitarii et Mercedarii; 2) non minus longa series *Clericorum Regularium* i. e. Theatini a S. Caietano; Somaschae a S. Hieronymo Aemiliano; Barnabitae a S. Antonio Zaccaria; Societas Iesu; Fratres misericordiae a S. Ioanne de Deo; Ministri Infirmorum a S. Camillo de Lellis; Clerici Scholarum Piarum a S. Iosepho Calasanctio; Clerici a Matre Dei a B. Ioanne Leonardi; Clerici Regulares minores a S. Francisco Caracciolo, etc.; 3) agmen peramplum recentiorum Congregationum, videlicet Passionistae, Redemptoristae, Assumptionistae, Fratres Scholarum Christianarum, Claretiani aliique, quibus adiicienda veniunt quamplures piae societates in communi sine publicis votis viventium, ut Oratoriani a S. Philippo Neri; Lazaristae a S. Vincentio a Paulo; Eudistae, Salesiani, Sulpiciani, Palottini, Patres Albi multique alii praesertim missionarii; 4) magna pars monachorum seu coenobitarum (paucis exceptis) qui primitus quidem vitae contemplativae inhaeserunt; nunc vero, diversis ex causis, et quia minus distabant a consortio cum civili societate, vitae activae plus minusve dant operam; 5. nuperrime, tandem, advenerunt, tamquam copiae auxiliares, Instituta saecularia ad eandem aciem augendam et roborandam ...

Iam ex hoc conspectu generali et ex hoc indice qui valde incompletus est (qui vellet illum complere, deberet consulere « Annuario Pontificio ») velut in propatulo positum est quam sit copiosus quamque varius exercitus religiosorum qui vitae activae et apostolatui externo sunt addicti, et constat aliunde quomodo eorum numerus et vis in dies crescat et multiplicetur.

Quot et qui remanent pro vita *contemplativa?* Illi sunt tamquam milites qui cum hostibus praeliantur *in fronte,* et indigent qui retro sint ut ipsis provideant et opitulentur; *ubi et quinam sunt hi? ...*

En iterum conclusio plana et evidens: cum, ut supra referebamus, hodie, pauci admodum huiusmodi sint, quis audebit etiam eremitas, qui inter hos paucos, vi ipsius nomine et rei sub nomine latentis, remotiores sunt et debent esse ab omni humano consortio, quis, inquam, audebit etiam eos, extra saepta solitudinis trahere ad conversandum cum hominibus adque externa cum eis ministeria obeunda? Nihil magis absonum cogitari licet.

Necesse ergo omnino est *salvare vitam eremiticam* et eam caute servare

immunem ac expertam ab omnibus his muneribus et oneribus quae ad eiusdem natura et fine aliena, vitae activae vel mixtae pensum constituunt.

Obiiciet forsitan aliquis: Et quomodo vos saluti animarum mundi consulitis? Quomodo estis adiutorio Episcopis in quorum dioecesibus commoramini? et missionibus, et tot tantisque orbis terrarum necessitatibus spiritualibus? Puto quod ex hucusque summatim dictis, satis superque patet adaequata responsio; adiungo tamen hic tamquam aurea corona, illa aere perennior sententia Sancti Petri Damiani, testimonium perhibentis de nostro primigeno Fundatore Sancto Romualdo: Quid agit et quomodo laborat Romualdus pro salute mundi? « tacente lingua et praedicante vita ».

Si nos simus quod esse debemus — faxit Deus — ipsa nostra vita totaliter Deo dicata et sacrum silentium quod sermo est eloquentior ad loquendum cum Deo, est praedicatio non interrupta et opus frugiferum.

36

Exc.mus P. D. CAROLUS OVIEDO CAVADA

Episcopus tit. Beneventensis, aux. Ss. Conceptionis

Hodie iam exploratissimum est omnibus Patribus quod methodus propositionum suffragandarum pro rebus tanti momenti huic Concilio Oecumenico proposita non placet. Quod satis etiam nuperrime comprobatur in casu schematis de activitate missionali Ecclesiae.

Schema hodie in discussione propositum non placet, nam levi modo agit de religiosis et de eius hodierna problematica. Recte dico agere de religiosis, nam praesens schema quod nunc inscribitur « de accommodata renovatione vitae religiosae » idem est ac prior quod inscribebatur de religiosis, simpliciter, additis nonnullis verbis et duobus numeris, scil. 8 et 9 in pag. 11 et 12. Ad hoc enim reducitur textus emendatus. Censeo quod schema est reficiendum et aliud parandum amplius et profundius sicut desiderabatur in Concilio pro vita et ministerio sacerdotali et nuperrime pro activitate missionali Ecclesiae.

Obiectum huius schematis respicit reformationem Ecclesiae, in votis Summi Pontificis in allocutione inaugurali Secundae Sessionis Concilii. Nemo non videt quod renovatio vitae Ecclesiae et in praxim deductio decretorum conciliarium maxima ex parte pendet praecise ex religiosis, ob numerum illorum et ob munera vel officia quae adimplent in Ecclesia, praesertim in educatione christiana et in aliis operibus misericordiae. Quapropter schema istud maximi est momenti non solum pro ipsis religiosis sed etiam pro toto Concilio, pro tota Ecclesia.

Schema agit tantummodo de religiosis, quamvis aliter dicat textus in introductione (pag. 9, linn. 6-7) et exc.mus relator in pag. 6, scil. valere etiam pro sodalibus societatum in communi viventium et pro membris institutorum saecularium. Instituta saecularia praesertim indigent alia tractatione,

nam membra illorum non habent eadem problemata quae habent religiosi, et si alia sunt problemata alia erunt quoque solutiones et dispositiones pro accommodatione vitae. Potestne hodie, post Pii XII Constitutionem *Provida Mater,* Concilium nostrum hoc ignorare vel prorsus praetermittere? Ad hoc non satisfacit responsum in Appendice propositum, in pag. 15. Haec nova vocatio in Ecclesia, maxime fovenda ac laudanda, a nobis ex praesenti schemate nihil recipiet praeter nominationem semel factam in pag. 9, lin. 8 huius schematis. Hoc idem potest dici de societatibus in communi sine votis viventium.

Duplex erit solutio. Aut materiam institutorum saecularium et societatum in communi sine votis viventium includere in novo schemate, mutato titulo, aut aliud parare schema pro laicis institutorum saecularium et pro aliis sodalibus de quibus supra aiebamus.

Quasdam animadversiones particulares facere mihi liceat pro novo schemate.

1. Ad obtinendam auspicatam accommodationem in statu religioso hodierno necessarium prorsus est de ratione institutionis et studiorum loqui speciali modo pro religiosis non clericis et pro monialibus et sororibus, quia hucusque religiosae mulieres carebant ratione huiusmodi a Sancta Sede confecta. Haec est causa potissima defectus adaptationis qui tam acriter aliquando iudicatur in monialibus et sororibus.

2. Cum agatur de renovatione in paupertate religiosa oportet loqui de hodierna problematica paupertatis religiosae, quae exoritur ex exigentia apostolatus et vitae modernae componenda cum illa paupertate qua laborant veri pauperes in mundo hodierno. Alia ex parte vita religiosa, modus scilicet publicus ac stabilis vivendi consilia evangelica, palam ostendere debet testimonium paupertatis. Hodie notorium est, in genere statum religiosum non esse testimonium nec manifestationem verae paupertatis, quamvis non desint praeclara exempla in toto orbe scilicet religiosorum qui vivunt tamquam veri pauperes. Testimonium istud nos exigimus in hoc Concilio.

3. et ultimo. In fine schematis habeatur exhortatio ad religiosos vitae activae ut opera assumant vel prosequantur, iuxta spiritum propriae familiae religiosae, magis consonantia cum pastorali episcopi loci, praesertim in evangelizatione et in adsistentia erga pauperes et egenos.

Aliae animadversiones scripto tradam secretariae generali.

37

Rev.mus P. D. BENEDICTUS REETZ

Praeses Congr. Beuronensis O.S.B.

Relator nostri schematis optime exposuit schema *de religiosis* longius exaratum, de mandato commissionis coordinatricis Concilii ad 20 propositiones reductum fuisse. Iuxta S. Benedictum « primus humilitatis gradus est

oboedientia sine mora » et « mox aliquid imperatum a maiore fuerit, ac si divinitus imperetur, moram pati nesciant in faciendo ». Ideo commissio conciliaris de religiosis « vicino oboedientiae pede » et « in velocitate timoris Dei », « iubentis vocem » commissionis superioris factis implevit. Nunc autem hoc schema brevissimum auctoritati superiori i. e. Patribus conciliaribus submittitur et commissio de religiosis eodem modo oboediet, si hoc schema ampliandum et perficiendum erit, iuxta animadversiones in aula prolatas ac proferendas.

Animos vestros, venerabiles Patres, iterum attentos volo ad propositiones quintam et sextam, ubi de vita activa et contemplativa est sermo. Sunt enim, qui distinctionem institutorum vitae contemplativae et activae de medio tollere velint, quod tamen *contradiceret* toti traditioni et historiae, quae de monachismo semper loquuntur tamquam de vita contemplativa et monastica;

contradiceret etiam doctrinae fratrum nostrorum orientalium, quae notionem et conceptum vitae contemplativae separare numquam possunt de monachismo;

contradiceret etiam doctrinae Summorum Pontificum S. Pii X, Pii XI, Pii XII, Ioannis XXIII et Pauli VI, fautoris eximii vitae monachalis. Videatis pag. 16 schematis, notam secundam ex qua perplura in textum schematis amplioris assumi possent.

1) Distinguamus oportet instituta vitae *mere contemplativae,* quae adhuc in vigore est apud Carthusianos et Trappistas et in quibusdam monasteriis monialium O.S.B. et aliorum.

2) Sunt instituta *vitae activae,* quorum finis consistit in traditione eorum quae in contemplatione et studio divinorum didicerunt et a Domino acceperunt. Quod ex Deo hauserunt, hominibus tradunt.

3) Sunt et instituta *vitae mixtae,* ad quae pertinent etiam multa monasteria et abbatiae quae iuxta mentem fundatorum potius ad vitam contemplativam ordinata sunt. Decursu saeculorum monachi in his monasteriis facti sunt clerici regulares, in detrimentum monachismi puri.

Haec paucis verbis dicta per aliquam imaginem vel comparationem vel similitudinem optime possunt illustrari. Nostis omnes, venerabiles Patres, figuram geometricam, cui nomen *ellipsis.* Cum circulus unicum tantum habet centrum, in ellipsi duo centra inveniuntur. Comparemus ergo vitam religiosam cum ellipsi, in quo duo sunt centra: *unum* vita contemplativa, *alterum* vita activa.

Religiones et ordines, qui a fundatoribus suis ut finem primarium habent vitam contemplativam in claustris monasterii peragendam, plus vel minus ad unum centrum ellipseos accedunt, quod est vita contemplativa.

Illae autem religiones et ordines, qui a fundatoribus suis ut finem habent vitam activam, directe apostolicam vel missionariam, plus vel minus ad alterum centrum ellipseos accedunt, quod vitam activam significat.

Utraque vita est apostolica, sed in sensu diverso et in diverso gradu.

Hanc vitam aliter et aliter vivunt instituta vitae contemplativae et activae. Hi duo conceptus scil. vitae activae et contemplativae numquam sunt *exclusive* intellegendi, quia se invicem compenetrant, gradu tantum inter se differunt, vel potius accentus diversimode ponitur. Ideo oritur vita religiosa pluralistica, immo et monachismus pluralisticus, in quo unusquisque in suo sensu abundat, vel inclinans plus vel minus ad apostolatum internum orationis, poenitentiae et sacrificii in occulto, vel ad apostolatum externum: et tali modo revelatur foecunditas vitae religiosae et simul libertas filiorum Dei.

Nunc autem tangere mihi liceat unum ex multis problematibus monachismi et vitae religiosae, quod exortum est in monasteriis monachorum. In exercitiis spiritualibus in Collegio S. Anselmi ab abbate Generali O. Cist. Quattember piae memoriae praedicatis, ipse dixit sacerdotium ideam et praxim primaevam vitae monasticae destruxisse. Hic mihi in memoriam venit dictum alicuius patris deserti, qui monachos alloquens, dixit duas classes hominum esse a monachis fugiendas, mulieres scil. et — parcatis mihi, Patres venerabiles, non ego hoc dico, sed ille sanctus vir — mulieres et episcopos. De mulieribus non est cur loquar. Sed quid de episcopis? Videbant episcopi monachos in solitudine viventes omnino aptos esse ad sacerdotium et curam animarum ideoque e solitudine voluerunt illos extrahere. Hoc etiam hodie experimur, cum saepe saepius episcopi ad nos accedunt, ut curam animarum suscipiamus. Hoc libenter facimus, ea sub conditione, ne cogamur domicilium nostrum, claustra monasterii ad longius tempus derelinquere. Cura animarum in monasteriis est, ut ita dicam, extraordinaria, cum ordinaria clero dioecesano committitur.

Sunt tamen iuniores monachi, qui parati non sint ad sacerdotium suscipiendum, ut revera monachi esse possint. Vocatio enim religiosa alia est ac vocatio sacerdotalis, uti clare dicitur in Constitutione apostolica Pii Pp. XII « Sedes sapientiae », ubi legimus: « Ad ministerium clericale neminem promoveant, qui se religiosam solummodo vocationem divinitus recepisse demonstrat » (Editio a S. C. de Religiosis facta, Romae 1957, pag. 13, linn. 21-22). In futurum non amplius necessario sacerdotium et monachatum coniungantur, sicut in praeterito praescriptum erat. Sufficiant haec pauca de hoc gravi problemate.

De votis religiosorum hodie tot ac tanta scribuntur, optime quidem et pulcherrime. Nescio utrum novae *theoriae* multum conferant ad renovationem votorum. Praxis enim votorum semper erit quid difficile, cum iuxta verba S. Thomae vita religiosa sit « praecipuos poenitentiae locos ».

38

EXC.MUS P. D. IOSEPH M. REUSS

Episcopus tit. Sinopenus, aux. Moguntinus

In schemate propositionum *de religiosis* propono contra textum pag. 6, n. 7, cc. 16 et 18, ubi textus propositus sic sonat: « ... in oboedientia (cf. n. 26), castitate (cf. n. 25) et paupertate (cf. nn. 23, 24) quam professi sunt, Christum oboedientem, virginem et pauperem ... » sequentem emendationem: Textus mutetur sequenti modo: « ... in oboedientia (cf. n. 26), caelibatu propter regnum caelorum (cf. n. 25) et paupertate (cf. nn. 23, 24) quam professi sunt, Christum oboedientem, caelibem et pauperem ... ». *Ratio* emendationis: 1. Dominus noster Iesus Christus nullibi de castitate tamquam consilio evangelico loquitur. Si loquendum est de respectivo consilio evangelico a Christo dato (*Mt* 19, 12) loco verbi « castitate » terminus « caelibatus propter regnum caelorum » ut textui evangelii magis correspondens praeferendus est. 2. Designatio « Christus virgo » minime placet, quia talis modus loquendi facillime — quamvis fortasse iniuria — cuidam feminismo religioso favere videtur, qui iam in quibusdam formis devotionis necnon artis — melius pseudo-artis — satis viget et omnino repudiandus est.

39

EXC.MUS P. D. IOANNES SAUVAGE

Episcopus Anneciensis

In schemate emendato *de accommodata renovatione vitae religiosae* plura inveniuntur quae minus placent, e quibus quaedam proveniunt ex antiqua consuetudine categorias canonicas vitae religiosae ita adhaerendi ut difficile evadat in spiritum renovationis Concilii plene introire. Quae dicam ex intima affectione erga religiosos inspirantur et voluntate eis praebendi in nostro schemate occasionem instituta sua ad formam aptare magis cum evangelio cumque spiritu constitutionis *de Ecclesia* consentaneam.

Duas notationes de hoc themate afferre vellem, quae respiciunt propositionem, et tangunt dignitatem in Ecclesia et significationem vitae religiosae laicalis.

1. *De dignitate in Ecclesia et unitate vitae religiosae laicalis.* Textus emendatus progressum manifestat quoad actualem praxim cum dicit in virorum monasteriis et institutis clericos et laicos pari ratione admitti posse. Et hoc nobis placet propter rationes sequentes: *a*) quia sic restauratur antiquioris monachismi traditio. Denuo licebit monachis ad hanc pristinam inspirationem redire quin indigeant speciali indulto; *b*) quia haec restauratio non quaerit suam inspirationem in sensu quodam archaeologismi, sed in inspira-

tione Spiritus Sancti qui in Ecclesia circumdata varietate valorem specificum consecrationis religiosae in se, vult manifestare sine ullo addito nec vitae clericalis, nec decoris superadiuncti.

In se enim, et simpliciter, vita religiosa laicalis est plenum exercitium sacerdotii universalis baptizatorum et Confirmatorum. Actus essentialis huius sacerdotii universalis consistit in oblatione sacrificii spiritualis qua christianus sese offert hostiam viventem et placabilem Deo (*Rom.* 12, 1). Et consecratio religiosa nihil est aliud quam plena realisatio huius sacrificii spiritualis, holocaustum Deo ut ait S. Thomas (II-II, q. 186, art. 1).

Infeliciter, ob quamdam indebitam exaltationem in categoriis canonicis sacerdotii ministerialis pro vita religiosa virorum, in minorem aestimationem venit consecratio religiosa in seipsa, et sua vis ex sacerdotio universali et sacrificio spirituali deprompta. Hinc probabilis ratio, cum adiunctis ex cultura et civilisatione medioevali depromptis, cur in religionibus clericalibus situatio conversorum et in monialibus situatio conversarum ad formam inferioris gradus socialis redacta fuit.

Spiritus renovationis evangelicae postulat ut ea quae dicta sunt sine restrictione de admissione laicorum pari ratione ac clericorum in monasteriis et institutis virorum, sine restrictione dicantur de supprimenda in monasteriis et institutis mulierum distinctione inter conversas et religiosas superioris classis. Dolenda vehementer mihi videtur incisa reintroducta in textu emendato pag. 13, linn. 20 et seq.: « si rerum adiuncta id suadeant ». Textum conciliare firmius debet insistere ut omnia mulierum instituta ad hunc scopum tendant ut unitatem et aequalem dignitatem consecrationis religiosae in factis affirment. Nihil dicamus, venerabiles Fratres, de rerum adiunctis quae obicem praebere possent, quia sufficiens providebit de facto inertia quaedam et satis firma adhaesio formis traditionalibus etsi non nimis evangelicis, dum e contra, incisa illa, auctoritate conciliari praedita, ansam praebebit ad retardationes nimis longas reformationi huius temporis necessariae obnoxias.

2. *De significatione vitae religiosae laicalis apostolatui dedicatae.* Alia ex parte, spiritus et doctrina de Ecclesia ab hac Sancta Synodo approbata, praesertim quae dicta sunt de laicis ac de apostolatu laicorum redderent infeliciter mancum schema nostrum si non recognosceretur plena dignitas apostolatus laicorum consecratorum in institutis exclusive laicalibus. Loqui speciatim vellem de institutis fratrum docentium.

Revera, omnia quae supra diximus de valore consecrationis religiosae laicalis in se, prout est plena realisatio sacerdotii universalis, de vita religiosa huiusmodi Fratrum iam plene valent. Attamen, hic agitur de vita religiosa laicali apostolica et plures sunt christiani et etiam sacerdotes qui hanc vitam non intelligunt nec admittunt ut inspirationem Spiritus Sancti validam quod homines possint sese totos Deo mancipari ad apostolatum et, aptitudinibus dotati ad Sacerdotium, laicos remanere desiderare. Nonne haec incomprehensio signum esset illius clericalismi qui saepe saepius denuntiatum est ut error corrigendus in nostris ecclesialibus institutis?

Si decernit Sancta haec Synodus apostolatum laicorum esse in Ecclesia omnimode necessarium, necessitudinis non tantum moralis sed vitalis, ab ipsa eadem Synodo explicite recognoscendum est maximum praestare Ecclesiae servitium haec instituta religiosa laicalia. Hoc autem servitium praestant hi religiosi non solum quia functionem Ecclesiae valde utilem et etiam Civitati tenent, sed etiam quia specificum reddant testimonium. In factis enim monstraverunt et monstrant possibilitatem, viris in laicatu sistentibus, sese totaliter Deo mancipandi et apostolatui officiali Ecclesiae plene participandi, quia munus in fide viva iuventutem per catechesim educandi et christiane erudiendi ab Ecclesia receperunt. Et sic manifestant sacerdotium universale, sicut Sacerdotium Christi, homines etiam respicere ut Evangelium accipientes « fiat oblatio eorum accepta et sanctificata in Spiritu Sancto » (*Rom.* 15, 16). Hoc praeclare servitium est omnimode consonans necessitati Ecclesiae hodiernae dimensionem expendentis apostolatus laicalis.

Ecclesiae opus est Sacerdotum, Ecclesiae opus est diaconorum. Sed hae Ecclesiae necessitates non minuunt alias Corporis Christi penurias, inter quas praesentia et actio laicorum in mundo degentium et praesentia et actio laicorum Deo mancipatorum in vita religiosa. Ex his diversis ordinibus Ecclesia constat et crescit; in his manifestatur in diversitate vocationum libertas ac gratuitas donorum Spiritus Sancti. Ne impediamus, omissione dolenda in nostro schemate, hanc libertatem, hanc gratuitatem sese manifestare.

Emendationes his animadversionibus consentaneas trado secretario generali.

Emendationes additae:

Ad n. 6: *De institutis vitae activae.* Linn. 11 et 12 deleatur incisa « tam laicalibus quam clericalibus » et in fine addatur nova paragraphus deprompta a schemate *De statibus perfectionis adquirendae* (De institutis laicalibus fovendis). Vita religiosa laicalis, tam pro viris quam pro mulieribus, variis apostolatus operibus mirum in modo aptata et nunc ubique vegetior efflorescens, constituit evangelicae perfectionis et Deo consecrationis statum completum ab Ecclesia recognitum; eam igitur Sacra Synodus magni faciens libenti animo omnium aestimationi ac speciali Sacrorum Praesulum sollicitudini commendat.

Ad n. 11: *De Vita in communi ducenda.* Linn. 20-22 mutentur in priorem textum. In fine addatur nova par. Inter religiosos peculiari mentione digni sunt sodales institutorum laicalium, speciatim Fratres docentes, qui laici manentes, receperunt ab Ecclesia per approbationem eorum constitutionum, finem specialem in fide viva per catechesim erudiendi et christiane educandi iuventutem.

Ad n. 20: *De Vocatione religiosa fovenda.* Lin. 12, post « vocationibus religiosis » addatur: tum clericalibus tum laicalibus, et in hoc ultimo casu tam pro viris quam pro mulieribus.

40

REV.MUS P. D. AUGUSTINUS SÉPINSKI

Minister generalis O.F.M.

Brevissimum sermonem facere intendo circa schema nobis recenter exhibitum « de accommodata renovatione vitae religiosae ».

Duo tantum puncta exponere velim, quae sunt: I. Rationes quae militant in favorem schematis; II. Quaedam mutationes quae opportune introduci poterunt ad perficiendum schema.

I - Quae sunt rationes quae militant in favorem schematis?

a) Ipsum iter schematis. Anno 1962, mensibus quidem februario, maio et iunio, commissioni centrali pro studio et disceptatione exhibitum est « schema de statibus perfectionis adquirendae », quod exaratum fuit in centum et octo paginis. Patres commissionis centralis fere omnes tunc votum suum sic concludebant: Ne proponatur Concilio tractatus, etsi optime confectus, de vita religiosa, sed exarentur tantum normae vel principia generalia ad vitam religiosam spectantia. Cetera vero exponantur post Concilium in documento, a S. Congregatione pro religiosis curando, vel in novo Codice iuris canonici conficiendo.

Exc.mus D. relator nobis prima die disceptationis explanavit quomodo commissio conciliaris pro religiosis hoc primum schema pluries reduxerit ita ut, instante commissione moderatorum a Summo Pontifice instituta, schema, quod ante oculos habemus e 4 paginis et viginti generalioribus sed *densis* normis constet.

Venerabiles Patres, post immanem laborem a commissione factum, acceptemus, tamquam homines cordati, has normas generales, neve redeamus ad « statum quo ante », ne Concilium sine gravi causa adhuc magis protrahatur.

b) Harmonia exsistens inter titulum et textum: In priore schemate, titulus sic sonabat: « De Religiosis ». Hic titulus Commissioni nimis amplus esse videbatur, respectu doctrinae, quae in normis generalibus tractabatur. Nunc vero nostrum schema sequentem titulum profert: « De accommodata renovatione vitae religiosae », quia revera in 20 paragraphis fere unice agitur de ipsa renovatione et accommodatione ipsius vitae religiosae: ita plena concordia et cohaerentia elucet inter titulum et textum actualis schematis.

c) Sententiae vel principia in se considerata: revera unaquaeque sententia luculenter aliquid novi praesefert in campo renovationis et adaptationis.

Forsitan quis putat schema nimis breve, tenue et exile esse; sed responderi potest quod iam actum est de religiosis in aliis schematibus, quamvis sub diversis aspectibus (i. e. in schematibus *de Ecclesia, de pastorali episcoporum munere in Ecclesia, de activitate missionali Ecclesiae*).

Ex altera parte, nemo est qui non videat principia in schemate enuntiata

sanam, profundam et durabilem renovationem et adaptationem in Institutis religiosis operari posse: quod est in votis Sacrosancti Concilii.

II - Mutationes quae opportune introduci poterunt ad perficiendum schema necnon aliae animadversiones. Intendens tradere in scriptis tempore opportuno, i. e. quando habebitur suffragatio super totum schema aliquas propositiones quoad mutationes in schema introducendas, nunc brevitatis causa tantum per summa capita loquar.

1. In pag. 10, n. 3, linn. 26-31: melius provideatur ut principium legitimae auctoritatis salvetur, ratione habita praeprimis Capituli Generalis, quod, post Congregationes Romanas, est suprema auctoritas.

2. In pag. 11, n. 5, linn. 1-8, ubi agitur de Institutis vitae contemplativae fovendis, ne infirmetur textus, quia verbum Domini: « Porro unum est necessarium: Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea » (*Lc.* 10, 42), semper manet.

3. In textum schematis inseratur paragraphus, qua clare et nitide dicatur opus benemeritarum sororum vel fratrum laicorum, qui se dedunt erudiendae et efformandae iuventuti, *vere apostolatum esse.*

4. In fine schematis luculenter dicatur quod in efficienda renovatione et adaptatione Institutorum religiosorum, omnia fideliter serventur quae anteacta aetate bona et sana inveniuntur.

5. Animadversio indolis generalis: sicut alii Patres iam dixerunt, textus nervosior et vigorosior reddatur.

Conclusio: Omnibus, quae supra dicta sunt, bene perpensis, et non obstantibus obiectionibus in aula vel extra aulam prolatis, non haesito affirmare: schema, quod nunc Concilio praesentatur, probari posse tamquam basim ulterioris disceptationis; ratio equidem habeatur apud commissionem conciliarem animadversionum, quae a Patribus in aula vel in scripto sapienter prolata sunt vel proferentur.

41

EXC.MUS P. D. SEBASTIANUS SOARES DE RESENDE
Episcopus Beirensis

Textus *de religiosis* prout nunc habetur et prae oculis tenens quod de his iam dictum est in Constitutione *de Ecclesia* fundamentalia elementa continere videtur licet incompleta et inadaptata. Interim, in hac aula, Appendix huic textui distributum est cuius valor utrum sit an non conciliaris nescitur. Multis a Patribus dictis in secunda sessione huius concilii relate ad anteriorem textum respondere conatur Appendix ille sed tales responsiones praesertim circa statum perfectionis quas unice nunc referre intendo nihil dicunt ad rem et doctrinam interventionum patrum adprobata remanere debet. Attamen in aliquo documento recentissimo edito, magnae responsabilitatis, entitatis

religiosorum sodales statuum perfectionis vocantur quando titulus primitivus huius textus « De statibus perfectionis acquirendae » a competente auctoritate substitutus est titulo actuali « De Religiosis ». Sed vos videbitis. Redeo tamen ad textum nostrum de quo aliquas animadversiones facere intendo proponens numerum novum et distinctum addendum.

1. Multi ordines religiosi, congregationes etiam religiosae et societates item religiosae quae ab hominibus constituuntur semper consonant cum correlativis ordinibus, congregationibus et societatibus religiosis femininis quae ab illis aut fundatae sunt aut inspiratae. Hoc autem verificatur non solum in multis antiquis ordinibus religiosis sed etiam in pluribus modernis formis vitae religiosae. Etenim Benedictini sunt et Benedictinae, Carmeliti et Carmelitae, et ita porro.

2. Multoties entitates illae religiosae quae mulieribus constant subordinatae illis aliis entitatibus religiosis hominum remanserunt, in aliqua re: scil. in directione spirituali, in confessionibus, in exercitiis spiritualibus habendis et, tandem aliquando, in aliqua administratione rerum materialium. Itaque ipsae constitutiones et regulae illarum entitatum religiosarum mulierum saepe dicunt vel explicite insinuant quod confessores, directores spirituales et praedicatores exercitiorum spiritualium religiosarum esse debent sacerdotes illi religiosi talium entitatum correlativarum.

3. Omnia haec multa habent inconvenientia quorum aliqua sunt sequentia:

a) Quia expressiones illae vel modus dicendi constitutionum et regularum religiosarum circa confessores, etc. vel cum exaggeratione vel rigide iuxta litteram aliquoties interpretantur, necessaria deficit libertas confessores sive ordinarios sive extraordinarios eligendi, cum detrimento vitae spiritualis et etiam pacis internae domus et communitatis.

b) In talibus circumstantiis et praesertim in regionibus ubi illi religiosi sacerdotes multi non sunt certissime et inevitabile succedet quod illi confessores, directores et praedicatores exercitiorum spiritualium electi semper non sint meliores neque revera magis parati ad tale officium exercendum; unde consequenter deficientia vitae spiritualis et impulsus actionis apostolicae manifestabitur. Ex alia parte sacerdotes alii vel ex alia congregatione et ordine vel diocesani esse possunt vere apti et etiam ab ipsis religiosis desiderati sed non invitantur quia sanctae regulae hoc non permittunt. Tandem aliquando etiam dicitur quod talis exigentia tenetur ut religiosae verum spiritum ordinis, congregationis vel societatis non perdant sed quantoties dispositio haec rigide observata ad perditionem spiritus Ecclesiae et vocationis portat.

c) Saepe saepius in administratione rerum materialium religiosae maiorem aptitudinem et sagacitatem demonstrant habere quam religiosi praesertim si de negotiis domesticis vitae internae et externae domuum et communitatum agitur.

d) Subordinatio haec religiosarum et consequentes interventiones ab exteriori habitae apud eas etiam in quaestiones spiritualis naturae frequenter

tranquillitatem communitatum rumpunt et multoties progressum et dynamismum illarum entitatum religiosarum impediunt quia stimulus non habetur et libertas circumscribitur.

e) Status talis subiectionis etiam minimae religiosarum hodie omnino contrarius censetur intentioni Sanctae Sedis quae ultimatim publice et solemniter religiosas invitavit ut in Concilio adsisterent tamquam auditrices et hoc evidenter ab omnibus nobis significare putatur quod religiosae illae et omnes aliae religiosae ab Ecclesia adprobatae quas nostrae ornatissimae auditrices repraesentant considerari debent autonomae et liberae quia iam aetatem habent et ipsae interrogari possunt.

4. Ergo prae oculis tenens omnia haec et alia fortasse supponenda audeo respiciens tantum bonum Ecclesiae proponere:

a) Auferentur omnino ab omnibus constitutionibus et regulis entitatum religiosarum mulierum omnes illae determinationes quae vel in forma praecepti vel in forma commendationis dicunt praeferri tales sacerdotes determinati instituti religiosi tamquam confessores, directores et praedicatores, etc. Si autem constitutiones illae aut regulae aliquos sacerdotes commendare debent hoc faciant forma generica scilicet proponendo tantum eos qui sapientes sunt et sancti.

b) Electio confessorum, directorum et praedicatorum relinquatur unice Ordinario loci et Superiorissae locali vel provinciali.

d) In his omnibus considerationibus evidenter loqui non intendo neque de illo sancto fundatore qui donum charismaticum habet fundatoris; neque de expressa aliqua prohibitione quae illos religiosos correlativos nominatim impediant ministerio fungi confessorum, directorum et praedicatorum in institutis mulierum eiusdem vel determinati ordinis, congregationis et societatis; neque de illa sancta amicitia sicut ea quae fuit inter S. Benedictum et S. Scholasticam, inter S. Franciscum et S. Claram; affirmare tantum volo autonomiam religiosarum erga omnia instituta religiosorum ut liberae sint et in libertate hac magis ac magis progrediantur in conscientia earum possibilitatum cum gratia Christi, in laetitia, in caritate et apostolatu pro Ecclesia Dei.

5. Hucusque, autem, egimus de autonomia religiosarum et censeo quod in hac materia pervenire debeo usque in finem ad bonum Ecclesiae et illorum ei inservientium. Haec etenim quae nunc sequuntur a me dicentur maxima cum reverentia (et repeto) a me dicentur maxima cum reverentia et in mente unice teneo renovationem illam Ecclesiae quae est dominator communis Encyclicae « Ecclesiam suam ». Agitur de illa autonomia nunc religiosorum et religiosarum quam fortasse illi habere nolunt sed tamen mihi videtur valde necessaria propter opinionem publicam erga Ecclesiam et aliquos membros suae hierarchiae. Est autonomia ab illo protectoratu Eminentissimorum Cardinalium praesertim illorum qui in urbe sunt et saepe protectores religiosorum et religiosarum et aliorum institutorum facti sunt. Nam homo in via publica, vel ut in lingua vulgari dicitur « l'uomo della strada », vel « o homem

da rua », homo in via publica dicit quod talis protectoratus Emminentissimorum Cardinalium normaliter petitur pro omnibus institutis, quia traditio est, sed fundamentaliter vera ratio practica est facilius iustitiam obtinere in aliqua causa in Curiam Romanam adventura. Praeterea in via publica publice proclamatur quod laicus vel sacerdos vel episcopus si aliquam causam habet pendentem et in favorem talis causae unum aut duos Eminentissimos Cardinales non inveniet difficillime exitum pro causa propria consequetur. Ergo ut plena iustitia fiat erga Curiam Romanam quae in dicasteriis suis omnes causas accipit et sollerter ea solvit; ut iustitia plena fiat erga Eminentissimos Cardinales qui diligentissime et maximo cum sacrificio Ecclesiae inserviunt in suis verticibus; ut etiam removeatur omnino umbra paternalismi qui etiam in Ecclesia conscientiae universali repugnare videtur ego postulo tantum hoc quod ab omnibus bene intelligitur post illa quae dicta sunt, scilicet quod restituatur omnibus institutis vel religiosorum vel religiosarum vel aliorum autonomia illa quam a iure etiam naturali et positivo possidere debent.

Et tunc in omnibus locis, in via publica et ab omnibus erga omnes iustitia fiet et ita maiore cum amplitudine, fide et amore profitemur unum tantum mediatorem esse Dominum Nostrum Iesum Christum et post Illum et cum Illo et sub Illo Mediatricem Nostram Beatam Mariam Virginem, Matrem Ecclesiae.

42

Exc.mus P. D. PETRUS CANISIUS VAN LIERDE

Episcopus tit. Porphyriensis

Omnis dicendi ratio duas complectitur partes: prima Pars versatur circa accommodatam renovationem vitae religiosae, altera vero circa quasdam animadversiones peculiares.

Pars I: *Vitae religiosae accommodata renovatio.* Haec renovatio reapse dicenda totius schematis cardo vitae religiosae elementa constitutiva colligens sustinens ac impellens. Qua sentiendi ratione vita religiosa non solum introducitur in ipsis S. Concilii praecordiis verum etiam ad sublimiores eius fines dirigitur.

1. In titulo verba « vitae religiosae » substituantur voce status perfectionis speciatim ob Instituta Saecularia quae non sunt vocanda Instituta religiosa propter rationes in posterum adsignandas.

Schema praeprimis sermonem instituit de renovationis fundamentis.

2. In *prima propositione* tres adsignantur regulae principales ad renovationem accommodatam instaurandam: Evangelium Christique sequela, Ecclesiae ductus et genuinus Fundatorum spiritus.

Hisce regulis tres aliae videntur autem addendae, videlicet: causa finalis perfectionis status, sanctitas nempe prosequenda, testificanda ac promovenda; Ecclesiae servitium ad quod omnia sunt ordinanda; lex naturalis observanda, restauranda et elevanda. Quid significant hae voces?

Sanctitas ceu regula fundamentalis accommodatae renovationis significat praedictam renovationem in omnibus suis criteriis et formis ad sanctitatem reapse aptius et facilius ducere eique numquam obstare, simulque esse in conspectu Ecclesiae signum Sanctitatis genuinum.

Ecclesiae servitium intendit religiosorum mentes, voluntates, verba et opera constanter amovere a semetipsis Ecclesiam vero aspicere usque in finem.

Lex naturalis ceu eiusdem renovationis regula exprimit necessitatem perfectionis statum exstruere *etiam* super hominis natura in omne quod huius naturae edicit veritatem, virtutem, educationem, urbanitatem necnon humanitatem et valetudinis curandae artem.

3. Propositio altera, enumeratis nonnullis practicis accommodatae renovationis criteriis, sic concludit: « Quapropter, prout necessarium fuerit, Constitutiones, Directoria, Consuetudinaria, libri precum et caeremoniarum aliique huius generis codices congruenter recognoscantur ». Quae conclusio suggerere possit opportunae aptationi satis provideri per recognitionem codicum iuris proprii Institutorum et omnes difficultates per simplicem bonam voluntatem religiosorum solvi posse. Verumtamen considerandum Constitutiones maxima ex parte a iure communi, et iurisprudentia de eo vigente dependere ita ut multis in casibus ab ipsis religiosis legitime mutari nequeant etsi mutatio ceteroquin utilis forte appareat. Inde fit ut alii recognitionem Constitutionum ad tempus post revisionem Codicis Iuris Canonici differre conentur, alii vero, recognitionem Constitutionum alacri animo aggredientes, a renovationibus serii ponderis introducendis ipso iure cohibeantur.

Ut hic duplex evitetur scopulus, propositio altera sub finem sic mutetur: « Quapropter, prout necessarium fuerit, Codex Iuris Canonici, Instructiones S. Sedis, Constitutiones etc. congruenter recognoscantur.

4. Optimum principium *in propositione tertia* enunciatum, quo edicitur efficacem renovationem et rectam accommodationem minime dari nisi cooperantibus omnibus Instituti sodalibus, a singulis Institutis extendendum est ad rectam perfectionis status in universali Ecclesia accommodationem.

Antequam proinde novae normae pro religiosis in Ecclesia statuantur, perutile erit investigare quomodo praedictae normae variis in Institutis reapse in praxim deduci possint ne ab omnibus requisita cooperatio a priori iam frustretur. Alioquin de facili augetur ea dissonantia inter legum praescripta et praxim vigentem, qua oboedientia aliis indebite aggravetur, aliis paulatim vilescit. Audiantur igitur Superiores aliique Institutorum regentes, qui de sodalium hodiernis condicionibus physicis et psychicis competenter iudicare possint cum relate ad totum Institutum tum relate ad singulas provincias diversis in regionibus existentes. Solum enim profunde cognita causa, sperare licet principia statui posse quae vitalia utique sint.

Iuvat insuper in hoc contextu verba Summi Pontificis Pauli VI in memoriam revocare: « Legum multiplicitas non semper religiosae vitae profectum comitem habet; saepe enim fit ut quo plures normae condantur, eo minus ad illas animus intendatur ».

Quae hucusque enunciata sunt, fundamenta et criteria practica accommodatae renovationis tangunt. Nunc ipsa contemplemur Instituta in quibus renovationi sternenda est via.

5. Praeter optima *quintae propositionis* verba vitae contemplativae Instituta respicientia, in textu etiam principia circa media huius renovationis ab huiuscemodi Institutis adhibenda, videlicet, vitae contemplativae constans insertio in ipsam Ecclesiae vitam hodiernam ac vicissitudines, disciplinarum sacrarum aptum spiritum ac studium, apostolicum spiritum ex contemplatione profluentem populoque christiano aliquomodo visibilem necnon animum necessitatibus mundi hodierni sensibilem.

6. *Propositio sexta* de Institutis vitae activae esset explenda insertione explicita principiorum vitam mixtam, vitam Institutorum mere laicalium et vitam Institutorum Saecularium promoventium.

Exstat etenim peculiaris distinctio inter Instituta vitae activae simpliciter talis et vitae mixtae, quae ultima in aequilibrium ponere tendit formas cum contemplativae tum activae operositatis. Numquam obliviscantur S. Angelici Doctoris verba: « maius est contemplatio aliis tradere quam contemplare » neque haec alia: « religiones sic inter se ordinantur quod summum gradum tenent quae ordinantur ad docendum et praedicandum; secundum illae quae ordinantur ad contemplationem; tertium denique est earum quae occupantur circa exteriores activitates ».[1] Unde in Institutis vitae mixtae sodales non delabantur ad vitam activam simpliciter dictam sed accommodata renovatione apud eosdem uberius reviviscant lectio, studium, contemplatio, actio sacra liturgica et subsequens apostolatus liturgicus, contactus cum mundo hodierno eiusque problematibus et consultatio cum variis Ecclesiae membris aliisque hominibus. Quorum omnium fructus exstet praedicatio illuminans, penetrans et efficax, mentes et corda ad Salvatorem Iesum generis humani Sponsum convertens sicut concrete praestiterunt Sancti Franciscus Assisiensis et Dominicus, Vincentius Ferrerius et Bernardinus Senensis aliique plurimi.

Textus schematis similiter edicat Institutorum mere laicalium munus in Ecclesia. Horum Institutorum sodales seu Fratres (Fratelli, Brothers) saepe conqueruntur de parva aestimatione in qua tenetur eorum apostolatus, de legislatione Matris Ecclesiae quae de eis fere silet, de diuturna temptatione ad ministerium sacerdotale transeundum cum magno detrimento charismatici muneris in eorum Institutis non absque Dei providentia exstantis. Unde submisse peto ut pro istis Institutis resumatur n. 10 schematis anno 1963 editi.

Schematis textus, quaeso, nequidem sileat de Institutis Saecularibus. Cum sincera subiectione Supremo Pastori et tamquam Venerabilium Patrum ultimus edicere audeo Instituta Saecularia significare permagnam Spiritus Sancti gratiam in Ecclesia nostri temporis equidemque exstare peculiare Dei donum pro mundo hodierno.

---

[1] *Summa Theologica* II-II, q. 188, a. 5, in c.

Ad caracterem horum Institutorum sobrie et nervose adsignandum duo essentialia sunt perpendenda ex doctrina utriusque Summi Pontificis Pii XI et Pii XII circa genesim et nativitatem horum Institutorum magnopere solliciti: *a*) perfectionis christianae professio quoad substantiam est vere religiosa, sed in saeculo exercenda; [2] *b*) iure, ex regula, haec Instituta, nec sunt nec proprie loquendo dici queunt Religiones vel Societates vitae communis.[3]

Ex his habetur Institutorum Saecularium sodales non esse religiosos, sed magnopere laicos Deo utique sacratos ad apostolatum exercendum non tantum *in saeculo,* sed veluti *ex saeculo,* ac proinde professionibus, exercitiis, formis, locis, rerum adiunctis saeculari huic conditioni respondentibus, exercendum fideliter.[4]

Si ergo Summus Pontifex Pius XII horum Institutorum curam S. Congregationi de Religiosis commisit id evenit propter rei novitatem canonicam simul et absentiam alicuius peculiaris Dicasterii pro Laicis *consacratis* necnon propter desiderium eiusdem Pontificis eum ipsum posse invigilare super sorte huius virgulti vernantis.

Submisso animo dignum esse censeo huius praeclari Concilii hanc rem in orationibus ac studiis undequaque perpendere ad gloriam gratiae Dei et ad hodiernam apostolatus Catholicae Ecclesiae efficaciam.

Spiritus Sanctus non subiaceat legi sed lex inserviat Spiritui Sancto.

7. *Propositio undecima* sermonem de vita communi instituens, utilia utique promit ast nil edicit de aspectu educativo et formativo vitae communis, individuam impellens et augens personam, ad bonum commune magis quam ad bonum privatum omnem vitam ac operositatem dirigens. Spirantia sunt Doctoris S. Ecclesiae cuius nomen est Augustinus verba: « Omnia opera vestra in commune fiant maiore studio frequentiori alacritate, quam si vobis propria faceretis. Caritas enim de qua scriptum est quod non quaerit quae sua sunt, sic intellegitur, quia communia propriis, non propria communibus anteponit. Et ideo quanto amplius rem communem quam propriam curaveritis, tanto amplius vos profecisse noveritis ».[5]

Pars II: *Quaedam animadversiones.* 8. *In propositione septima* post vocem « Religiosi » addantur verba: « superiores aeque ac subditi ».

9. *Propositioni octavae* valde pulchrae ac utili addatur periodus ex n. duodetrigesimo Schematis 1963 ubi tam apte verbum instituitur de duratione Superiorum in munere « praesertim in mulierum Institutis ». Hoc additamentum multum conferre potest ad accommodatam renovationem a Concilio Vaticano II invocatam.

10. *Propositioni undevigesimae* sub finem addatur votum quod prostat numero quinquagesimo secundo schematis 1963 editi. Hoc votum sic sonat:

---

[2] Motu proprio *Primo Feliciter,* 12 martii 1948: *A.A.S.,* 40 (1948), p. 284.
[3] Lex peculiaris Instit. Saecul. art. II, 1 ns. 1 et 2.
[4] Motu proprio *Primo Feliciter,* 12 martii 1948: *A.A.S.,* 40 (1948), p. 285.
[5] *Epistola* 211, n. 12: *PL* 33, 963.

« Opportunum censetur ut in Institutorum status perfectionis utilitatem, conferantur Moderatoribus Supremis facultates ad quaedam negotia expedienda, ne frequentiores ad S. Sedem recursus habeantur ».

Conclusio. In praesenti propositionum schemate, meo humili sensu, omittuntur res magni utique ponderis, dum alia problemata nimis generice tractantur. Unde duas propositiones velim proferre:

1. Accommodata renovatio perfectionis status in Ecclesia uberius ac perfectius est perpendenda, enucleanda et proponenda.

2. Ex dictis summa elucet opportunitas, ut instituatur Consilium competenti auctoritate ornatum, et ex variarum nationum personis constans, non solum iurisprudentiae asseclis sed etiam vitae spiritualis et apostolatus valde peritis. Huius Consilii est — usquedum novum ius definitive condatur — sub ductu Summi Pontificis ea interim permittere et statuere quae ad accommodatam vitae religiosae renovationem vere conferant.

Sic enim aptatio, sicut renovatio Liturgiae, *gradatim* procedere potest modo non statim irrevocabili, nec necessario ubique eadem prorsus ratione sed consentanea potius variarum regionum condicionibus. Inde fiet, ut renovata vita promptius et facilius a religiosis accipiatur et forma eius definitiva securius paretur.[6]

43

REV.MUS P. D. RENATUS ZIGGIOTTI

Rector maior Societatis S. Francisci Salesii

[*Cf. supra, pag. 574-579*].

[*Subscripsit etiam*] C. Rada S., ep. Guaranda.

44

CONFERENTIA EPISCOPORUM INDONESIAE

Tum ad necessariam ipsam renovationem vitae religiosae tum ad revisionem Codicis intuitu huius renovationis fovendae his propositionibus nobis praeferendum videtur schema magis elaboratum, quod non tantum principia traditionalia inculcat sed ea imprimis in luce aliorum ex hoc Concilio procedentium necnon reflexionis hodiernae theologicae secundum eorum genuinum sensum explicat. In quantum autem hoc propter penuriam temporis possibile non est, has propositiones tanti valoris esse putamus, ut, quibusdam emendatis, eas libenter acceptabimus.

Ad 1. In prima propositione verba « Sancta Matre Ecclesia duce » aut

---

[6] Cf. *Instructionem ad executionem Constitutionis de S. Liturgia recte ordinandam,* 28 sept. 1964, n. 4.

supprimantur, quia res est nimis evidens, aut mutentur, quia intentum minus recte exprimunt. Intenditur enim auctoritas Pastorum Ecclesiae, qui cum Sancta Matre Ecclesia non sunt identificandi; insuper vox « duce » minus apta videtur ad evocandam primam partem responsabilitatis ipsorum Institutorum de quibus agitur. Si haec verba non omittuntur, dicatur: Pastoribus Ecclesiae moderantibus.

Insuper clare enuntietur « proposita Fundatorum », de quibus textus loquitur, non materialiter intelligi debere sed secundum Fundatorum sensum charismaticum de exigentiis evangelicis et de urgentioribus Ecclesiae necessitatibus, ne sana evolutio Institutorum impediatur.

Ad 2. In secunda propositione prima sententia omittatur, *a*) quia tantum repetit quae in fine primae propositionis sunt dicta; *b*) quia ansam praebere potest interpretationis, quae sanae adaptationi et evolutioni obstaret.

Inter ea quibus ratio vivendi, operandi et orandi est adaptanda, imprimis enumerentur: conceptiones de vita vere christiana quae in aliis documentis huius Sacrosanctae Synodi proponuntur et in sana theologia proprii temporis elaborantur. In his enim potissima ratio necessitatis adaptationis invenitur et insuper maximi est momenti ut ratio vivendi, operandi et orandi religiosorum non sit aliena ab eis quae in tota communitate contemporanea Ecclesiae ut magis conformia cum exigentiis verae vitae christianae iudicantur.

Ad 3. In tertia propositione aliquomodo elaboretur, quae cooperatio intendatur, ne propter voces « moderante vero competenti auctoritate » restringatur ad oboedientem executionem eorum quae ab auctoritatibus sunt excogitata. Loquatur textus expresse de responsabilitate omnium sodalium in quaerendis efficaci renovatione et recta accommodatione, ut charisma Spiritus Sancti a quo institutum originem ducit, etiam novae evolutioni praesit.

Ad 4. In quarta propositione quidem recta dicuntur, sed tali modo ut valeant de omnibus christifidelibus; insuper non satis elucet unitas amoris Dei et proximi, et studium ipsius hominis sic premitur ut aequilibratio per mentionem divinae gratiae desideretur. Quare haec mutatio proponenda videtur: « Omnes qui Evangelica Consilia profitentur, credentes " caritati quam habet Deus in nobis " (*1 Io.* 4, 16), fideliter respondentes gratiae sibi datae, cum omnibus fidelibus assiduo studio fortique animo consequi nitantur perfectum Dei amorem, cum quo proximi dilectio in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem indissolubiliter connectitur ».

Ad 5. Propositio quinta de institutis vitae contemplativae nimis defectuosa videtur propter rationes sequentes: *a*) quia propter terminologiam tardius introductam haec instituta nimis in unum typum rediguntur; sunt etiam instituta cum accentu valde contemplativo quae sine praeiudicio eorum spiritus genuini et iuxta consuetudinem saepe saecularem aliquod opus apostolicum assumere soleant; hanc ob rem dicatur: Instituta quae se modo speciali vitae contemplativae dedunt ... aut loquatur de iis qui ...; *b*) quia tentum ut factum enuntiatur haec instituta semper suas partes in Corpore Mystico

Christi habere atque uberrimos fructus Ecclesiae afferre; propter momentum rei haec aliquibus verbis elaboranda sunt cum indicatione rationum; etiam aliquatenus indicandum est in quibus renovatio eorum praecipue quaerenda sit; inter haec maximi momenti videtur ut vivatur relatio cum vita totius Ecclesiae in eius inceptis et necessitatibus.

Ad 6. In propositione sexta dicatur propter attenuationem terminologiae: « In institutis sic dictae vitae activae ».

Verba « ab Ecclesia ipsis commissum eiusque nomine exercendum » non omnino recte relationem cum auctoritate Ecclesiae indicare videntur, quando in genere sermo est de ministerio et opere quae finem specificum constituunt. Tunc enim agitur de ministerio et opere quae Fundatores charismate Spiritus Sancti ducti, arripuerunt; per approbationem Constitutionum ab auctoritate Ecclesiae factam, hoc ministerium et opus nondum ab auctoritate Ecclesiae committitur nec eiusdem nomine exercetur, sed tantum agnoscitur et approbatur ut ministerium et opus commendandum. Propterea dicatur: « susceptum secundum charisma Fundatorum ab auctoritate Ecclesiae ut genuinum agnitum ».

Quae in fine huius propositionis dicuntur, sunt quidem vera, sed intuitu renovationis necessariae, omnino explicanda sunt ut evitetur interpretatio minus recta, quae his temporibus tum apostolatui tum vitae spirituali et aequilibrio personali sodalium valde nocere potest. Expresse dicatur executionem huius ministerii et horum operum pertinere ad ipsam sanctitatem sodalium; sanctificatio sui ipsius dici potest obiectum primum responsabilitatis uniuscuiusque sed nequaquam ipsi ministerio sancte exercito est opponenda; in specie sic dicta exercitia pietatis magni sunt momenti pro unione cum Deo ex qua actio apostolica procedere debet, sed non sunt identificanda cum primatu unionis cum Deo et sanctitatis; admonere praesertim iuvat in his institutis in tota ordinatione rationis vivendi et orandi rationem habendam esse propriarum exigentiarum huius ministerii et operum.

Ad 7. Propositio octava principium rectum enuntiat, sed propter suum contentum nimis genericum realem vim renovationis non habet. Omnino necesse est ulterius explicari quid renovatio oboedientiae hodie requirat, sicut in sequentibus aliquomodo fit quoad paupertatem. Introducenda ergo videtur propositio de renovatione oboedientiae, in qua e. g. dici debet agi de oboedientia adultorum et non infantium, oboedientia sodales non absolvi a propria responsabilitate et superiorum esse responsabilitati propriae et initiativis subditorum fovere etc.

Ad 9. Loco « patrimonium sacrum » dicatur « patrimonium pauperum », quia vox « sacrum » praesertim sororibus religiosis horrorem incutere posset, quo hoc patrimonium ob indolem sacrosanctam tangere ad distribuendum non auderent.

Insuper addatur: Praxis colligendi eleemosynas, de qua canon 621, abrogetur ut hodiernis temporibus non conveniens; aut saltem secundum temporum locorumque circumstantias ita immutetur ut ab una parte cum spiritu

paupertatis ipsorum regularium omnino concordet et ab altera parte pro aliis non sit scandalum vel causa mirationis aut iustae exprobationis.

Ad 10. In propositione decima addatur: « et praescriptis Constitutionum opportune adaptatis », ne Constitutiones uti nunc de facto sunt hic intenta impedirentur.

Insuper post verba « immo curandum est ut in institutis mulierum ad unam classem perveniatur » addendum videtur: « in institutis autem virorum conversi non sunt excludendi a moderamine operum sibi convenientium nec a iure activo suffragationis in electionibus faciendis nec ab omni participatione in capitulis et in consiliis Superiorum.

Tandem abrogentur omnes tituli honorifici et praecedentiae, qui non fundantur in officiis, quibus religiosi actu funguntur, qua tales.

Ad 11. In hac re vera adaptatio, quae nostra tempora suadent, requirere videtur ut clausura monialium non alia sit ac clausura valens pro viris ordinum monasticorum; nominatim abrogentur consuetudines quoad cancellos, velamina et alia huiusmodi.

Ad 12. Verba in fine « Habitus autem qui iis normis, iudicio Sanctae Sedis, non congruit, immutandus est » minus practica videntur et ideo superflua.

Ad 13. Loco « ab institutione alumnorum » dicatur: « a sodalium institutione » ut praecaveatur ne quae in prima sententia dicuntur intelligantur ut de solis iuvenioribus valentia.

Ad 15. Verba quibus propositio quintodecima incipitur « opera propria fideliter retineant », veram renovationem operum impedire posset. Dicatur: « Instituta iam condita opera propria secundum principia in prima propositione indicata temporum locorumque necessitatibus accommodent, ita ut quae adhuc secundum inspirationem Fundatorum bono Ecclesiae inserviunt, opportunis ac etiam novis mediis adhibitis, fideliter retineant et adimpleant; illa autem quae cum instituti spiritu et germana indole hodie minus sunt consentanea relinquantur et eorum loco alia suscipiantur, quae propositis Fundatorum et necessitatibus hodiernis Ecclesiae magis conveniant ».

Ad 18. In propositione duodevicesima omittantur verba « a Sancta Sede erectis » ne excludantur conferentiae seu consilia a Superioribus Maioribus sua sponte erecta in determinatis regionibus.

Ad 19. Quoad opera ad fovendas vocationes, expresse dicendum esse videtur omnem zelotypiam esse excludendam et in omnibus bonum totius Ecclesiae prae oculis habendum esse.

45

QUIDAM EXC.MI PATRES EX MADAGASCAR

N. 2, pag. 5, linn. 17-18. Exoptatur ut de adaptatione Institutorum Religiosorum ad ingenium et conditiones vitae populorum in quibus Novellae Ecclesiae conditae sunt vel adhuc perdurat status missionis non agatur per transennam, ut fit in lineis citatis, sed agatur in numero speciali in quo commendetur ipsa adaptatio et institutio per organa competentia normarum iuridicarum ad illam faciliorem reddendam.

N. 11, pag. 7, linn. 5-6. Verba « sed iuxta temporum locorumque conditiones accommodata » mutentur in sequentia vel similia: « sed secundum normas pro viris regularibus statutas ».

Clausura papalis maior hucusque vigens pro Monialibus vitae unice contemplativae nec necessaria est ad vitam contemplativam tutandam et non congruit cum moribus modernis, quae maiore aestimatione et fiducia in mulieres imbuuntur.

[*Subsignaverunt*] C. Rolland, ep. Antsirabe; F. Rajaonarivo, ep. Miarinarivo; A. Martinez, ep. Tsiroanomandidy; C. Chilouet, ep. Farafangana; J. Rakotomalala, arch. Tananarive; A. Tsiahoana, ep. tit. Abtugni; M. Canonne, ep. Tulear; J. Wolff, arch. Diego Suarez; G. Ramanantoanina, arch. Fianarantsoa; A. Fresnel; F. Vollaro, ep. Ambanja; J. David, ep. Majunga; J. Puset, ep. Tamatave.

46

QUIDAM REV.MI PP. SUPERIORES GENERALES

Opportunum videtur indicare in schemate quod vita religiosa essentialiter consistit in totali, immediata et indivisa consecratione suiipsius Deo facta per professionem praeter mandatorum etiam consiliorum evangelicorum. Ex hoc apparebit quod ratione sui ipsius vita religiosa non est nec monastico-contemplativa nec apostolico-activa, sensu quo haec duo canonice intelliguntur, sed varias formas assumere valet prout vocatio et missio religiosorum in Ecclesia, Christi Mysterio, exigunt.

Formae ad duo genera reducuntur quae vita monastico-contemplativa et vita apostolico-activa vocari possunt.

Historice vita religiosa monastico-contemplativa prior est in Ecclesia, vita apostolico-activa posteriore tempore apparuit.

Duo genera inter se magis vel minus differunt prout propositum monastico-contemplativum vel apostolico-activum in variis eius formis praevalet.

Licet duo genera in ratione consecrationis seu perfectionis caritatis omnino conveniant et communes exigentias praebeant, valde differunt, propter diversum finem specificum, ratione vivendi et in praxim deducendi consecrationem sub respectu exercitiorum pietatis, asceseos, virtutum, necnon sub

respectu disciplinae, vitae communitariae, ordinationis vitae, regiminis, et praesertim propter opera quibus dedicantur. Praeterea, haec duo genera propriam habent vitae religiosae conceptionem theologicam et spiritualem, qua consecratio religiosa specificatur et cui respondere debet propria et adaequata formatio.

Vita religiosa apostolico-activa, ratione finis specifici, essentialiter ordinatur ad apostolatum et in apostolatum converti debet, salvis semper exigentiis vitae spiritualis et consecrationis, quae tamen semper et ipsae charactere apostolico connotantur.

In hac forma vitae religiosae apostolatus, qui ad ipsam pertinet tanquam elementum substantiale, fons et norma extat formae et ordinationis vitae sive pro communitate sive pro singulis sodalibus.

Evidenter, praeoccupatio vitae spiritualis in vita quoque religiosa apostolico-activa praevalens remanet, sed haec praeoccupatio praeparat ad apostolatum et apostolatus, sua vice, illam fovet: scilicet vita spiritualis ab apostolatu formam specificam seu characterem assumit.

Vita religiosa apostolico-activa coarctari nequit in forma et in ordinatione vitae religiosae quae ratione et intuitu vitae monastico-contemplativae vel eius occasione elaboratae sunt. Vita religiosa apostolico-activa, praesertim pro mulieribus, est potius quid novum in Ecclesia et certe nullum Concilium hucusque prae oculis habere poterat tantam multitudinem Religiosarum diversis operibus apostolatus deditarum. Videtur tamen quod haec providentialis novitas nondum sufficienter propria et adaequata ordinatione definita et determinata usque adhuc sit.

Praeterea tantae et tam momentosae sunt formae quibus vita religiosa apostolico-activa exprimi potest quod via ulteriori evolutioni patere semper debet. Quapropter optandum esset quod Concilium clare indicet vitam religiosam apostolico-activam propria definitione et ordinatione indigere, quibus etiam distincta formatio respondere oportet. In hoc potissimum consistit renovatio et adaptatio huiusmodi formae vitae.

Ideo duo proponuntur:

Primum. - Indicetur in quonam elemento essentialiter consistit quaevis forma vitae religiosae, seu quaenam sit substantia cuiusvis vitae religiosae.

Hunc in finem ad num. 4, pag. 5, lin. 28, post verba: « Deus in nobis » (*Io.* 4, 16) addatur: « sese habeant plene, immediate et indivise Deo consecratos, et ... ».

Totus numerus ita legatur: « Omnes qui Evangelica Consilia profitentur, credentes " caritati quam habet Deus in nobis " (*1 Io.* 4, 16), *sese habeant plene, immediate et indivise Deo consecratos* et assiduo studio fortique animo consequi nitantur perfectum Dei amorem, ex quo proximi dilectio profluit in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem (cf. n. 17) ».

Secundum. - Commemorata in num. 5, pag. 6, vita contemplativa, quae vocari posset « monastico-contemplativa », magni interest indicare momentum et naturam vitae religiosae apostolico-activae et in mentem recolere

locum et influxum apostolatus in hac peculiari forma vitae religiosae, quae ab apostolatu characterem specificum desumit.

Hunc in finem: In num. 6, pag. 6, lin. 8, loco « vitae activae » dicatur: « vitae apostolico-activae ».

In eodem num. 6, pag. 6, lin. 14, post finem sententiae verba sequentia vel similia addantur: « In istis Institutis quae ab apostolatus operibus specificum characterem recipiunt integra vita religiosa in apostolatum converti debet qui est perpetuo sancteque exercendus ut non minus interiorem spiritum prodat, quo informatur, quam ipsum alat et renovet. Quapropter fidelis et constans vita consecrationis religiosae eiusque ordinatio exigentiis apostolatus eiusque Instituti proprii respondere debent ».

In fine schematis « De statibus perfectionis adquirendae » a. 1963 apparati, pag. 38, n. 52, votum exprimebatur circa facultates moderatoribus Supremis tribuendas; in fine praesentis schematis « de Religiosis » propositionem vel saltem votum exprimere convenit circa concessionem Superioribus Maioribus Congregationum religiosarum clericalium potestatis iurisdictionis et facultatum quibus fruuntur Superiores Maiores Ordinum pro regimine et disciplina interna religionum quaeque naturam non ferunt privilegiorum.

Saeculo elapso, et definitive per Codicem I. C., Congregationes religiosae conditionem iuridicam assecutae sunt quae sub respectu religioso illas in eodem gradu et statu ponit ac Ordines et ideo Congregationes formaliter habitae sunt tamquam « Religiones » et pro propriis sodalibus quoad incorporationem et internam disciplinam locum tenent dioeceseos (cf. Const. Apost. *Provida Mater,* diei 2 febr. 1947).

Assimilatio inter Ordines et Congregationes sub descripto respectu nondum tamen necessarias et connaturales consequentias produxit quoad potestatem iurisdictionis et facultates necessarias quibus regendae sunt Congregationes.

Status iuridicus Congregationum evectus est quin eodem tempore potestas illarum moderatorum evehatur ut novo statui iuridico respondeat.

Congregationes desiderant potestatem iurisdictionis, nullo modo tamen petunt privilegium exemptionis. Potestas iurisdictionis non secumfert privilegium exemptionis.

Quapropter, sequens votum vel propositio in fine schematis pag. 8 inseri posset:

« Opportunum censetur ut Superioribus Maioribus Congregationum religiosarum clericalium conferantur potestas iurisdictionis et facultates pro regimine interno seu disciplina Congregationum earumque sodalium quibus fruuntur Superiores Maiores Ordinum pro propria Religione eiusque sodalibus, quin tamen ex hoc privilegium exemptionis vindicetur ».

[*Subsignaverunt*] C. M. Heiligers, SMM; J. Van Kerckhoven, MSC; O. Degrijse, CICM; R. Ziggiotti, Sales.; R. Zilianti, abb. null. Monte Oliveto Maggiore; Clementinus van Vlissingen, ofmcap.; H. Bliestle, MSF; G. Marinucci, OEDSA; G. Dayez, OSB; L. Deschâtelets, OMI; Anastasio del Ss.mo Rosario,

OCD; S. Kleiner, O. Cist.; I. Gillet, O. Cist. Ref.; G. Bernasconi, Barnab.; K. Healy, O. Carm.; P. Magnone, O.S.I.; C. Blanchet, miss. Salette; C. Mansfeld, Min. Inf.; J. Soetemans, SS. Salv. Lat.; J. Gaddo, Inst. Car.; G. Lalande, CSC; V. Tomek, Ord. Sch. P.; H. Systermans, SSCC; R. Huot, S.S.S.; P. Schweiger, CMF; B. Schweizer, SDS; L. De Santis O.M.D.; H. De Cocq, ep. tit. Acque di Bizacena; P. Ramirez Taboada, ep. Huacho; D. Desperben, praef. ap. Hainan; J. Tielbeek, ep. tit. Tipasa in Numidia; Th. Eugenin, ep. tit. Gerisso; N. Van der Westen, ep. Pangkal-Pinang; V. Van Beurden, praef. ap. Kole; N. Verhoeven, ep. Manado; J. O'Loughlin, ep. Darwin; H. Vermeiren, arch. tit. Pedactoe; A. Stemper, vic. ap. Kavieng; O. Terrienne; O. Koop, ep. Lins; L. Morel, arch. tit. Eno; W. Brasseur, vic. ap.; J. Scalais, arch. tit.; B. Mels, arch. Luluabourg; A. Jacques, ep. Boma; F. Van den Bergh, ep. Lisola; G. Bouve, ep. Kongolo; P. Lehaen, ep. Sakania; M. Van Rengen, praef. ap. Mweka; J. Frijns, ep. Kindu; J. Van Cauwelaert, ep. Inongo; N. Schneiders, arch. Makassar; A. Barbisotti, ep. tit. Cauno; J. Dalvit, ep. São Matéus; D. Parodi, ep. tit. Centenaria; D. Ferrara, praef. ap. Mopoi; G. Briani, sup. gen. F.S.C.; J. Giordani, praef. ap. La Paz Calif.; D. Fiorina, sup. gen. I.M.C.; Carlo Van Melckebeke.

CONGREGATIO GENERALIS CXXII

14 novembris 1964

CONGREGATIO GENERALIS CXXII

14 novembris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Patres venerabiles, moderabitur congregationem generalem 122 em.mus ac rev.mus D. card. Petrus Gregorius Agagianian.

Notum facio vobis, Patres, supremum diem piissime obiisse exc.mos D. Franciscum Barda, ep. Premisliensem Latinorum in Polonia, et Ioseph Moreira Pinto, ep. Visensem in Lusitania. Oremus pro anima eorum.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: De profundis...

Secretarius generalis: Patres venerabiles, cursus in fine velocior, et propter hoc etiam durior. Vestram patientiam enixe rogamus, ut nobis obsecundare velitis in nostro labore, etiam duro. Proxima hebdomada, probabiliter, erunt etiam sessiones pomeridianae — *probabiliter* —, sed Calendarium harum sessionum, si aderunt, dabitur feria II proxima. Labor, ceterum non erit inanis, neque apud Dominum, neque apud homines et apud Ecclesiam.

Hodie distribuentur fasciculi continentes Modos qui respiciunt capp. III, IV, V, VI, VII, VIII schematis *de Ecclesia* [*plausus*]. Sed Modi erunt suffragandi et suffragatio fiet, sic disponentibus moderatoribus, feria III et feria IV proximae hebdomadae, hoc ordine: feria III fiunt suffragationes Modorum capp. III, IV, V; feria IV, suffragationes Modorum capp. VI, VII, VIII et sic, Deo favente atque Deipara, finem habebunt suffragationes congregationum generalium circa schema *de Ecclesia.* Interea prosequentur etiam aliae suffragationes; hodie, post suffragationem circa Modos cap. III *de Oecumenismo,* habebuntur primae 6 suffragationes quoad schema *de accommodata renovatione vitae religiosae.* Aliae 3 suffragationes circa hoc schema habebuntur feria II proxima. Et post ultimam suffragationem, iam schema remittitur, si Modi aderunt, ad commissionem. Modi qui forte dabuntur circa schema de religiosis possunt exhiberi etiam feria II vel etiam feria III proximae hebdomadae. Habeo aliquas alias communicationes faciendas sed faciam durante hac congregatione.

En igitur nomina eorum qui verbum facere postulaverunt circa schema *de institutione sacerdotali.* Sunt em.mi ac rev.mi DD. cardd.

Iacobus De Barros, arch. S. Sebastiani Flum. Ianuarii in Brasilia; Ernestus Ruffini, arch. Panormitan. in Italia; Paulus Léger, arch. Marianopolitan. in Canada; Iulius Döpfner, arch. Monacen. et Frisigen. in Germania; Leo I. Suenens, arch. Mechlinien. et Bruxellen. in Belgio.

Deinde, nomine plurium: exc.mi DD. Dinus Staffa, arch. tit. Caesarien. in Palaestina; Emmanuel Fernandez-Conde, ep. Corduben. in Hispania; Paulus Sani, ep. Denpasaren. in Indonesia; Ioseph Gopu, arch. Hyderabaden. in India; Laurentius Jäger, arch. Paderbornen. in Germania; Tullius Botero, arch. Medellinen. in Columbia; Iacobus Flores, ep. Barbastren. in Hispania; Ioannes Sauvage, ep. Annecien. in Gallia; Dionysius Hurley, arch. Durbanian. in Africa Merid.; Benedictus Zorzi, ep. Caxien. in Brasilia; Paulus Schmitt, ep. Meten. in Gallia; Antonius Añoveros, ep. Gadicen. et Seten. in Hispania; Antonius Pawlowski, ep. Vladislavien. in Polonia; Arcturus Rivera, ep. aux. S. Salvatoris in El Salvador; Andreas Charue, ep. Namurcen. in Belgio; Ioannes Weber, ep. Argentinen. in Gallia; Aemilius Benavent, ep. coad. Malacitan. in Hispania; Ludovicus Rodriguez, ep. S. Crucis in Bolivia; Raimundus Bogarin, ep. S. Ioan. B. a Missionibus in Paraguay; Ioannes Klooster, ep. Surabaien. in Indonesia; Victor Reed, ep. Oklahomen. et Tulsen. in Stat. Foed. Am. Sept.; Ioseph Cserhati, ep. adm. ap. Quinque Ecclesiar. in Hungaria; Sergius Méndez, ep. Cuernavacen. in Mexico.

SCHEMA DECRETI DE OECUMENISMO

MODI *

A PATRIBUS CONCILIARIBUS PROPOSITI
A SECRETARIATU AD UNITATEM CHRISTIANORUM FOVENDAM
EXAMINATI

III

CAPUT III

DE ECCLESIIS
ET DE COMMUNITATIBUS ECCLESIALIBUS
A SEDE APOSTOLICA ROMANA SEIUNCTIS

1 – RELATIO [3]

Die 7 octobris anni 1964 factae sunt suffragationes de partibus Capitis III Schematis Decreti *De Oecumenismo,* cum sequenti *exitu.*

Prima suffragatio, de numero 13.

Praesentes votantes	2.177
Placet	2.154
Non placet	21
Vota nulla	2

Secunda suffragatio, de numeris 14-18.

Praesentes votantes	2.162
Placet	2.119
Non placet	39
Vota nulla	4

Tertia suffragatio, de numeris 19-24.

Praesentes votantes	2.133
Placet	2.088

* Huiusmodi fasciculus Patribus distributus fuit in congregatione generali CXXI, die 12 novembris 1964.

[3] Non placet	43
Vota nulla	2

De integro Capite III facta est suffragatio die 8 octobris anni 1964.

Praesentes votantes	2.169
Placet	1.843
Non placet	24
Vota nulla	6
Placet iuxta modum	296

Integrum ergo caput, cum omnibus suis partibus a Concilio in Congregatione generali est approbatum.

[4] Omnes et singuli modi a Patribus propositi omni qua par est diligentia examinati sunt a duabus subcommissionibus quae ad hoc a Patribus Secretariatus constitutae sunt. Prima subcommissio, cui praeses erat Exc.mus Hermaniuk, curam habuit numerorum 13 ad 18, nempe prooemii et primae partis; alteri vero, quae de parte secunda capitis se occupabat, praesidebat Exc.mus Heenan. Relatione scripta circa omnes modos Patribus Secretariatus tradita et ab ipsis examinata, ampla praesertim de communicatione in sacris (n. 15) et de realitate Eucharistiae apud fratres seiunctos in Occidente (n. 22) nec non de aliis modis maioris momenti discussio in sessionibus plenariis Secretariatus facta est.

Aliquae mutationes, breviores additiones, transpositiones propositae, quibus sensus textus clarius et melius exprimitur, admissae sunt. Quae emendationes in elencho infra posito recensentur.

In sequenti relatione modi per ordinem recensentur et responsa proponuntur. Explicationes fusiores inveniuntur in aliquibus locis ubi agitur:

1) de communicatione in sacris (n. 15 ad 10 et 11);

2) de realitate Eucharistiae apud fratres seiunctos in Occidente (n. 22 ad 11 et 12);

3) de proselytismo (n. 19 ad 6 et n. 24 ad 4).

[5]

Caput III

AD NUMERUM 13

1 — Loco « a Sede Apostolica Romana seiunctis » in titulo dicatur « a *plena communione seiunctis* » (*10 Patres*).

R. — Modus propositus non accipitur talis qualis est, quia non exprimit a *cuius* communione seiuncti aestimantur fratres.

2 — Omittantur verba « seiuncti », « seiunctos » toties quoties.* [5]
R. — Videtur non expedire propter ambiguitatem.

3 — Dubium habetur de opportunitate huius capitis.
R. — Caput iam acceptum est suffragatione ingentis maioritatis Patrum; ideoque iam omitti non potest.

4 — Hoc caput laborat quodam complexu inferioritatis: confusionem et scandalum (si vis « pusillorum ») gignere potest.
R. — Caput acceptum omitti non potest.

5 — Pag. 19, lin. 1: « inconsutilis tunica Christi » est figura quae scindi non potest. Dicatur: « Ad duas praecipuas *plurium christianorum seiunctiones ab Ecclesia catholica apostolica romana* oculos convertimus (*2 Patres*).
R. — Nemo est qui non videat hic dici scindi non quidem figuram, sed quod figura designatur; quae figura saepius adhibetur et ab omnibus facile intelligitur.

6 — Pag. 19, lin. 5: post verba « per solutionem ecclesiasticae communionis » omittantur verba « inter Patriarchatus orientales et Sedem romanam ».
R. — Videtur necessarium indicari in quo consistit ista solutio ecclesiasticae communionis; de Orientalibus Ecclesiis etenim hic praecise agitur et hoc exprimi debet.

7 — Pag. 19, lin. 7: Omittenda sunt verba « post amplius quattuor saecula » (*2 Patres*).
R. — Accipere hunc modum non expedit quia de praecipuis scissionibus tantum agitur. [6]

8 — Pag. 19, lin. 9: Deleantur verba « a Sede Romana ».
R. — Non expedit quia praecise de separatione a Sede Romana agitur.

9 — Pag. 19, lin. 9 et 11: loco « Communio » dicatur « Communitas ».
R. — Lin. 9: verbum « Communiones » intendit non distinguere inter Ecclesias et Communitates.

Lin. 11: locutio « Communio anglicana » est communi usu recepta.

10 — Pag. 19, lin. 10: loco « se seiunxerunt » dicatur « *seiunctae sunt* ».

Ratio: *a*) ut abstrahatur a quaestione culpae;

---

* Ubi non indicatur numerus Patrum qui modum proposuerunt, intelligitur modum illum ab uno tantum Patre propositum esse.

[6] *b*) quia non respondet historicae veritati (*43 Patres,* ex quibus epp. Angliae).

R. — Modus accipitur.

11 — Pag. 19, linn. 10-11: loco « Inter eas, in quibus traditiones et structurae catholicae ex parte subsistere pergunt, praeeminet Communio anglicana » dicatur « In aliquibus (vel: quibusdam) tamen earum traditiones et structurae catholicae ex parte subsistere pergunt » (*2 Patres*); vel: « ...traditiones, structura hierarchica et ritus liturgici Ecclesiae catholicae ex parte subsistere pergunt (*1 Pater*); omittendo, in utroque casu, verba « praeeminet Communio anglicana ».

R. — Videtur non expedire quia sic mentio explicita Communionis anglicanae tolleretur, quae tamen a multis Patribus exoptabatur.

12 — Pag. 9, linn. 10-11: Expungatur sententia « Inter quas... » usque ad « Communio anglicana » (*3 Patres*).

Rationes: 1) est offensivum aliis sectis protestantium;

2) secta quae, hic et nunc, magis laborat anxietate oecumenica est secta lutherana praesertim in Germania.

R. — Videtur non expedire expungere dictam sententiam quia mentio explicita Communionis anglicanae a multis Patribus exoptabatur ut supra dictum est (n. 11).

Verum tamen verbum « praeeminet », quodammodo « iudicium valoris » implicans, posset locum cedere alicui alteri locutioni magis accuratae, v. g. « specialem locum obtinet », qui modus ab uno Patre revera proponitur ut dicetur infra n. 14.

[7] 13 — Pag. 9, linn. 10-11: Auferatur locutio « Communio anglicana » ut non accurata.

Ratio: Quia in Anglia non habetur *una* Communio et Communio in quam quadrare possunt verba nostri schematis est tantum High Church (*2 Patres*).

R. — Obiectio procedit ex ignorantia elenchi: in Anglia sunt quidem diversae communiones, sed hic agitur de sola Communione anglicana.

Praeterea « High Church » non est aliqua communio distincta a Communione anglicana, et quae hic dicuntur pro tota hac Communione valent.

— Pag. 9, linn. 10-11: Auferatur locutio « Communio anglicana »: non est verum Communionem anglicanam habere, etiam ex parte, structuras catholicas quum ordinationes anglicanae invalidae sint.

R. — Non est verum dicere Communionem anglicanam, ratione invaliditatis ordinationum, *omnino* carere structura catholica. Incisa « ex parte » sufficit ad vitandum ambiguitatem. [7]

14 — Pag. 9, lin. 11: loco « praeeminet » dicatur « *locum specialem tenet* ». Non enim convenit iudicium ferre. Cur Communio anglicana Veteribus catholicis praeeminet non videtur.

R. — Accipitur modus.

15 — Pag. 9, lin. 11: loco « Communio anglicana » dicatur « Ecclesia anglicana ».

Ratio: Melius sonat; eligatur ad captationem benevolentiae.

R. — Non videtur expedire ad captationem benevolentiae procedere; praeterea « Communio anglicana » est locutio communiter recepta et quasi technica.

16 — Pag. 9, lin. 12: addatur « necnon aliae Ecclesiae in quibus sacerdotium et eucharistia habentur ».

R. — Non videtur expedire quia in hac paragrapho agitur tantum de Communitatibus vel Ecclesiis a Reformatione protestantica promanantibus; insuper agitur non de omnibus schismatibus sed tantum de praecipuis.

17 — Pag. 9, lin. 15: loco « ad fidem et structuram ecclesiasticam... » dicatur « ad fidem et *constitutionem Ecclesiae* ».

Ratio: « Structura » exprimit tantummodo aspectum externum socialem; « ecclesiastica », ex sese, dicit tantum quae ex iure positivo ecclesiastico profluunt; sed: differentiae existunt etiam relate ad constitutiva divina externa et interna. [8]

R. — Modum accipere non expedit, quia:

a) non est verum quod structura exprimit tantummodo aspectum externum socialem; est enim sacramentalis;

b) verbum « ecclesiasticus » indebito modo ab his Patribus ad ius positivum restringitur;

c) constitutio Ecclesiae fidem implicat et ab ea distingui non debet, quod de structura dici non potest, quamvis ad fidem pertineat.

18 — Pag. 9, lin. 15: loco « structuram » dicatur « disciplinam ».

Ratio: Si structura est essentialis, pertinet ad fidem.

R. — Verum est quidem structuram essentialem ad fidem pertinere, sed ut obiectum fidei ab aliis distingui debet; patet enim structuram, ex sese, a doctrina fidei distingui.

Praeterea « disciplina » non sufficienter exprimit hoc peculiare elementum constitutivum Ecclesiae.

[8] AD NUMERUM 14

1 — Modus propositus: Saltem una vice appareat etiam vox « patriarchalis ». Ratio non datur sed per se patet.

R. — *Modus accipitur* ob sequentes rationes:

1) Revera iam explicite in n. 13, pag. 19, linn. 5-6, mentio fit Patriarchatuum orientalium, attamen numquam in ipsa parte Ecclesiis Orientalibus dicata, quamvis idea sub textu momenti est in ecclesiologia orientali, ut absentia explicitae mentionis vix explicari possit.

2) Facile inducitur in textum, cum idea iam subiacens ei sit et additio nullatenus sensum textus mutet.

Ita proponitur: « Sacrosanctae Synodo gratum est, inter cetera gravis momenti, omnibus in mentem revocare *exstare* in Oriente *plures* particulares seu locales Ecclesias, *inter quas primum locum tenent Ecclesiae Patriarchales, et ex quibus* non paucae ab ipsis Apostolis originem *ducunt* » (pag. 19, linn. 24-27).

Haec additio fit ad mentem schematis de Ecclesia, n. 23, pag. 66, linn. 20-34 et notae 37, pag. 78.

[9] 2 — Modus proponit: In nostro numero verba « Ecclesiae particulares seu locales » *ritum* significant, dum in schematibus « De Ecclesia », « De dioecesium regimine » et in aliis *dioecesim* significant. Ne confusio in significatione eiusdem verbi in variis schematibus oriatur verbum « particularis » alio substitui debet, v. g. « partialis » vel alio simili.

R. — Modus non accipitur ob sequentes rationes:

1) In modo praecedenti iam provisum est.

2) Quaedam Ecclesiae Orientis particulares seu locales ab Apostolis certo originem ducunt, quae tamen non efformant « ritum » proprium; puta Ecclesiam Thessalonicensem, vel Ecclesiam Corinthi.

3) In Const. De Ecclesia n. 23, p. 66, lin. 31 iam supra citato agitur de Ecclesiis localibus quae originem apostolicam ducunt.

4) In nostro textu recte dicitur « particulares seu locales », ne haec confusio oriatur quae timetur.

3 — Modus proponit: In tota hac sectione clare dicendum est quod diversitas liturgica et disciplinaris *nullo modo ex peculiari iure divino* promanat, et ideo relationes inter Ecclesias Orientis et Sedem Romanam ex iure divino *esse omnino pares* ac pro Ecclesiis localibus Occidentis.

R. — 1) Quaestio magis intricata se habet quam Pater eam exponit. [9]
Nam patet erga Primatum Romanum omnes Ecclesias et Orientis et Occidentis ex iure divino pares esse.

2) Attamen ex diversa missione ab Apostolis divinitus accepta clare elucet plures esse Ecclesias apostolicas Orientis, dum historice constat unam apostolicam esse in Occidente, nempe Romanam, ex qua omnes Ecclesiae locales Occidentis promanare videntur.

3) Ergo melius est silentium servare de hac quaestione quae inter theologos catholicos disputatur, sc.: utrum sint Ecclesiae Orientales ex varia institutione apostolica iure divino in diversa conditione ab Ecclesiis occidentalibus (iure divino primatus Romani salvo semper manente), an non.

4 — Pag. 19, lin. 23: loco « Sede Romana moderante » dicatur « Sede *Principis Apostolorum* moderante ».

Ratio adlata: Dicendo enim « Sede Principis Apostolorum » datur insimul ratio « potentioris principalitatis » Sedis Romanae, indeque intelligibilior pro Orientalibus fit Primatus, cum Orientales in corde habeant « principatus » sedium apostolicarum (Antiochia, Alexandria, Hierusalem), de quibus postea expresse agitur (linn. 25-27), et quae « Ecclesiae matrices » a Patribus vocabantur. [10]
Dicendo ergo « Sede Principis Apostolorum » affertur ratio propter quam omnes Ecclesiae in communione cum Romano Pontifice esse debent (*11 Patres*).

R. — Ratio pro modo adlata non est ad rem. Immo Sede Romana ab omnibus orientalibus tenetur tamquam Prima Sedes. Insuper, historice loquendo, non agitur simpliciter de « Sede Principis Apostolorum », cum ex. gr. et Hierusalem et Antiochia aliquo modo sedes Principis Apostolorum fuerint ante Romam. Sed Roma ab omnibus agnoscitur ut sedes *successoris* Petri. Ergo multo melius sermo fit de Sede Romana, praecisius et accuratius. Nam omnes intelligunt quid sit Sedes Romana.

5 — Pag. 19, lin. 23: loco « Sede Romana moderante iuxta communem consensum » dicatur « Sede Romana moderante *communi consensu* ».

Ratio: Ne intelligatur « ad mensuram communis consensus » (*9 Patres*).

R. — Modus accipitur.

6 — Pag. 19, lin. 23: Deleantur verba « iuxta communem consensum ».

Ratio adlata: Perperam intellegi possunt ex illo Ecclesiarum

[10] consensu, non ex iure divino Primatus Ecclesiam Romanam moderari. Essent reviviscentia semi-gallicanismi! (*2 Patres*).

R. — 1) Non agitur de moderamine Sedis Romanae propter consensum communem, sed de communi consensu illis temporibus existenti quo omnes primatum romanum agnoscebant et moderamen romanum accipiebant de facto.

2) Iam provisum est in acceptatione modi praecedentis qui clare dicit (absque ulla praepositione): « communi consensu ». Inde patet agi de facto historico, non de ratione theologica originis moderaminis Sedis Romanae.

7 — Pag. 19, lin. 29-30: loco « inter Ecclesias locales, ut inter sorores, vigere debent », dicatur: « inter Ecclesias locales, *ab eadem Ecclesia apostolica matrice provenientes,* ut inter sorores, vigere debent ».

Ratio adlata: Ecclesiae matrices sunt Ecclesiae principales quae originem ducunt ab aliqua sede apostolica. Inter eas Ecclesia Romana gaudet « potentiori principalitate », quia sedes Principis Apostolorum (*9 Patres*).

[11] R. — Modus non accipitur ob sequentes rationes:

1) Iam satis provisum in textu linn. 25-27 ubi dicitur: « omnibus in mentem revocare non paucas in Oriente particulares seu locales Ecclesias ab ipsis Apostolis originem duxisse ».

2) Modus non est ad rem, cum cura servandi fraternas necessitudines non sit tantummodo de Ecclesiis quae ab una Ecclesia Apostolica Matrice proveniunt, sed de omnibus Ecclesiis localibus, quidquid sit de communi vel non communi origine apostolica.

8 — Pag. 20, linn. 1, 3, 14-15, 17: loco « Ecclesiae Orientis » dicatur « Ecclesiae Orientales » et loco « Ecclesia Occidentis » dicatur « Ecclesia Occidentalis » (*4 Patres*).

R. — Iustificatio terminologiae in Schemate adhibitae invenitur in Relatione circa Schema Decreti « De Oecumenismo », fasc. II (1964), pag. (23) 63, B, 2.

9 — Pag. 20, linn. 1-3: loco « Ecclesias Orientis proprium habere thesaurum... Ecclesia Occidentis deprompsit » dicatur « Ecclesias Orientis *pristinum Ecclesiae Catholicae thesaurum servasse* in rebus liturgicis, in traditione spirituali et in ordine iuridico ».

Ratio: quia quae Ecclesiae Orientis habent, non proprius thesaurus est quo ut seiunctae a Catholica donantur.

Vel loco « proprium ab origine habere thesaurum » dicatur « *pretiosum* ab origine *servare* thesaurum ».

Ratio: Ille thesaurus liturgicus, doctrinalis non est proprius Ecclesiarum Orientis quatenus sunt separatae, sed ab ipsis *servatur* ex tempore quo unitas Ecclesiae vigebat. [11]

R. — Neutra mutatio Patribus secretariatus placuit; tamen difficultas quaedam in textu revera perspicitur. Ita sequentem mutationem proponimus, nempe ut omittatur vox « *proprium* ». Ita textus sic sonaret: « Praetermittendum pariter non est Ecclesias Orientis ab origine habere thesaurum ex quo plura in rebus liturgicis... ».

Ita solveretur difficultas circa quaestionem utrum thesaurus earum proprius dici possit an non.

10 — Pag. 20, lin. 3: loco « Ecclesia Occidentis » proponitur « aliae Ecclesiae particulares » ita ut textus fiat « ex quibus plura in rebus liturgicis, in traditione spirituali et in ordine iuridico *aliae Ecclesiae particulares* depromp*serunt* ».

Ratio adlata: terminologia textus obscura et infelix est.

R. — 1) in n. 14 agitur de Ecclesiis Orientis quibus Ecclesia Occidentis contraponitur; non autem de quibuslibet aliis Ecclesiis.

2) Ecclesia Occidentis bene indicat totum christianismum Occidentalem qui substantialiter in omnibus multa ab Oriente deprompsit, et non vice versa. [12]

3) Ecclesia Occidentis fere ex toto ab una Sede Apostolica pendet, nempe Romana, cum e contra Sedes Apostolicae Orientales sunt plures. Ita locutio « aliae Ecclesiae particulares » nimis vaga apparet et contra mentem totius paragraphi.

11 — Pag. 20, linn. 6-7: loco « Ad fidem servandam illae Ecclesiae multa et passae sunt et patiuntur » dicatur « Ad hanc fidem servandam ... *christiani seiuncti* pass*i* sunt ».

Ratio adlata: Non ecclesiae seiunctae, ut institutum humanum, passae sunt, sed earum fideles.

R. — 1) Non mere fideles, tamquam individui, passi sunt, sed et ipsae Ecclesiae, cum saepe persecutio egit directe contra ipsum institutum ecclesiasticum; immo fere semper non sunt ipsi fideles qui qua tales patiuntur, sed qua membra alicuius Ecclesiae christianae.

2) Servatur « et patiuntur », cum revera usque ad hodiernos dies patiuntur.

12 — Pag. 20, linn. 8-12: Deleantur istae lineae aut aliter, magis clare et complete conscribantur.

Rationes adlatae: Causae verae separationis non sunt illae

[12] in textu indicatae, sed profundiores: pertinacitas in errore. Textus laborat complexu inferioritatis et non audet dicere totam veritatem.

R. — 1) Non dicitur in textu omnes causas esse ex ordine indicato et non excluditur pertinacitas in errore.

2) Causae externae et traditiones diverso modo acceptae radicem separationum tangunt, historia dilucide testante.

13 — Pag. 20, linn. 11-12: Deleantur verba « propter defectum mutuae comprehensionis et caritatis ». Rationes desunt.

R. — Modus reiicitur quia rationes desunt et textus schematis veritati respondet.

14 — Pag. 20, linn. 14-15: Loco « qui instaurationem plenae communionis inter Ecclesias Orientales et Ecclesiam Catholicam... », dicatur « qui instaurationem ... *Ecclesiarum Orientalium cum Ecclesia Catholica...* ».

Ratio adlata: Quia secus in eodem ordine, id est omnino aeque, considerantur ex una parte Ecclesiae schismaticae, et ex altera parte una et unica Ecclesia!

[13] R. — 1) Revera modus propositus non solvit difficultatem quam Pater movet, quia « inter » vel « cum » ad eundem sensum tendunt.

2) Ex tota paragrapho 14, clare elucet notio recompositionis unitatis quae oriri debet ex mutua comprehensione et mutuo amore. Ergo melius per praepositionem « inter » significatur.

AD NUMERUM 15

1 — *In genere*: Unus Pater petit ut de Episcopis orthodoxis et de Patriarchis fusius disseratur et quando de eis loquitur, sicut de veris Episcopis et Patriarchis, ut decet, sermo fiat.

R. — Non videtur possibile textum modificare — sed voto iam amplissimo positivoque modo Summus Pontifex Paulus VI satisfecit eloquens praebens exemplum.

2 — Pag. 20, linn. 24-30: tollantur verba « qua fideles cum episcopo... » usque ad finem periodi.

Ratio: Nimium asseri videtur; de fidelibus seiunctis ea quae dicuntur falsa sunt (*2 Patres*).

R. — Fructus eucharisticae communionis non minuitur eo ipso quod anima errat bona fide.

3 — Pag. 20, linn. 21-30: Tota haec paragraphus de novo apparetur, addendo aliqua verba non tam taxativa «Procul dubio... etc.». [13]

Ratio: Fratres seiuncti cogitabunt nos illis nihil amplius offerre quam id quod iam per se habent.

R. — Ratio allata non videtur iustificare mutationes in textu iam approbato.

4 — Pag. 20, linn. 28-30: « Proinde per celebrationem Eucharistiae Domini etc. ... ». *Expungenda est conclusio haec* quia falsa.

Ratio: Haec vera non sunt nisi praesupponatur unitas fidei et communio hierarchicae disciplinae a Christo statutae, quae plane Chrysostomus, qui citatur, praesupponebat. Hic docetur in una Eucharistiae celebratione Ecclesiam aedificari.

R. — In textu non dicitur Ecclesiam una celebratione Eucharistiae aedificari, sed solum celebrationem verae Eucharistiae ad aedificationem Ecclesiae revera contribuere.

5 — Pag. 20, lin. 28: Verba « Proinde... » usque ad finem periodi *tollantur*.

Rationes: 1) Verba haec non sunt opportuna: aequivocationem facile inducere queunt; videtur valde indiscriminatim, sensu fere protestantico, verbum « Ecclesia » adhiberi; [14]

2) Ecclesia Dei est Ecclesia catholica quae non ipsa crescit quando ecclesiae separatae utuntur suis bonis;

3) quod de ipsis animis bona fide agentibus verum est non potest dici de ipsis ecclesiis separatis;

4) Ecclesiae separatae Orientis nequeunt simpliciter vocari Ecclesia Dei; vera etenim Ecclesia Dei est catholica;

5) quomodo *Ecclesia* Dei crescere potest etiam per incrementum gratiae in iis qui sunt extra Ecclesiam, ut de schismaticis authentice docuit Pius PP. XII in Encycl. *Mystici Corporis* (*18 Patres*).

R. — Obiectiones illae desumuntur ex doctrina ecclesiologica quae debitam rationem non habet de caractere sacramentali ipsius mysterii Ecclesiae quale in Constitutione « De Ecclesia » Concilii Vaticani II declaratur. Cf. De Ecclesia, cap. III, p. 69, n. 26.

6 — Pag. 20, linn. 28-30: *a*) Phrasis peccare videtur contra sinceritatem et puritatem doctrinae in pag. 16, lin. 24 et pag. 25, linn. 4-8. Verba « Proinde... » fere totum motivum Oecumenismi destruere videntur. Ut salvetur debita motivatio sine offensa, proponitur formula:

« Proinde, *sicut credimus Ecclesiam Dei aedificari et crescere* per celebrationem Eucharistiae Domini *in his singulis*

[14] *Ecclesiis et communionem earum* per concelebrationem manifestari, *ita maximopere ex fructibus divini huius sacrificii augmentum illius unitatis speramus et deprecamur, pro qua Dominus Iesus apud Patrem oravit* (*Io.* 17) ».

b) Cum hic agatur de Ecclesiis Orientalibus separatis, Ecclesia non *eodem modo* aedificatur et crescit per Eucharistiae celebrationem apud ipsos et in Catholica; unde proponitur:

« ... Ecclesia Dei *vera quadam ratione* aedificatur et crescit... etc. ».

R. — *a*) Non videtur « fere totum motivum Oecumenismi » destrui, cum agatur hic de authentico thesauro sacramentali Ecclesiarum orthodoxarum quem agnoscere proprium est Oecumenismi veri nominis;

b) non clare perspicitur qua ratione differant aedificatio Ecclesiae in catholica et aedificatio Ecclesiae in ecclesiis orthodoxis *per ipsam celebrationem* Eucharistiae; ratio differentiae
[15] videtur *in adiunctis* exstare quae ad ordinem canonicum pertinent magis quam ad ordinem sacramentalem ut talem;

c) praeterea primus modus introducit ideam novam non cohaerentem cum sensu generali paragraphi;

secundus modus adiungit quamdam restrictionem, in se non ineptam, sed non sufficienter explicitam.

7 — Pag. 20, lin. 29: loco « Ecclesia Dei » dicatur « Corpus Mysticum Christi ».

Ratio: Ecclesia Dei est unica, scil. catholica; quamvis seiuncti sint, Orthodoxi tamen ad Corpus Mysticum Christi pertinent.

R. — Ratio non valet, cum Ecclesia Dei et Corpus Mysticum sint una et eadem res.

8 — Pag. 20, lin. 37: *a*) Omittantur verba « vi successionis apostolicae » (*97 Patres*).

Rationes: Successio apostolica magis implicat quam meram consecrationem episcopalem validam, et formaliter sumpta non habetur sine communione cum successore Petri.

b) Loco « vi successionis apostolicae » dicatur « vi successionis sacramentalis » vel « vi non interruptae successionis » vel « vi successionis episcopalis » vel quid simile (*11 Patres*).

R. — Verum est successionem apostolicam implicare non tantum historicam successionem in linea sacramentali, sed plenam fidelitatem doctrinalem et debitam communionem cum successore Petri.

Ea omnia specifice exprimere hoc in loco perdifficile est. Porro, ex contextu clare apparet hic agi de valida potestate

sacramentali, quae potestas, ab Apostolis accepta, post divisionem numquam amissa est. [15]

9 — Pag. 20, lin. 38: loco « arctissima necessitudine » dicatur « *non parva* necessitudine ».

R. — Modus non accipitur; immerito enim minueretur sensus intentus.

10 — Pag. 20, linn. 39-40 agitur iterum de communicatione in sacris. Duplex propositio fit:

a) verbum « suadetur » *omitti debet,* vel

b) *manente verbo* « suadetur », *additio* quarumdam condicionum optatur.

R. — 49 Patres varias propositiones faciunt circa communicationem in sacris quae in nostro textu, datis opportunis circumstantiis, suadenda dicitur.

Quapropter bonum visum est inserere sequens additamentum [16] quod rationem haberet difficultatum a Patribus perspectarum, scil. « et approbante auctoritate ecclesiastica » ita ut nova redactio sic sonaret: « datis opportunis circumstantiis *et approbante auctoritate ecclesiastica,* non solum possibilis est sed etiam suadetur ». Sub vocibus « auctoritas eclesiastica » venit illa auctoritas, de qua sermo est in Capite II, n. 8, secundum formulam emendatam.

11 — Pag. 20, linn. 39-40: post verba « quaedam communicatio in sacris » addatur « *non tamen activa* » (*3 Patres*).

R. — *Modus non accipitur* quia restringit sensum intentum.

12 — Pag. 20, linn. 39-40: loco « non solum possibilis est sed etiam suadetur » dicatur « *licita esse potest et in casibus urgentioribus suaderi* » vel « in *determinatis* circumstantiis et *sub opportunis condicionibus* » (2 *Patres*) vel addatur « *exclusa receptione cuiusvis sacramenti, praeterquam in casu necessitatis* ».

R. — Provisum est supra in responsis ad 10 et 11.

13 — Pag. 20, linn. 39-40: *Tota paragraphus* de communicatione in sacris *deleatur.*

Rationes: — communicatio in sacris cum schismaticis nocet catholicis, impedit reconciliationem;

— de communicatione hac sufficienter statutum est in cap. II;

— non esse opportunum videtur; ceterum pauci Patres eam quaesiverant;

— contrarium est praxi plurisaeculari Ecclesiae;

— periculum confusionis et indifferentismi (*8 Patres*).

[16] R. — Modus *non accipitur*; textus enim a maiore Patrum parte acceptus est.

14 — Pag. 20, linn. 39-40: Communicatio in sacris simpliciter suaderi non potest:

1) unica doctrina debet haberi de communicatione in sacris in Occidente et Oriente;

2) communicatio in sacris non debet esse reciproca i. e. catholici nequeunt adire ad seiunctos nisi in necessitate vera et datis opportunis circumstantiis;

3) adhibeatur formula negativa, v. g. « *ex toto excludenda non est* » (*5 Patres*).

R. — Ad Directorium referendum est.

[17] 15 — Pag. 20, linn. 39-40: *Excludatur communicatio in administratione Sacramentorum et in celebratione missae.*

Ratio non datur.

R. — Est praeter intentum textus recepti suffragatione maioris Patrum partis.

16 — Pag. 20, lin. 40: *Addatur quod dicitur de communicatione in sacris in schemate de Ecclesiis orientalibus* p. 10, sub nn. 26, 27, 28, 29.

R. — Hic ponitur tantum generale principium. Ad Directorium pertinet normas specificas dare.

17 — Pag. 21, linn. 2-3: Loco « inde a gloriosis SS. Patrum temporibus » dicatur « *ibi enim in* gloriosis ... ».

Ratio: Quod verum fuit in illis temporibus, hodie iam non est verum (*3 Patres*).

R. — Haec ipsa assertio vera non est; spiritualitas illa hodiernis temporibus viget et influxum habet etiam hodie apud nos.

18 — Pag. 21, linn. 5-6: « Deinceps novum vigorem accepit »: haec affirmatio non est omnino vera, quia ortae sunt in Occidente novae regulae religiosorum, quae omnino distinguuntur a monachismo orientali et etiam a primaevo monachismo occidentali.

R. — Textus noster non affirmat quod tota spiritualitas monastica occidentalis originem duxit e monachismo orientali; sufficit spiritualitatem monasticam occidentalem aliquando vigorem accepisse e monachismo orientali, quod semper verum fuit et hodie de novo verificatur.

19 — Pag. 21, linn. 6-7: Post « Catholici » addatur « qui bene instructi sunt ». Post « divitias » addatur « in libris eorum ».

Ratio: Ut evitetur confusio fidelium.

R. — Textus loquitur de magnis Patribus Orientalibus, inter quos permulti ut Patres et Doctores Ecclesiae universalis enumerantur. [17]

20 — Pag. 21, linn. 9-10: Loco « Ditissimum *Orientalium* patrimonium liturgicum et spirituale etc. » dicatur « Ditissimum *Catholicae Ecclesiae* patrimonium etc. quod in Ecclesiis orientalibus seiunctis servatur etc. ».

Ratio: Patrimonium illud non est proprium ecclesiarum seiunctarum, sed est bonum Ecclesiae quod in illis adhuc exstat.

R. — Patrimonium illud quod etiam in Ecclesiis seiunctis durante saeculorum decursu actu vigebat, dicitur ad plenam catholicitatem et apostolicitatem Ecclesiae pertinere in n. 17, p. 22, lin. 5. [18]

21 — Pag. 21, lin. 9 sqq.: Adiiciatur oportet invitatio ad Orientales, ut ipsi quoque quaedam studia ad patrimonium Ecclesiae Occidentalis convertant.

R. — Commendatio illa, in se valde opportuna, in praesenti decreto locum habere non videtur.

AD NUMERUM 16

1 — Pag. 21, lin. 17: Admittitur Ecclesiae Orientis disciplinas proprias unitati Ecclesiae minime obstare, sed non immo decorem eius augere.

Ratio deest.

R. — Omnes Summi Pontifices agnoverunt proprias disciplinas, quae unitati Ecclesiae non obstant, ad decorem eius conferre (cf. Leonem XIII, Pium XI, et alios); qui sententiam S.ti Augustini suam fecerunt de varietate in Ecclesia.

2 — Pag. 21, lin. 17: loco « immo decorem eius augeat » dicatur « ampliorem vitam eius manifestet », vel « vitalitatem eius manifestet ».

Ratio: Non agitur tantum de aliqua « decoris vel pulchritudinis » augmentatione (quod est aliquid externum), sed de vera interna vitalitate, quae multis in modis manifestatur.

R. — Verum est non agi de externo decore, sed:

1) imago haec invenitur iam in S.to Augustino de Regina, Sponsa Regis, quae circumdatur varietate, ad pulchritudinem varietatis innuendam;

2) amplior vita iam satis indicatur, quae oritur ex diversitate disciplinae, in sententia sequenti linn. 17-18: ad missionem eius implendam non parum conferat...

[18] 3 — Pag. 21, linn. 20-21: Vox « officium » se regendi secundum proprias disciplinas, expungatur.

Ratio: Ius agnoscitur, sed libertas etiam, ut possint disciplinam mutare (*3 Patres*).

R. — Modus non accipitur. Nam quidquid sit de libertate in disciplina mutanda, est *officium* singularum Ecclesiarum proprias traditio-
[19] nes tenere, utpote magis congruas et aptiores, sicut statim postea asseverat textus. Etiam mutationes vel adaptationes ad vitae hodiernae exigentias fiant secundum proprias traditiones.

4 — Pag. 21, lin. 22: loco « ... regendi, utpote indoli suorum fidelium magis congruas atque bono animarum consulendo aptiores » dicatur « ... regendi *quaeque sunt* indoli suorum fidelium magis *congruae* atque bono animarum consulendo aptiores ».

Ratio: Quod sint magis congruae et aptiores est iudicium de facto, non ratio declarationis Synodi, vel iuris declarati.

R. — Declaratio principium enuntiare vult, et non merum iudicium de facto.

5 — Pag. 21, lin. 23: loco « bono animarum consulendo aptiores » dicatur « bono animarum consulendo *ipsis* aptiores ».

Ratio non datur.

R. — Sensus mutationis non clare apparet. Reduplicatio dativi non fieri potest, et sensus sententiae est: aptiores bono animarum, quod bonum consulendum est pro animis. Et per se patet.

6 — Pag. 21, linn. 19-26: loco: « S. Synodus sollemniter ad omne dubium tollendum, declarat Ecclesias Orientis memores necessariae unitatis totius Ecclesiae, ius et officium habere se secundum proprias disciplinas regendi utpote indoli suorum fidelium magis congruas atque bono animarum consulendo aptiores. Perfecta ... requiruntur » dicatur « *Sancta* Synodus sollemniter ad omne dubium tollendum declarat Ecclesias Orientis *posse retinere* proprias disciplinas regendi utpote indoli suorum fidelium magis congruas ». (Caetera omittantur usque ad « requiruntur »).

Ratio non datur.

R. — Modus non accipitur propter defectum rationis in modo proposito. Insuper in textu est ut clare affirmet ius et officium necnon perfectam observantiam principii inter praevias conditiones Unionis.

7 — Pag. 21, lin. 24: Loco « principii observantia, non semper ... », dicatur « principii *plena restauratio et* observantia *et quidem eodem ambitu uti viguit in millenario unione cum iisdem Ecclesiis,* non semper ... ».

Ratio: Ut tollatur omne dubium de iuribus harum Ecclesiarum et ut Decretum respondeat novae emendationi n. 9 Decreti De Ecclesiis Orientalibus. [19]

R. — Verum est non agi tantum de observantia principii pro hodierna disciplina Orientalium, sed etiam de restauratione plena, quae est conditio praevia Unionis. Attamen, modus nimis restrictivus videtur in quantum exigentiae necnon progressus motus oecumenici hodie et in futuro non satis considerantur. [20]

8 — Pag. 21, lin. 24: Auferantur verba «non semper quidem servata», quia sunt inutiliter polemica et autolesionistica, vel sunt non necessaria et redolent exaggeratam humilitatem.

R. — Textus tantum exprimit veritatem historicam, quae vero modo nec polemico nec exaggerato praesentari videtur.

9 — Pag. 21, linn. 25-26: loco « tamquam praevia condicio omnino requiruntur » dicatur « tamquam praevia conditio *practice* requiruntur ».

Ratio: Nulla est conditio de iure (*5 Patres*).

R. — Modus non accipitur cum distinctio sit difficilis intellectu.

AD NUMERUM 17

1 — Articulus esset periculosus et indifferentismo faveret.

R. — Modus non accipitur, cum agatur de articulo iam per suffragationem Concilii accepto, ac cum Pater nullatenus indicet ubi et quo modo mutationes faciendae essent.

2 — Omittatur paragraphus vel saltem curetur ne in ea Ecclesia videatur condonare errores Orientalium.

R. — *Modus reiicitur* propter rationem in praecedenti adlatam; insuper in textu expresse agitur de « traditionibus theologicis *authenticis* Orientalium » (lin. 35). Ergo iam satis innuitur Ecclesiam non condonare errores Orientalium.

3 — Pag. 21, lin. 31 et sqq.: Desideratur expressio magis specificata ad dubium tollendum utrum agatur de varietate formularum an etiam doctrinarum, ex. gr. Filioque.

R. — Modus non accipitur ob rationes in praecedenti adlatas; agitur de traditionibus theologicis *authenticis,* uti iure dicitur in sententia quae statim sequitur.

4 — Totus numerus 17 periculosam confusionem gignit, praesertim linn. 31-35.

[21] R. — Revera formulae Orientalium et Occidentalium potius se complere quam opponi dicendae sunt, dummodo agatur de traditionibus theologicis authenticis sicut expresse scribitur in textu.

5 — Pag. 21, linn. 31-35: « Unde mirum ... quam opponi » omittatur.

Ratio: Phrasis non praecisa confusionem gignere potest et suggerere inter doctrinam catholicam et orthodoxam nullam esse differentiam, praesertim quia in capite nulla est mentio de differentiis doctrinalibus inter nos et orthodoxos.

R. — Verum est nullam adesse mentionem explicitam differentiarum dogmaticarum, sed:

1) non est locus proprius;

2) de periculo confusionis satis provisum est per vocem « authenticas » in lin. 35.

6 — Pag. 21, lin. 34: inseratur « saepe saepius » in sententiam « variae illae theologicae formulae ... potius inter se compleri ».

Ratio deest.

R. — Ex toto contextu patet « saepe saepius se compleri », cum etiam expresse dicatur « potius ». « Potius », ergo: non semper et in omnibus.

7 — Pag. 21, lin. 35: Addatur « ... quam opponi, *plurimae vero ex illis doctrinis ab optimis Patrum Orientalium fontibus depromptae ad theologiae Occidentis corpus integrandum iam ex antiquo assumptae sunt* ».

Ratio: Theologias Orientis et Occidentis se compleri est falsissimum. Nam quaedam in theologia Orientalium falsa et non fundata sunt; alia autem bona, sed iam optima a Latinis deprompta sunt et integrata, praesertim a S.to Thoma (*3 Patres*).

R. — Modus non est ad rem. De doctrinis enim falsis Orientalium iam provisum est per vocem « authenticas » in lin. 35. Theologiam autem Orientis complere illam Occidentis est factum historicum. Immo ex mutata explanatione et comprehensione, multa quae videbantur inter se opponi, revera se complent. Denique de illis quae iam theologia Occidentis sumpsit ex Oriente non est sermo.

8 — Pag. 21, lin. 35 ad pag. 22, lin. 2: Incisum hoc est valde exaggeratum. Ergo vel deleantur ultima verba « ad rectam vitae institutionem... tendere ». Vel loco « ad christianam veritatem plene
[22] contemplandam tendere » dicatur « ad christianam veritatem *plenius* contemplandam tendere ».

Ratio: Plene est aliquid absolutum; *plenius* est comparativum, ideoque exprimit quod hic melius quam alibi veritas contemplari potest. [22]

R. — 1) Textus nil contra veritatem dicit. Est constatatio facti.

2) *Plenius* inutilis est mutatio, cum iam in usu verbi « tendere » satis provisum est ad notam comparativam indicandam. Nam non dicitur « veritatem plene contemplari », sed « ad veritatem plene contemplandam tendere », quod est obiectum cuiusvis theologiae, maxime autem orientalis.

9 — Pag. 21, lin. 37: Auferantur verba « viva apostolica traditione ».

Ratio: Apostolica traditio, cum fons sit divinae revelationis, non potest non esse communis Orienti et Occidenti; ergo non potest adnumerari inter causas differentiae inter Orientem et Occidentem.

R. — 1) Textus non dicit vivam apostolicam traditionem esse inter causas differentiae Orientis et Occidentis, sicut et cetera quae ante et post asseverantur: Sacra Scriptura, liturgia, scripta Patrum.

2) Traditio apostolica est fons communis in tota Ecclesia sed alio modo et alio nutrit et Occidentales et Orientales, cum alii haec in meliorem lucem ponunt, alii vero illa.

10 — Pag. 21, lin. 37: « Viva apostolica traditione » estne verum?

Ratio: Si verum esset, valeret etiam pro traditionibus theologicis occidentalibus, quia agitur de patrimonio communi totius Ecclesiae. Ergo diversae traditiones theologicae ab alio elemento pendent: a diversitate indolis gentium, a diversitate Patrum.

R. — Cf. N. 9.

11 — Pag. 22, lin. 9: In fine n. 17 addatur « Commendatur igitur ut in liturgiis, ubi commemorantur adstantes, expressiones quae exclusivismum sapiunt: « vos orthodoxi christiani », vel similia immutentur per voces quae faveant spiritum oecumenicum colendum, ut simpliciter « vos » vel « vos christiani ».

R. — Modus in se sat bonus esset, sed non ad rem pertinet. Potius remittitur vel ad Directorium a Secretariatu parandum, vel ad Directoria peculiaria quae Episcopi pro propriis fidelibus conficere debent.

AD NUMERUM 18 [23]

1 — Veritas praesentatur ut onus; quod:

a) non est verum — quia veritas liberat a iugo;

b) non est bonum — quia verum et bonum convertuntur;

[23] *c*) ad oecumenismum non inservit — quia praesentat catholicos ut sub iugo iacentes.

R. — Rationes non valent; ideoque *modus reiicitur.*

2 — Pag. 22, lin. 13: Tollatur verbum « restaurandam ».

Ratio: « Nihil ultra imponere oneris quam necessaria » opus est non solum ad unitatem restaurandam sed etiam ad conservandam. Ideoque dicatur linn. 12-13 « ... *nempe ad communionem et unitatem opus esse nihil ...* » (*9 Patres*).

R. — « Restaurandam » veram significationem pro decreto habet. Quia tamen animadversio Patrum omnino recta est, textus mutatur ut legatur: « ... ad communionem et unitatem restaurandam vel *servandam* ».

3 — Pag. 22, lin. 16: Addantur verba « apostolatus operibus » ita ut legatur « praesertim oratione, *apostolatus operibus* et fraterno dialogo ... » (*3 Patres*).

R. — Non videtur expedire, quia haec additio ambiguitatem gignit, potest enim intelligi de proselytismo. De cetero iam provisum est in n. 4, p. 8, lin. 37 sqq.

4 — Pag. 22, lin. 17: Tollantur verba « et muneris pastoralis urgentiores aetatis nostrae necessitates ».

Ratio: Non sunt intelligibilia.

R. — Intelliguntur de dialogo circa necessitates christianorum in mundo hodierno.

5 — Pag. 22, lin. 20: Addatur « in rebus temporalibus » ita ut legatur « fraterna *in rebus temporalibus* collaboratio ... ».

Ratio: Sin aliter aequivoca esset.

R. — Non videtur expedire fraternam collaborationem ad solas res temporales restringere. E contrario, ut progressive restauretur communio ecclesialis, fraterna collaboratio etiam ad sollicitudines pastorales se extendat oportet.

[24] 6 — Pag. 22, linn. 22-23: Loco « sublato pariete occidentalem orientalemque Ecclesiam » dicatur « sublato pariete *orientales Ecclesias a plena Ecclesiae communione seiungente* ».

Ratio: Paries non dividit in duas Ecclesias, sed separat Ecclesias orientales (et non Ecclesiam orientalem) ab Ecclesia (*13 Patres*).

R. — Textus maneat quia e Decreto unionis Florentinae oecumenicae synodi depromptus est.

7 — Pag. 22, linn. 21-24: Expungatur tota periodus « Quod si hoc opus ... utraque unum » etsi ad Conc. Flor. alludatur.

Ratio: Utraque Ecclesia, orientalis scil. et occidentalis, in eadem linea ponitur, quod est falsum, cum una sit vera, altera vero erronea Ecclesia. [24]

R. — Modus loquendi oecumenicae synodi servari potest et debet. Ceterum ab ipso Summo Pontifice Paulo VI adhibetur.

8 — Pag. 22, linn. 21-24: Quis est hic paries tollendus? Solae differentiae accidentales, diversae enunciationes theologicae quae potius inter se complentur quam opponuntur?

R. — Patet ex decreto Florentino parietem esse illa omnia quae plenam communionem adhuc impediunt.

AD NUMERUM 19

1 — Pag. 22, lin. 25: Deleantur verba « Ecclesiae et ». Appellatio « Ecclesiae » ad communitates orientales applicatur, non ad sectas.

R. — Etiam in Occidente exsistunt Communitates quae communiter « Ecclesiae » vocantur, ex. gr. Veteris-Catholici.

2 — Pag. 22, lin. 25: Deleantur verba « Ecclesiae et ». Una est Ecclesia, i. e. Catholica.

R. — De usu vocis Ecclesiae cf. Decretum De Oecumenismo, nota 20, p. 11, necnon Relationem super Schema emendatum, p. 15.

3 — Pag. 22, lin. 26: Auferantur verba « in gravissimo illo rerum discrimine ». Sunt inutilia et ambigua.

R. — Est expressio necessaria ad indicandam generatim situationem historicam complicatam, ex qua originem duxerunt separationes exeunte Medio Aevo.

4 — Pag. 22, lin. 32 usque ad pag. 23, lin. 7: Possunt sine damno [25]
omitti.

R. — Non datur ratio. Omissio esset contra mentem Patrum, et secus non intelligitur textus sequens.

5 — Pag. 22, linn. 36-37: deleantur verba « et desiderium pacis cum Ecclesia catholica ».

Ratio: Apud multos non-catholicos motus oecumenicus non est idem ac desiderium pacis cum Ecclesia catholica.

R. — Cf. dicta de motu oecumenico in genere. Propter difficultates a quibusdam non-catholicis suscitatas hic spes exprimitur de pace fraterna.

6 — Pag. 22, lin. 38: post verba « paulatim crescant » addantur haec: « seclusa omni forma proselytismi ubi Christus iam prae-

[25] dicatus est» vel: «Ad spiritum oecumenicum et pacem inter diversas confessiones religiosas admodum conferret, si " proselytismus " mediis pecuniis apud populum humilem aliisve minus consonis, si alicubi accidit, maxime ubi Christus iam praedicatus est, prorsus deseratur. Haec enim et confusionem apud simpliciores parunt et indifferentismum religiosum fovent».

Ratio: Patet, quia contradicit spiritui oecumenico.

R. — 1) Motio oecumenica ipsa remedium praebet contra methodos ineptas «proselytismi». Patet ex eo quod Consilium mundiale Ecclesiarum in Congressu in New Delhi habito declarationem contra «Proselytismum» edidit, et insuper ex eo quod sectae quae maxime «Proselytismum» faciunt, motionem oecumenicam reiiciunt eiusque laboribus non participant.

2) De «Proselytismo» in ipso Decreto «De Oecumenismo» tractari non potest, de ipso potius agitur in Declaratione De Libertate Religiosa, necnon in Directorio a Secretariato ad christianorum unitatem fovendam exarando.

7 — Pag. 23, lin. 1: deleantur verba «Ecclesias et».

R. — Cf. responsum datum sub 2.

8 — Pag. 23, linn. 3-4: loco «sed imprimis interpretationis revelatae veritatis» dicatur «sed imprimis dogmata spectat» (*1 Pater*), vel «sed imprimis interpretationis revelatae veritatis et constitutionis Ecclesiae» (*3 Patres*).

Ratio: Non agitur de interpretatione, sed de agnitione ac de fide, et etiam de constitutione intrinseca Ecclesiae.

[26] R. — Veritas revelata latius patet quam dogma, Sacra Scriptura vel constitutio Ecclesiae. Locutio est generalis.

9 — Pag. 23, lin. 3: addatur post verbum «indolis...» verbum «conceptualis» et dicatur «insuper» loco verbi «imprimis».

R. — Non datur ratio. Textus per has additiones minus clarus redderetur.

10 — Pag. 23, linn. 3-4: loco «sed imprimis interpretationis revelatae veritatis» dicatur «sed imprimis integritatis et interpretationis revelatae veritatis».

Ratio: Differentiae non solum existunt in S. Scripturae interpretatione, sed in existentia Traditionis et integritate Canonis (*3 Patres*).

R. — 1) Textus generaliter loquitur.

2) Non agitur de interpretatione Scripturae tantum, sed de interpretatione totius veritatis revelatae.

11 — Pag. 23, lin. 4: tollatur vocabulum « interpretationis ». [26]
Ratio: In ipsa veritate revelata datur differentia (*11 Patres*); differentia imprimis est in ipsa veritate revelata credenda, non tantum in re subiectiva, sed obiectiva (*9 Patres*); 1 Pater non dat rationem.

R. — Veritas revelata est unica, sed interpretationes possunt esse diversae.

12 — Pag. 23, linn. 4-5: loco « non obstantibus illis differentiis » dicatur « aliter ac nos — diversi quidem diverse — sentiunt ».

R. — Textus propositus non dat sensum clariorem.

13 — Pag. 23, lin. 7: addantur verba, quibus in opere oecumenico proselytismus excludatur: cf. sub 6.

R. — Cf. responsum ad 6.

AD NUMERUM 20

1 — Pag. 23, lin. 8: loco « imprimis » dicatur « unice » (*1 Pater*) vel tollatur « eos » (*9 Patres*).
Ratio: Qui enim non credunt in Christum ut Deum, christiani dici non possunt.

R. — Textus loquitur de iis christianis qui *palam* confitentur Christum.

2 — Pag. 23, lin. 9: dicatur « Iesum Christum ut *Deum ac* Dominum [27]
et unicum mediatorem ».
Ratio: Quia tot christiani acatholici omnino negant Iesum Christum esse Deum.

R. — Secretariatus opinatur christianos negantes Christi divinitatem non esse christianos nisi sensu valde analogico. Accipitur ergo modus, quia bonum est recognoscere in textu nostri decreti divinitatis Christi confessionem apud fratres nostros seiunctos adesse.

3 — Pag. 23, lin. 11: loco « Non leves scimus... existere discrepantias » dicatur « fundamentales existere differentias » quia est minimisatio periculosa. Theologi, sua quaque sententia discrepare possunt, tamen eandem fidem tenent.

R. — Non omnes discrepantiae sunt fundamentales; « non leves » etiam fundamentales includit.

4 — Pag. 23, lin. 13: post « Ecclesiae » addantur verba « et de doctrina circa Romanum Pontificem tamquam successorem Petri ».
Ratio: Est revera aliquid grave; separatio cum orthodoxis solummodo in hoc puncto existit.

[27] R. — 1) Iam sufficienter patet ex capite I, ubi de hac re expositio fit.
2) Diversitas cum orthodoxis certissime *non solummodo* exi-stit in quaestione de primatu Romani Pontificis.

5 — Pag. 23, lin. 16: loco « tacti » dicatur « moti » vel « permoti » vel « incensi ».

R. — Non apparet ratio mutandi textum.

6 — Pag. 23, linn. 17-18: Auferantur verba « atque etiam ad testimonium fidei suae ubique apud gentes reddendum ». Non placet quod Concilium laudet simpliciter missiones in quibus haeresis contra veritatem catholicam diffunditur (*17 Patres*).

R. — 1) Non agitur in textu de *laude*.
2) Quod fratres seiuncti testimonium fidei pro Christo reddant est *factum* quod non negari potest. Cf. in cap. I, n. 4.

AD NUMERUM 21

1 — Pag. 23, lin. 20: Deleantur verba « ac prope cultus ». Verbum « cultus » apud protestantes ut offensivum et antibiblicum sonat.

[28] R. — E contrario Protestantes saepissime utuntur verbo « cultus » (lingua gallica « le culte »).

2 — Pag. 23, lin. 20: Verbis « prope cultus fratres nostros » addatur « multos », secus nimis generale exprimitur, quia saepe studium illorum solummodo ad destructionem Scripturae confert (*7 Patres*).

R. — Textus non vult intrare in particularia. Quod intendunt fratres separati non est destructio Sacrae Scripturae, etiamsi huc vel illuc de facto eorum explicatio destructiva videri possit, saltem quoad consequentia.

3 — Pag. 23, linn. 21-22: Auferatur citatio ex Epist. ad Rom. 1, 16 (*3 Patres*) et addatur textus 2 Tim. 3, 16 (*1 Pater*).
Non est ad rem. Nam « Evangelium » ibi non est « Evangelium scriptum », sed « bonum nuntium praedicatum ».

R. — Non agitur ibi de libris scriptis, sed de ipso Verbo Dei, quod in Sacris Scripturis invenitur, quod est Evangelium, sc. nuntium, uti clare dicitur in lineis sequentibus ipsius textus.

4 — Pag. 23, linn. 23-27: hae lineae deleantur (*1 Pater*), verba « Spiritu Sancto movente » deleantur (*4 Patres*).
Ratio: Quia approbari videtur Reformatorum doctrina quemlibet credentem lumen recipi ita ut magisterium superfluum videatur. Credunt enim se ipsos sic a lumine veritatis esse ductos.

R. — De effectu actionis Spiritus Sancti in aliis iudicare non licet. *Factum* motus Spiritus Sancti in aliis negare non possumus. Quo facto necessitas magisterii non excluditur, sicut in sequentibus lineis explicite affirmatur. [28]

5 — Pag. 23, lin. 23: loco « inveniunt » dicatur « quaerunt ».

R. — Cum ratio mutationis non indicetur et fratres Deum revera inveniant, standum est textui.

6 — Pag. 23, linn. 29-30: Loco « ac nos » dicatur « ac Ecclesia » et tollatur « secundum fidem catholicam ».

Ratio: Alia fides quam catholica seu Ecclesiae non datur.

R. — Ad modum primum non datur ratio; praeterea non tantum agitur ibi de doctrina Ecclesiae, sed etiam de habitudine spirituali. Praecise additur « catholica » ad tollendam omnem ambiguitatem.

7 — Pag. 23, lin. 30: Post « de habitudine Scripturas inter et Ecclesiam » addatur « et S. Traditionem ». [29]

Ratio: Differentia est etiam circa S. Traditionem (*3 Patres*).

R. — In textu agitur de studio S. Scripturae tantum.

8 — Pag. 23, linn. 31-32: Loco « peculiarem obtinet locum in Verbo Dei scripto exponendo et praedicando » dicatur « ... necessarium obtinet locum, ut verus ac plenus sensus Sacr. Scripturarum attingatur ».

Ratio non datur.

R. — Hic tantum agitur de exemplo pro dialogo; textus intrare non vult in ipsam quaestionem relationis Scripturam inter et magisterium.

9 — Pag. 13, linn. 31-32: Loco « peculiarem obtinet locum in Verbo Dei » etc. dicatur « exercet in Verbo Dei scripto exponendo et praedicando ».

Ratio: Magisterium videretur contineri in Verbo Dei.

R. — Textus clarus esse videtur.

10 — Pag. 23, lin. 32: Dicatur « scripto interpretando ».

Ratio: Expositio includitur in praedicatione, sed interpretatio est alia res.

R. — Expositio non necessario includitur in praedicatione. Verbis in « exponendo et praedicando » interpretatio satis includitur.

11 — Pag. 23, lin. 33: Post « in ipso dialogo » addantur verba « apud peritos ».

R. — Ratio non datur; ceteroquin cf. cap. II, n. 9, ubi sufficienter prudentia in dialogo requisita exprimuntur.

[29] AD NUMERUM 22

1 — Pag. 24, lin. 7: Loco « Itaque baptismus ordinatur ad integram fidei professionem » dicatur « Itaque baptismus ordinatur ad integram fidem fideique professionem » (*6 Patres*).

R. — Additio non videtur necessaria ad sensum textus clariorem reddendum.

[30] 2 — Pag. 24, linn. 8-9: Post « in salutis institutum, prout ipse Christus illud voluit » addantur verba « in catholicam nempe Christi Ecclesiam ».

Ratio: Ut clarum sit quodnam sit in concreto illud salutis institutum (*2 Patres*).

R. — Esset repetitio, nam in capite I, nn. 2 et 3 clare exprimitur in concreto quod Ecclesia catholica est unicum salutis institutum.

3 — Pag. 24, linn. 11-18: Paragraphus omittatur (*3 Patres*) aut sedulo retractetur (*2 Patres*). Textus sic confici potest: « Communitates ecclesiales a nobis seiunctae, quamvis deficiat earum plena nobiscum unitas etc. ... defectum, Eucharistiam secundum fidem catholicam (vel: sacramentum Eucharistiae prout adest in Ecclesia catholica, vel: in sensu catholico) non servaverint, tamen dum intendunt facere quod Christus in ultima coena fecit mortem et resurrectionem Domini commemorantes, vitam in Christi etc. ... » (*1 Pater*).

Ratio: Grave scandalum pro populo propter dialogum intra catholicos et eos qui odio habent SS. Sacramentum. Fieret perturbatio (*1 Pater*). Verba possunt etiam falso intelligi, ac si Protestantes haberent ipsum sacramentum, saltem partialiter (*1 Pater*). Exaggerata et laudatoria sunt verba. Minus obiectiva repraesentatio non iustificat hoc modo allicere fratres separatos qui continuo perturbationes excitant in regionibus catholicis (*1 Pater*).

R. — Omissio textus contra intentionem totius paragraphi esset, quia dialogus de Eucharistiae Sacramento ad principaliora puncta pertinet. Neque negari potest fratres separatos in cultu Sacrae Coenae revera memoriam mortis et resurrectionis Domini facere.

4 — Pag. 24, lin. 11: Loco « eorum » dicatur « earum ».

Ratio: Est defectus grammaticalis.

R. — Modus accipitur.

5 — Pag. 24, lin. 13: Loco « plenam realitatem » dicatur « tantum aliquam realitatem ».

R. — Ratio non datur. Cf. responsum infra ad n. 11. [30]

6 — Pag. 24, lin. 12: Auferatur verbum « praesertim » (*2 Patres*).

Ratio: Fratrum Protestantium Eucharistia non est vera unice ob defectum Sacerdotii.

R. — Dicendum est « praesertim », quia possunt etiam aliae rationes afferri.

7 — Pag. 24, lin. 12: Loco « plena » dicatur « cum Ecclesia ». [31]

Ratio: Ut exprimatur quod non agitur tantummodo de separatione inter fratres, sed etiam de non plena communione et incorporatione cum Ecclesia ipsa (*14 Patres*).

R. — Ratio non explicat modum. Textus praecise vult ostendere adesse aliquam veram unitatem, quamvis non plenam.

8 — Pag. 24, linn. 12-13: Deleantur verba « praesertim propter Sacramenti Ordinis defectum ».

Ratio: Quia saltem pro sic dictis « Veteribus Catholicis » non respondent veritati.

R. — Textus generatim loquitur. Vox « praesertim » exceptionem etiam admittit.

9 — Pag. 24, linn. 12-14: Loco « quamvis... non servaverint » dicatur « quamvis *credamus illas* ... non servare ».

R. — Modus accipitur et textus emendatur secundum formulam quae infra sub n. 11 invenitur.

10 — Pag. 24, lin. 13: Loco « plenam realitatem Eucharistiae » nova periodus conficiatur.

R. — Non apparet ratio mutandi textum.

11 — Pag. 24, lin. 13: Post verbum « defectum » deleatur verbum « plenam » (*152 Patres*).

Rationes: Defectu ordinis nec plena nec dimidia realitas Eucharistiae datur, sed tantum signum non efficax (*13 Patres*).

Nullam realitatem Protestantes servaverunt in Eucharistia, quia non admittunt praesentiam realem Christi et reale sacrificium. Ipsum schema loquitur de valore mere significativo « Sanctae Coenae ». Schema admittit irenismum, quem aliter reprobat (*115 Patres*).

Admittunt tantum « logicam » seu « dynamicam » praesentiam (*4 Patres*).

Non est verum defectum fundamentalem in Eucharistia provenire ex negatione Ordinis, sed ex defectu fidei (*13 Patres*).

Magis exacta erit expressio sine « plena » et ipsis magis placebit (*1 Pater*).

[31] Realitas vel est vel non est nec scimus aliquam semirealem Eucharistiam. Si multi ex episcopis non intelligunt verbum istud, quomodo populus intelligere potest? Est fons confusionis. « Plena » valet tantum pro anglicanis (*1 Pater*).

[32] R. — In genere responderi potest, maiorem partem Protestantium credere in aliquam praesentiam Christi in Eucharistia, quod patet tum ex doctrina Reformatorum et ex recentioribus theologis protestantibus, tum etiam ex eorum vita spirituali et liturgica. Alio modo tamen ac catholici theologi protestantes sese exprimunt. Mutua fratrum seiunctorum cognitio (cf. n. 9) de doctrina et de vita spirituali valde promovenda est. Quia autem textus difficultatem plurimis patribus praebet, proponitur ut legatur « plenam realitatem *Mysterii eucharistici* ». Sic tollitur omne periculum ambiguitatis relate ad praesentiam realem Christi in Sacramento Eucharistiae. Textus integer sic legitur: « quamvis *credamus illas,* praesertim propter Sacramenti Ordinis defectum, plenam realitatem *Mysterii eucharistici* non *servasse* ».

12 — Pag. 24, lin. 13: Loco « plenam » dicatur « veram » (*4 Patres*) vel « sacramentalem » (*2 Patres*) vel « ineffabilem » (*1 Pater*).

Rationes: 1 Pater non dat rationem, alii dicunt sine potestate Ordinis Eucharistiam non habere veram realitatem. In verbo « plena » exprimitur vera realitas. « Minus plena » non datur, « sacramentaliter » Eucharistia non adest propter defectum ordinis.

« Ineffabilem » dicitur, quia in quantum est memoriale mortis et resurrectionis, non ingreditur in ipsam realitatem Mysterii sed illam comitatur.

R. — Ubi plenitudo non adest, iam veritas plene non servatur. Dici tamen non potest nihil veritatis servari. Cf. Resp. ad num. 11 et ad num. 3. Memoriale (Anamnesis) mortis et resurrectionis Domini secundum Conc. Trid. est ipsa repraesentatio Mysterii Eucharistici.

13 — Pag. 24, lin. 14: Post verbum « tamen » inseratur verbum « aliqua ».

Ratio: Non omnes in Coena Domini memoriam mortis et resurrectionis eius faciunt.

R. — Si aliquid in Coena Domini intenditur, tunc est praecise memoria mortis et resurrectionis Domini.

14 — Pag. 24, linn. 14-16: Mutentur verba « dum in Sancta Coena... significare profitentur ».

Ratio: Quamquam bonum sit, iuxta monita S. P. Ioannis XXIII, magis attendere ad ea quae unionem favent, tamen [32]
quae in textu dicuntur in paucissimis confessionibus protestantibus inveniuntur. [33]

R. — Cf. ad n. 11, ubi ad difficultatem respondetur.

15 — Pag. 24, lin. 14: Deleatur post « dum in » verbum « Sancta ».

R. — 1) Pater non dat rationem.
2) Expressio usitata in omnibus libris liturgicis invenitur apud fratres seiunctos nec licet nobis mutare eorum terminologiam.

16 — Pag. 24, linn. 16-18: Ultima sententia sic sonet: « Quapropter, his omnibus bene perpensis doctrina circa Coenam Domini et cultum et Ecclesiae ministeria obiectum dialogi constituat oportet: ita ut verus progressus erga unitatem in sacris vitaque liturgica provideatur ».

R. — Intentio totius schematis ad hunc finem spectat atque in aliis partibus specialiter in conclusione providetur.

17 — Pag. 24, linn. 16-17: Loco « doctrina circa Coenam Domini et cultum et Ecclesiae ministeria » dicatur « doctrina circa Coenam Domini, *cetera sacramenta* et cultum ac Ecclesiae ministeria ».
Ratio: Vox cultus etymologice comprehendit tantum partem latreuticam liturgiae.

R. — Modus accipitur.

18 — Pag. 24, linn. 16-18: « Quapropter ... oportet »: aliud obiectum dialogi quaeratur, secus induci possent credentes in confusionem circa realitatem Eucharistiae. Dialogus oecumenicus non fundatur exclusive in factis enumeratis.

R. — Textus alia obiecta dialogi non excludit. Essentialia tamen omitti non possunt, inter quae sine dubio est doctrina de Ss. Eucharistia. Dialogus, ut experientia docet, non inducit in confusionem, sed potius ad maiorem claritatem et firmiorem convictionem.

19 — Pag. 24, lin. 18: Post verba « obiectum dialogi constituat oportet » adiungatur « dummodo agatur de personis in scientia sacra, maxime biblica, vere edoctis » (*2 Patres*).

R. — Iam in alio loco (vide cap. II, n. 9) provisum est.

AD NUMERUM 23 [34]

1 — Pag. 24, in genere. Si in Anglia protestantes sunt tam honesti et virtuosi sicut dicitur in schemate et in Relatione, e contra in Lusitania sunt iniusti et aggressivi contra Ecclesiam catholicam

[34] et contra clerum. Schema ansam praebere potest ad maiorem proselytismum pro conversionibus ad protestantismum. Nunc protestantes ipsum Concilium Oecumenicum Vaticanum II invocare possunt.

R. — In schemate non dicitur protestantes esse honestos et virtuosos, sicuti idem etiam non simpliciter dici posset de catholicis. Attamen nemo malus nisi probetur. Sed ea quae bona sunt, propter malos homines taceri non debent; ipse dialogus in caritate factus multa inconvenientia auferre potest.

2 — Pag. 24, lin. 22: Loco « in cultu communitatis » dicatur « in servitio communitatis » vel « in liturgia communitatis ». Similiter pro « cultus » lin. 23.

Ratio: Terminus « cultus » tantum complectitur aspectum latreuticum. Scholastici utuntur hoc termino sub aspectu theologico morali (exercitium virtutis religionis). Raro adhibetur saeculis recentibus in documentis Ecclesiae. A non paucis fratribus separatis terminus perhorrescitur.

R. — Secundum sensum hodie usitatum in ipsis communitatibus seiunctis semper adhibetur terminus « cultus » et praecise non terminus « liturgia », qui ultimus praesertim apud orthodoxos invenitur.

3 — Pag. 24, lin. 25: Post « Fides qua Christo creditur » addatur « in multis », ad tollendam falsam generalitatem. Elogium nimis longum et generale est (*12 Patres*).

R. — Verba proposita minuunt sensum textus accepti. Textus non est elogium, sed simpliciter numerat facta realia profluentia ex actu fidei ut fructus non in singulis personis, sed in genere.

4 — Pag. 24, linn. 26-27: « accedit vivus iustitiae sensus et sincera caritas in proximum »: deleantur omnino haec verba. Hoc verum est in paucis casibus, sed generatim odium habent erga catholicos.

R. — Textus deleri non potest, quia a patribus conciliaribus cum magna maioritate acceptus est. Dici non potest protestantes generatim nos odio habere.

[35] 5 — Pag. 24, lin. 32: Loco « Catholici » dicatur « Catholica Ecclesia ». Catholici tenent quod Ecclesia docet. Non agitur de iis quae privatim Catholici tenent.

R. — Cum ibi non agatur de doctrina Ecclesiae tantum, sed etiam de ipsa vita christiana, nobis licet uti termino « catholici ».

6 — Pag. 24, lin. 34: « ut nos » tollatur.

Ratio: In ordine obiectivo non licet ita loqui, nisi supponamus non adesse differentiam inter catholicos et fratres seiunctos. [35]

R. — Agitur ibi de voluntate adhaerendi verbo Christi, non de ipsa explicatione verbi Christi.

7 — Pag. 24, linn. 35-37: Expungatur textus Col. 3, 17, loco eius sumatur Mt. 28, 20.

Ratio: Ad rem non pertinet.

R. — Citatio allata videtur textum bene illustrare, nam idea in hoc numero expressa est: vita cum Christo.

8 — Pag. 24, lin. 37: Post « dialogus oecumenicus » addantur verba « dummodo agatur de personis in scientia sacra, maxime biblica, vere edoctis » (*2 Patres*).

R. — Ratio non datur, cur praecise hoc loco apponenda sint haec verba. Ceteroquin alio loco in textu provisum est (vide cap. II, n. 9).

AD NUMERUM 24

1 — Pag. 24-25 in genere. Cavendum est ne zelus communitatum fratrum seiunctorum, qui omnibus mediis utens longe lateque in nostris regionibus saevit, damnum animabus fidelium afferat.

R. — Nostrum decretum falso proselytismo non favet.

2 — Pag. 25, linn. 2 ss.: « Haec Sacrosancta Synodus hortatur fideles etc. ». Deest adhortatio maximi momenti, nempe: actionem oecumenicam exercendam esse praesertim a sacerdotibus vere idoneis et semper sub peculiari Episcoporum vigilantia (*2 Patres*).

R. — De hac prudentia iam provisum est sufficienter in capitibus antecedentibus (vide cap. I, n. 4 et cap. II, n. 9).

3 — Pag. 25, lin. 3: Loco « quae » dicatur « quia haec » vel « quia talia ». [36]

Ratio: Propter causalitatem.

R. — Textus ut iacet clarum sensum habet.

4 — Pag. 25, linn. 2 ss.: Dicatur « Haec Sacrosancta Synodus hortatur sacerdotes et fideles, ut a quavis levitate vel imprudenti zelo se abstineant, quae vero progressui unitatis nocere possint, praesertim in his regionibus ubi maxime necessaria est clara expositio doctrinae catholicae coram proselytismo (illo, sc., mediis impropriis et inhonestis utenti) inter catholicos facto a quibusdam communitatibus fratrum separatorum » (*1 Pater,* nomine CLAF).

Rationes: *a*) Quia fere 400.000 fidelium catholicorum adultorum transeunt per annum ad Protestantismum.

[36] *b*) Plurimae communitates acriter impugnant doctrinam, organisationem et vitam Ecclesiae.

c) Oritur confusio in Ecclesia Americae Latinae, nisi habitudo oecumenica Hierarchiae et fidelium erga supradictas « sectas » clare atque perspicue enucleatur. Iam confusio adest.

d) Prostat problema practicum circa scholas confessionales protestantium, ubi multi alumni catholici cum permissione suorum parentum studia peragunt. Quomodo agendum?

e) Episcopi agnoscunt motum oecumenicum, sed adsunt problemata particularia.

f) Exspectant de cetero episcopi Americae Latinae Directorium oecumenicum promissum a Secretariatu ad promovendam unitatem christianorum includere criteria et normas circa habitudinem pastoralem ad « sectas ».

R. — 1) De necessitate clarae expositionis doctrinae catholicae schema loquitur explicite in cap. II, n. 11. In phrasi pag. 25, linn. 4-7 iterum exprimitur necessitas clarae et integrae expositionis doctrinalis.

2) Motio oecumenica, in quantum etiam renovationem interiorem Ecclesiae promovet, maiora adiumenta ad « sectas » refutandas praebet.

3) In schemate de Libertate religiosa fit exhortatio ad excludendum « proselytismum ».

4) « Directorium oecumenicum » a Secretariatu exarandum postea a Conferentiis episcoporum condicionibus regionum adaptandum erit.

5) Cf. etiam responsum sub n. 19, ad 6.

5 — Pag. 25, lin. 4: Post verbum « possint » addantur « quibus verbis nihil intendit Sacra Synodus dicere contra strictam obli-
[37] gationem pro individuo in sua conscientia certefacto sese verae Ecclesiae personaliter iungendi (*7 Patres*).

Ratio: 1) Cum in cap. I, n. 4, sermo sit de relatione inter oecumenismum et reconciliationem singulorum, nunc esset locus loquendi de obligatione individui in sua conscientia certefacti Ecclesiae verae se iungendi.

2) Ne schema det occasionem dubitandi de hac obligatione.

3) Propter libertatem religiosam.

R. — Quaestio de conversionibus individualibus non directe ad motionem oecumenicam pertinet. Obligatio autem sequendi conscientiam certam in schemate de Libertate Religiosa tractatur.

6 — Pag. 25, lin. 16: Post « penitus ponit » addatur « et in cooperatione nostra mediante actione apostolica ac testimonio vitae christianae » (*2 Patres*). [37]

Ratio: Obvia.

R. — Agitur hic de obiecto virtutis theologicae. Ceteroquin necessitas cooperationis humanae sufficienter patet ex eis quae in cap. II, nn. 6, 7 et n. 8 dicuntur.

7 — Pag. 25, lin. 18: Desideratur in fine huius Capitis quaedam invocatio ad beatissimam Mariam Virginem, Matrem Christi et Fautricem unitatis.

R. — Non datur ratio, et ab aliis patribus talis additio non desideratur. Schema non invocatione concludendum esse videtur.

2 – EMENDATIONES ADMISSAE [38]

SECUNDUM MODOS A PATRIBUS INTRODUCTOS

N. 13

1 — Pag. 19, linn. 9-10: Exinde a Sede Romana plures Communiones sive nationales sive confessionales *seiunctae sunt.*

2 — Pag. 19, linn. 10-12: Inter eas, in quibus traditiones ... subsistere pergunt, *locum specialem tenet* Communio anglicana.

N. 14

3 — Pag. 19, lin. 23: ... Sede Romana moderante *communi consensu,* si dissensiones circa fidem vel disciplinam inter eas orirentur.

4 — Pag. 19, linn. 24-27: Sacrosanctae Synodo gratum est, inter cetera gravis momenti, omnibus in mentem revocare *exstare* in Oriente *plures* particulares seu locales Ecclesias, *inter quas primum locum tenent Ecclesiae Patriarchales, et ex quibus* non paucae ab ipsis Apostolis originem *ducunt.*

5 — Pag. 20, linn. 1-2: Praetermittendum pariter non est Ecclesias Orientis ( ) ab origine habere thesaurum ex quo plura in rebus liturgicis ...

N. 15

6 — Pag. 20, linn. 39-40: ... quaedam communicatio in sacris, datis opportunis circumstantiis *et approbante auctoritate ecclesiastica,* non solum possibilis est sed etiam suadetur.

[38] N. 18

7 — Pag. 22, linn. 12-14: ... nempe ad communionem et unitatem restaurandam *vel servandam* opus esse « nihil ultra imponere oneris quam necessaria » (*Act.* 15, 28).

N. 20

8 — Pag. 23, linn. 8-10: Mens nostra eos imprimis Christianos respicit, qui Iesum Christum ut *Deum ac* Dominum et unicum mediatorem inter Deum et homines palam confitentur ...

[39] N. 22

9 — Pag. 24, lin. 11: ... quamvis deficiat *earum* plena nobiscum unitas ex baptismate profluens ...

10 — Pag. 24, linn. 12-14: ... quamvis *credamus illas,* praesertim propter Sacramenti Ordinis defectum, plenam realitatem *Mysterii eucharistici* non *servasse* ...

11 — Pag. 24, linn. 16-18: Quapropter doctrina circa Coenam Domini, *cetera sacramenta* et cultum *ac* Ecclesiae ministeria obiectum dialogi constituat oportet.

QUAESITUM

An placet expensio facta a Secretariatu circa modos cap. III de Oecumenismo respicientes.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, fasciculi continentes Modos quos dixi distribuentur post factas suffragationes omnes, ita ut omnia in ordine et ex ordine fiant. Nunc propono vobis suffragationem circa Modos respicientes cap. III schematis *de Oecumenismo* quod inscribitur « de Ecclesia et de communitatibus ecclesialibus a Sede Apostolica Romana seiunctis ». En emendationes admissae [*cf. pag. 701*].

Ergo, Patres venerabiles, quaeritur: an placeat expensio facta a secretariatu circa modos cap. III *de Oecumenismo* respicientes. Responsio duplex tantum esse potest: *placet* vel *non placet.* Gratias.

Moderator: Continuatur nunc, disceptatio super schema propositionum, de *institutione sacerdotali* et velit loqui em.mus D. card. Iacobus De Barros Câmara.

PATRUM ORATIONES

(De institutione sacerdotali)

1

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. DE BARROS CÂMARA

Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Ianuarii

Venerabiles Patres,

Imprimis adhaereo his quae nudiustertius dicta sunt ab exc.mo D. Colombo, arch. Mediolanensi. Et rationes affero:

1. In propositionibus *de institutione sacerdotali* placet imprimis aequilibrium a relatore iure notatum. Censeo omnes Patres consentire, plura in formatione sacerdotali renovanda esse. Dissensio vero manifestatur, quando huius renovationis modus et mensura accuratius determinanda sunt.

Non desunt qui integrum fere seminariorum institutum demittere et de formatione clericali iam extra seminaria peragenda deliberare vellent. Propositiones autem, meo quidem iudicio, optimo consilio provident, ut praesens seminariorum structura atque universae institutionis rationes accurate recognoscantur in luce hodiernae renovationis theologicae, liturgicae et oecumenicae, atque ut eaedem efficaciter adaptentur hodierni ministerii necessitatibus, sanae paedagogiae principiis ipsique indoli iuvenum clericorum nostrae aetatis. Hunc finem prosequitur schema animo aperto, sed insimul eximio discretionis spiritu.

2. Haec autem discretio non debilitas censenda est, sed potius huius documenti fortitudo et praestantia.

In schemate enuntiantur quidem principia generalia, quod autem recte intelligendum est: generalia vocantur quia debent valere pro alumnis formandis in tota Ecclesia; quae principia simul sunt clare determinata et concreta, et per consequens nullatenus inefficacia iudicanda. Quaedam exempla sufficiant:

Datur praeprimis principium concretum summi momenti de ratione institutionis sacerdotalis a singulis episcoporum coetibus condendae; dantur normae omnino clarae pro vita gerenda in seminariis minoribus, pro qualitate studiorum in ipsis peragendorum, pro libertate alumnorum sedulo tuenda; statuuntur clara principia quibus vitari poterunt *et* incommoda seminariorum nimis parvorum *et* pericula quae insidiantur seminariis, ubi plurimi sunt alumni. Dantur pretiosa lineamenta pro in-

stauranda institutione spirituali... Verum est, ibi una cum aspectibus magis novis spiritualitatis cleri dioecesani, renuntiari etiam quaedam *vetera*. Sed quis non videt illa vetera esse simul quam maxime actualia? Sic omnino probandum est, quod in Propositione 10 ea reassumpta sunt, quae iam in schemate *de sacrorum alumnis formandis* habebantur de positiva educatione ad caelibatum.

Dantur optimae normae pro recognoscendis studiis philosophicis et theologicis; praescribitur nova periodus initiationis in vitam spiritualem et in studia ecclesiastica. Structura tractatuum dogmaticorum in Propositione 16 delineata nova est; ea apprime respondet progressui scientiae theologicae, in campo theologiae biblicae, Patrologiae, liturgiae et simul indicant nexum institutionis dogmaticae cum munere mysteria Verbi praedicandi hominibus determinati temporis et determinatae culturae.

3. Haec omnia et multa alia in schemate enuntiantur cum exemplari *discretione*, inquantum ulteriores determinationes committuntur episcopis et episcoporum coetibus. Et recto omnino. Concilii non est edere aliquam Rationem Studiorum; Concilium non debet ulterius determinare modum quo in magnis seminariis creandae sunt communitates pauciores, formationi vere personali magis consentaneae; non debet praescribere quot tirocinia pastoralia, qua successione et duratione peragenda sint; nec quomodo alumni vacantiarum tempore in apostolatu exercendi sint, neve quantum temporis alumni in diaconatu permaneant etc.

Debemus habere *fiduciam* in prudentia pastorali episcoporum et coetuum episcoporum. Ab *ipsis* seminariorum moderatores ac professores iure expectant ut prima lineamenta in his Propositionibus posita opportune evolvantur, illustrentur, determinentur pro singularum regionum adiunctis. Non possum assentiri eis qui censent competentibus auctoritatibus territorialibus nihil aliud committendum esse nisi « quasdam particulares determinationes statuere ».

Mirum esset, si episcopi quibus in aliis documentis ab hac Sancta Synodo paratis tot munera concreduntur, in formandis propriis coadiutoribus et plebis suae pastoribus fere omnia a determinatione centrali exspectare deberent. De cetero in ipsis regionibus, quibus ob peculiaria adiuncta difficilior est ratio commercii cum Sede Apostolica, compertum est, quanta possint committi ipsis auctoritatibus ecclesiasticis territorialibus.

Timendum est potius ne essent vere inefficaces determinationes nimis particulares a Concilio datae, quippe quae veris locorum necessitatibus vix congruere possent.

4 et ultimo. Si dicitur hoc documentum non correspondere exspectationi Epistolae Apostolicae *Summi Dei Verbum*, dicendum est: in Epi-

stola Apostolica sermo est de aliqua constitutione *de sacrorum alumnis formandis,* quae de facto tunc parata erat, in qua fusius omnino de vocationibus sacerdotalibus fovendis, de seminariis minoribus, de formatione liturgica et apostolica, et de multis aliis sermo fuit. Secundum mandatum sub auctoritatibus huic Concilio praesidentibus receptum, schema illius constitutionis postea restrictum est ad *paucas Propositiones principaliores.* Sic ortum est documentum certo magis modestum, quod autem essentialia efficaciter praebere dicendum est, imprimis si post hanc nostram disceptationem hic inde opportune complebitur. Dixi.

Moderator: Loquitur exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Procedamus, Patres, ad suffragationes faciendas quoad propositiones schematis *de religiosis.* Videatis pag. 9. Lego per initium et finem textum 1[ae] suffragationis, quae complectitur prooemium, numeros 1, 2, 3. Latere dextro: [*cf. pag. 143-144*]. *Placet, non placet* an *placet iuxta modum,* Patres venerabiles?

2

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI

Archiepiscopus Panormitanus

Venerabiles Patres,

Propositiones disceptationi nostrae nunc subiectae plurimi sane facienda sunt, tum ob eorum momentum tum etiam quia a viris praeclarissimis confectae.

Ne miremini autem si competentis commissionis optatis satisfacere intendens, quidpiam animadvertere audeo cum triginta annos in seminariis duxerim et per annos septendecim secretarii munere in S. Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus, nullo meo merito, functus sim.

I - *Aliquae propositiones carent claritate.* 1. E. g. pag. 14 in propositione 7, linn. 28-32 verba « alumni apta ratione distribuantur in communitates parviores », quid valeant minime patet. In omnibus enim seminariis et institutis formationis ecclesiasticae, alumni si multi sint, in varia contubernia, plane distincta, distribui solent; sed cavendum est ne plures constituantur communitates, quarum unaquaeque sit plane sui iuris, quia si id fieret, vix, immo ne vix quidem, seminarii vel insti-

tuti unitas, praeter scholam, servaretur cum gravi sanae disciplinae periculo discrimineque.

2. Porro pag. 16, propositio 11, linn. 8-13: Non intelligitur plene quomodo firma rectae disciplinae principia manerent integra, si seminariorum alumni « sponte naviterque » agant et cum confratribus et laicis sociam praestent operam.

In textu *vigilans* quidem verbum adhibetur « addiscant », sed evidenter agitur de exercitio affectivo. Sine dubio huiusmodi consuetudo iuvenum in spem Ecclesiae succrescentium cum laicis, si opportunis cautelis circumscribatur, utilis esse posset ut, postea, sacerdotio aucti, ad omne opus bonum in mundo exercendum instructi sint. Verum — ut experiendo cognovi — uberior fructus perciperetur si sacerdotii alumni antea studiorum curriculum conficiant et, postea, iidem per aliquod tempus, putate per biennium, sub ductu moderatorum et selectorum magistrorum quae mente plene didicerint ad usum sacerdotum proprium, sive cum confratribus sive cum laicis traducere feliciter incipiant.

3. In pag. 17, propositio 15 « De studiis philosophicis recognoscendis » nullam mentionem facit S. Thomae Aquinatis et in propositione 16 (pag. 18), quae inscribitur: « institutio theologica communicanda integra, harmonica et vitalis » caute, et quasi timide, in lin. 26 *S. Thomas* nominatur. Non ita Doctorem Angelicum tractarunt octoginta ferme Summi Pontifices, a saec. XIII ad aetatem nostram, qui eum laudibus quam plurimis extulerunt, et *studiorum ducem* habuerunt: « Soli comparatus — inquit Leo XIII — orbem terrarum... doctrinae splendore complevit » ...[2]. Propterea enixe episcopos hortabatur ut ad catholicae fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum auream S. Thomae sapientiam restituerent et quam latissime propagarent, eiusque doctrinae prae ceteris soliditatem atque excellentiam in perspicuo ponerent...[3]

Numquid ...[4] Leonis XIII testimonium non est nostris temporibus accommodatum? En — ad omnem haesitationem fugandam — Pauli VI, fel. regnantis, solemnis admonitio in Epistula Apostolica *Summi Dei Verbum,* data anno praeterito in festo S. Caroli Borromei: « Praestantiores sacerdotalis, *inquit*[5], animi divitiae in illa continentur humana atque christiana sapientia, quae in firma ac certa philosophiae et theologiae institutione constat, secundum *S. Thomae rationem, doctrinam atque principia* »...[6]

Instanter rogo ut verba haec pretiosissima in textum retractandum inserantur.

Dum Thomam celebro, nullo modo reliquos Doctores qui nobis segetes doctrinae fecundas et uberes reliquerunt parvipendendos censeo,

sed locus Aquinati vindicetur suus oportet, utpote scholarum catholicarum omnium caelesti Patrono. Ergo iuvenes in sortem Domini vocati et Magistri eorum ne a vestigiis tanti viri in scholis philosophicis et theologicis facile discedant. Ipse enim adhuc plurimum inservit ad novos errores detegendos ac refutandos.

II - Velim pauca suggerere spe fultus ea quidquam collatura ad schema perficiendum.

1. In pag. 12, propositione 3: Seminaria minora et cetera eiusdem generis instituta bene illustrantur. Forsan utile esset commendatio ut ea, ubi desint, quam primum instituantur. Iam Concilium Tridentinum praeceperat ut iuvenes, qui germen vocationis sacerdotalis ostenderent, inde a teneris annis ob rationem, quae verior est hodie, excolerentur.

Nam, ut legitur in can. 18 decreti *de reformatione,* « adolescentium aetas, nisi recte instituatur, prona est ad mundi voluptates sequendas ».

2. In pag. 15, propositio 8: Sacerdotes non dixerim tantum episcopo adhaerentes, sed oboedientes secundum professionem quae in ordinatione sacerdotali Ecclesia expostulat.

3. In pag. 19, propositio 18: Ubi iuvenes melioris indolis et ingenii dicuntur ad Facultates vel Universitates ab episcopis opportune mittendos esse, adiciatur: « semper praeferantur — si fieri potest — Athenaea Pontificia et Universitates Catholicae ».

Interventionem concludens, venerabiles Patres, dignamini me parumper adhuc audire. Senex sum et Evangelium docet vinum novum non mitti in uteres veteres ...[7]; sed pariter hortatur nos ut imitemur scribam doctum in regno caelorum qui profert de thesauro suo nova et vetera...[8]

Multa nova dicta sunt in aula conciliari; sed veritates antiquae oblivisci non possumus. In sacerdotali institutione certissime gravibus carentiis (sit venia verbo!) ab exc.mo Colombo, arch. Mediolanensi, lucidissime descriptis, sollerter prospici debet; pro explorato tamen habemus omnes, praecipue curandum esse ut seminaria — dioecesium cor — quorum cum statu fortuna Ecclesiae coniungitur maxime ...[9], sint cunctarum virtutum palaestrae, vera coenacula in quibus alumni, Spiritu Sancto operante, Beata Maria semper Virgine spe nostra Ecclesiae Matre auxiliante, novi homines fiant...[10]

Innumerae animae exoptant et expectant, hodie plus quam heri, sacerdotes qui in primis sancti sint, qui multum die noctuque orent, qui Missam piissime celebrant, qui sint humiles, qui caritate erga miseros quoscumque fragrent, qui sciant moribus magis quam verbis praedicare Iesum Christum et hunc crucifixum...[11]

Tales instituendos esse sacerdotes in textu nostro breviter et simul fortiter asseratur. Ipsis enim ministeria nostra diem supremum obeuntes, laeto animo, trademus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (*Ench. Semin.*, Romae 1938, 416). [3] (*ibid.* 429). [4] doctissimi. [5] deest. [6] (PAULUS VI, Epist. Ap. *IV exacto saeculo post Constituta a Concilio Oecumenico Tridentino sacra seminaria*: *A.A.S.*, 56 [1963], p. 977). [7] (*Mt.* 9, 17; *Mc.* 2, 22; *Lc.* 5, 37). [8] (*Mt.* 13, 52). [9] (Cf. LEO XIII, Epist. *Paternae providaeque* ad episcopos Brasiliae, 18 sept. 1899: *Leonis XIII Acta,* 19, p. 104). [10] (Litt. Circul. S. Congr. de Seminariis et Stud. Universitatibus *I Romani Pontefici* 25 iulii 1928: *Ench. Semin.* 1260). [11] (cf. S. PAULUS, *1 Cor.* 2, 2).

Secretarius generalis: En textus, Patres venerabiles, II suffragationis: *De Religiosis*. Pag. 10, n. 4: [*cf. pag. 144*]. *Placet*ne, *non placet* an *placet iuxta modum?*

3

EM.MUS P. D. PAULUS AEMILIUS CARD. LÉGER
Archiepiscopus Marianopolitanus

Venerabiles Patres,

Nemo est qui non videt peculiare momentum institutionis spiritualis, pastoralis et intellectualis clericorum. Sacerdotes enim complementa et organa sunt nostri episcopalis muneris, et ideo nostro Concilio summe interest ut *ista* [1] formatione in seminario recepta, apostoli fiant nostrae aetatis qui mundum secundum profundiora intenta nostrae Synodi evangelizare possint.

Nova redactio schematis *de institutione sacerdotali,* in sua generali inspiratione, illae desideratae aptationi respondet atque pluria particularia proponit quae mihi videntur omnino apta ad formationem clericorum renovandam secundum veram traditionem Ecclesiae et hodierna requisita: diversitatem condicionum et necessitatum in singulis regionibus vigentium agnoscit; attendit ad ipsam personam alumni, ad eius mentalitatem ut, aptioribus mediis adhibitis, solidior sit eius formatio spiritualis et intellectualis; schema in formationem pastoralem immoratur et opportune proponit ut in ipso seminario clerus de mundi necessitatibus cognoscat et cogitet.

Quaedam autem emendanda proponere vellem in campo formationis intellectualis: 1. quoad philosophicam institutionem; et 2. quoad theologicam institutionem.

1. *De institutione philosophica.* Schema opportune non praetermittit momentum institutionis philosophicae quae tantum confert ad mentem nostri temporis intelligendum. Regula autem quae primis lineis art. 15 proponitur de perenni philosophia in seminariis tradenda non mihi videtur retinenda in textu conciliari propter sequentes rationes:

Primo, verbum « philosophia perennis » in se maxime ambiguum est. Dici posset hoc verbum « philosophiam scholasticam » significare. Si autem talis esset sensus vocabuli, non videtur quomodo adimpleri possent ea quae in hoc articulo rogantur, nempe: ut alumni principia et cohaerentem synthesim huius philosophiae scholasticae acquirant. Etenim, peritis in rebus philosophicis hodie, evidens est multas philosophias scholasticas inter se profundissime distinctas haberi.

Praeterea regula ita formulata de philosophia perenni docenda, mihi videtur non esse consentanea cum ipsa natura philosophiae. Contraria enim est ipsius naturae inquisitionis philosophicae quae non procedit, ut ipse S. Thomas notavit, ex auctoritate sed ex *rerum* investigatione. Obiectum philosophiae non est inquirere quid dixerunt auctores sed quid res sint.

Tandem omnibus patet philosophiam sic dictam scholasticam simpliciter et indiscriminatim imponere alumnis regionum non-occidentalium gravia incommoda secumfert.

Propono ergo ut alio modo loquatur Concilium de institutione philosophica sacerdotum. Munus Concilii non est aliquam philosophiam proponere sed regulas formulare quibus accurate attendatur *et* ad rectam validamque alumnorum institutionem philosophicam *et* ad christianae fidei requisita in tuto ponenda. Textum qui huiusmodi regulas exponere posset apud secretariatum tradam.

2. *De institutione theologica.* De institutione tria proponere vellem:

1) In genere mihi placent ea quae dicuntur in n. 16. Gaudeo textum non nimis ponderose immorari in doctrina S. Thomae. Non quia opera S. Thomae spernenda sint sed quia omnino vitari debet exclusivismus immoderatus. Vae hominis unius libri! Vae Ecclesiae unius doctoris!

Ut autem textus de hac quaestione auctoritatis S. Thomae melioretur, vellem proponere ut in pag. 18, lin. 26, deleantur verba « S. Thoma magistro ». Loco horum verborum, proponerem ut in fine eiusdem articuli sequentia verba potius dicantur: « Ecclesia catholica proponit S. Thomam ut magistrum et exemplar omnium eorum qui scientias theologicas colunt ».

Sequens est sensus modificationis quam propono: nempe systema

vel doctrina S. Thomae non imponatur, sed potius proponetur S. Thomas in sua habitudine scientifica et spirituali, ut praeclaris exemplar indagatoris et creatoris in materia theologica, qui sui temporis scientiam ad utilitatem Evangelii convertit.

2) Optime rogat schema ut Sacra Scriptura anima sit theologiae. Tamen vellem ut fusius et efficacius loqueretur de necessario dialogo omnium cultorum scientiarum sacrarum cum mundo. Uti bene scimus periculum semper illis minatur ut suum mundum artificiale exstruant et in eo, sicuti in claustris, cogitent et vivant, vera problemata, cogitationes et ipsam linguam mundi realis ignorantes. Animadvertere etiam oportet, iam a multis decenniis, multos theologos nonnisi cum philosophia Medii Aevi dialogum instituisse, non autem sine magno detrimento pro dialogo Ecclesiae cum mundo hodierno.

Quaestionem illam aggrediens, schema nostrum media concreta proponere deberet uti v. g. praesentia et constans consultatio aliquorum peritorum laicorum in seminariis, lectiones quibus componatur Ecclesiae doctrina cum profanis doctrinis contemporaneis, pastoralis experientia professorum et alumnorum.

3) Iam in hac aula multi Patres rogaverunt ut Concilium problema renovationis scientiae moralis aggrediatur. Doctrina moralis enim quae in seminariis docetur pluribus defectibus laborat.

Ut recte notavit Sua Beatitudo Maximos IV, plerumque manualia scientiae moralis non respondent menti hominis adulti nostri temporis. Scientia nostra moralis nimis casuistica est, in legalismo, iuridicismo et moralismo nimis indulget. Non apparet, si dicere liceat, ut primarie pleneque christiana.

Cum hi defectus radices profundas habent in historia et in mentibus nostris, nos eos eradicare non poterimus nisi in schemate ab illis praecaveatur. Propono ergo ut in aliqua paragrapho explicite tractetur de institutione theologiae moralis.

Affirmari oportet necessitas theologiam moralem intime ligandi cum theologia dogmatica, eam fundandi in Sacra Scriptura eamque integrandi in mysterio Christi et salutis. Rogetur etiam ut caritas sit centrum eius sicuti est centrum et recapitulatio legis Christi...[2]

Concludo. Schema mihi placet in genere et spero illud, postquam emendatum fuerit, optimum fundamentum futurum esse ut, sicuti evenit post Concilium Tridentinum, ita post Vaticanum II, novo evangelico dynamismo seminarii Ecclesiae transformentur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ipsa. [2] Si tali modo schema loquitur de scien-

tia morali, certe sperare poterimus renovationem desideratam in moribus christianis, per sacerdotes, omnes christianos attingere.

Secretarius generalis: Patres amplissimi, Summus Pontifex coram admittet feria II proxima, hora 18, episcopatus Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis et Canadiae; episcopos Brasiliae hora 19,30.

Communico, Patres, exitum suffragationis circa cap. III schematis *de Oecumenismo.*

Suffragati sunt Patres		1.963
Dixerunt	*placet*	1.870
	non placet	82
	placet iuxta modum — omnino extra chorum — voces	6
Suffragia nulla		5

Ergo expensio Modorum cap. III schematis *de Oecumenismo* in nostra congregatione approbata est. Et nunc, Patres, audite! Summus Pontifex statuit habendam esse sessionem publicam sabbato proximo die 21 novembris hora quae communicabitur. Uti scitis, sessio publica est ille coetus in quo praesente Summo Pontifice Patres cum Summo Pontifice votum proferunt de textibus approbatis in congregatione generali. Quodsi votum fuerit affirmativum et sic Sanctissimo placuerit, iidem textus tamquam conciliares promulgabuntur. Ergo intimantur iam hodie omnes Patres conciliares, omnes!, ut sabbato proximo die 21 mensis currentis conveniant in hanc Basilicam ad publicam sessionem cum Summo Pontifice celebrandam.

Lego textum, Patres venerabiles, III suffragationis *de religiosis.* Videatis pag. 11, nn. 5-6: [*cf. pag. 145*]. *Placet*ne, *non placet* an *placet iuxta modum?*

4

EM.MUS P. D. IULIUS CARD. DÖPFNER
Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis

Patres venerabiles, Fratres carissimi,

Schema emendatum, i. e. ex parte in pristinum statum reductum et completum, vere placet. In hac moderata amplificatione Propositionum commissio quasi id iam praesumpsit, quod diebus anteactis a multis Patribus circa schema *de activitate missionali Ecclesiae* postulatum est.

Attamen non necessarium videtur schema longum et vastum, sed vere opportunae sunt ideae directivae quoad particularia postea exsequenda.[1]

Propositiones in quaestione educationis et institutionis alumnorum hodie difficillima mihi videntur vere viam mediam ingredi. Una enim ex parte leges saeculorum experientia probatas retinent, *et hoc vere dici debet,*[2] altera vero ex parte aperte et fortiter inducunt novas, quae mutatis temporum rationibus aptius respondent.

I - Laudanda mihi videntur inter alia imprimis sequentia: 1. Quod leges institutionis alumnorum *generales* in hoc schemate datae, peculiari episcoporum conferentiarum legislatione, diversis regionibus, gentibus et ritibus accommodandae proponuntur ...[3], id quod correspondet lineae *nostri*[4] Concilii, quin *propter has*[5] debilitetur *munus coordinativum*[6] et alta directio dicasterii competentis S. Sedis.

2. Quod finis *pastoralis* integrae institutionis sacerdotalis fusius et praecisius secundum exemplum Christi Iesu Magistri, Sacerdotis et Pastoris enucleatur...[7]

3. Quod exactius exponitur, in quo consistat idoneitas candidati, qui sacerdotium intendit, et magis insistitur in momentum plenae maturitatis, liberae electionis et consciae responsationis candidati tamquam indispensabile fundamentum promotionis ad sacros ordines...[8] *In hoc enim omnes nos convenimus, quod tempus nostrum et etiam nos episcopi desideremus sanctos sacerdotes, sed ut mihi videtur loquendum est etiam de fundamento hodiernis temporibus istis indispensabili.*[9]

4. ...[10] Quod postulatur melior coordinatio variarum disciplinarum, tum inter philosophiam et theologiam, tum inter diversas disciplinas theologicas, relate ad finem pastoralem studiorum ecclesiasticorum melius assequendum...[11]

5.[12] Quod sublineatur momentum maximum studii Sacrae Scripturae, quae recte « universae theologiae veluti anima » nominatur, *ut fit in Prop. 16.*[13] *Et quoad hanc propositionem consentio omnino iis quae modo dicta sunt ab em.mo card. Léger. Momentum S. Thomae in schemate nostro modo sobrio et vere sufficienter commemoratur, quin nemo nostrum neget ea quae dicta sunt in diversis documentis Summorum Pontificum vel S. Sedis de momento S. Thomae. Vel remaneat uti est vel examinetur id quod dictum est ab exc.mo D. Léger.*[14]

...[15] *6.*[16] Quod exercitationes practicae foventur, *ut fit in prop. 21*[17] et prudenti iudicio episcoporum committitur, statuere quamdam studiorum interruptionem vel quoddam tirocinium pastorale...[18]

In his omnibus apparet intenta opera Ecclesiae hodiernae, ut candidati sacerdotii in temporis nostri tam mutatis et aggravatis adiunctis ad

munus suum adimplendum ita praeparentur, ut huic muneri humane, spiritualiter, paedagogice et doctrinaliter pares inveniantur.

II - Aliqua tamen ...[19] *desideranda* manent: 1. In Propositione 2 adhuc magis indicetur indoles gratiosa vocationis sacerdotalis, fere hoc modo: Videatis pag. 12 in lin. 12: Divina Providentia « quosdam homines ad Christi Sacerdotium hierarchicum participandum eligit, congruas eis tribuens dotes eosque gratia sua alliciens... » etc.

Notum est mihi quidem celeberrima illa controversia, quae circa indolem vocationis sacerdotalis inde a Lahitton habetur, nota sunt mihi quoque respectiva documenta ecclesiastica hac de re. Attamen praetermitti non possunt — *stantibus his*[20] —, quae in N. T. de elementis electionis ad peculiare munus in Ecclesia deferendum leguntur. Imprimis apud synopticos conspicitur, quomodo Dominus ipse vocet discipulos suos, alliciens eos gratia sua et verbis. Quae omnia in traditione spirituali Ecclesiae servantur. In memoriam reducam tantum, quae ultimis decenniis a viris peritis de criteriis discernendi spiritus a S. Ignatio de Loyola traditis scripta sunt.

2. Bonum est, quod in Propositione 3 legitur de seminariis minoribus similibusque institutis, quae eundem finem prosequuntur. Sed non sunt *unica* via ad sacerdotium. In nostris regionibus et etiam alibi multi candidati, qui ad seminaria maiora admittuntur, non veniunt ex seminariis minoribus, sed *absolventur*[21] examen ad studium universitatis requisitum in scholis maioribus publicis *vel etiam scholis catholicis.*[22] In his casibus educatio candidati in familia vere christiana *peragitur, quae educatio de se*[23] naturae hominis est magis conformis, *quod dico ut unus qui cum magna gratitudine fuit seminarista in seminario minori.*[24] De hac re aliquid dici debet, ut familiae catholicae responsationis suae circa vocationes sacerdotales fovendas magis consciae fiant.

3. Vera sunt, quae in prop. 10 de educatione alumnorum ad castitatem leguntur. Sed nullatenus sufficit, alumnos tantum et primarie de periculis, quae eorum castitati hodie occurrunt, monere, sed etiam positive, i. e. secundum leges psychologicas et anthropologicas instruantur, quomodo corpus eiusque vires magis magisque in totam suam personalitatem integrent et sic discant, corpus suum vere possidere. Immo de tali instructione agendum est, priusquam de periculis agatur.

4. In schemate hinc inde quidem de praeparatione alumnorum ad consuetudinem et collaborationem cum laicis sermo est, sed semper breviter tantum et in obliquo ...[25] ita ut momentum huius quaestionis pro sacerdotibus hodiernis *non satis eluceat.*[26] Tum isolatio status clericalis in societate moderna, *quae certe magni habenda est,*[27] tum momentum

apostolatus laicorum in Ecclesia nostri temporis postulant, ut haec praeparatio in nostris seminariis vere intensivetur. Fusius *et etiam profundius*[28] de hac re agendum est.

Concludo. *Schema nostrum acceptetur et emendetur secundum dicta et secundum ab aliis opportune dicta vel dicenda.*[29] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] (prop. 2). [4] deest. [5] deest. [6] coordinatio. [7] (prop. 4). [8] (prop. 6 et 21). [9] deest. [10] Quod prospicitur, ne seminaria sint nimis parva (in parvis enim dioecesibus) aut magna, in primo casu ex ratione studiorum rite et scientifice persolvendorum, quibus in seminariis nimis parvis saepe non satis providetur, in altero casu ex ratione educationis vere personalis, quae secundum leges « psychologiae massae » in seminariis nimis magnis facile impossibilis redditur (prop. 7). 5. Quod insistitur in profundiorem formationem spiritualem alumnorum, tum durante toto curriculo studiorum (prop. 8), tum — ubi hoc opportunum videbitur — per speciale tirocinium spirituale inducendum (prop. 12). 6. [11] (prop. 14). [12] 7. [13] (prop. 16). [14] In eadem propositione momentum S. Thomae modo sobrio fini Concilii correspondente commemoratur. Consentio eis quae a card. Léger hac de re dicta sunt. [15] 8. Quod insistitur in methodos didacticas recognoscendas « tum ad praelectiones, colloquia et exercitationes quod attinet, tum quoad studium sive privatum sive in parvis coetibus incitandum » (prop. 17). [16] 9. [17] (prop. 21). [18] « ut sacerdotii candidatorum probationi satius consulatur » (prop. 12). 10. Quod episcopi monentur, ut pro hodiernis necessitatibus et pro posse alumnos vel sacerdotes iuniores melioris indolis et ingenii ad studia specializata destinent ideoque ad peculiaria Instituta mittant (prop. 18). [19] etsi pauca, nobis. [20] deest. [21] absolverunt. [22] deest. [23] peracta, persaepe est multo melior quam quae in seminario praeberi potest, quia. [24] deest. [25] (v. g. prop. 11 et 20). [26] vix videantur. [27] deest. [28] ergo. [29] Schema omnem operam navat, institutioni alumnorum humanae, spirituali, doctrinali et pastorali providere et sacerdotes formare, qui dignitatis et gravitatis muneris sacerdotalis conscii, laete et apostolico ardore sacros ordines suscipiant et bene instructi in vinea Domini laborare intendant. Problemata talis institutionis hodierna non ignorat, sed aperte aggredi conatur. Si nostra desideria adhuc respiciuntur, commendamus valde ut schema a Patribus acceptetur.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis I *de religiosis*.

Praesentes votantes		1.955
Dixerunt	*placet*	871
	non placet	77
	placet iuxta modum	1.005
Suffragia nulla		2

Ergo textus debet iterum examinari iuxta Modos et reproponi in congregatione generali.

Et nunc lego textum IV suffragationis, pag. 11, nn. 7-10: [*cf. pag. 145-147*]. *Placet, non placet* an *placet iuxta modum?*

5

EM.MUS P. D. LEO IOSEPH CARD. SUENENS
Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis

Venerabiles Patres,

Imprimis adhaereo iis quae dicta sunt a cardd. Léger et Döpfner. Schema mihi in genere placet, sed [1] vellem ut elencho propositionum nobis oblato addatur nova quaedam quae his vel similibus verbis enuntietur: « Instituatur specialis commissio studiorum de renovandis seminariis ut hae melius adaptentur necessitatibus pastoralibus Ecclesiae nostri temporis ». Et ecce rationes:

...[2] Concilium Vaticanum II vult esse instrumentum renovationis pastoralis. Ad hoc non sufficit conficere *textus*.[3] Fructus Concilii pendet denique tandem ab hominibus qui hos textus in praxim deducent. Et inter illos homines ...[4] sacerdotes hodierni et futuri partes maximas habebunt. Arcte ergo connectuntur spes et fructus Concilii cum formatione cleri ita ut Concilium sua facere possit verba Pii XI ad seminaristas: « In manus vestras sortes meae ».

Tempore Concilii Tridentini, hierarchia idem sensuerat. Et scimus omnes quam proficua fuerit et remaneat pro Ecclesia institutio seminariorum. Sed, post quattuor saecula, nonne tempus advenisse videtur ut et ipsa seminaria integrentur in isto ...[5] conatu renovationis Ecclesiae quem nunc vivimus?

Honori erit nostro Concilio si fovet et decernit accommodationem seminariorum exigentiis pastoralibus nostri temporis.

...[6] Certo nemo intendit in dubium ponere valores et principia perennia quae ex natura rei ad idoneam formationem sacerdotum praesupponuntur. Agitur e contra de nova foecunditate istorum principiorum promovenda ...[7] Ad hunc vero obtinendum, prudens revisio et adaptatio structurae et methodorum in usu in seminariis classicis apparet pluribus ex rationibus necessaria.

Ex inquisitionibus enim in multis regionibus et methodis stricte scientificis institutis, apparet quod sacerdos dioecesanus hodiernus:

1. maiores in dies difficultates patitur vitam spiritualem propriam et actionem apostolicam congruenter integrandas;

2. non accurate praeparatur ad opus suum praestandum in vera collaboratione ...[8] cum episcopo, cum confratribus, cum aliis servitio Dei consecratis, et cum laicis. Quod tamen in campo apostolico hodie plurimum urget;

3. sacerdos denique saepe se sentit nimis separatum et quasi-extraneum mundo in quo suum ministerium exercere debet. Exinde quot infelices et inutiles errores et imperitiae!

Ad renovationem promovendam, quasdam suggestiones proponere vellem:

1. *Pro formatione spirituali et ascetica.* Sancta utique remaneant quae Traditio vera semper docuit de intima unione cum Deo promovenda per orationem, spiritum abnegationis, praxim virtutum ...[9] et consiliorum...[10]

Sed modalitas formationis ...[11] deberet strictius determinari ex finalitate et theologia sacerdotii, praesertim pro clero dioecesano.

Nemo enim negare potest quod structura et consuetudines seminarii *typi*[12] classici pro parte proveniunt ex praxi religiosorum et vitae conventualis, immo monachorum et vitae stricte contemplativae. Sed hoc non simpliciter convenit pro sacerdote dioecesano. Hic vocatur ex amore Dei ad servitium animarum in ipso mundo. Non independenter enim a suo ministerio sed ex exigentiis eius, i. e. ex servitio Evangelii apud homines, debet erui spiritualitas quae ipsi convenit et formatio adaequata. In et per apostolatum suum ad intimam cum Deo coniunctionem perducitur. Accedit quod condiciones sociologicae valde differunt apud religiosos et sacerdotes dioecesanos. Isti soli vivere debent, aut in minimis communitatibus, medio in mundo hodie tam rapide evolventi. Missio eorum et condiciones adimpletionis supponunt modum proprium paupertatem, castitatem et oboedientiam vivendi, et aptitudinem ad dialogum. Ad haec omnia accurate praeparari debet.

2. *Pro formatione intellectuali.* Inter tanta dicenda unum tantum punctum hic exponere liceat. *Immo tangere liceat.*[13] Hodierna praxis quae cyclum philosophicum a cyclo theologico plene separat, videtur reexaminanda. Quaestiones philosophicae nimis arduae, in initio formationis a iunioribus alumnis difficile capiuntur et aptius ulteriori eorum studio proponerentur. Nova reordinatio aliunde ipsi vitae spirituali faveret quia haec iam a primis annis seminarii indiget quod convenienter per initiationem theologicam, in specie scripturisticam et liturgicam, nutratur. Sane, methodus philosophica a methodo theologica plane distincta remaneat sed

tota materia studiorum, proponatur et distribuatur modo magis *psychologico,*[14] synthetico, qui visioni supernaturali mundi melius respondet.

3. *Pro formatione pastorali.* Sub hoc respectu graves patent defectus. Certe futurus sacerdos per prius praeparari debet ad praedicandum verbum Dei et ad administrationem sacramentorum. Sed hoc non sufficit. De die in diem magis apparet sacerdos ut laicatus animator.

Sacerdotis est, ut aiebat Pius XII, cooperatores laicos suscitare, efformare, in eorum actione stimulare et ordinare.

Iamvero ut officium hoc rite adimplere valeat, sacerdos indiget, inde ab annis seminarii, initiatione pastorali practica, progressiva et continua sub ductu magistrorum. Quod fieri nequit nisi per methodologiam pastoralem hac in re instaurandam. Ut seminarista fiat conductor hominum, initiatio requiritur systematica, ita ut actionem apostolicam propriam intensificare et apostolatum laicorum animare et coordinare valeat.

Nec videtur *sufficiens*[15] ut addatur septimus annus sic dictus pastoralis. Totus cyclus ut sic efformationis et studiorum est, sit venia verbo, « pastoralizandus ». Annus superadditus non sufficit ad corrigendum formationem nimis theoreticam et abstractam.

Quae pastoralis initiatio nec pietati nec studiis damnum vel detrimentum afferet. E contrario! Pietas magis realistica et authentica eveniet siquidem fides in exercitio ministerii vivificatur. Similiter haec initiatio pastoralis promovebit studia scientifica siquidem non scholae sed vitae discimus.

Sic intelligitur quod impossibile est simpliciter *extra* mundum sacerdotes formare qui in mundo suam missionem adimplere debent.

Aequilibrium novum est inveniendum.[16]

Hae sunt, nostro iudicio, quaedam rationes ex quibus institutio commissionis *studiorum*[17] de seminario ut maxime salutaris et opportuna *nobis*[18] apparet. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Nostrum. [3] et promulgare textus, etiam pulcherrimos. [4] certe — omnes consentient —. [5] generoso. [6] Res est difficilis et. [7] pro tempore nostro. [8] (en équipe). [9] christianarum. [10] evangelicorum. [11] posset et. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] sufficere. [16] deest. [17] postconciliaris. [18] deest.

Secretarius generalis: En, Patres, exitus suffragationis II *de Religiosis*.

Suffragium tulerunt Patres	1.960
Dixerunt *placet*	1.049

non placet 64
placet iuxta modum 845
Suffragia nulla 2

Ergo textus est examinandus quoad Modos et reproponendus Congregationi generali. Lego textum suffragationis V, nn. 11-13, pag. 13: [*cf. pag. 147-148*]. *Placet, non placet* an *placet iuxta modum?*

6

EXC.MUS P. D. DINUS STAFFA
Archiepiscopus tit. Caesariensis in Palaestina

Venerabiles Patres,

Loquor nomine plurium episcoporum, nedum ad ritum latinum, sed etiam, immo praesertim, ad ritus orientales pertinentium.

Colloquium cum hominibus nostrae aetatis fructuosius instituendi cupidi, quidam autumaverunt divitiis per tot saecula cumulatis in veritate scientia ac sapientia pervestigandis valedicendum esse, imprimis in philosophia et theologia, scholastica quam vocant methodo, tradendis, duce S. Thoma, ita ut Ecclesia, inutili fastu ac simul impedimento libera, pauper sub omni aspectu, novo sermone, novis temporibus, novis moribus, novis philosophorum systematibus accommodato, verbum salutis valeat annuntiare. Non laudatores temporis acti, nec humanarum divitiarum servatores, sed pauperes spiritu cum esse debeamus, scientiae nihilominus christianae, sapientiae divinae et humanae i. e. veritatis quae salus est mundi, omnes ecclesiasticos, ideo et religiosos, vigiles custodes, diligentissimos cultores, avidissimos cumulatores censeo esse debere: *docet enim Scriptura* [1] « divitiae salutis, sapientia et scientia » ...[2]

Propria rationis ac philosophiae adspiratio est *veritas* [3]: cum verum, quod detegitur, erit etiam novum, progressus habebitur; at nullus datur progressus in cognitione veritatis, quando novum disiunctum sit a vero...[4]

Novum quod a vero disiungitur, ac tamen se ut verum exhibet, revera impedimentum progressui rationis constituit, immo fallaciam. Cum igitur hae novitates ipsa afficiunt principia quibus nititur fides, nemo potest Ecclesiae, depositi fidei custodi, ius negare illam defendendi...[5]

Cum Ecclesia sit Magistra infallibilis veritatis revelatae, cuius agnitio cognitioque supponunt certam et obiectivam vim fundamentalium rationis ac philosophiae principiorum, cumque eius muneris sit homines ad supremum aeternumque finem assequendum dirigere ipsa potest, atque,

interdum etiam reapse debet decernere quae philosophiae ratio aptius atque perfectius congruat cum divina Revelatione, haud aliter quam is, cui pars aut res aliqua unica fuerit commissa, ob id ipsum potest comprobare quae sit alia *ratio* [6] quae cum prima perfecte conveniat...[7]

Ut novum quod dissentit a vero non est progressus, sic pariter progressum non constituit labor qui veritatem iam detectam et probatam ignoret aut respuat, nam secus philosophia nihil aliud fieret quam absurda investigatio assidua et inutilis, quin posset, nunc vel in posterum, inquisitionis suae obiectum invenire ...[8]. Ita pariter concludendum esset quodvis magisterium et quamvis institutionem mentis, ac praesertim omnem philosophiae cathedram coercere et offendere liberum rationis volatum.

Quare progressus in vero ex sua ipsius notione alius esse non potest, quam integratio veritatis antea detectae; atque hic unus progressus est, qui hominum vocationi et historiae respondeat, quia homo « non ascendit ad verum nisi decessorum humeris insidens » ...[9], et quia iter, progressio et ascensus humanae rationis referunt vestigia eorum, qui accensam a se facem aliis praebent, ut longius et altius eam, nova splendentiorem luce, proferant. S. Thomas neque limes doctrinae est neque meta, at miliarium, indicium tutum, dux, lumen sublime quod iter ostendit...[10]

Haec habet Pius XII in Litt. Enc. *Humani generis*: « In hac philosophia plura sane exponuntur, quibus res fidei et morum neque directe nec indirecte attinguntur, quaeque propterea Ecclesia liberae peritorum disceptationi permittit; at quoad alia plura, *praesertim quoad principia assertaque praecipua,* quae supra memoravimus, eadem libertas non viget...[11]

Ecclesia proinde suam fecit S. Thomae doctrinam, cum, ut ait Ioannes XXIII, « prae ceteris consentanea esset et veritatibus, Deo aperiente, cognitis, et Sanctorum Patrum documentis, et rectae rationis principiis » ...[12]

Non de doctrina agitur, quae suas conclusiones ex instrumentis experimentisque scientificis, in dies perfectibilibus, deducat; at de doctrina quae sua mutuat principia a communi experientia, ex qua, recta praelucente ratione, ceteras metaphysicas veritates derivat, immutabiles ...[13], quippe quae sint in ipsa innixae rerum natura...[14]

« Non absque ratione, docet Paulus VI f. r., S. Thomas salutatus fuit *homo omnium horarum*. Doctrina enim sua, quae in essentia innititur rerum, ideoque in earum certa et immutabili veritate, nec medii aevi est nec determinatae gentis propria, sed tempus et spatium transcendit, ita ut minus valida non sit pro nostrae aetatis hominibus » ...[15]

Ut vero Leo XIII in Litt. Enc. *Aeterni Patris* ...[16], sic Pius X in

Motu proprio *Doctoris Angelici* ...[17], Pius XI in Enc. *Studiorum ducem* ...[18] et Pius XII in sermone habito die 17 octobris 1953 ...[19], in doctrina S. Thomae partem perennem a caduca distinxerunt. Non enim vult Ecclesia praesenti aetati imponere quae pertinent omnino ad praeteritum tempus, at nobis et posteris servare quae vim habent perpetuam...[20]

Quaeritur: « Quomodo potest thomismum, quippe propria culturae occidentalis forma, a longinquis excepi gentibus, praesertim vero Medii et Extremi Orientis, qui propria fruuntur cultura, propria philosophia, proprio et antiquo vitae cultu? ».

Negari imprimis potest ac debet philosophiam thomisticam esse occidentalem. Ad soliditatem enim alicuius systematis aestimandam parum attinet ubi illud exortum sit atque initio vulgatum: quod unice refert illud est, utrum verum aut non verum dicat. Veritas enim, tempore non mutatur, cum sit ipsa aeterna; neque mutatur mutato loco, cum nitatur, definiatur ac mensuretur natura entis, atque ideo universalis ...[21]: veritas saepta non novit.

Cum de veritate philosophica, et magis proprie de fundamentis systematis philosophicis loquimur, quaerere etiam possumus ac debemus utrum systema thomisticum exigentiis humanae rationis respondeat; cumque affirmative respondendum sit atque hoc comprobetur ex perfecta sua congruentia cum veritate a Deo revelata, non iam possumus distinctionem facere inter Occidentem et Orientem; ratio enim humana est propria et communis cuilibet homini ac pars essentialis naturae eius, ubicumque et quacumque aetate vivit...[22]

Ut recentiora philosophiae systemata probari non possunt ex eo tantum quod sint moderna, at modo ob eam partem veritatis quam forte contineant, sic etiam culturae orientales, vel cuiuscumque partis orbis terrarum, recipi non possunt tantum quia orientales vel non occidentales sunt, at solum ob illam earum partem, quae veritatis progressum provehere potest vel quae saltem est illi conformis...[23] ,

Doctrina Doctoris communis non modo non est elementum divisionis Orientem inter et Occidentem, sed potius fundamentum constituit...[24]

Moderator: Venias ad conclusionem, exc.me Pater.

Orator: Concludo: Iuxta sollemnia *plurimorum* [25] Summorum Pontificum documenta, nedum in S. Theologia sed et in philosophia tradenda, ...[26] doctrinam S. Thomae, saltem in suis principiis, sancte esse servanda. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] « labia enim sacerdotis custodit scientiam » (*Malc.* 2, 7) et. [2] (*Is.* 33, 6). [3] verum (cf. *S. Th.* I, q. 16 a. 3). [4] Nihil

tunc ratio consequitur, ac simplex imaginationis fructus habetur. [5] Huiusmodi sunt notiones entis (S. TH., *De verit.,* q. 1, a. 2; *Summa Theol.,* I-II, q. 94, a. 2), veritatis (*Sum. Theol.,* I, q. 16, a. 1; I, q. 21, a. 2; I-II, q. 94, a. 2), possibilitas cognitionis veritatis et rerum (*De Verit.,* q. 1, a. 3; *Sum. Theol.,* II, q. 85, aa. 3 et 5) et certitudinis (*ibid.,* II-II, q. 9, a. 1, ad 1; II-II, q. 4, a. 8); res creatae sunt finitae (*Sum. Theol.,* I, q. 7, aa. 2-3) et mutabiles (*ibid.,* I, q. 9, a. 2; q. 10, a. 3); principium contradictionis (II-II, q. 46, a. 8, ad 2; *in IV Metaph.,* lect. 6, n. 605), totalitatis, h. e. totum esse maius sua parte (*Sum. Theol.,* I, q. 94, a. 2; I-II, q. 51, a. 1; *Contra Gentes,* I, c. 10), tertii exclusi, h. e. duas res, quae sunt eaedem uni tertiae, esse easdem inter se (*Sum. Theol.,* I-II, q. 94, a. 2), causalitatis (*Sum. Theol.,* I, q. 2, a. 3; q. 44, a. 1), finalitatis (*Sum. Theol.,* I, q. 2, a. 3; q. 22, a. 2; I-II, q. 1, a. 4), naturae hominis (*ibid.,* I, q. 75, a. 2; I-II, q. 94, a. 2), eius sociabilitas (*ibid.,* I-II, q. 94, a. 2) unionis substantialis animae et corporis humani (*ibid.,* I, q. 76), connexio intellectus cum sensibus (*ibid.,* I, q. 84, a. 7), liberum arbitrium (*ibid.,* I, q. 83; I-II, q. 9, aa. 1-4), spiritualitas et immortalitas animae (*ibid.,* I, q. 75, a. 2), dignitas personae humanae (*ibid.,* I, q. 29, a. 3) ordinatae immediate ad Deum (*ibid.,* I-II, q. 3, a. 8; II-II, q. 2, a. 3; *De Verit.,* q. 22, a. 2, ad 5), unicus idemque finis omnibus hominibus (*Sum. Theol.,* I-II, q. 1, aa. 5 et 7), prima ethicae et iuris naturalis principia (*De Verit.,* q. 16, a. 1; *Sum. Theol.,* I, q. 79, a. 12; I-II, q. 93, a. 6, et praesertim I-II, q. 94), officium reverendi alios (*Sum. Theol.,* I-II, q. 94, a. 2), facultas rationis demonstrandi Deum esse, esse bonum, verum, omniscientem, omnipotentem, infinitum, personalem, creatorem rerum omnium, finem ultimum hominum (*Contra Gentes,* I, c. 3; *Sum. Theol.,* I, q. 2, a. 3; q. 4, a. 1; q. 11, a. 3; q. 103, a. 3; q. 6; q. 16, a. 5 et I-II, q. 3, a. 7; I, q. 14, a. 1 et aa. 5-7, 12-13; q. 25, aa. 1-2; q. 29, a. 3; q. 32, a. 1, ad 2; q. 44-45, 47, a. 1; I-II, q. 1, aa. 5-7; q. 5, a. 5; q. 91, a. 4 et q. 109, a. 5, ad 3; I-II, q. 1, a. 1, ad 2; q. 3, a. 4; II-II, q. 122, a. 2; q. 184, a. 1; I, q. 103, a. 2; I-II, q. 1, a. 8; q. 3, a. 8, ad 2), principium et finis universi (*ibid.,* I, q. 103, a. 2; I-II, q. 1, a. 8; q. 3, a. 8, ad 2).

Cum in Motu proprio *Doctoris Angelici*: 29 iunii 1914 (*A.A.S.,* 6 [1914], pp. 336 ss.) S. Pius X praescripsisset ut « *in omnibus philosophiae scholis principia et maiora Aquinatis pronuntiata sancte teneantur* », S. Congregatio Studiorum die 27 iulii 1914 mandatu eiusdem Pontificis respondit, tamquam « *principia et pronuntiata maiora* habendas esse XXIV Theses, metaphysicam praecipue spectantes » (*A.A.S.,* 6 [1914], pp. 384-386). Index minime absolutus est, attamen quodlibet aliud systema excludit.

XXIV Theses maxima parte debentur P. Guidoni Mattiussi S. I., qui, ut videtur, rem cum ipso Pontifice Pio X tractavit (cf. etiam: G. MATTIUSSI, *Le XXIV tesi della filosofia di S. Tommaso d'Aquino approvate dalla S. Congregazione degli Studi,* Roma 1917).

In Congregatione Plenaria diebus 22 et 24 februarii 1916 habita, cui, inter ceteros, interfuerunt cardinales Des. Mercier et A. Lépicier, positum est dubium: *II utrum omnes XXIV theses philosophicae, a S. Studiorum Congregatione probatae, vere contineant germanam S. Thomae doctrinam, et, si affirmative, utrum praescribendae sint ut sequendae in scholis catholicis* », et responsum est: *omnes illas XXIV theses philosophicas referre germanam S. Thomae doctrinam et proponi ut certas normas sequendas.*

Die 25 eiusdem mensis et anni Benedictus XV sua suprema auctoritate ra-

tam confirmatamque habuit deliberationem Patrum Eminentissimorum (*A.A.S.,* 8 [1916], p. 157).

Quod attinet ad earum vim obligandi, cf. v. g. D. MANNAIOLI, *De officio adhaerendi germanae Doctoris Angelici Philosophiae iuxta Motum Proprium Pii X, 29 iunii 1914 et Responsum S. Congregationis Studiorum, 27 iunii eiusdem anni,* Romae 1916. [6] pars. [7] « Si catholica veritas valido hoc praesidio semel destituta fuerit, frustra ad eam defendendam quis adminiculum petat ab ea philosophia, cuius principia cum *Materialismi, Monismi, Pantheismi, Socialismi* variisque *Modernismi* erroribus aut communia sunt aut certe non repugnant. Nam quae in philosophia S. Thomae sunt capita, non ea haberi debent in opinionum genere, de quibus in utramque partem disputare licet, sed velut fundamenta in quibus omnis naturalium divinarumque rerum scientia consistit; quibus submotis aut quoquomodo depravatis, illud etiam necessario consequitur, ut sacrarum disciplinarum alumni ne ipsam quidem percipiant significationem verborum, quibus revelata divinitus dogmata ab Ecclesiae magisterio proponuntur » (PIUS X, in Motu proprio *Doctoris Angelici*: *A.A.S.,* 6 [1914], pp. 337-338). [8] Cf. J. RAMIREZ, *S. Thomas studiorum dux,* in *Aquinas,* III (1960) 26. [9] J. DE FINANCE, in *Aquinas,* III (1960) 139. [10] LEO XIII in Litt. Encycl. *Aeterni Patris* dixerat: « Non eos profecto improbamus doctos homines atque solertes, qui industriam et eruditionem suam, ac novorum inventorum opes ad excolendam philosophiam afferunt » (*Fontes C.I.C., III,* p. 147).

PIUS XII, Seminariorum alumnos alloquens die 24 iunii 1939, idem confirmavit: « Aemulatio enim in veritate quaerenda et propaganda per commendationem doctrinae S. Thomae non supprimitur, sed excitatur potius ac tuto dirigitur » (*A.A.S.,* 31 [1939], p. 247).

Et rursus die 22 septembris 1946 ad Capitulum generale Ordinis Fratrum Praedicatorum: « de hac re quaeritur, an videlicet quod Sanctus Thomas Aquinas aedificavit, ultra et supra quodlibet tempus una compositionis et compactis elementis, quae omnium temporum christianae sapientiae cultores suppeditaverant, solida rupe innitatur, perpetuo vigeat et valeat, catholicae fidei depositum efficaci praesidio etiam nunc tueatur, novis quoque theologiae et philosophiae progressibus securo usui et moderamini sit. Id sane Ecclesia asserit, cum id sibi persuasum habeat hoc itinere ad veritatem cognoscendam et solidandam tuto procedi » (*A.A.S.,* 38 [1946], p. 387). [11] Etiam in huiusmodi essentialibus quaestionibus, philosophiam quidem aptiore ac ditiore veste induere licet, efficacioribus dictionibus communire, quibusdam scholarum adminiculis minus aptis exuere, sanis quoque quibusdam elementis progredientis humanae lucubrationis caute locupletare; numquam tamen eam subvertere fas est, vel falsis principiis contaminare, vel quasi magnum quidem, sed absolutum existimare monumentum. Non enim veritas omnisque eius philosophica declaratio in dies mutari possunt, cum potissimum agatur de principiis humanae menti per se notis, vel de sententiis illis, quae tum saeculorum sapientia, tum etiam divinae « revelationis » consensu ac fulcimine innituntur. [12] *A.A.S.,* 52 (1960), p. 821. [13] Cf. Decretum Sancti Officii die 3 iulii 1907 dati: Propositio proscripta 58: « Veritas non est immutabilis plusquam ipse homo, quippe quae cum ipso, in ipso et per ipsum evolvitur » (*A.A.S.,* 41 [1907], p. 477). [14] PIUS XI, *Discorsi,* vol. I, p. 669 (8 ian. 1927). [15] Litteris 7 martii 1964: *A.A.S.,* 56 (1964), p. 304. [16] *A.S.S.,* 12 (1879), p. 114. [17] *A.A.S.,* 6 (1914), p. 338. [18] *A.A.S.,*

15 (1923, p. 324. [19] *A.A.S.*, 45 (1953), pp. 695-6. [20] Pars perennis, immutabilis quod omnino certa, constituitur principiis, hoc est, doctrinae capitibus, elementis quae systema constituunt, ideoque conclusionibus ex illis principiis logica necessitate profluentibus, quae secus nullius rei principia essent. Sic indirecte reiciuntur proposita, principia et conclusiones necessario cum his connexae, cuius contrarii systematis. [21] S. THOMAS, *Sum. Theol.*, I, q. 16, a. 3. [22] Ceterum, si ad eius originem et historiam attendere velimus, infitiari non possumus fundamentum systematis thomistici esse aristotelicum ac platonicum, nempe graecum, neque omnes ita esse animo dispositos ut ingenium cultum Graeciae cum occidentali confundat. Philosophiam autem aristotelicam habere ut proprie occidentalem adeo arbitrarium est, ut summi magistri philosophiae proprie orientalis, cuiusmodi est islamica, illam ponerent fundamentum proprii systematis philosophici. Sic Avicenna, qui cum Aristotele primas partes habet in formatione philosophiae Sancti Thomae — ut praesertim ex primis eius operibus patet — iranianus erat ex Buchara, urbe in orientali parte Persiae sita. [23] Ioannes XXIII, qui merito vocari potest Pontifex unitatis fidei, quin etiam unionis populorum, est pariter Pontifex, qui Sancti Thomae doctrinam maxime, etiam inter laicos, vulgandam exoptavit (*A.A.S.*, 52 [1960], p. 823; *L'Osservatore Romano*, 7 martii 1963). [24] universale et necessarium ad eos omnes inter se coniungendos, qui amant veritatem: « secundum numquam interitura Aquinatis principia — ait Ioannes XXIII — miro usui esse, ut studiosis veritatis et caritatis consensus et unitas sit: cum inde et Ecclesiae Catholicae, et universo terrarum orbi multiplex et opimus fructus pacis sit exspectandus » (*A.A.S.*, 52 [1960], pp. 822-823).

Si populorum Europae atque adeo omnium gentium coniunctio fieri nequit nisi supra quaedam communia principia, quae vitam et relationes individuorum populorumque moderentur, studia privatae utilitatis infrenent claustraque refringant, si, ut credimus (cf. D. STAFFA, *Le thomisme est vivant*, Rome 1964) huiusmodi coniunctio fiet constabitque in animorum adhaesione unico Capiti divino, et ipsum iter ad sublimem metam signabitur illis *praeambulis* fidei, quae in omnibus orbi plagis pergent hominum generationes adducere obviam Filio Dei. [25] plus quam centum. [26] in omnibus scholis catholicis.

Secretarius generalis: Lego textum sextae et pro hoc mane ultimae suffragationis pag. 14 n. 14: [*cf. pag. 148-149*]. *Placet, non placet,* vel *placet iuxta modum?*

7

EXC.MUS P. D. EMMANUEL FERNÁNDEZ-CONDE
Episcopus Cordubensis

Venerabiles Patres,

Schema *de institutione sacerdotali,* quod omnes adspectus formationis generatim complectitur, quamquam directionem Tridentinam sequitur, attente tamen respicit quaestiones hodiernas, ut quaerat — quemadmodum dixit exc.mus relator — opportunam renovationem et du-

plicem accommodationem et ad nostra tempora et ad locorum et gentium necessitates.

Quod ut consequatur, statuit in prima propositione — dignum ut notetur est — ut conferentiae episcopales in singulis nationibus, leges schematis aptandae ad peculiaria locorum temporumque adiuncta, principium uber et omnibus possibilitatibus patens.

« *Verum quidem est optima voluntate varias methodos et doctrinas experiri ad alumnorum in seminariis rectius informandos, sed cum adhuc sunt sub ambitu probationis, et sint aut nondum maturi, aut effectus singulares videantur, non aptae sunt ut documento conciliari inserantur* ».[1]

Cum agitur de institutione spirituali impensius excolenda, schema in propositione 11 ...[2] cultum etiam virtutum humanarum commendat, quae in civili societate magni aestimantur, cuiusmodi sunt animi sinceritas, in agendo urbanitas, assidua iustitiae cura, modestia cum caritate coniuncta, alias omittendo quae in priore schemate *de sacrorum alumnis formandis* recensebantur.

Nemo non videt quam recte schema procedat has virtutes suadendo tanti momenti in hominis totius institutione, ut fundamentum et partem essentialem educationis specificae sacerdotum. Rationes sunt variae:

1. Origo socialis alumnorum, ubi minor cura adhibetur in evolutione institutionis iuvenum;

2. convictus in seminario, qui, ex sua communitaria indole, a iuvene exigit quamdam normam agendi cum ceteris;

3. ambitus ubi iam sacerdos acturus est, a quo etiam hae virtutes requiruntur, ut innuit schema *de vita et ministerio sacerdotali ...*[3];

4. arcta connexio inter naturam et gratiam in processu educationis, nam ut scripsit Sacra Congregatio Seminariorum et Universitatum Studiorum, in litteris ad episcopatum, occasione III centenarii mortis S. Vincentii a Paulo ...[4] « quodam sensu natura gratiam temperat, quatenus eius actio facilis fit in naturis munerum copiosis, et adversantur in pauperibus debilibusque » ... Quapropter « priusquam sacerdotes constituere, *nostrum* [5] seminariorum moderatores homines integros instituere atque imbuere deberent ».

5. Instructiones Romanorum Pontificum horum temporum, qui, ut Pius XII in exhortatione *Menti nostrae,* huic adspectui formationis humanae et integralis hominis instituerunt.

Attamen, si effectus ex experientia deductos percensemus, fateri cogimur hanc humanam institutionem non satis cultam interdum fuisse in nostris seminariis. Fructus fortasse temporum, sed etiam sequela

cuiusdam spiritualismi angelici, idealis potius quam realis, cum effectibus nemini ignotis. Quanta in hoc sensu habemus lugenda!

Quid in seminarista maneret — cum excitatio contraria fieri soleat — si e seminario exierit omnis institutionis humanae expers?

Huic malo nostrum schema subvenitur, quod progressum non parvum signat quoad tempus praeteritum.

Duo tamen notanda existimo quae non satis placent: distinctionem dico inter virtutes christianas et humanas, et harum insufficientem enumerationem.

1) Verba S. Pauli de sacerdote: « Ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur » ...[6] vere problema statuunt. Homo est sacerdos et quidem homo quam maxime perfectus esse debet. Aliunde, ut in traditione ascetica invenitur, semper dictum est sacerdotem « alterum Christum » esse, et Christus homo perfectus fuit, homo exemplar. Sed ceterum sacerdos, Christi instrumentum est in hominum salutem, et virtutibus supernis ornatus esse debet. Relatio autem supernaturalem inter et humanam talis est conditionis in sacerdote ut haec illam sustineat, hanc illa perficiat. Hac de causa dixit Pius XII Carmelitis Descalceatis, anno 1951: « aedificium perfectionis evangelicae super virtutes naturales stabiliendum est ».

Hoc praecise innuere deberet schema, ut funditus eradicetur incongrua institutio, qua saepe nostri seminarii alumni formantur. Neque haec verba sufficiunt: « illae quoque virtutes sedulo curentur, quae in civili societate magni aestimantur », quae videri possent naturalismus quidam vel « opportunismus apostolicus »; sed significari debet relatio inter has virtutes cum voluntate divina et vita supernaturali, quod mire invenitur apud S. Paulum cum scribit ad Philippenses ...[7]: « Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate ». Ideo necesse est statuere integram formationem futuri sacerdotis consecutionem requirere, causis spiritualibus, huius habitus, quae virtutes humanae dici solent, quibus demptis nullatenus vel imperfecte consequentur virtutes fundamentales vitae christianae, ut caritas, ut iustitia, ut prudentia.

2) Variis gradibus institutio humana futuri sacerdotis perficitur. At tamen ea praetermittamus quae ad corpus attinent, et mentis insanitates quibus medici medentur, itemque instructionem culturae tempore quo litteris humanioribus alumni vacant. Nostrum obiectum institutio in virtutibus est, quae tempore seminarii minoris et primis annis seminarii maioris sunt colendae.

Enumeratio in schemate proposita integra non est in summis lineis;

quaedam praestantia desunt, v. g. sensus conscientiae responsabilitatis, gravitas indolis, spiritus sacrificii, immo docilitas, erga ceteros observatio, cordis bonitas, aequa prudentia.

Essentialem relationem has virtutes inter et supernaturales, quis non videt? Studium gloriae Dei haberi potest sine sensu officii vel caritatis erga ceteros?

Non petimus quidem plenam et absolutam enumerationem virtutum humanarum sed pleniorem et ditiorem indicationem quod attinet ad institutionem humanam sacerdotis.

Hac de causa audeo aliquas emendationes textus proponere, quae trado Secretariae.[8] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (pag. 16, lin. 15). [3] (pag. 8, linn. 17-19. [4] die 27 septembris 1960. [5] nostrorum. [6] (*Hebr.* 5, 1). [7] (4, 8). [8] Hac de causa audeo sequentes emendationes proponere: In sensu n. 1, ita paragraphum secundam propositionis 4 redigerem: « Quae institutio tantum germana dici potest, si totum complectens hominem eumque afficiens, omnes eiusdem institutionis rationes, spiritualis, humanae, disciplinaris, consociata actione... ». In sensu n. 2, textus propositionis 11, a puncto lin. 13 incipiendo ita dicerem: « Omnis praestantia tribuatur quam in institutione futurorum sacerdotum habent aliquae virtutes quae in societate civili magni aestimantur, quaeque etiam in personis parvae instructionis religiosae habentur, cuiusmodi sunt animi sinceritas, in agendo urbanitas, assidua iustitiae cura, modestia cum caritate coniuncta et aliae similes, quae quidem manifestationes primariae sunt illius institutionis quae alumnorum in mundo novissimo alterum Christum efficere debent ».

8

EXC.MUS P. D. PAULUS SANI
Episcopus Denpasarensis

Venerabiles Patres,

...[1] relate ad *nostrum schema*[2] sequentia *observare*[3] velim:

Schema nostrum *de institutione sacerdotali* nobis placet. Gaudium est nobis quod in nostro schemate ad n. 12 id invenire possimus, quod in nostris regionibus iam ab initio in praxim deductum sit scil. institutum quoddam pro candidatis sacerdotii dioecesani ad modum tirocinii seu Noviciatus Religiosorum. Huiusmodi institutum valde utile est, immo necessarium nobis esse videtur in terris missionum.

Ratio est: candidati nostri ex familiis promanare solent sive non christianis sive christianis primae vel secundae generationis, ubi adhuc deest aliqua traditio christiana. Quare si tempore praeparationis ab

initio usque in finem sese solummodo studio scientifico imbuunt, primo gymnasiali postea philosophico et theologico, numquam occasionem habent quiete addiscendi vitam spiritualem suaeque propriae vitae hunc spiritum insufflandi. Si sacerdotes religiosi, qui vitam communem gerunt ideoque sibi invicem magnum ac multum auxilium in vita sacerdotali praestare possunt, tempore praeparationis unum vel duos integros annos solummodo vitae spirituali *dedicant,*[4] nobis videtur huiusmodi institutum multo magis pro candidatis clerus dioecesani valere, qui postea non in communi sed soli vivere solent.

Immo annus sic dictus pastoralis, a Constitutione Apostolica *Sedes Sapientiae* pro religiosis praescriptus *sicut apud nos in praxi est institutus*[5] ab Ordinariis locorum in nostris regionibus etiam pro suis dioecesanis sacerdotibus obligatorius factus est, et fructum suum affert, nec absque magna utilitate...[6]

B. Si nostrum schema, sicuti nobis prostat, inspiciamus, omnino clarum est educationem futurorum sacerdotum nullibi meliorem haberi posse quam in propria patria — omnino patet educationem in schemate requisitam solummodo in propria patria acquiri posse. Quare extra patriam illi tantum mittendi sunt, qui iam sunt sacerdotes pro amplioribus studiis sive ad obtinendum aliquem gradum academicum sive ut sese alicui speciali scientiae imbuant. *Rationes:*

1. Praescripta seu desiderata schematis in paragrapho I n. 1, in paragrapho III nn. 4 et 5, in paragrapho V n. 13, in paragrapho VIII n. 19 applicari et attingi nequeunt nisi in propria patria.

2. Nunc tempore in omnibus regionibus seminaria habentur, tum minora tum maiora. Si tamen in propria dioecesi desunt, in una alterave vicina dioecesi eiusdem regionis vel nationis habentur, sicuti etiam nostro schemate enixe in n. 7 commendatur.

3. Extra patriam perdifficile est plena cum libertate ante ordinationem decidere, quae decisio eo difficilior est quo longior est candidatus a sua patria suaque propria familia. Permultae sunt circumstantiae, quae in candidatum influxum moraliter quodammodo cogentem exercere possint.

4. Plerumque non nisi post studia in seminario minore peracta candidatus serio modo de sua vocatione, de sua aptitudine pro munere sacerdotali cogitare incipit. En praecise his annis candidatus extra patriam mitti solet, ubi timor et pudor suam ultimam decisionem influere possint.

5. Praecise post studia in seminario minore candidatus homo criticus evadit relate ad valores, qui eum circumdant. Sed his annis omnem realem contactum cum sua propria patria vitaeque in patria conditionibus amittit, quia extra patriam mittitur. Et si non nisi post 6, 7, 8 annos

in patriam redeunt, tunc multoties non iam sunt sacerdotes indigenae illius regionis atque nationis, sed interea iam facti sunt peregrini seseque tamquam extranei gerunt.

6. Extra patriam optimi candidati mitti solent. Nonne hoc modo qualitas seminarii illius regionis patitur, quia seminarium quasi suis optimis membris « decollatur » seu privatur?

7. In instituto internationali difficillimum est aliquem Directorem spiritualem invenire, qui pro tot diversissimis nationibus satisfacere potest.

Quare cap. V nostri schematis, ad n. 18 tantum pro iam sacerdotibus intelligatur.

C. ...[7] Nos omnes optamus, utinam educatio futurorum nostrorum sacerdotum adhuc melior fiat i. e. magis practica, circumstantiis et conditionibus localibus atque temporum magis adaptata. Multoties defectus hodiernae educationis sacerdotum segregationi a mundo in seminario attribuitur. Certocertius segregatio haec non debet esse nimis severa et stricta acsi mundus tam perversus sit ut nihil de eo candidatus scire possit. Attamen etiam hac in re nobis non est exaggerandum. Aspectus practicus seu pastoralis educationi futurorum sacerdotum non praestatur solummodo auferendo illam segregationem. Segregatio in seminario sicuti nobis notum est non solum illum effectum negativum sortitur, qui ab adversariis segregationis afferri solet scil. inscientiam rerum mundanarum, vitae conditionum etc., verum etiam effectum illum positivum scil. ut candidatus sine distractione mentisque extravagatione sese quiete ac tranquille scientiae necessariae imbuere possit seseque interne sacerdotio praeparare. Certocertius contactum cum vita habere debent alumni, quia postea duces evadunt hominum, qui his in circumstantiis vivunt. Sed aspectus ille practicus seu pastoralis nobis videtur non durantibus studiis attingi debere i. e. currente anno scholari dum interea adhuc scholas frequentant, foras inter alios homines vivendo, sed diebus feriatis quando domi sunt et eo ipso inter homines versantur (*V. g.*[8] si diebus feriatis suis parochis auxilium praebent, de quo opere postea in seminario rationem reddunt) vel etiam ut ante ordinationem per annum in praxim mittuntur. Professores non nisi postquam per aliquot annos praxim habuerint nominandi sunt, ut alumnos docere possint quomodo sese postea in concretis circumstantiis gerere debeant quaeque sint revera necessaria pro futuro munere vitaque sacerdotali. Ut in seminario saepe conferentiae habeantur tum a sacerdotibus tum a laicis peritis de thematibus et problematibus modernis, conventus cum aliis scholis eiusdem generis adunentur etc.

Utique segregatio in seminario a mundo aliquam fugam mundi seu

alienationem mundi (germanice « Weltentfremdung ») creare potest, sed hoc non est necessarium nec necessario significat quod tales homines homines in mundo viventes intelligere nequeant. Nonne hoc est aliquod symptomum generale, quod si quis in mundo sibimetipsi serio modo aliquem ducem spiritualem desideret, multoties non ad sacerdotem, qui saepissime sese inter homines movet et qui ut ita dicam, rerum mundanarum est peritus, sese contendat, sed aliquem monachum seu aliquem virum religiosum adeat, qui rarissime extra clausuram venit? Quodam sensu alii sumus ac alii homines, qui etiam a nobis exspectant ut nosmetipsos aliquo alio modo habeamus quam seipsi. Nobis videtur si alicubi, tunc hic bene applicari posse illa verba Sacrae Scripturae: « In mundo sumus, sed non sumus de mundo ».

Denique aliqua disciplina debet adesse; ...[9] curent superiores ut alumni sese ad personam humanam evolvant *sed curent etiam ne*[10] sub hoc praetextu fovendi sic dictae evolutioni normali personalitatis humanae alumni nimiae libertati *indulgeant*[11] et solum id quod velint faciant ...[12] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Nomine conferentiae episcoporum Indonesiae. [2] schema de sacerdotali institutione. [3] proponere. [4] attribuunt. [5] deest. [6] Hoc est aliquod particulare, idque proponendo nullam intentionem habeo universalitatem horum institutorum a Patribus exigendi, sed solummodo an dignum sit vestrae considerationi. [7] *Nomine proprio.* [8] vel etiam. [9] Utique. [10] Periculum adest quod. [11] indulgeatur. [12] Nos omnes sinceritatem cordis et habitus amamus; attamen videant superiores ne sub hoc praetextu alumni sese evolvant et habeant figuram agricolae sine ulla cultura. Ni fallor, disciplinam et oboedientiam multum ad evolutionem completam personalitatis afferre posse.

9

Exc.mus P. D. IOSEPH MARCUS GOPU

Archiepiscopus Hyderabadensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Loquor nomine conferentiae episcoporum Indiae. Schema propositionum *de institutione sacerdotali* nobis placet.

Continet enim principia fundamentalia ac generalia quae totam pervadent formationem sacerdotalem, sapienterque relinquit particularia commissioni de Iure Canonico recognoscendo, aptationes vero locales Ordinariis atque coetibus episcoporum regionalibus. Non expedit enim ut, v. g., seminaria in missionibus arcte vel *quasi*[1] serviliter imitentur seminaria Europae.

Mihi liceat, nihilominus, aliquas observationes facere, quas spero non inutiles fore:

1. In prooemio nostri textus dicitur: « ob ipsam catholici sacerdotii unitatem... haec praescripta... omnibus sacerdotibus *cuiusvis ritus* applicanda esse ». Sicut mentio fit de quovis ritu, mentio fiat etiam de clericis *religiosis,* ut melius ostendatur unitas fundamentalis formationis ac spiritus sacerdotalis. Forsitan haec omissio facta est errore lapsu typographico, quia in appendice textus non emendati huius schematis, verba citata prooemii habentur in pagina 24, linn. 20-23, ibique adduntur verba: « etiam religiosis ». Melius est restituere haec verba in prooemio.

2. Sub n. 8, pag. 15, post ultima verba: « Christo lucrifaciendi crescant », addantur sequentia verba: « hoc probe tenentes quod vita interior est anima apostolatus. Insuper doctrina bene et gradatim impertita de ordinibus minoribus et maioribus, atque digna participatio in sacra liturgia prout singulis ordinibus convenit considerari atque usurpari debet ut fontes solidae pietatis et sanctitatis sacerdotalis ».

3. Sub n. 12, pag. 16, proponitur instauratio temporis intervalli pro impensiore tirocinio spirituali necnon quaedam studiorum interruptio ad candidatorum probationem. Meo humili iudicio, talis interruptio studiorum non est necessaria, vel, saltem non est urgenda, si consequenter tempus formationis in seminario protrahendum esset.

Cursus enim normalis seminarii iam satis longus est, saltem in perpluribus regionibus: E. g.: in India, studia ecclesiastica sacrorum alumnorum generatim durant decem annos, nempe: cursus linguae latinae necnon rhethoricae est trium annorum: cursus philosophiae trium annorum: cursus theologiae quatuor annorum. Toto hoc tempore alumni instruuntur in scientia sanctorum et manuducuntur in praxi orationis et virtutum christianarum atque sacerdotalium. Praeterea, tam longum tempus, periodis feriarum seu vacationis interiectum, sufficiens aestimandum est etiam ad probandam candidatorum vocationem, salvis sane casibus specialibus in quibus ulterior probatio necessaria videatur. Quamobrem non urgenda videtur, ut norma generalis, studiorum interruptio, saltem pro clericis dioecesanis.

4. Sub n. 21, pag. 20, momentum formationis pastoralis clericorum per opportunas exercitationes rectissime proponitur. Orientatio positiva pastoralis, missionaria et apostolica est nunc temporis maximi momenti ubique terrarum. Notandum quoque est, quod tempus feriarum seu vacationis optimas alumnis affert occasiones catechizandi pueros atque catechumenos, docendi cantum liturgicum, instituendi ministrantes altaris, etc. alia. Humiliter ergo quaeso ut in hoc numero inserantur haec verba se-

quentia vel similia: « praesertim tempore vacationis... sub peritorum magistrorum vel parochorum ductu... ». Sic sacrorum alumni intimius cognoscent populum et campum sui futuri laboris apostolici, et *sacrorum alumni*[2] linguae vernaculae expedito usui assuefient.

Crescant et floreant seminaria nostra in spiritu huius Concilii Oecumenici, et multum fructum afferant pro mundi hodierni salute. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

10

Exc.mus P. D. LAURENTIUS JÄGER
Archiepiscopus Paderbornensis

Venerabiles Patres et omnes carissimi adstantes!

Textus emendatus in genere placet. Liceat mihi quasdam harum propositionum virtutes quae pro nostris temporibus magni momenti sunt in lucem ponere.

1. Propositiones evitare nituntur institutionem nimis uniformem, quia agnoscunt magnam varietatem culturalium, socialium et spiritualium traditionum in diversis regionibus. Exinde singulis conferentiis episcoporum maior tribuitur libertas et eisdem mandatum datur exarandi « Rationem Institutionis Sacerdotalis », vi cuius non solummodo ipsa Ratio Studiorum, sed et integra futurorum sacerdotum institutio et seminarii ordinatio ac vita communis et educatio liturgica accommodari possunt variis adiunctis locorum. Quae norma certo magni aestimanda est et speciale habet momentum pro variis catholicae Ecclesiae ritibus necnon pro novarum ecclesiarum territoriis.

2. Speciali laude dignae sunt illae propositiones quae tendunt ad congruam maturitatem humanam, spiritualem et sacerdotalem ab alumnis acquirendam. Quod patet ex propositionibus circa seminaria minora et maiora, praesertim ad conformationem alumnorum vere personalem et non mere passivam, sed ad actionem sponte suscipiendam, ad sensum responsabilitatis evolvendam et ad rectum libertatis usum stimulandum. Optimae sunt etiam normae de profundiore spirituali formatione et de pastoralibus tirociniis instituendis, antequam alumni ad ordinem sacerdotalem suscipiendum admittantur.

3. Magnopere laudanda est unitas organica totius institutionis, quae in Propositionibus clare postulatur, tum pro vita spirituali et praepara-

tione pastorali, tum ad ipsa studia ecclesiastica, quae ad mysterium Christi tamquam ad totius salutis historiae centrum convergere debent, ut aperte dicitur. Commendatur insuper melior coordinatio inter studia philosophica et theologica: momentum primordiale Sacrae Scripturae in toto studiorum cursu et in omnibus disciplinis theologicis plenius agnoscatur; etiam fundamentalia lineamenta data pro tractatibus dogmaticis integre tradendis et apte ordinandis laudanda sunt, necnon normae datae pro aspectu oecumenico sicut oportet respiciendo; suggestiones denique pro methodis didacticis recognoscendis et complendis, imprimis ad colloquia, exercitationes, proprios alumnorum nisus stimulandos quod attinet, magnae utilitatis erunt.

4. « Genus litterarium » propositionum huic schemati impositum non permisit, ut plura in re tanti momenti dicerentur. Sed etiam hac forma retenta quaedam complenda erunt, quae iam continebantur in schemate *de alumnis ad sacerdotium instituendis, pag. 35-37.*[1]

Ceteras animadversiones circa textum schematum tradam in scripto secretariatui tempore deficiente has hic plene exponendas.[2]

Concludo: Schema propositionum emendatum mihi videtur organicum et apertum pro necessitatibus nostri temporis. Censeo igitur illud constituere bonum fundamentum laboris. Per consequens, meo humili iudicio, schema deberet suffragationi congregationis generalis submitti ita ut commissio competens, cognitis modis a Patribus exhibitis, magis concrete sciat quomodo hoc documentum expoliendum sit. Forsitan longum est de singulis propositionibus suffragium Patrum expetere; posset proinde suffragatio institui de quinque principalibus argumentis quae numeris romanis in schemate indicata sunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. fasciculus *de institutione sacerdotali* pp. 35-37).
[2] 5. Propono ut n. 14 pag. 17 his verbis incipiat: « Cum his praesertim temporibus sacerdos scientia sacra excellere debeat, specialis cura adhibeatur, ut alumni diligentissime imbuantur a magistris in sua disciplina excellentibus et ab officiis incompatibilibus liberis ». Ratio: seminarii professores nequaquam in aliquo manuali ab alumnis addiscendo acquiescere possunt, sed illos ad veram e fontibus hauriendam doctrinam adducere volunt. Hac de causa ipsi in sua propria disciplina specialem scientificam habere debent excellentiam. Generaliter provideatur ut studia ecclesiastica in seminariis dioecesanis vel interdioecesanis adaptentur cursui ordinario et fundamentali in facultatibus theologicis.

Animadversiones additae:

1. In Propos. 9, pag. 5, lin. 33 addatur: « De oneribus ab ipsis suscipiendis alumni clarissime reddantur certiores, nulla vitae sacerdotalis difficultate reticita. Ne tamen in futura operositate periculi rationem fere unice conspiciant, sed potius

ad vitam spiritualem ex ipsa eorum actione pastorali quam maxime roborandum conformentur ».

2. In Propos. 11, lin. 8 post verba « rite compleantur » addatur: « Institutione sapienter ordinata in alumnis excolenda est congrua maturitas humana, comprobata in quadam animi stabilitate, in facultate ferendi ponderatas decisiones, necnon in capacitate semetipsos adaptandi ad varii commercii humani adiuncta atque in recta de eventibus et hominibus indicandi ratione. Firma *igitur...* ».

3. Propos. 12, pag. 16, linn. 29 s. dicatur: « ... vel adaequata tirocinia pastoralia disponendi... ». *Ratio*: Forma pluralis « tirocinia » magis convenit, quia huiusmodi experimenta varii generis sunt et unum tantum tirocinium vix sufficiens censendum est.

4. In Propos. 16, pag. 18, lin. 26 dicatur: « ... praesertim S. Thoma magistro ». *Ratio*: Tale monitum melius correspondet facto, quod S. Thomas inter ceteros quidem eminet et ab Ecclesia qua Doctor communis proponitur; minime vero excludendi sunt alii quoque Doctores ab Ecclesia probati.

5. In Propos. 20, pag. 20, lin. 2 post verba « ... Auctoritatis Ecclesiasticae normas » addantur: « De iis quaestionibus quae coaevam societatem exagitant, doctrinam socialem Ecclesiae bene cognoscant eamque rite proponere valeant; secundum rerum adiuncta potiorum eius applicationum aliquod experimentum capiant, simulque vero ab iis quae ad sacerdotem non pertinent abstinere sciant » (cf. schema *De alumnis ad sacerdotium instituendis* n. 23 *c*).

6. In eadem Propos. 20, pag. 20, linn. 2 ss. Recte urgetur, ut alumni ad apostolicam laicorum actionem excitandam ac fovendam formentur. Sed nonobstante brevitate necessaria quaedam adhuc dicenda sunt. Recolantur igitur ea quae in schemate « De alumnis ad sacerdotium instituendis » (n. 23 *d*) legebantur: « Laicorum cooperationem magni facere discant eosque humiliter et aperta mente audire assuescant, ut rei familiaris, vitae professionalis et socialis necessitates rectius cognoscant atque in difficultatibus vitae christianae et apostolicae ab ipsis laicis gerendae consilium et auxilium praestare valeant ».

7. In Propos. 19, lin. 32 dicatur: « *in actione sociali* et in operibus caritatis ».

8. In Propos. 21, lin. 13 post verbum « responsabilitate » addatur: « et socialiter » vel aliquid simile.

* * *

Pag. 10 n. 1 et pag. 13 n. 4: Magna affecti sumus reverentia erga omnia illa, quae in constitutione *Veterum Sapientia* dicuntur de promovenda lingua latina praesertim in studiis superioribus et de erigendo Instituto ad efformandas Latinistas. Hac de causa in Propositionibus *De Institutione Sacerdotali* aliquid de hac re dici debet, quod indigentiis et facultatibus nostris correspondet:

1. Unanimi fere Patrum conciliarium votis propositio quarta accepta est, cui titulus « Integra institutio pastoraliter aptanda ». Conferentiis episcoporum ideo in propositione prima conceditur ius, ut normas generales Rationis Studiorum circumstantiis singularum regionum et nationum et necessitatibus pastoralibus accommodent. Hoc in contextu insuper clare dicendum erit, ut conferentiae episcoporum statuent, qua mensura et quali usu lingua latina in praelectionibus et magis adhuc in exercitationibus scientificis adhibeatur. Talis norma omnino necessaria videtur, ut lingua latina secundum conditiones uniuscuiusque regionis colatur, ne hac in re mala maiora eveniant. Nam conferentiae episcoporum optimo

modo prudenter iudicare possunt, quomodo lingua latina fructuose colatur, quae lingua nobis omnibus carissima est. Qui enim nimis postulat, nihil proficit, sed linguae latinae potius damnum infert.

2. In regionibus linguae germanicae praelectiones theologicae facultatum theologicarum a permagno numero laicorum frequentantur, qui postea in scholis mediis et superioribus missione canonica muniti religionem catholicam docent. Tali modo apostolatus laicorum exercetur, qui impossibilis evaderet, si praelectiones illae theologicae in lingua latina proferrentur, quae lingua illis omnino inusitata et ut in plurimis non intelligibilis est.

3. Insuper facultates theologicae fere omnes hisce in regionibus insertae sunt in publicas Universitates. Quo fit, ut irradiant in alias scientias, nam — Deo favente — magna saepius est aestimatio sacrae doctrinae apud alias facultates. Et ita ille dialogus iam incoepit, quem Paulus Papa VI feliciter regnans in suis Enc. Litt. *Ecclesiam suam* tam ardenter desiderat. Hic dialogus lamentabiliter finiretur, si theologia catholica sola lingua latina utens quasi in quodam « ghetto » includeretur et muro quasi sinensi ab aliis arceretur.

4. Accedit tandem ratio oecumenica. Nam dialogus cum theologis protestanticis omnino linguam vernaculam praesupponit. Optimi iam fructus provenerunt ex protestantium theologorum studio sacrae theologiae catholicae librorum et ex conventibus mixtis cum permissione auctoritatis ecclesiasticae peractis. Sed omnes illi conatus praesupponunt theologiam in lingua vernacula edoctam, quae sola ab illis accipitur et intellegitur.

Hac in re consensus est omnium episcoporum linguae germanicae et etiam plurimorum episcoporum aliarum linguarum, ut ex multis colloquiis didici.

11

EXC.MUS P. D. TULLIUS BOTERO SALAZAR
Archiepiscopus Medellensis

Patres venerabiles, Fratres carissimi,

Loquor nomine plurium Patrum ex diversis nationibus. Propositiones *de institutione sacerdotali,* vestro examini propositae, etiamsi ex rationibus allatis ab exc.mo relatore, breves sint et valde generales, pro adaequata seminaristarum efformatione, principia fundamentalia continent. Ideo, toto corde adhaereo voto, iam ab exc.mo arch. Mediolanensi expresso et ab em.mis cardinalibus, ut schema tamquam fundamentum laboris agnoscatur.

Volo tamen, ad sensum talium propositionum explanandum, et ad ipsarum textum perficiendum, aliquas observationes vobis proponere.

1. Aestimamus, talibus in propositionibus, duo obiecta maximi momenti contemplari: efformationis systematum praesens in tempus *accommodatio* et principiorum immutabilium, ex Evangelio defluentium, *conservatio.*

Servare principia fundamentalia, maximas evangelicas quae sacerdotalem paedagogiam informare debent, imprimis necesse est. Systematum efformationis accommodatio, significare non potest, quod haec criteria aeterna derelinquantur. Opus est quidem, extremum vitare eorum qui nimis traditionis amantes, nihil immutari vellent « tenete traditiones », et extremum vitare eorum qui, nimis novitatis amantes, mutationem totalem, facile excedentem normas evangelicas, vellent. « Recedant vetera, nova sint omnia ».

Tamen, *certo revisenda et reexaminanda sunt efformationis systemata,* ut apta reddantur ad principiorum transformationem in vitales realitates. Cum praesentem crisim sacerdotalium vocationum videmus, quae, non raro et absque ratione, minimae perseverantiae seminaristarum tribuitur, et coram illa moerenda realitate innumerabilium qui suam divinam vocationem deserunt, recognoscere debemus quod in nostris efformationis et selectionis systematibus, *aliquid quidem deficit. Revisio, igitur, imponitur, equidem certo, conscientia facta.*

Cum schemate *de pastorali episcoporum munere in Ecclesia,* Vaticanum II creare intendit quod recte vocare possemus: « *novus typus episcoporum* »; in novo schemate *de sacerdotibus,* a Concilio delineari debet *novus typus sacerdotum* et, proinde, in schemate *de institutione sacerdotali* etiam *novus typus seminariorum.*

Modernum seminarium, vitalis institutio esse debet; profluens ex ecclesialibus experientiis in mundo moderno habitis, ex novis realitatibus quas Concilium Ecclesiam inducit: *realitas pastoralis, realitas oecumenica, realitas liturgica.* Necessarium est igitur, ut in nostris seminaristis, amor profundus, sympathia erga Ecclesiam excitetur, nec non et *inquietudo constantis renovationis,* ut in Ecclesiae res, divino quasi afflatu, ducantur. *De sensu actualis Ecclesiae, quae in triplici dialogo studet*: *cum fidelibus, cum fratribus seiunctis, cum mundo moderno, enixe edoceantur.*

2. Credimus valde opportunum esse ut, in prooemio, aliquod verbum laudis et gratitudinis addatur, erga cleri, tum dioecesani tum religiosi, emeritos magistros, qui in silentio absconditae virtutis et studii, suam vitam, huic magno operi futuros sacerdotes efformandi, indesinenter consecrant. Memoria tenere debemus, quod illis debitores sumus nostrae propriae sacerdotalis efformationis et quod, suo magno operi, gratitudinis verbum, sanctus erit illis stimulus, atque in bonum totius Ecclesiae redundabit, cum ita hae ipsae propositiones, maiore cum amore in praxim reducentur. Innuimus igitur, ut haec verba vel similia prooemio addantur: « Sacrosancta Synodus sincere agnoscit atque

laudat cleri magistrorum, tum dioecesani tum religiosi, opus meritissimum, et ad hoc opus perficiendum, sequentia decernit ».

3. Etiam opportunum nobis videtur commendare ut nostris seminariis, tum maioribus tum minoribus, *authenticum characterem vitae familiaris imprimatur,* huius verbi sensu nobiliore.

Familia Dei vera, in qua Rector et directores, propter fiduciam quam alumnis inspirent, et propter amicabilem cum illis conviventiam, patres sint et appellari mereantur. Patres veri, qui, iuxta apostoli verbum, illos, per Evangelium, Christo generent: « Si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres » ...[1]. Omnimode necessarium est, ut seminaria, quantum possibile *est,*[2] continuationem familiae christianae constituant, ut transitus nimis fortis ex naturali ambitu familiae ad seminarii ambitum, tenerum vocationis semen, quod in corde puerorum et iuvenum iacet, non marcitum reddat. Cum dolore confiteri debemus, hoc sub aspectu, aliqua nostra seminaria, magis universitati vel athenaeo assimilari, quam familiae.

4. Quoad attinet ad formationem spiritualem, opportunum insistere videtur, in eo quod in sacerdotali efformatione, *vere Christum centrum* habeat. Et quidem, in 4 propositione, cum de formatione pastorali agitur, ut supremum exemplum, Christi exemplum proponitur. Tamen, *necessarium esset clarius emphasim afflectere*: in eo quod catholicum sacerdotium suam consecrationem et dignitatem, *unice a Christi supremo sacerdotio accipit*; in eo quod, cum Christus sit unicus verus Mediator, ...[3] Deum inter et homines, nos, homines, tantum improprio sensu, sacerdotes et mediatores possumus esse, et ita, cum operatio nostra ad vitam divinam hominibus elargiendam, sit operatio instrumentalis, sacerdotium, nobis et fidelibus, efficacius erit, cum non tantum nostra apostolica activitas, sed praecipue vita nostra intima, Christi Sacerdotis vitae assimiletur *sacerdos alter Christus.*[4] Sincere credimus, ante periculum, ita dictum: « *haeresis actionis* » *necessarium esse, iterum atque iterum vetus principium affirmare*: *primus apostolatus, animae propriae apostolatus est,* et, praecipue pro sacerdotibus, vitae Christi imitatione, constanti, devota, fideli, talis apostolatus optime exercitari.

Relate ad pietatis exercitia, sapientissima nobis videtur dispositio, in propositione 8 contenta, iuxta quam efformatio spiritualis, non tantum illis exercitiis vel in sensus religiosi exaltatione, consistere debet.

5. Relate ad pastoralem formationem, maiore cum emphasi detur praeceptum de inculcando seminaristis illud principium: quod in Ecclesia Dei, omne servitium, ita sit dignissimum, prompte, alacriter, generose praestandum est, et quod, in relationibus cum suis futuris fidelibus, sese conducere debent non tanquam heri et domini, sed

tanquam humiles omnium servi, ut omnes Christo lucrifaciant. Proh dolor, agnoscere debemus, multoties fideles a vita christiana elongari, eo quod a nostris sacerdotibus non satis benigne excipiuntur, vel, quod adhuc magis deplorare debemus, aliquando absque caritate et lucri terreni cum animo...[5]

Pro conclusione harum considerationum placet nobis, Patres venerabiles et fratres carissimi, illam quam pro suis apostolis, actualibus et futuris, Christus Sacerdos orationem Patri detulit, devote, hac in aula conciliari, resumere: « Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est » ...[6].

Haec Christi sacerdotalis oratio, equidem certo, optimum programma, optimum systema pro nostris seminariis hodiernis, continet. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] nam in Christo Iesu per Evangelium vos genui » (*1 Cor.* 4, 15). [2] sit. [3] proprie loquendo. [4] deest. [5] 6. Denique, opportunum esset ut schematis textus, futuros sacerdotes optime instituendos in quaestionibus socialibus, necessitatem clarius affirmaret. Oportet quidem ut perfectissime socialem Ecclesiae doctrinam agnoscant, sed etiam doctrinam adversariorum; ut sciant veram doctrinam falsae opponere, et opera christianae iustitiae socialis, operibus iniustitiae socialis marxistae. Ratio ob quam petimus quod, hac in materia, fortius institutio sacerdotalis commendetur, est obvia: in campo realitatum mere humanarum, problema communismi, pro christiana doctrina et vita, nimis grave est. [6] (*Io.* 17, 15-18).

Animadversiones additae:

Schema propositionum *de Institutione sacerdotali* in genere multum placet; ipsum enim respondere videtur expostulatis nostri temporis circa problema formationis sacerdotalis.

Immensum opus a Concilio Tridentino quattuor abhinc saecula coeptum et pluribus documentis pontificiis continuatum, in praesenti schemate completur ac perficitur.

1. Servatis omnibus vere necessariis, in schemate providetur sanae decentrationi; nam in n. I disponitur ut singulae Conferentiae Episcopales in singulis nationibus peculiarem rationem institutionis sacerdotalis conficiant, certis temporibus recognoscendam.

2. Simul vero maxime refert quod ipsae Conferentiae Episcopales in propositionibus validum recipiunt auxilium in exaranda huiusmodi Ratione, et quidem in plano adaptationis ad progredientis aetatis necessitates, et etiam in non minus necessaria defensione valorum traditionalium, quae hodie omnino explicite vindicandi sunt, cum ab inconsultis innovatoribus perperam intelligantur aut prorsus despiciantur, summo cum detrimento sanae institutionis. Per consequens omnino falsum esset affirmare praesentes propositiones unice de novis incoeptis loqui debere, cetera vero ut iam tradita et acquisita tacite supponere.

Duo enim extrema sedulo devitanda sunt: positio eorum qui in traditis radicati, non perspiciunt Seminarium saeculi XX non posse simpliciter sequi easdem rationes et easdem structuras, quae vigebant etiam optimis cum fructibus saeculis elapsis. Ex altera parte quidam tantopere specie novarum formarum capti videntur ut quasi de ipsis necessariis ac primariis principiis institutionis sacerdotalis non amplius curent.

Schema reapse haec duo extrema devitat, cum iam in prooemio confirmentur leges experientia saeculorum iam probatae, in eas autem inducantur quae mutati temporis rationibus respondent.

3. Schema insuper laudandum videtur quia ad nimia particularia non descendit; Concilii enim esse non videtur hac in re, concreta praecipere, cum rerum adiuncta sat diversa existant variis in locis; statuendo vero ut in singulis nationibus ineatur peculiaris institutionis sacerdotalis Ratio, certis temporibus recognoscenda, Conferentiis Episcopalibus offertur possibilitas imprimendi formationi sacerdotali notam dynamicam.

4. Propositiones respondere quoque videntur orientationi pastorali Concilii Oecumenici Vaticani II; nota enim pastoralis pervadit totum schema, immo ipsa actio pastoralis ut adiumentum pro vita spirituali magis evolvenda ostenditur. Forsitan — sicut expostulatum est — haec idea fortius declarari poterit.

5. Quod castitatem sacerdotalem attinet, quae dicuntur in n. 10 evolvenda erunt a commissione post-conciliari.

Neminem effugit caelibatum sacerdotalem hodie quam maxime in discrimen vocari.

Ratio profunda caelibatus ecclesiastici est ipsum officium sacerdotale. Non quidem absoluta necessitate cum officio sacerdotali connectitur, sed ab eo exigitur et requiritur maxima cum convenientia.

Matrimonium a virginitate propter regnum caelorum assumpta, distinguitur praecise quia in illo non potest dari amor erga Deum indivisum et exclusivum. Virginitas qua status ducit immediate ad Deum et exinde ad amorem magis generosum erga homines Deo coniungendos.

Ut Christus, etiam sacerdos suum ministerium perficere debet per sacrificium et quidem per sacrificium crucis.

In sacrificio Missae sacerdos principalis est ipse Christus, sacerdos est repraesentans Christi, summi sacerdotis, et Illum debet repraesentare totaliter, non tantum qua offerentem, sed etiam qua hostiam.

Haec vero repraesentatio qua hostia peculiari ratione efficitur et ostenditur in virginitate, qua sacerdos quotidie se offert hostiam Deo placentem.

Et caelibatus non est parvum sacrificium, cum sit sacrificium quotidianum et sacrificium alicuius rei magni valoris et violentiam supponit ex parte sacerdotis, quia ordinatus sentit tendentiam ad matrimonium; caritas enim, in cuius statu sacerdos per virginitatem constituitur, eum non liberat ab istis difficultatibus.

Quamvis ergo caelibatus sit lex ecclesiastica, tamen ultimum eius fundamentum est theologicum, id est summa eius convenientia cum sacerdotio Christi participato.

12

EXC.MUS P. D. IACOBUS FLORES MARTIN

Episcopus Barbastrensis

Venerabiles Patres,

De institutione agimus sacerdotali, in praesenti momento renovationis Ecclesiae, quod pro omnibus patribus, pro tota Ecclesia summum est negotium agendum. A seminario enim, a sacerdotum formatione, omne bonum dependet quam maxime.

Tridentinum Concilium brevi tractatione concludebat suam seminariorum institutionem: « Hoc (Collegium) perpetuum Ministrorum Christi Seminarium sit » (Sessio XXXII, can. 18). Ex quo decreto, labore, diligentia, industria episcoporum sub constanti S. Congregationis de Seminariis, Apostolicae Sedis, vigilantia et indefesso labore, personali Romanorum Pontificum incitamento et cura tot tantaque bona Ecclesiae Universae obvenerunt.

In hac urgenti, clamante renovatione hodierna Ecclesiae seminaria esse debent fundamenta efficacis, intimae, plenae renovationis, autenticae, totius Ecclesiae.

Sicut enim non est datum hominibus aliud nomen in quo oporteat nos salvos fieri nisi nomen Iesu Christi, ita oculos vertere non possumus ad mundi plenam renovationem nisi ad sacerdotem, qui est alter Christus.

Et quidem non una sane potestatis participatione, sed etiam imitatione virtutum, qua expressam in se Christi imaginem praeseferat (S. Pius X).

Attamen sacerdos non nascitur « Alter Christus » sed talis debet educatione fieri, *nec* [1] sola ordinatione.

Ad hoc autem tria agere debemus: Vocationes suscitare, semina, seu germina a Deo per mundum sparsa colere, variis modis in puerulis, in iuvenibus, in hominibus, in studiosis, in ruricolis, ubicumque colligere et iuvare ut mature ad sacerdotium sanctum perveniant, *possimus.* [2]

Vocationes formare, adaequate, iuxta diversitatem aetatis, culturae, characteris, psychologiae.

Sacerdotii curam post Sacram Ordinationem gerere ita ut in sua puritate et vigore spirituali conserventur.

Circa haec tria schema nostrum quam maxime aptum apparet, pastorale, accommodatum hodiernis temporibus, valdeque laudandus ...[3]. Optime meo iudicio laudes eius contexuit et celebravit exc.mus ...[4] arch. Mediolanensis.

Aliqua tantum mihi liceat notare ad perficiendum schema:

1. Cum tam magna sit necessitas vocationum et excelsa missio formationis in seminario et post seminarium, convenit eas Institutiones laudare et eis animum addere ut talem scopum et finem perdifficilem *quidem* [5] at tam essentialem pro vita Ecclesiae in effectum reducere satagant.

Optime nn. 2 et 3 fomentum vocationum commendantur, quod iuxta observationes ab em.mo card. Bueno Monreal perfici deberet.

2. In formatione sacerdotali iure meritoque exigitur et proponitur institutio specialis pro superioribus et professoribus seminariorum scientia paedagogica, didactica, psychologica, psychotechnica, sociologica ita ut habere possimus Centrum aliquod Internationale pro paedagogia et pastoralitate.

3. Insistere debet ...[6] in exercitio omnium virtutum *speciatim humanarum. Qualitates acquirere debet sacerdos, quae humanae dicuntur, et quae hodie in humana societate civili tanti aestimantur, quibus homo ornatus fit vere homo plenus* (*todo un hombre*; ἓν ὄν).

Homo qui est fidelis, verax, qui non fallit, qui peccatum non fecit nec invenitur dolus in ore eius, iustitia tenacissimus utpote minister Dei qui summam deligit aequitatem. Sensus iustitiae, veritatis et fidelitatis numquam a sacerdote abesse potest, sicut etiam absentia avaritiae, ambitionis, debet ornari ut probet omnibus, non quaerere ea quae sua sunt sed quae Iesu Christi.[7]

4. N. 9 videtur parum omnino dici de auctoritate et de obedientia: « Peculiari sollicitudine in sacerdotali obedientia excolantur ». Dicerem instantius: « Spiritu docilitatis, humilitatis et obedientiae imbuantur, scientes se obedire et obsequium praestare Deo ». Hodie enim et quidem post aliqua quae etiam in hac aula audivimus necessarium duco principium auctoritatis et necessitatem obedientiae inculcare:

1) quidem quia fundamentale est et continuo in Ecclesiae doctrina *docetur*.[8] Est enim fundamentale S. Pauli *sententia* [9]: Hoc sentite in vobis quod et in Christo Iesu ... factus obediens usque ad mortem.

2) Quia fundamentale est *etiam* [10] in Ecclesia: Secus non habetur ratio essendi, ratio docendi, ratio gubernandi. In Ecclesia enim « nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron ». « Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles ... ». Leo XIII *aiebat*,[11] eam auctoritatem quae in sacerdotibus est proficisci a Deo tam est cognitum ut ii apud omnes populos ministri habeantur et appellentur Dei. Et *iterum* [12] Paulus « Non est potestas nisi a Deo ». Si quam habemus potestatem ab Eo habemus qui dixit « Sicut misit me Pater et Ego mitto vos ». In schemate *de Ecclesia* docet

Sacra Synodus episcopos ex divina institutione in locum apostolorum successisse, tamquam Ecclesiae Pastores, quos qui audit, Christum audit, qui vero spernit, Christum spernit et Eum qui Christum misit ...[13]

3) *Etiam hoc fit in societate humana necessaria:* [14] « Praeesse aliquos in omni consociatione hominum, *ait Leo XIII,*[15] et communitate cogit ipsa necessitas ne principio vel capite, a quo regatur destituta societas dilabatur et finem consequi prohibeatur cuius gratia nata et constituta est ». Organizatio laboris, Collegium aliquod, Schola, sine vera et ab omnibus recepta auctoritate consistere non potest. Quid si etiam heic in Concilio unusquisque dirigere vellet suo nutu et sua voluntate *et cum moderatores dicant* [16] « Tempus tuum exactum est » ... *nollet oboedire.*[17]

Quod non impedit ut auctoritas sit amabilis, in vera caritate *fundata* [18] cum vero studio et cura de explicanda personalitate, sensu initiativae, cum usu rationali libertatis, quin habeamus subditos in infantilismo perpetuo. Sed e contra ut ait Ipse Leo XIII. In Christi Domini praeceptis mira vis est ad *continuandos* [19] tam qui parent, quam qui imperant officio ... unde gignitur tranquillus atque omni perturbatione carens, rerum publicarum cursus ... *Alia quae dicenda haberem secretariatui tradam.*[20] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] non. [2] deest. [3] est. [4] Colombo. [5] deest. [6] in pag. 15, lin. 15. [7] Discant alumni secundum formam Evangelii vivere, in fide, spe et caritate firmari, ut in earum aliarumque virtutum exercitio probentur ita ut spiritum orationis acquirant... scienter ut ait S. Ioannes a Cruce, Doctor Mysticus, se multo magis profecturos esse hoc exercitio per solum mensem, quam aliter per plures et integros annos. [8] continetur. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] *Lc.* 10. In episcopis, quibus presbyteri assistunt, adest in medio credentium Dominus Iesus Christus, Pontifex Summus, docens, sanctificans, gubernans, per eorum eximium servitium, scil. per auctoritatem quae est certe ad servitium aliorum, attamen est auctoritas vera a Deo. Hoc autem non quadam propria velleitate edicimus, sed tanquam certam et aeternam veritatem. Secus enim unde docebimus? Unde et quomodo sanctificare poterimus? Unde gubernare? Si ex nostra potestate haec facimus, evacuavimus crucem Christi. Ecclesiam convertimus in societatem pure humanam. [14] At etiam in societate humana necessaria est auctoritas: ait Leo XIII in Enc. *Diuturnum illud.* [15] deest. [16] nec obediremus moderatoribus dicentibus. [17] quid fiet?... Ideo S. Paulus ad Titum: Admone eos principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse »... [18] facta. [19] continendos. [20] Deus enim caritas est. Ideo potestas quae non est nisi a Deo ex caritate procedit et *ipsa caritas est.* Ne ergo caritas labefactetur stabiliatur clare in Ecclesia potestas, nec cedamus prurito nova eloquendi quae aures novitatum amatorum placeant, sed Deo displiceant.

Animadversiones additae:

Schema in genere placet. Momentum verbi in schemate apparet, sed non indicantur structurae efficaces ad usum eiusdem discendum.

Ad ministerium verbi evangelici non sufficit fides credita nec theologia cognita. Sanctus Paulus efficientiam apostolicam specialem habet ex sua cognitione de cultura religiosa populi Iudaici — erat enim phariseus — eiusdemque ex sollertia culturae hellenisticae. Fides, veritates Christi, apud Sanctum Paulum ob eius cognitionem praeviam hellenicae aut iudaicae fiunt.

Christus — Verbum Patris — revelationem Patris, mysteria caelestia poeticis verbis communicat. Misericordia, exempli gratia, Dei non dicitur theologice, nec dogmatice exponitur sed poetice, modo humano, translationibus parabolis, ut in capite XV Evangelii Sancti Lucae, ovis, drachma, filius prodigus.

Sacra Scriptura revelationem Dei exprimit verbis historiam, culturam, artem, mythos, animi sensus, bella, praeiudicia et alia humana significantibus.

Ut seminarista praedicator veritatis revelatae efficiatur, primum artem dicendi cognoscere debet. Ad hoc autem nec studia praeuniversitaria nec praeparatio theologica sufficiunt. Oportet studia « media » quae dicuntur, habere, quibus praeparationem priorum annorum ad perfectionem tollant, et studia theologica fundamentum adquirant.

Disciplinae cursus philosophici inefficaces videntur egentque pertractatione novaque structuratione. Seminarista his studii annis institutionem proprie universitariam circa quattuor adspectus cognitionis humanae habere debet: *a*) ampliora et profundiora studia de *rebus litterariis*; *b*) callidiorem captationem omnium *artium*; *c*) latiorem cognitionem *scientiarum*; *d*) accuratiorem intellectionem et captatum diversorum systematum *philosophiae*.

Talibus studiis privus, seminarista — futurus sacerdos et praedicator veritatis — his defectibus laborabit: a) *abstractismo* seu usu verborum vacuorum, folia sine pondere, carentia dynamismi, inefficacia ad motionem; b) *ascientificismo* seu paupertate in cognitione scientifica rerum aut personarum aut historiae; c) *pragmatismo* seu conversione sic dictarum theoriarum seu doctrinarum superficialiter intellectarum in praxim pauci momenti, mere utilitariam; d) *aphilosophismo* seu incapacitate ultimas rerum causas investigandi.

Cognitio litterarum classicarum similiter atque nationalium sive veterum sive hodiernarum serio studio et diuturno adquisita modus est discendi ministerium humanum verbi, sine quo ministerium sacrum fictum redditur et inutile.

Cognitio omnium artium sensum acuit hominis praedicatoris ad verba seligenda, ad ecclesias aedificandas, ad imagines pulchras venerandas et alia huiusmodi. Sacerdos sensu artistico carens et inscius harum rerum aegre ab hominibus audietur.

Cognitio scientifica hodie valde necessaria est, quamvis perdifficilis. Necessaria ad explicationem accuratam Sacrae Scripturae; necessaria ad apologeticam faciendam coram scientificis atheis vel dubitantibus; necessaria ad captationem magnae partis cognitionis philosophicae. Attamen est difficilis, et ideo studia diurna nocturnaque exigit. Valde utilis est quia specialem auctoritatem praebet ministro dicenti, et quia auxilium rebus ipsis dicendis et modo ea dicendi est.

Cognitio philosophica nostrorum sacerdotum hodie valde superficialis est. Saepe enim est mera notitia seu eruditio externa, summa notitiarum biographicarum, non penetratio systematum et ligatio historica illarum et captatio eorundem

effectuum historicorum. Eruditio autem philosophica externa valde periculosa est quia despicit ea quae ignorat; est itaque ficta cognitio philosophiae, mera notitia ephemeridum.

Ut seminarista theologus eveniat, primum philosophiam cognoscere debet, et philosophia nequit cognosci sine studio intenso litterarum, scientiarum et aliorum. Theologus hodiernus nequit esse vere « modernus » si philosophiam et scientias modernas ignorat. Et theologus nequit fieri praedicator Evangelii, si omnibus oratoriis virtutibus non est imbutus.

Haec ut consequantur fortasse quattuor vel saltem tres anni requirantur. Structura huius studii cum studio theologiae conflari debet ad institutionem vere universitariam adquirendam.

Sacerdos nostris diebus formatione universitaria frequenter caret. Eius studia tantum praeuniversitaria sunt. Professores, bibliothecae, laboratoria, methodus docendi et alia huiusmodi non sunt certe universitaria. Ex quo multarum rerum ignorantia provenit, et quod maxime lugendum est, ignorantia huius ignorantiae, quae generatrix est dogmatismi ab anticlericalibus oppugnati multis argumentis, et impossibilitas etiam colloquendi.

Quae mala ut vitentur, et ut futuri praedicatoris aptior institutio consequatur, protractionem studiorum cerno esse utilem, immo admodum necessariam.

13

Exc.mus P. D. IOANNES SAUVAGE

Episcopus Anneciensis

Venerabiles Patres, carissimi adstantes omnes,

Schema in suo textu emendato nobis placet ac post diuturnam considerationem miramur quod sub forma reducta propositionum multa contineat quae sunt plena promissionum pro spe renovationis tam desideratae institutionis seminariorum.

Haec approbatio nobis videtur quattuor assertis fundamentalibus inniti posse ex ipso schemate excerptis:

1. Primum assertum de *fine seminarii,* qui est ut pastores efformet. Quae pastoralis finalitas seminarii nobis optime praebetur ut totam institutionem sacerdotalem pervadere debens. Si revera in factis assumitur ista finalitas et cum institutione spirituali et intellectuali intime connectitur, ut postulatur in schemate, n. 4, in fine, si tota ratio studiorum, ut dicitur in fine n. 14, hac finalitate imbuitur, tunc bona erit adaptatio seminariorum nostrorum.

2. Secundum assertum, *de adaptatione seminarii seminaristis* prouti sunt de facto. Et hoc asseritur in n. 7. Fatendum certe titulum, qui non est de textu, generaliorem videri quam materia sub ipso contenta, quia in hoc numero, tantummodo sermo fit de adaptatione in

minores vel maiores communitates, prout necessitas id postulat. Sed principium hic positum magnas secum trahit consequentias et largior campus illi tribuendus est in educatione, nam haec nostra iuventus nobis a Deo concreditur ut de ipsa fiant sacerdotes annorum venturorum. Et illa iuventus a nobis cognoscenda, cum suis tendentiis, valoribus, et defectibus, ut institutio seminarii illi aptetur. Multum timendum esset, venerabiles Patres, si ex defectu istius adaptationis, melior pars iuvenum qui essent capaces vocationis sacerdotalis, ab ista se sentiret alienam.

3. Tertium assertum, de *evolvenda adaptatione secundum circumstantias locorum ac temporum*. Feliciter in nostro schemate dicitur institutio seminarii in n. 1 « certis temporibus recognoscenda ». Ex hoc iam non tantum praesentatur seminarium ut illa venerabilis ac saecularis institutio quae sua, una vice pro omnibus, fecit experimenta, et in qua iuvenes sacerdotio destinati nil aliud facere deberent quam intrare et accipere. Feliciter tribuitur illa periodica recognitio coetibus episcoporum, approbante Sancta Sede. Ipsis episcopis, ex munere suo pastorali, pertinebit de recta ordinatione suorum seminariorum tum ad suum finem pastoralem assequendum, tum ad iuvenibus prouti sunt adaptationem. Ad fontem redimus renovationis pastoralis seminariorum quem invenimus in decretis Sancti Concilii Tridentini, scil. intimam connexionem institutionis sacerdotalis cum tota cura pastorali Ecclesiae.

4. Quartum assertum, de necessaria *coadunatione moderatoris et professorum seminarii* deque eorum primaria responsabilitate in renovanda institutione seminarii, quae exprimuntur in n. 5. Recte affirmatur, experientia comprobante, illa educatorum adunata navitas magis facere quam sapientes leges. Hinc obligatio quae nobis incumbit competenti praeparationi invigilare nostrorum moderatorum ac professorum seminariorum et non tantum intellectuali, sed et paedagogicae et spirituali, et non tantum labori personali, sed et labori consociato.

Facta illa substantiali approbatione nostri schematis, aliqua dicenda essent quae in illo possent adhuc meliorem formam praebere. Quae omnia scripto tradam secretariae generali. Sed unum mihi videtur mentione dignum in hac aula: scil. de seminario ut institutione educativa illius *colloquii* (dialogue) habitudinis, quod Paulus VI, feliciter regnans tam fortiter inculcat in sua Encyclica *Ecclesiam suam,* 3 parte.

1) *Seminarium seminaristas praeparare debet colloquio cum mundo hodierno*. Hic memorari iuvabit ipsa verba Summi Pontificis: Colloquium est « quasi ratio obeundi muneris apostolici atque animorum iungendorum veluti instrumentum ». Has partes ut possit tenere colloquium in apostolatu, notas illas tenere debet quam exponit Encyclica: perspicuitatem scil., lenitatem, fiduciam, prudentiam. Necesse est ut

profunda ac diuturna educatio seminaristarum illos praeparet ad huiusmodi colloquium. Et certe multa inveniuntur in schemate *nostro.*[1]

2) Sed ulterius videtur progrediendum, quia seminarium non potest seminaristas praeparare colloquio cum externo mundo si non instauratur *colloquium intra ambitum seminarii ipsius.*

Necessarium videtur Cleri educatores sentiant se in primis esse interpellatos ex iis quae dicit Summus Pontifex. Nam sunt in illo statu pastorali ab Encyclica descripto pastorum missionem pulcherrimam adeptorum, qui missionem suam adimplere non valent nisi secuti fuerint exemplar Divini consilii quod salutis colloquium iniit cum homine et illud fundatum voluit in amore, in libertate, in responsabilitate hominis vocati.

Hoc valet et de personalibus magistros inter et discipulos relationibus in seminario. Hoc valet etiam de relationibus inter duas communitates ex quibus constat seminarium: magistrorum scil. ac discipulorum. Quae communitates distinctae esse debent, sed nec separatae et sibi ipsis externae vel indifferentes, nec timori, nec despectui mutuo obnoxiae. En magnum obiectum renovationis seminariorum: colloquii institutionalis instauratio inter moderatores et seminaristas, colloquii exercitium inter seminaristas ipsos. Certe, quoad colloquium cum moderatoribus sedulo invigilandum erit ne laedatur auctoritas. Sed nemo est qui non videat hoc genus colloquii ad intimiorem assimilationem educationis transmissae perducere, tam pro sensu disciplinae, quam pro educatione responsabilitatis, tam pro institutione intellectuali quam pro institutione spirituali et pastorali.

De his, relate ad textum nostri schematis duo afferre vellem notationes:

a) *de philosophia tradenda* ...[2] : Textus Synodi sollicitudinem exprimit de colloquio cum systematorum auctoribus hodiernis: et optime! At, cur sollicitudini illi solum per illos auctores, saepe saepius areligiosos, satisfieri posset? Nonne etiam, et in primis illa philosophia quae dicitur « perennis » tradi deberet in spiritu illo colloquii cum hominibus hodiernis et non tantum, ut ait infeliciter textus noster, tamquam systematizatio principiorum.

b) *de institutione pastorali* n. 21 ...[3] : Quando sermo fit de practicis exercitiis initiationis pastoralis memoria dignum iudicatur necessaria insistentia in praeeminentiam mediorum supernaturalium. Optime! Sed talis convictio, quam habent educatores, difficilius penetrabit in mentes et animas educatorum si tantum theoretice et apodictice inculcatur. Efficacius erit colloquium de praeterita apostolica activitate in quo, cum educatore et in parvis coetibus cum aliis seminaristis, confertur

illa activitas cum lumine Evangelii et doctrina Ecclesiae. Non tantum efficacius dico efficacitate mere humana sed illa efficacitate qua Spiritus veritatem suam revelat concrete fidelibus inter se conferentibus de regno Dei. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] quae ad hunc finem ordinantur quin mentio fiat verbi seu conceptus. [2] n. 15 pag. 17-18. [3] pag. 20.

[*Subscripserunt etiam*] M. Maziers, aux. Lyon; L. Ferrand, arch. Tours; P. Chevalier, ep. Le Mans; M. Dubois, arch. Besançon; P. Théa, ep. Tarbes et Lourdes; P. Puech, ep. Carcassonne; J. Martin, arch. Rouen; A. Cazaux, ep. Luçon; P. Piérard, ep. Châlons; A. Pioger, ep. Sées; A. Caillot, ep. Evreux; D. Johan, ep. Agen; J. de Cambourg, aux. Bourges; G. Garrone, arch. Toulouse; P. Rougé, ep. Nimes; R. Boudon, ep. Mende; F. Kervéadou, ep. St. Brieuc; H. Donze, ep. Tulle; J. Urtasun, arch. Avignon; M. Riopel; E. Guerry, arch. Cambrai; R. Bézac; J. Guilhem, ep. Laval; St. Desmazières, ep. tit. Biblo; L. Lebrun, ep. Autun; G. Barthe, ep. Fréjus-Toulon; H. Jenny, aux. Cambrai; A. Fougerat, ep. Grenoble.

Emendationes additae:

Ad n. 2, pag. 12, linn. 8-9: loco: « tum sacerdotum exemplar atque apostolicus zelus » sic ponatur: « tum sacerdotum personalis vita exemplaris, tum commune testimonium vitae sacerdotalis in bonum evangelizationis ordinatae ». *Ratio*: ut melius exprimatur primus fons vocationum esse testimonium sacerdotii imaginem tradens sacerdotii animos iuvenum generosum attrahentem.

Ad n. 5, pag. 13, lin. 36: post « paedagogica » et ante « diligenter » inseratur: « ac initiatione praxi colloquii cum propriis alumnis, manente firma auctoritate in educatione ». *Ratio*: ut melius praeparentur alumni concretae vitae pastorali in Ecclesia quae in colloquio maxime innititur.

Ad n. 6, pag. 14, lin. 8: post « physica et psychica » inseratur « de sana hereditate ». *Ratio*: quia haec notatio maxime importat in discernendis aptitudinibus.

Ad n. 7, pag. 14: post ultimam paragraphum addatur: « Ad melius seminarium secundum omnes necessitates alumnorum disponendum perutile erit intima magistrorum cum alumnis consuetudo, colloquiique inter eos habitudo ». *Ratio*: ut modo ampliore exponatur significatio fundamentalis huius principii nec restringatur tantummodo dimensioni aedificiorum vel coadunationi communitatum nimiarum.

Ad n. 9, pag. 15, linn. 28-29: post « oboedientia » inseratur: « in sensu personalis responsabilitatis et liberae initiativae ».

Linn. 30 ac ss.: post « excolantur » sic mutetur: « ut ex una parte omnia impendant pro regno Dei et seipsos libere impendant et ex altera parte etiam ea quae sunt licita, etc. ... ». *Ratio*: ne ansam praebeatur sola passivitatis cultura in seminario et praeparentur sensui liberae ac propriae initiativae.

Ad n. 8, pag. 15, lin. 1: post « assuescant » inseratur « suae profundae erga Patrem religioni, suoque Mysterio paschali participent ». *Ratio*: ut melius exprimatur momentum sensus Dei et sensus paschatis in educatione sacerdotali.

Ad n. 15, pag. 17, lin. 35: post « acquirant » addatur « ac suam efficaciam

pro cognitione mundi et colloquio cum hominibus hodiernis ». *Ratio*: ne cognitio ac capacitas colloquii soli cognitioni systematum modernorum tribuatur in textu ac exprimatur vis et efficacia ad hunc scopum ipsius philosophiae perennis.

Ad n. 19, pag. 19, lin. 28: ante « diligenter instruantur » inseratur « Ut in primis apti fiant educatores vitae laicorum in lumine Evangelii ad mentem Christi et diligenter instruantur... ». *Ratio*: ne confundatur pastoralis sollicitudo cum sola actuum pastoralium sollicitudine cum pastoralis navitas sit in primis educationi fidei ordinata.

Ad n. 21, pag. 20, linn. 18-19: post « sub peritorum magistrorum ductu fieri debent » sic mutetur « Collata cum sociis apostolatus reflexione in lumine fidei experientia navitatis ut, adiuvante consociato lumine sub ductu Spiritus Sancti, sentiant praepellentem praestantiam supernaturalium mediorum ». *Ratio*: ne educatio sensus supernaturalis in apostolatu affirmetur esse tantummodo quaestionem affirmationis theoreticae frequenter per repetitionem magistrorum inculcatae, sed innuatur pars necessaria initiativae personalis et cooperationis communitariae.

Ad n. 21 addatur novus numerus sic sonans: « ad hanc triplicem institutionem intimius tradendam optimum erit magna adunata navitas moderatorum, directorum spiritualium, professorum seminarii ac spiritus communitatis in alumnis, adiuvantibus sub ductu episcopi illis mediis hodiernis quae maiorem efficaciam communitariam praebeant ad colloquium ac mutuam cooperationem, quin laedant sensum liberae ac personalis responsionis alumnorum ad institutionem ipsis inculcatum ». *Ratio*: ut exprimatur syntheticam ac dynamicam vim actionis communitariae in institutione sacerdotali.

Ad n. 22, pag. 20, lin. 26: post « cuiusmodi sunt » inseratur « parochi experti in educatione iuvenum sacerdotum ». *Ratio*: ut exprimatur momentum huius cooperationis presbyterii in initiandis iuvenis sacerdotibus.

[*Subscripserunt etiam*]. M. card. Feltin; G. Bannwarth, ep. Soissons; P. Brot, aux. Paris; H. Dupont, ep. tit. Dorileo; J. Villot; P. card. Gerlier; J. P. Vincent, ep. Bayonne; A. Gand, coad. Lille; L. de Courrèges, ep. Montauban; J. Le Cordier; J. Vilnet, ep. S. Dié; F. Bougon, ep. Moulins; P. Veuillot, arch. coad. Paris; P. Gouyon, arch. Rennes; M. Pourchet, ep. S. Flour; A. Hypolito, aux. Bahia; G. Huyghe, ep. Arras; A. Collini, coad. Ajaccio; A. Fougerat, ep. Grenoble; J. Villepelet, ep. Nantes; E. Blanchet, rect. I. C. Paris; J. Lamartine Soares, aux. Olinde et Recife; A. Etges, ep. S. Cruz do Sul; B. Bueno Miele, ep. tit. Bararo; M. Vial, ep. Nevers; M. Rousseau, ep. tit. Ausafa; M. Rigaud, ep. Pamiers; H. Varin de la Brunelière, ep. Fort-de-France; A. Marie, ep. Cayenne; G. Leuliet, ep. Amiens; P. Robert, ep. de Les Gonaïves; G. Béjot, aux. Reims; I. Guyot, ep. Coutances; F. Poirier, arch. Port-au-Prince; Ch. de la Provenchères, arch. Aix; G. de Milleville, arch. tit. Gabala; R. Graffiin, arch. tit. Mistia; G. Louis, ep. Périgueux; A. de la Brousse, ep. Dijon; A. Malbois, aux. Versailles; J. Gay, ep. Basse-terre et Pointe-à-Pitre; A. Atton, ep. Langres; G. Jacquot, ep. Gap; C. Chilouet, ep. Farafangana; A. Fresnel, ep. Fort-Dauphin; R. Kérautret, ep. tit. Areopoli; A. Bontems, ep. S. Jean-de-Maurienne; L. de Bazelaire, arch. Chambéry; A. Jauffrès, ep. tit. Arsennaria; G. Jacquier, ep. tit. Sufasar; J. Bellec, ep. Perpignan; A. Bréheret, ep. Cahors; R. Fourrey, ep. Belley; P. Pinier, ep. Constantine; A. Fauvel, ep. Quimper; G. Mercier, ep. Laghouat; L. Duval, arch. Alger; A. Doussard, ep. Vannes; R. Boisguerin, ep. Suifu; V. Favé, aux. Quimper.

Secretarius generalis: Venerabiles Patres, en exitus suffragationum peractarum quarum exitus nondum est communicatus:

III suffragatio *de religiosis:*

Praesentes votantes		1.949
Dixerunt	*placet*	883
	non placet	77
	placet iuxta modum	987
Vota nulla		2

Ergo textus est examinandus secundum Modos et reproponendus congregationi.

IV suffragatio:

Praesentes votantes		1.950
Dixerunt	*placet*	907
	non placet	66
	placet iuxta modum	975
Suffragia nulla		2

Etiam hic textus est reproponendus.

V suffragatio:

Praesentes votantes		1.946
Dixerunt	*placet*	940
	non placet	56
	placet iuxta modum	947
Suffragia nulla		3

Hic pariter textus est reproponendus.

VI suffragatio:

Praesentes votantes		1.844
Dixerunt	*placet*	1.676
	non placet	65
	placet iuxta modum	103

Hic textus placuit congregationi generali, sed Modi item examinabuntur.

Nunc venerabiles Patres, lego textum *Intimationis* pro Sessione publica attamen haec intimatio distribuetur cunctis Patris proxima hebdomada [*cf. vol. III, pars I, pagg. 61-62*].

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Proxima congregatio feria II proximae hebdomadis. Reponatur SS. Evangelium.

APPENDIX

I

SCHEMA CONSTITUTIONIS * DE STATIBUS PERFECTIONIS ADQUIRENDAE [1]

PROOEMIUM

1. Omnis sanctitatis Divinus Magister et Exemplar Christus Dominus, datis spiritualis vitae praeceptis, quibus homines ad finem sibi praestitutum regerentur universi, indubie docuit praeterea, qui Ipsius vestigiis propius insistere vellent, eos evangelica consilia amplecti ac sequi oportere.[2]

Perfectionis asseclas Ecclesia, temporum progressione, numquam fovere intermisit, sed, sibi constans atque Divino Magistro fidelis, perfectionis evangelicae disciplinae indesinenter consuluit, sive respectu eorum qui singillatim illi sese tradebant, sive pro his qui plenam et publicam perfectionem in societatibus eius auctoritate erectis profitebantur.[3]

2. Porro, institutorum perfectionis inde a Concilio Tridentino renovata incrementa actuosaque sollertia, vitae et laboris condicionum mutatio ingens ubique praevalens necnon apostolatus moderni multiplices exigentiae, postulant ut ecclesiastica ordinatio statuum perfectionis recognoscatur atque in pluribus, sive salutifera pristinorum restauratione, sive prudenti praesentibus adiunctis accommodatione, apte renovetur, quo vita institu-

---

* *In initio huiusmodi fasciculi legitur*: « Ss.mus Dominus Noster Ioannes XXIII, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo discutiendum, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXII mensis Aprilis, anno MCMLXIII.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

Notae, quae singulis schematis capitibus adiciuntur, schematis partem non efficiunt, sed a Commissione Conciliari ideo exaratae sunt, ut Patribus schema pervestigantibus essent subsidio. Verba autem, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur ».

[5] torum iugiter sodalium sanctitate fulgeat eorumque labores in dies fecundiores abundent.

Quapropter, haec Sacrosancta Synodus, de universo Ecclesiae bono sollicita, munus suum merito aestimavit institutorum status perfectionis necessitatibus prout tempora nostra suadent providere.[4]

NOTAE

[1] Tamquam titulus totius schematis praesentis retinetur ille: « De Statibus perfectionis adquirendae », quia de se *aptissimus* atque venerabili traditione, communi usu et Summorum Pontificum auctoritate *commendatus*.

Etenim, huius locutionis significatio in doctrina inconcussa Doctoris
[6] Angelici perspicue et solide fundatur, qui in *Summa Theologica* tam profunde ac sapienter disseruit, tum de statibus vitae humanae in genere, tum de singulis eorum in specie et, in modo particulari, de statu illorum fidelium qui, Christo Iesu invitante, christianam perfectionem observantia consiliorum evangelicorum prosequendam profitentur (cf. S. THOMAS, *Summa Theol.*, IIª-IIªᵉ, qq. 179-189). « Hinc », ait Pius Papa XII, « in primis *status publicus perfectionis* inter tres praecipuos ecclesiasticos status recensitus fuit, atque ex ipso Ecclesia secundum personarum canonicarum ordinem gradumque unice petivit (c. 107) » (Const. Apost. *Provida Mater Ecclesia,* 2 febr. 1947: *A.A.S.,* 39 [1947], p. 116).

Hac formula, ut patet, minime significatur religiosos esse perfectos, neque solos ad sanctitatem assequendam teneri. Dicitur enim status perfectionis *adquirendae,* quo imprimis distinguitur ab illo Episcoporum qui essentialiter est de perfectione christiana sacro pastorali ministerio in alios exercenda; propterea ipsi tamquam « perfectores » (S. THOMAS, *Summa Theol.,* IIª-IIªᵉ, q. 184, a. 7, *c*) habentur ab iisque « praeexigitur vitae perfectio » (S. THOMAS, *op. c.,* q. 185, a. 1, ad 2) ad hoc ut « alios ad perfectionem adducere » (S. THOMAS, *l. c.*) possint. E contra religiosus etsi progrediendo in via spirituali certum sanctitatis gradum attingere valeat ac debeat, ad maiorem perfectionem tamen semper tendit ut ad finem proprii status propter se indesinenter quaerendum, licet id proculdubio in bonum Ecclesiae et animarum cedat atque ipse operibus apostolatus explendis libentissime se impendat et superimpendatur (cf. *2 Cor.* 12, 15). Ad hoc illustrandum apte conferunt verba Pii Papae XII sequentia: « Nonne vos, clerici et laici (religiosi), profitemini vos evangelicae perfectionis statum amplecti? Si ita est, eiusdem status progignite fructus, ut mysticum corpus Christi, quod est Ecclesia, e robore et calore vestro efficientiores hauriat vires. Hac eadem causa fit, ut religiosi Ordinis contemplativae vitae addicti aliquo modo Ecclesiae necessarii sint, cui iidem perpetuum decus exstant et caelestium scatebra gratiarum (*Alloc.* 8 dec. 1950, IV: *A.A.S.,* 43 [1951], p. 33).

Praeterea, licet antiquissima, haec locutio perfecte convenit omnibus christianam perfectionem profitentibus, sive cum votis publicis in Religionibus proprie dictis, sive absque votis tum in Societatibus vitae com-

munis tum in Institutis etiam saecularibus. Ipsa enim « Instituta saecularia, quorum membra, etsi in saeculo commorentur, ex plena tamen Deo et animabus consecratione quam probante Ecclesia, profitentur, et ex interna ordinatione hierarchica interdioecesana et universali, quam diversis gradibus habere valent, *inter status perfectionis iuridice ab Ecclesia ipsa ordinatos et recognitos,* ex Apostolica Constitutione *Provida Mater Ecclesia* iure meritoque numerantur » (PIUS XII, Motu proprio *Primo feliciter,* 12 martii 1948: *A.A.S.*, 40 [1948], pp. 285-286). [6]

Haec aptissima formula, insuper, venerabili traditione communique usu in Ecclesia maxime commendatur et auctoritate Summorum Pontificum qui illam in suis documentis et allocutionibus frequenter adhibuerunt consecratur. Ultimatim vero, Concilium Praesidentiae Concilii Oecumenici Vaticani II universam materiam Commissioni Conciliari « De Religiosis » demandatam sub hoc titulo « De Statibus perfectionis adquirendae » complecti voluit (cf. Schemata Constitutionum et Decretorum, 1962: [7]
p. 8, XI). Ideo, eius substitutio non tantum communem hodiernum usum magno cum detrimento perturbaret, sed ipsi Ecclesiae doctrinae eodem usu et auctoritate sancitae iniuriam inferret.

De cetero, aliae formulae a diversis propositae etsi fundamento non careant, aptiores illa quae est in usu certo non demonstrantur.

[2] PIUS XI, Epist. Apost. *Unigenitus Dei Filius,* 19 martii 1924: *A.A.S.,* 16 (1924), p. 133.

[3] PIUS XII, Const. Apost. *Provida Mater,* 2 febr. 1947: *A.A.S.*, 39 (1947), p. 115.

[4] Pernotum est statum perfectionis adquirendae duplicem praeseferre aspectum, scilicet, *Theologicum* quo considerantur eius substantia et fundamenta biblico-theologica, et *Iuridicum* quo sodalium modus vivendi, operandi et sese hierarchice regendi aptis normis ab Ecclesia organice praeformatur.

Hac distinctione prae oculis habita, cuique clare apparet praesentis schematis aspectus praevalenter iuridicus, illo theologico ad Constitutionem dogmaticam « De Ecclesia » remisso, quae speciale caput habet sub titulo stricte theologico positum: « De iis qui consilia evangelica profitentur ». Magni enim refert ut perspicue ostendatur statum perfectionis adquirendae (seu religiosum sensu lato) non esse meram Ecclesiae iuridicam creationem, sed ab ipso Evangelio profluere atque partem suam vere authenticam habere in Corpore Mystico Christi quod est Ecclesia. Id quidem apte fit in Constitutione dogmatica « De Ecclesia », cui tamen haud convenit elementa miscere iuridica quae in praesenti schemate, praesertim capite primo, ut in propria sede exponuntur.

De cetero praesens schema, quod rigorose contractum est, ex aliis schematibus complementum accipit: ex schemate « De Cura animarum » quod habet caput speciale ab utraque Commissione « De Episcopis et de Religiosis » concordatum, scilicet, « De rationibus inter Episcopos et Religiosos praesertim quoad apostolatus opera »; ex schemate « De Episcopis ac de Dioeceseon Regimine » cuius Appendix plura continet de Facultatibus Episcoporum relate ad Religiosos; et ex schemate « De Regimine Missionum » quod in pluribus ad religiosos missionarios spectat.

[8]

CAPUT I

DE STATUS PERFECTIONIS NATURA, SPECIEBUS ET FORMIS

3. [*Definitio status perfectionis adquirendae*]. Status perfectionis evangelicae adquirendae est stabilis in aliqua societate vivendi modus, ab ecclesiastica auctoritate ad christianam perfectionem per professionem consiliorum evangelicorum adipiscendam constitutus.[1]

4. [*Tres species status perfectionis*]. Iure vigenti tres recensentur status perfectionis species in Ecclesia, nempe, religiones, societates vitae communis sine votis et instituta saecularia.

Religiones sunt societates in quibus sodales, secundum proprias leges et sub regimine vitae communis, vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tempore renovanda, nuncupant.[2]

Societates vitae communis sine votis sunt illae, quantum sodales rationem vivendi religiosorum imitantes et in communi degentes, non quidem votis publicis sed certis vinculis ad consilia evangelica servanda sese obstringunt.[3]

Instituta saecularia illa dicuntur, quorum sodales consilia evangelica servanda suscipiunt plene et perpetuo, sed in saeculo, nec ulla ratione vitae communi canonicae sunt obnoxii.[4]

Conveniunt species istae in substantia status perfectionis; differunt autem tum ex natura vinculorum, tum ex diverso modo consilia in praxim deducendi necnon vivendi et operandi, quae unicuique earum propriam indolem et veluti specificum characterem conferunt.[5]

5. [*Vox* religiosus *stricto et lato sensu*]. Verbum *religiosus* propriam habet significationem, diuturno et etiam vigenti usu probatam, vi cuius, nisi aliud expresse vel aequipollenter dicatur, illos tantum status perfectionis sodales designat qui vota publica in aliqua Religione nuncupaverunt.[6] Verumtamen, attento elemento fundamentali tribus speciebus status perfectionis adquirendae communi, nempe plena christianae perfectionis professione
[9] evangelicis consiliis solide fundata,[7] nihil impedit quominus quandoque, agendo etiam de aliis statibus perfectionis, idem verbum, praesertim sensu adiectivo, latiore modo adhiberi valeat.[8]

6. [*De vita contemplativa fovenda*]. Non obstante gravi [9]
hodierna necessitate intentioris apostolatus, retinendum est instituta vitae unice contemplativae sive virorum sive mulierum specialem omnino habere exsistendi rationem in Ecclesia, cui perpetuum decus exstant et caelestium scatebra gratiarum.[9]

Etenim, licet omnes asseclae status perfectionis ad quandam divinam internam contemplationem invitentur[10] et obligentur, instituta tamen illa ad contemplationi vacandum secundum traditionalem formam integre ordinantur,[11] et ideo in Corpore Mystico Christi proprias partes semper habent, atque uberrimos sanctitatis fructus Ecclesiae afferunt.[12]

In monasteriis in quibus ex instituto viget vita contemplativa canonica, moniales adstringuntur ad clausuram papalem secundum legitima statuta. Ordinarius loci necnon, si eidem monasterium subditur, Superior regularis, pro eorum prudenti arbitrio et conscientia, clausuram ingredi possunt atque, in casibus a S. Sede determinandis, ingressum in clausuram et egressum ex eadem permittere.[13]

7. [*De vita monastica fovenda*]. Haec Sancta Synodus institutum perantiquum ac venerabile monachorum tum ritus latini tum rituum orientalium ut in pleno vigore servetur et provehatur exoptat.

Monachos autem hortatur ut, suae originis suarumque institutionum memores, in claustris Divinae Maiestati humili ac fideli corde pensum servitutis suae reddant.

8. [*Instituta clericalia operibus apostolatus dedita*]. Permulta exstant instituta clericalia quae in decursu temporum condita sunt, ut eminens illud sacerdotalis ministerii munus susciperent pro diversis hominum necessitatibus et condicionibus.

In his autem institutis, vita religiosa validissimum praebet adiumentum ad adipiscendam sanctitatem, quae sacerdotes Christi omnino decet, lectissimas turmas operariorum, qui iuxta suam peculiarem vocationem apud fideles et infideles operibus salutaribus in bonum Ecclesiae universalis dedicantur, apte praeparat atque in eorum muneribus fructuose explendis multum adiuvat.[14]

9. [*De institutis laicalibus*]. Vita religiosa laicalis, tam pro [10]
viris quam pro mulieribus, variis apostolatus operibus mirum in modum aptata et nunc ubique vegetior efflorescens, constituit evangelicae perfectionis et Deo consecrationis statum completum ab Ecclesia recognitum; eam igitur Sacra Synodus magni faciens

[10] libenti animo omnium aestimationi ac speciali Sacrorum Praesulum sollicitudini commendat.[15]

Inter huius vitae religiosae sectatores viros, qui peculiari Dei vocatione sacerdotium non suscipiunt, placet recensere diversorum institutorum Fratres docentes, qui ab Ecclesia, eorum constitutiones approbante, utpote finem specialem praestabile munus christiane erudiendi iuventutem receperunt.[16]

10. [*De institutis saecularibus*]. Instituta saecularia veram et essentialiter completam, etsi in saeculo consiliorum evangelicorum professionem, ab Ecclesia recognitam secumferunt; quam ob rem inter status perfectionis iure meritoque adnumerantur.

Haec professio, quoad substantiam vere religiosa,[17] viris ac mulieribus, laicis et clericis in saeculo degentibus consecrationem confert similem illi, quae in aliis statibus perfectionis invenitur; proinde iidem totalem suipsius Deo dedicationem in caritate perfecta praecipue intendere debent.

Illa ratio perfectionem profitendi in hoc consistit quod sodales viam consiliorum in saeculo sequuntur. Quare caveatur ne propria ac peculiaris illorum institutorum indoles, saecularis scilicet,[18] extraneis formis immutetur. Exordium enim ac propagatio illorum institutorum imprimis repetenda sunt a necessitatibus efficacioris ac latioris apostolatus, in saeculo ac veluti ex saeculo exercendi, qui eo spectat ut omnes hominum activitates et vitae rationes a Christo Domino inspirentur ac in Ipso instaurentur.[19]

Huius autem finis tam ardui consecutio exigit ut institutorum saecularium sodales, non solum immaculatos se custodiant ab hoc saeculo (cf. *Ic.* 1, 27), sed etiam ut in rebus huius transeuntis mundi (cf. *1 Cor.* 7, 31) sciant discernere quaenam Crucis Christi sint inimica, quaenam Regno Dei consonent et faveant.

[11] NOTAE

[1] Cf. can. 487, 488, 1° et 593 *C.I.C.*; PIUS XII, Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* 31 maii 1956: *Statuta Generalia* adnexa, art. 5, § 1.

Constitutio dogmatica « De Ecclesia », caput « De iis qui consilia evangelica profitentur », status perfectionis adquirendae fundamenta evangelica exponit agendo « De vocatione ad perfectionem christianam », necnon eiusdem aspectum theologicum evolvit, quo apparet statum perfectionis, cuius notio iuridica hic in articulo 3 datur, non esse meram societatem iuridicam, sed functionem habere quoque veluti mysticam in Ecclesia, quatenus « Christi exinanitionem et Crucem pressius imitatur » atque

« manifestius significat novam vitam redemptione Christi acquisitam et praeannuntiat resurrectionem et gloriam regni caelestis ». [11]

Super principiis fundamentalibus biblicis de consiliis evangelicis, opera Ecclesiae constitutus est authenticus status perfectionis adquirendae cuius elementa pedetentim assumpta fuerunt, ordinata et definita, quae in praesenti schemate summatim exponuntur.

Inter alia vero notanda, est specialis positio status perfectionis adquirendae in universa ordinatione ecclesiastica, quae diversa est prout theologice vel canonice consideratur. Etenim ex divina institutione sunt in Ecclesia Clerici a Laicis distincti, licet non omnes clerici sint divinae institutionis (can. 107, *C.I.C.*). Cum autem utrique possint esse religiosi (ibid.), factum est quod « Inter duos hos gradus, religiosae vitae status interiicitur, qui ecclesiastica origine defluens, ideo est atque ideo valet, quia arcte proprio Ecclesiae fini cohaeret, qui eo spectat ut homines ad sanctitatem assequendam perducantur » (PIUS XII, Alloc. 8 dec. 1950: *A.A.S.,* 43 [1951], p. 27). Ita « status publicus perfectionis inter tres praecipuos ecclesiasticos status recensitus fuit » (PIUS XII, Const. Apost. *Provida Mater,* 2 febr. 1947: *A.A.S.,* 39 [1947], p. 116) qui sunt status clericalis, religiosus (sensu lato) et laicalis (sensu stricto) (cf. can. 491, *C.I.C.*).

Hac ratione Ecclesia principia a Christo Iesu iacta reassumens, statum perfectionis adquirendae instituit, tuetur ac fovet, nedum ad bonum privatum eius sectatorum, verum etiam ad bonum universale totius Corporis Mystici Christi, in cuius aedificationem valide confert tum propria existentia in compagine ecclesiastica tum opera eius sodalium salutifera.

[2] Cf. can. 488, 1° *C.I.C.*

[3] Cf. PIUS XII, Const. Apost. *Provida Mater,* 2 febr. 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 117.

[4] Cf. Const. Apost. cit., *l. c.*

[5] Cf. Const. Apost. cit., *l. c.*

Species status perfectionis adquirendae desumuntur ex diversis modis emittendi Consiliorum evangelicorum professionem, quae elementum fundamentale et omnibus statibus perfectionis commune constituit. Haec enim professio fit vel cum tribus consuetis votis publicis, in Religionibus; vel sine votis publicis sed cum vita communi ad instar Religiosorum, in Societatibus vitae communis; vel sine votis publicis (saltem regulariter) sineque vita communi canonica, in Institutis saecularibus. Igitur, sunt tres species, et tantum tres, status perfectionis adquirendae ab Ecclesia iuridice [12]
recognitae: « Cet idéal (de la perfection chrétienne) chaque chrétien est invité à y tendre de toutes ses forces, mais il se réalise d'une manière complète et sûre dans les trois états de perfection selon le mode décrit par le Droit Canonique et les Constitutions Apostoliques déjà citées... » (PIUS XII, Alloc. 9 dec. 1957: *A.A.S.,* 50 [1958], p. 36; cf. etiam, speciatim pro Institutis saecularibus: Motu proprio *Primo feliciter,* 12 martii 1958: *A.A.S.,* 40 [1958], pp. 285-286).

Formae autem institutorum status perfectionis ex eorumdem diversitate finis, operum, structurae, condicionum personarum et modi vivendi derivantur; sunt quidem multiplices ac variatissimae, sive agatur de institutis vitae mere contemplativae, sive de aliis quae externis apostolatus

[12] operibus incumbunt. Patet has species non coincidere cum praedictis formis, ita ut intra unam speciem diversae haberi possint formae et de facto habeantur. In schemate pauciores formae tantum recensentur quae in praesentibus adiunctis practicum momentum videntur habere, quin intendatur aliquid excellentiae ceterarum detrahere.

[6] Cf. can. 488, 7°.

[7] Cf. PIUS XII, Motu proprio *Primo feliciter,* 12 martii 1948: *A.A.S.,* 40 (1948), p. 284.

[8] Vocabuli « religiosus » usus duplici sensu, stricto nempe seu specifico et lato seu communi, est frequentissimus et quidem omnino legitimus.

Imprimis quod aptissimum sit ad sodalem status perfectionis adquirendae nuncupandum ex doctrina Divi Thomae eruitur: « Respondeo dicendum », ait sanctus Doctor, « quod, sicut ex supra dictis patet (quaest. CXLI, art. 2), id quod communiter multis convenit, antonomastice attribuitur ei cui per excellentiam convenit; ... Religio autem, ut supra habitum est (quaest. LXXXI, art. 2), est quaedam virtus, per quam aliquis ad Dei servitium et cultum aliquid exhibet. Et ideo antonomastice religiosi dicuntur illi qui se totaliter mancipant divino servitio, quasi holocaustum Deo offerentes » (II^{a}-II^{ae}, q. 186, a. 1).

Porro huius appellationis fundamentum, scilicet, *totale servitium Deo,* est commune tribus speciebus status perfectionis, inclusis Institutis saecularibus, in quibus nihil detrahitur vel detrahendum est « ... ex plena christianae perfectionis professione, evangelicis consiliis solide fundata et quoad substantiam vere religiosa » (PIUS XII, Motu proprio *Primo feliciter,* 12 martii 1948, II: *A.A.S.,* 40 [1948], p. 284), et quorum sodalium vita habetur Deo vere consecrata (cf. PIUS XII, Const. Apost. *Provida Mater,* 2 febr. 1947, *Lex Peculiaris,* art. III, § 2: *A.A.S.,* 39 [1947], p. 121).

Iuvat hic notare S. Thomam ut huius appellationis « religiosus » fundamentum considerasse merum Deo totale servitium, quin expressam mentionem faceret de votis quibus profitentes perfectionem christianam eius tempore sese ligabant. Quare, etsi ab initio et per multum tempus postea religiosi dicebantur votis obnoxii, attamen haec appellatio faciliter et communiter, progrediente tempore, extensa est ad alios quoque qui consiliorum evangelicorum susceptione etiam sine votis Dei servitio sese
[13] consecrarunt. Hic usus extensivus vocabuli frequenter advertitur non tantum in scriptis auctorum sed etiam in documentis pontificiis, v. g. illo quo constituta est Commissio Praeparatoria conciliaris « De Religiosis », cui deinde materia tractanda demandata est quae ad religiosos universim seu ad sodales status perfectionis omnes spectat.

Ita evenit absque dubio quia vocabulum de se aptissimum, usum quoque praestat commodissimum iis qui de sodalibus status perfectionis adquirendae loquuntur vel scribunt. Etenim, in personis vel rebus denominandis regula est unico vocabulo uti quod ratione etymologiae aliquam indicationem praebet personae vel rei nuncupandae. Hoc modo vocabulum « religiosus, religiosi » commodissimum habet usum ad instar aliorum quibus varii personarum coetus in Ecclesia designantur, scilicet: Episcopi,

Clerici, laici. Aliud quoque commodum habet cum assumi possit tum ut substantivum ad personas nominandas, tum ut adiectivum ad personas et res status perfectionis qualificandas, quo praesertim ultimo sensu difficillime substituitur. [13]

Locutio autem complexa « sodalis status perfectionis adquirendae » habetur potius veluti definitio nominalis « religiosus » ita ut exinde perfecta ordinatio logica modo sequenti obtineatur:

nomen: « religiosus »

definitio nominalis: « sodalis status perfectionis adquirendae »

definitio realis: status perfectionis est « ... stabilis in aliqua societate vivendi modus ab ecclesiastica auctoritate ad christianam perfectionem per professionem consiliorum evangelicorum adipiscendam constitutus » (Art. 3 schematis).

Attamen, nonobstante significatione extensiva supra descripta, huic vocabulo « religiosus » competit etiam significatio restricta et specifica, iuxta principium a S. Thoma datum: « Respondeo dicendum, quod secundum consuetudinem humanae locutionis, aliqua nomina communia restringuntur ad ea quae sunt praecipua inter illa quae sub tali communitate continentur; sicut nomen urbis accipitur antonomastice pro Roma » (II^{a}-II^{ae}, q. 141, a. 2). Ita nihil impedit quominus vocabulum « religiosus » duplici sensu adhibeatur, non aequivoce sed correlative: sensu lato, ut supra exponitur; et sensu stricto et specifico, ad illum tantum religiosum designandum qui votis est obnoxius, ut dicitur in praesenti articulo 5 schematis.

Patet autem quod sodales Societatum sine votis et Institutorum saecularium nequeunt dici « religiosi » sensu stricto, praesertim isti ultimi qui vota publica non emittunt neque « vivendi rationem religiosorum imitantur in communi degentes » (can. 673, § 1, *C.I.C.*), sed christianam perfectionem profitentur *in saeculo* ac apostolatum exercent « *veluti ex saeculo* » (cf. PIUS XII, Motu proprio *Primo feliciter,* 12 martii 1948, II et III: *A.A.S.*, 40 [1948], pp. 284-285).

[9] PIUS XII, Alloc. 8 dec. 1950: *A.A.S.*, 43 (1951), p. 33.

[10] Cf. PIUS XII, Const. Apost. *Sponsa Christi,* 21 nov. 1950, *Statuta adnexa,* 23 nov. 1950, art. II, § 2: *A.A.S.*, 43 (1951), p. 15.

[11] Cf. PIUS XII, *Alloc. radioph. ad Moniales,* I, 19 iulii 1958: *A.A.S.*, 50 (1958), pp. 565-567.

[12] Cf. PIUS XII, Alloc. cit. II, *ibid.*, p. 570; *Alloc. Conventui studiorum de Monachatu,* 11 apr. 1958: *loc. cit.*, p. 285. [14]

In articulo 6 distinctio maximi momenti inducitur inter *vitam contemplativam canonicam* et *contemplationem internam seu theologicam,* a Papa Pio XII speciali vi et perspicuitate inculcata, praesertim in duobus fundamentalibus documentis sequentibus.

Art. II, § 2 Constitutionis Apostolicae *Sponsa Christi* 21 novembris 1950 legitur: « Vitae contemplativae canonicae nomine intelligitur non illa interna et theologica ad quam animae omnes in Religionibus immo et in saeculo viventes invitantur, quamque apud se singulae ducere ubique valent; sed exterior disciplinae religiosae professio quae, sive ex clausura, sive ex pietatis, orationis mortificationisque exercitiis, sive denique

[14] ex laboribus quibus Moniales incumbere debent, in interiorem contemplationem ita ordinatur, ut eiusdem studio tota vita totaque actio et facile valeat et efficaciter debeat imbui » (*A.A.S.,* 43 [1951], pp. 15-16).

Eamdem doctrinam idem Summus Pontifex more fere scholae enucleavit in tribus allocutionibus radiophonicis ad Moniales habitis diebus 19 et 25 iulii necnon 2 augusti anno 1958 (cf. *A.A.S.,* 50 [1958], pp. 563 sqq.; 572 sqq.; 581 sqq.).

Ex his verbis vita contemplativa *canonica* dicenda est aliqua determinata forma externa vitae ad contemplationem internam seu theologicam vacandam peculiari exercitiorum disciplina directe apteque ordinata atque ut talis ab Ecclesia recognita. Occupatur circa illa opera vitae contemplativae (cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* II^a^-II^ae^, q. 188, a. 3) intra monasterium et in propriam sodalium sanctificationem peracta, quae ab operibus externis vitae activae in utilitatem proximi impensis apprime distinguuntur. Attamen, licet quisque operibus internis vitae contemplativae propriam prosequatur sanctificationem, iisdem proximo quoque prodesse valet ac debet ita ut authenticum apostolatum modo suo exerceat in Ecclesia, ut infra fusius dicetur (cf. infra pag. 22, nota 5).

Vita activa autem, qua talis, aliquam praesefert determinatam formam externam seu disciplinam ad opera externa beneficientiae et apostolatus exercenda ordinatam. Minime excluditur in hac vita contemplatio interna theologica, ut Papa Pius XII in textu supra citato meminit; immo, omnes religiosi vitae activae eam quaerere debent modo suae vitae consentaneo, sicut vitam interiorem spiritualem imprimis colere tenentur, quae ad contemplationem theologicam suapte natura ultimatim conducit.

[13] In ultimo commate articuli 6 schematis, Ordinarii loci facultas relate ad ingressum in clausuram Monialium congruenter ampliatur. Quoad egressum Monialium et ingressum aliis personis permittendum, consulte restringitur ad casus a S. Sede determinandos, ne in hac re adeo gravi nimia inducatur discrepantia in praxi diversarum dioecesium non sine periculo damnosae relaxationis in observantia clausurae.

[14] Cf. PIUS IX, Epist. Encycl. *Ubi primum,* 17 iun. 1847: Pii IX Pontificis Maximi Acta, ex typographia Bonarum Artium, P. I, Vol. I, pp. 46-54.

Non est ambigendum Congregationes modernas et Ordines Clericales, immo plerosque Ordines Mendicantes ortos esse ad finem apostolatus exer-
[15] cendi, ab antiqua institutione monastica indolis contemplativae variis gradibus sic recedentes. Attamen haec instituta externis apostolatus operibus dedita, elementa vitae religiosae constitutiva integre servaverunt et quaedam eorum etiam nonnulla elementa vitae monasticae, exigentiis quidem finis specialis sibi praestituti rite accommodata.

Ex hoc autem non sequitur vitam religiosam in institutis operibus externis deditis esse merum instrumentum apostolatus validius exercendi ab eoque fere commensurandum. Vita religiosa enim ubicumque suscepta proprium habet suum finem absque definita mensura incessanter prosequendum, scilicet perfectam caritatem quae non solum eius sectatores sanctificat sed etiam tamquam exuberans fons amoris divini in beneficium proximi quoque redundat (cf. S. THOMAS, *Summa Theol.,* II^a^-II^ae^, q. 184,

a. 7, ad 2) atque ad opera apostolatus strenue explenda religiosos inspirat, [15]
excitat et sustinet (cf. infra cap. III, nota 5).

[15] Cf. PIUS XII, *Epist. ad Card. Valeri,* 31 martii 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 202-205.

[16] Cf. PIUS XII, Epist. cit.

[17] Cf. PIUS XII, Motu proprio *Primo feliciter,* 12 martii 1948: *A.A.S.,* 40 (1948), p. 284.

[18] Cf. PIUS XII, Motu proprio cit. *ibid.*

[19] Cf. PIUS XII, Motu proprio cit. *ibid.*

CAPUT II [16]

CRITERIA GENERALIA ACCOMMODATAE RENOVATIONIS STATUUM PERFECTIONIS

11. [*Necessitas accommodatae renovationis*]. Omnes christifideles ab Apostolo monentur, ut de die in diem spiritu mentis suae renoventur et novum hominem induant (cf. *Eph.* 4, 23). Ad hoc tenentur peculiariter instituta statuum perfectionis eorumque sodales, qui vestigia Christi pressius sequentes, ad perfectionem caritatis adquirendam se devoverunt.

Quo igitur institutorum perfectionis sodales sanctitatem assequi et proprium munus in Ecclesia adimplere valeant, necesse est ut, suo spiritu primaevo imbuti ac vocationis suae memores, ita sese in ea renovent, ut etiam eorum ratio vivendi et operandi postulatis sanctitatis ac huius temporis apostolatus reapse accommodetur.

Itaque renovatio et accommodatio, quae se invicem complent, simul prae oculis habendae et amico foedere componendae sunt.[1]

12. [*Criterium fundamentale accommodatae renovationis*]. Haec accommodata renovatio, qua vigor et fecunditas Ecclesiae exprimuntur, promovenda est iuxta Fundatorum propositum ac germanum spiritum, prout ab Ecclesia approbatum, necnon venerabiles traditiones in singulis institutis receptas,[2] ducente magisterio Sanctae Matris Ecclesiae religiosas familias adprobantis et sollicitis curis prosequentis.

Quaerendum est igitur quid Deus pro temporis hodierni necessitatibus a nobis velit et quomodo religiosi exemplis insistere debeant Legiferorum Patrum qui emergentibus Ecclesiae necessitatibus occurrentes suum novum opus exaequare curarunt.[3]

[16] 13. [*Accommodata renovatio fidelitate erga institutum moderanda*]. Fideliter custodiantur natura, finis, spiritus proprius et media necessaria, uti sunt non paucae observantiae regulares,
[17] quae cuiusque instituti patrimonium constituunt. At ratio vivendi et operandi ex illis determinata, quae modum accipere debuit secundum adiuncta temporum, quibus instituta nata sunt, hodiernis quoque sodalium condicionibus physicis et psychicis, apostolatus necessitatibus, animi culturae postulatis, circumstantiis socialibus et oeconomicis exaequanda est. Id peculiariter valet pro accessoriis, uti sunt horarum indices, congruenter aptandis.

Quidquid autem contingat innovari, nullatenus indebitam inferat mutationem et mitigationem.[4]

In terris missionum, formae vitae religiosae excolantur quae indolis morumque incolarum necnon loci consuetudinum et condicionum rationem habeant.

14. [*A quibus accommodata renovatio sit perficienda*]. Vitae autem religiosae accommodata renovatio obtineri nequit, nisi concurrentibus omnibus instituti sodalibus. Novae autem accommodationes a singulis induci nequeunt, sed a Superioribus, quibus praesertim incumbit officium illam verbo et imprimis exemplo constanter promovendi.[5]

15. [*Necessitas aptandi codices vitae religiosae*]. Ut vitae religiosae piaeque actionis renovatio pleniorem obtineat effectum, oportet omnino Constitutiones, « Directoria », « Consuetudinaria » quae dicuntur, aliosque id genus codices, quibus institutorum leges continentur, explicantur et applicantur, congruenter aptare secundum doctrinam ac normas ab hac Sancta Synodo datas.

Proinde in institutorum legislatione et disciplina illa supprimantur quae fini obstent vel nullo modo prosint; alia, si opus est, opportune compleantur vel corrigantur; alia tandem nova addantur, quae aptius ad proprium consequendum finem ducunt.

16. [*De privilegiis religiosorum recognoscendis*]. Privilegia particularia a Sancta Sede saeculorum decursu religiosis institutis aliisque aequiparatis concessa, eatenus in vigore servanda sunt, quatenus bonum spirituale et servitium animarum adhuc promoveant. Ideo, intra congruum temporis spatium ab Apostolica Sede determinandum, ipsius Sanctae Sedis iudicio submittenda sunt.

NOTAE [18]

[1] Renovatio in institutis religiosis non tantum eorum respicit adaptationem hodiernis vitae et operae condicionibus. Ut rite fiat debet esse tum *restauratio* pristinorum, tum *accommodatio* rationibus temporum nostrorum.

Restauratio pristinorum, ubi opus sit, promovenda erit resumendo ea quae vel ad genuinam religiosam vitam necessaria sunt vel Instituto a primordiis propria aut annorum decursu legitime inducta fuerunt, quorum amissio comperitur nunc damnosa. *Accommodatione,* autem, institutum in sua ratione vivendi et operandi exigentiis progredientis temporis ac locorum intra ambitum proprii finis et iuxta eius spiritum congruenter aptatur.

Sane, adiuncta temporum nostrorum instituta religiosa ad congruam accommodationem perficiendam impellunt; non autem minus insistendum est ut in suis pristinis quoque sese restaurent, a quibus inspirationem et robur trahere semper valent.

Norma fundamentalis accommodationis in hoc articulo 11 succincte et sufficienter exprimitur: « ... necessarium est ut, ... (instituta religiosa) ita sese in ea renovent, ut etiam modus eorum vivendi et operandi exigentiis sanctitatis ac hodierni apostolatus reapse accommodetur ». Munus erit Superiorum illam sapientibus consiliis promovere, ducente et, si necessarium fuerit, urgente Sancta Sede.

[2] Cf. PIUS XII, Alloc., 11 febr. 1958: *A.A.S.,* 50 (1958), pp. 154-155.

[3] Cf. PIUS XII, Alloc., 8 dec. 1950: *A.A.S.,* 43 (1951), pp. 33-34.

[4] Magni refert ut cuiusvis instituti religiosi patrimonium spirituale incolume permaneat, in quo praeeminet finis specialis a Fundatore intentus et ab Ecclesia approbatus. Quapropter non oportet generatim finem specialem a quo instituti structura, disciplina et complexus operum defluunt, mutare, licet in eodem prosequendo ad hodiernas exigentias attendendum sit. Quandoque tamen expedire potest ut, probante Sancta Sede, alicuius instituti specialis finis qui hodiernis rerum adiunctis nullam amplius vel parvam habeat utilitatem in novum indoli et spiritui instituti consentaneum transmutetur vel alio compleatur.

At ratio vivendi et operandi, ut dicitur in art. 13, hodiernis adiunctis congruenter aptanda est. « Plerumque enim contingit, ut legiferi patres religiosorum Institutorum novum suum excogitarent opus, quo emergentibus neque moram patientibus Ecclesiae necessitatibus vel muneribus occurrerent; itaque cum suo tempore sua exaequabant incepta. Quodsi vultis patriis insistere exemplis, eo modo quo ipsi se gesserunt, ita et vos agite. Aequalium vestrorum, inter quos vivitis, scrutamini opiniones, iudicia, mores et, si ibi particulae boni et iusti inveniantur, pretiosis hisce elementis potimini; aliter eos collustrare, iuvare, sublevare, ducere non valetis » (PIUS XII, Alloc., 8 dec. 1950: *A.A.S.,* 43 [1951], pp. 33-34).

[5] Cf. PIUS XII, Alloc., 9 dec. 1957: *A.A.S.,* 50 (1958), p. 37.

[19]

CAPUT III

DE ACCOMMODATA RENOVATIONE STATUUM PERFECTIONIS CIRCA EORUM DUPLICEM FINEM

17. [*Unio caritatis cum Deo ante omnia quaerenda*]. Nullam renovationem statuum perfectionis exspectare licet, nisi eorum sodales, gratia Dei adiuvante, finem principalem assiduo studio fortique animo consequi intendant, perfectam scilicet cum Deo unionem ac proximi dilectionem, quin aliud intentum huic altissimo fini praeponant.

Sodales eo magis proximum in Deo diligent atque pro suo statu et condicione ad servitium proximi propter Deum sese accingent quo magis Deo intime unientur. Quare vitandus est error, qui *activismus* appellari consuevit, invalescens penes nonnullos qui, vitam interiorem negligentes et orationis efficacitatem parvipendentes, inficiuntur febri illa inquieta et non raro sterili *actionis* quam vocant, speciosae magis quam efficacis.[1]

18. [*Oratio et exercitia pietatis excolantur*]. Exoptata igitur vitae religiosae renovatio, ab ipsa sodalium vita interiore proculdubio exordiri debet.

Qui vitam mere contemplativam profitentur, meminerint se Divinae Maiestatis obsequio integre et publice mancipari. Ideoque sollicite curent ut, dum impensius divino cultui vacant, mortificatione sensuum spiritualique ascesi ad intimam cum Deo unionem mentis et voluntatis in solitudine contendant,[2] atque pro eadem Ecclesia ac humano genere piacula prompto animo offerant et gratias enixe postulent.[3]

Actio autem eorum, qui apostolatus operibus incumbunt, ex abundantia vitae interioris profluere debet, orationisque spiritu fulciri, ut plenam in salute animarum obtineat fecunditatem. Igitur tam subditi apostolatus operibus dediti quam Superiores ea instituti nomine acceptantes et suis sodalibus committentes, maxime studeant eadem cum exercitiis pietatis, quibus vita interior alitur, ad normam Constitutionum congruenter componere,[4]
[20] ita ut, in omnibus vitae circumstantiis, intelligere quid sit voluntas Dei (cf. *Eph.* 5, 18) ipsumque Deum invenire valeant.

19. [*Testimonium vitae christianae*]. Statuum perfectionis sodales, speciali titulo a mundo separati, cum in nomine Christi

sint congregati (cf. *Mt.* 18, 20), coram hominibus novam fra- [20] trum societatem constituunt, tamquam civitatem supra montem positam (cf. *Mt.* 5, 15), quae aeternae civitatis Dei viventis (cf. *Hebr.* 12, 22) hic in terris figuram refert.

Proinde necesse est, ut in statum perfectionis domibus, clarum testimonium coram mundo fulgeat vitae christianae, quatenus sodales manifestius abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivant in hoc saeculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi (cf. *Tit.* 2, 12-13).

At familiae religiosae, fraterna inter suos unione solidatae, omnes populi Dei allectos et coetus caritate sua amplectantur, cum eisque veram communionem pro sua quaque vocatione quaerant in oratione, in operibus apostolatus et caritatis, in hospitalitate, in diversis auxiliis praestandis. Curent insuper ut fratribus separatis et illis qui nomine christiano non signantur, non solum sint exemplo, sed etiam cum vero amore pro posse subveniant.

20. [*De apostolatu religiosorum congruenter renovando*]. Cum permulta statuum perfectionis instituta condita et approbata fuerint ut Christum annuntient, ad Illum homines adducant, vel Christum in suis membris opere multiplici deserviant,[5] prout maternum munus Ecclesiae postulat, oportet ut eorum sodales actionem suam recte intelligant et efficaciter prosequantur quo vocationi suae ad gloriam Dei bonumque Ecclesiae fideliter respondeant.[6]

In his autem institutis, actio apostolica et benefica finis est specificus quem sodales, caritate Christi eos urgente (cf. *2 Cor.* 5, 14), ardenti studio aptisque mediis suscipere debent tamquam sanctum ministerium et opus caritatis instituti proprium ab Ecclesia commissum eiusque nomine exercendum. Ideo ordinatio vitae regularis cum apostolatus necessitatibus, ab ipsis suscepti apte componenda est, quin tamen ullum detrimentum patiatur.

Illis rationibus supernis ducta zeloque animarum promota, sodalium actio numquam cum studio et operositate mere naturali confundetur, neque intimam cum Deo unionem imprimis [21] quaerendam et congruis exercitiis fovendam impediet. Nam, si operibus vitae activae et apostolicae intuitu Dei insistant, de vita internae contemplationis nil subtrahunt, sed ei potius servitium salutiferum addunt atque in caritate crescunt, quo fit ut eorum vita ad unitatem reducatur.[7]

[21] Qui autem operibus beneficis se dedicant, ne satis habeant ea fideliter perficere, sed, quaecumque sint munera eis adimplenda, oportet eos vitae exemplo, et in quantum possibile est, etiam verbo hominibus « evangelizare investigabiles divitias Christi » (*Eph.* 3, 8).

21. [*Proprius institutorum finis sedulo serventur*]. Ut Ecclesiae bonum pro parte sua unumquodque institutum reapse promoveat, opus suum proprium, ad quod Dei Providentia natum est, fideliter compleat, atque hodiernis apostolatus necessitatibus extendere curent, mediis opportunis adhibitis. Ne autem timeant Superiores illa opera derelinquere, quae forte pro adiunctis a sodalibus assumpta sunt, sed cum instituti spiritu et germana indole minus consentanea sunt, ita ut animarum Pastoribus validius adiutorium praestare atque proprium munus in Ecclesia fructuosius exercere possit.[8]

22. [*Opera religiosorum ritus latini apud orientales*]. Religiosi ritus latini qui apud fideles orientales operam navant, ad eiusdem operae maiorem efficacitatem consequendam, in doctrina, ritu et indole eorum populorum instructi sint, atque domos vel provincias ritus orientalis prout expediat formare curent.[9]

NOTAE

[1] PIUS XII, Alloc., 11 febr. 1958: *A.A.S.*, 50 (1958), p. 158; cf. etiam IOANNES XXIII, Alloc., 25 sept. 1959: *A.A.S.*, 51 (1959), p. 707 ss.

[2] Cf. PIUS XII, *Alloc. radioph. ad Moniales*, II, 25 iulii 1958: *A.A.S.*, 50 (1958), p. 570.

[3] Cf. PIUS XII, Alloc. cit., III, 2 aug., *l. c.*, pp. 584-585.

[4] Cf. PIUS XII, Alloc., 8 dec. 1950: *A.A.S.*, 43 (1951), p. 32.

Distinctione inter vitam contemplativam canonicam et contemplationem internam theologicam de qua in articulo 6 praecedenti prae oculis habita, clare intelligitur quod etiam in institutis operibus externis apostolatus deditis, sodales qui vitae interiori spirituali primatum dare debent, etiam ad contemplationem theologicam seu internam contendant oportet
[22] et quidem non solis horis orationi dedicatis, sed in omnibus Deum et Christum semper quaerendo.

[5] Vita religiosa ut talis essentialiter ordinatur ad christianam perfectionem prosequendam, in perfecta caritate erga Deum et proximum reponendam; quare aliquem apostolatum quo proximi bonum propter Dei amorem quaeritur semper secumfert. Non autem ex hoc sequitur religiosum operibus externis apostolatus necessario dedicari, cum verus et authenticus apostolatus effective haberi possit et habeatur in solis operibus internis vitae contemplativae, quibus S. Theresia ab Infante Iesu declarari me-

ruit Patrona omnium Missionariorum (cf. S. CONGR. RITUUM, Decr. 14 dec. 1927: *A.A.S.,* 20 [1928], pp. 147-148; PIUS XII, Alloc. 8 dec. 1950: *A.A.S.,* 43 [1951], p. 32). [22]

Hunc conceptum apostolatus monastici evolvens scribebat PIUS Papa XII: « Moniales ergo omnes probe sciant ipsarum vocationem plene totamque apostolicam esse (PIUS X, Epist. ad Praepositum Gen. et universum Ordinem Fratrum Carmelitarum Excalc.: *A.A.S.,* 16 [1924], pp. 139, 142; PIUS XI, Const. Apost. *Umbratilem*: *A.A.S.,* 16 [1924], pp. 385-386-389; PIUS XII, Litt. Litt. Encycl. *Mystici Corporis*: *A.A.S.,* 35 [1943], pp. 241, 245), nullis locorum, rerum, temporum limitibus circumscriptam, sed ad omnia, semper et ubique sese porrigentem, quae aut ad Sponsi honorem aut ad animorum salutem quovis modo spectant. Haec vero universalis apostolica Monialium vocatio nulla re impedit quominus Monasteria suis precibus et totius Ecclesiae et singulorum hominum vel coetuum necessitates commendatas habeant.

Communis omnium Monialium apostolatus, quo divini Sponsi sui honorem zelare (Off. S. Theresiae Virg., die 15 oct.) et universae Ecclesiae omniumque christifidelium bonum provehere debent, his tribus praecipue veluti instrumentis utitur:

1. Exemplo christianae perfectionis; cum earum vita, licet sine verbis, alte tamen loquatur et continuo ad Christum atque ad christianam perfectionem fideles trahat, et bonos Christi milites (*Tim.* 2, 3) ad legitimum certamen ut vexillum excitet alliciatque ad coronam (*2 Tim.* 4, 8).

2. Precatione, tum publice Ecclesiae nomine, septies in die sollemniter canonicis horis ad Deum fundenda, tum etiam privatim perenniter Deo omnibus formis offerenda.

3. Devovendi se studio, ita ut afflictationibus, quae ex vita communi fidelique regulari observantia oriuntur, alia propriae abnegationis exercitia sive ex Regulis ac Constitutionibus praescripta sive prorsus voluntarie suscepta, addantur, quibus generose illa impleantur « ea quae desunt passionum Christi Iesu, pro corpore Eius, quod est Ecclesia » (*Col.* 1, 24; Const. Apost. *Sponsa Christi,* 21 nov. 1950: *A.A.S.,* 43 [1951], p. 14; cf. etiam PIUS XII, Alloc. radioph. ad Moniales, III, 2 aug. 1958: *A.A.S.,* 50 [1958], pp. 584-586).

[6] Ecclesia Religiosos exhortando ut in apostolatu sese renovent non intendit illos improperio afficere quasi hac in re valde deficientes, cum eorum apostolica operositas in universo mundo omnibus perspecta sit. Eos tamen sollicite invitat ad hanc operositatem adhuc intentiorem reddendam, prout expedit, efficacioremque faciendam sana hodiernis rationibus adaptatione atque congruenti coordinatione sive inter instituta, sive [23] cum Clero saeculari, sub generali moderamine Sacrorum Praesulum. Id inculcatur in Prooemio schematis concordati inter Commissiones de Episcopis et de Religiosis: « De rationibus inter Episcopos et Religiosos praesertim quoad apostolatus opera », sequentibus verbis:

« Nihil mirum, proinde, si Sacrorum Antistites qui quovis tempore Religiosorum opera usi sunt, potiore ratione nostra aetate cum magis ingravescat necessitas magisque animarum periclitetur salus, etiam a Reli-

[23] giosis omnibus qui perfectionem caritatis Salvatoris mundi prosequuntur, auxilium postulent.

« Hi sane, moros fructus perpetuantes quos in Ecclesia decursu saeculorum in regno Christi dilatando et animarum salute procuranda protulerunt, apostolatus operibus maiore in dies studio ac mensura, pro sua quisque condicione incumbant, sub auctoritate Sacrorum Praesulum quibus secundum divinam ordinationem animarum salus est concredita, perfecta concordia activitatisque coordinatione sive inter se sive cum Clero saeculari sedulo servata ».

[7] Ad fines institutorum status perfectionis quod attinet sequentia notare iuvabit.

Ex una parte, propria sanctificatio est vitae religiosae non solum finis generalis seu omnibus institutis perfectionis communis, sed etiam altissimus, alteri, praeter gloriam Dei, non subordinatus. Etenim, « inter omnia bona hominis Deus maxime acceptat bonum humanae animae, ut hoc sibi in sacrificium offeratur. Offerre autem debet aliquis Deo, primo quidem animam suam, secundum illud: « Miserere animae tuae, placens Dei » (*Ecc.* 30, 4); secundo autem animae aliorum » (S. THOMAS, *Summa Theol.,* IIª-IIªᵉ, q. 182, a. 2, ad 3; cf. etiam supra pag. 14 nota 14).

Ex altera parte, proximo apostolatus operibus subvenire est, in institutis vitae activae, authenticus quoque finis, qui propter determinatum operum genus assumptum peculiaremque rationem illa exercendi, cuique eorum fit finis specialis ac proprius a Conditore directe quaesitus.

Opera vero misericordiae et caritatis, sicut et ipsa iuventutis eruditio christiana, non sunt mere subsidiaria sed propria ipsius Ecclesiae quae eorumdem assumptionem et exercitium legibus suis ordinat et promovet (cf. *C.I.C.*: pro operibus caritatis, can. 1489; pro scholis catholicis, cann. 1375, 1376 et 1379). Ideo, ab Institutis perfectionis tamquam finis specialis rite assumi possunt et assumuntur. Ne timeant igitur religiosi, quisque pro sua peculiari vocatione, huiusmodi operibus apostolatus ex animo se dedicare et superimpendere, dummodo motivis vere supernaturalibus moti ac semper ducti, ut Deum scilicet in proximo inserviant et proximum ad Deum serviendum adducant. « Est perfectae caritatis ut aliquis propter Dei amorem praetermittat dulcedinem contemplativae vitae, quam magis amaret, et accipiat activae vitae occupationes ad procurandam proximorum salutem » (S. THOMAS, *Quodl.* I, a. 14, ad 2; cf. etiam IIª-IIªᵉ, q. 182, a. 1, ad 3; q. 188, a. 2 ad 1). Neque obliviscantur in operibus externis apostolatus vacandis validum praebere testimonium evangelicum tum conspicuo propriae vitae sanctificatae exemplo, tum etiam verbis ex sua interna contemplatione divina conceptis sapientique
[24] consilio prolatis. Ita agendo, non solum perfectam in Deum caritatem fructuose exercebunt, sed ex ipsis caritatis externis effusionibus in proximum propria eorum interna vita illuminationem fidei vivae ac robur accipiet.

[8] In quaestione tractanda de religiosorum apostolatu caute attendenda est hierarchia operum secundum indolem cuiusque instituti eiusque finis specialis, ne omnes sodales ad omnia opera indiscriminatim vocentur et applicentur cum detrimento institutorum ipsiusque apostolatus in

Ecclesia. Sane, omnes religiosi tenentur, ut iam dictum est, ad aliquem apostolatum ex ipsa lege perfectae caritatis quam professi sunt prosequendam, quae simul est Dei et proximi propter Deum amor. Sed apostolatus exercetur sive operibus mere internis vitae contemplativae (cf. supra, nota 5), sive operibus externis quibus instituta specialiter dedicantur. Propterea, etsi hodie exercitium operum externorum apostolatus sit augendum, vita contemplativa tamen, quae ad apostolatum modo suo cooperatur, omnino praeservanda est, ut statuitur in articulo 6 praesentis schematis. [24]

Insuper, in institutis vitae activae, apostolatus est exercendus imprimis istis operibus quae sunt cuique eorum propria, ut recte inculcatur in schemate concordato inter Commissiones de Episcopis et de Religiosis; « De rationibus inter Episcopos et Religiosos praesertim quoad apostolatus opera », sequentibus verbis:

« Opera cuiusque instituti propria, quae, scilicet, probante Apostolica Sede, sive ab ipsa fundatione, sive ob venerandas traditiones assumpta et inde Constitutionibus aliisque propriis instituti legibus definita et ordinata sunt, Religiosi sedulo promoveant, peculiari ratione spiritualium necessitatum dioecesium et servata cum Clero saeculari et cum aliis institutis similia opera exercentibus fraterna concordia.

« Etenim, instituta statuum perfectionis merito censentur, una cum ecclesiastica approbatione, munus accepisse opera propria in Ecclesia, servatis servandis, promovendi. Quare, etiam Ordinarii locorum opera institutorum propria utpote in bonum animarum tum Ecclesiae universae, tum ipsius dioeceseos ordinata, libenter foveant ac tueantur ».

De Religiosorum operibus apostolatus coordinandis et sub moderamine Sacrorum Praesulum exercendis copiose tractat schema concordatum supra citatum « De rationibus inter Episcopos et Religiosos praesertim quoad apostolatus opera ».

[9] De coordinatione apostolatus Religiosorum ritus Latini inter fideles ritus orientalis agit etiam schema citatum « De rationibus inter Episcopos et Religiosos praesertim quoad apostolatus opera ».

Caput IV [25]

DE ACCOMMODATA RENOVATIONE IN OBSERVANTIA VOTORUM

23. [*De paupertate individuali*]. Sodales religiosi sese renovent in observantia paupertatis quam professi sunt, ita ut, a sollicitudine bonorum et commoditatum temporalium expediti, Deo et animarum saluti totos se devoveant. Eorum enim abdicatio rerum temporalium ad hoc tendat oportet, ut Patris caelestis providentiae sese committant, Christi exinanitionem imitentur atque spe futurorum bonorum innixi, illam paupertatem in

[25] spiritu a Christo exaltatam consequantur. Qui autem sine proprio vivunt, praeclaram referunt imaginem illius vitae fraternae Christifidelium, qui in primordiis Ecclesiae « erant pariter et habebant omnia communia » (*Act.* 2, 44) necnon redemptorum fraternitatem manifestant vitamque familiae Dei futuram annuntiant, in qua filiis unius Patris omnia erunt communia.

Quapropter, meminerint ad veram paupertatem religiosam non sufficere dependentiam a Superioribus in usu bonorum, sed ipsi religiosi cupidinem rerum temporalium excutientes a Superioribus suis illa tantum petant, quibus ipsi vel apostolatus opera vere indigeant. Ideoque expensas temperent, instrumenta non necessaria, commoditates, oblectamenta, pro facultate arceant.

Superiores autem, prudenti iudicio et ad normam Constitutionum, necessaria vel opportuna suis subditis libenter quidem concedant; illa tamen eis ne permittant quae paupertati adversantur vel sunt minus congrua. Ipsi vero exemplum paupertatis subditis praebeant.

24. [*De paupertate collectiva*]. Instituta religiosa, salvis Regulis et Constitutionibus, in communi possidere valent. Illorum tamen bona temporalia habeantur etiam tamquam Ecclesiae patrimonium sacrum quo bono Ecclesiae et necessitatibus indigentium subveniatur. Exemplum Domini sectantes, religiosi singulari caritate pauperes et humiles diligant atque, servatis iuris praescriptis, libenter ac liberaliter illis auxilium praestent.

[26] Qua de causa Instituta luxum et immoderatam bonorum cumulationem devitent, et si quae ipsis institutis eorumque operibus necessaria non sint, aliis operibus in Ecclesia et pauperibus destinentur.

Spiritus paupertatis in vita quoque ipsius communitatis eluceat. Ideo in domibus religiosis aedificandis et exornandis curandum est ut indolem religiosae paupertatis, speciatim ad habitationem ipsorum religiosorum quod attinet, praeseferant.

25. [*De castitate*]. Castitas perfecta, quae « propter regnum caelorum » (*Mt.* 19, 12) eligitur, ab omnibus tamquam magnum donum aestimanda est. Illi enim qui eam profitentur Christo configurantur, ad assequendum perfectum erga Deum amorem intimioremque cum eo conversationem disponuntur, aptioresque fiunt ut fratribus liberius ministrent ac eos in regnum caelorum conducant.

Qui ergo huius gratiae participes facti sunt, exemplo casti-

tatis perfectae atque caritatis in dies abundantiore erga Deum [26] et proximum, in memoriam omnium fidelium mirabile illud evocant connubium a Deo conditum et in futuro saeculo plene manifestandum, quo Ecclesia unicum Sponsum Christum habet (cf. *2 Cor.* 11, 2).

Sed quia haec virtus arduam adversus carnem exigit pugnam atque permultis obnoxia est periculis, nemo de propriis viribus temere praesumat, sed unusquisque ad eam tuendam perfectiusque possidendam imprimis innitatur auxiliis Dei, quae praesertim per sacramentorum usum, pietatem erga Beatam Mariam Virginem, humilem ac perseverantem orationem obtinentur. Illis adiungantur ascetica quoque adiumenta, quorum praecipua sunt: sedula sensuum et cordis custodia, vitaeque asperitas, qua mortificationem Christi Iesu in corpore nostro circumferimus (cf. *2 Cor.* 4, 10). Nec obliviscantur media etiam naturalia, quibus corporis et animae harmonia servatur.

Nemo autem est qui non videat externas condiciones aetatis nostrae observantiam perfectae castitatis difficiliorem reddere. Qua de causa viri ac mulieres Deo consecrati mentem suam sedulo praeservent ab effatis, ubique diffusis, illorum qui asserunt castitatem perfectam possibilem non esse vel plenae hominis maturitati capiendae officere. Ad quae omnia respuenda, ipsius Christi Dei verba, per fidem accepta, in corde suo conservent.

Sed etiam necesse est, ut quicumque evangelicam perfectionem prosequitur, sese ab hoc mundo retrahat et secernat: re qui- [27] dem secundum ea quae requirit propria vocatio vel apostolatus; affectu autem penitus, secundum verba Apostoli: « mihi mundus crucifixus est et ego mundo » (*Gal.* 6, 14). Hoc autem non impedit quominus religiosi qui externo apostolatui vacant, necessarium vel utile cum personis saecularibus commercium habeant, ne muneri suo implendo impares inveniantur.[1]

Caveant tamen religiosi sodales ne, formationis vel apostolatus praetextu, illis mundanis indulgeant rebus quae castitatem in discrimen adducere possunt.

26. [*De oboedientia*]. Religiosa oboedientia in ea consistit subiectione, qua sodalis, holocausto suae voluntatis Deo libere oblato, Superioribus suis, vices Dei gerentibus, humile pro amore Christi praestat obsequium in omnibus quae ad normam Regulae et Constitutionum praecipiuntur.

Voluntatem suam ita subiiciens, sodalis eam voluntati divi-

[27] nae plus in dies conformat atque in virtute crescit oboedientiae, quae influxu suo totam religiosorum vitam pervadere debet. Radix enim evangelica consilii oboedientiae invenitur in illa universali amoreque plena subiectione Christi suo Patri caelesti, cuius voluntas fuit Ei cibus (cf. *Io.* 4, 34) et Cui factus est « oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis » (*Phil.* 2, 8). Ita religiosus totam suam voluntatem Deo offert Illique per manus Superiorum reapse tradit.

Quapropter omnia instituta spiritu oboedientiae evangelicae excellere oportet, ita ut revera sint scholae perfectionis, sodales suos bonos Christi milites reddant (cf. *2 Tim.* 2, 3) humileque Ecclesiae servitium pro suo cuiusque munere praestent.

Ideo, etiam si nostro tempore sodalibus institutorum operibus apostolatus et beneficientiae deditorum ob eorum difficiliora munera maior possibilitas sit decidendi et agendi, tamen admitti non potest illa oboedientiae ratio, secundum quam, simplici submissione erga Superiorem praecipientem posthabita, subdito liceret, cum eo de agendis quasi disceptare, donec uterque in idem placitum consentiat.[2]

Attamen si quid subdito forte occurrat a Superioris sententia discrepans, consulto suppliciter Domino, id superiori exponat, ita tamen ut paratus sit ad accipiendum quod ipse tandem statuerit.

Haec supernaturalis oboedientia minime habenda est tam-
[28] quam mera et externa iussionum Superioris exsecutio, neque animum puerilem servilemque gignere debet. E contra, vir recte oboediens, per ipsam oboedientiam vires suas in servitium Dei ordinat atque omnibus suis facultatibus convenienter evolutis utitur ut iussa cum iniuncti officii conscientia exsequatur.

27. [*De Superiorum auctoritatis exercitio*]. Superiorum auctoritas uti servitium seu ministerium exerceatur in bonum Ecclesiae, instituti et singulorum sodalium, in spiritu humilis obsequii erga Deum, a quo omnis potestas profluit, et erga Ecclesiam a qua potestas participatur, atque submissionis erga ipsius religionis leges et normas.

Meminerint Superiores se officium habere, non tantum per exhortationes et consilia, sed etiam per iussiones communitatem et sodales singulos ad finem eisdem praestitutum efficaciter ducendi. Subditos suos plurimi facientes, cum humilitate et vera dilectione firmiter et paterne eos regere curent, ita ut ipsi ad oboediendum suaviter alliciantur, subditorum rationes ac proposita

libenter audiant atque in praecipiendo attendant etiam ad personales eorum dotes et indolem, ut ex actuosa oboedientia deriventur uberiores fructus ad maiorem Dei gloriam et proximi bonum. [28]

28. [*De duratione Superiorum in munere*]. Firmis peculiaribus statutis a S. Sede probatis, Antistites, praesertim in mulierum institutis, ne diutius in officio confirmentur sive in eadem sive in alia domo vel provincia, sed absoluta periodo legibus statuta, in subditorum condicione saltem per triennium maneant. Mutationes enim opportune factae maxime conferunt ad bonum totius instituti, ad suavitatem regiminis et ad spiritualem ipsorum sodalium profectum.

29. [*De accessione ad vota sollemnia*]. Firmis manentibus normis, quae Moniales vitae contemplativae respiciunt, sodales Congregationum quae id petant vota sollemnia, iudicio Sanctae Sedis, emittere valent, quin eo ipso fiant exempti ac clausurae papali officioque chori adstringantur. Hoc quidem eo consilio fit, ut religiosi rebus temporalibus radicitus renuntient et perfectius Deo consecrentur, quin exinde impediantur quominus ad opera apostolatus expedite incumbant.[3]

NOTAE [29]

[1] Segregatio a mundo professione perfectionis christianae imposita non est tantum a *maligno* quod est in mundo, sed etiam ab honesto, cuius usus etsi divinae caritati non contrarius, exercitium tamen perfectae caritatis impedire potest et sic ipsi perfectioni prosequendae obstare. En ratio qua religiosus ipsi mundo honesto, immo et propriae familiae carnali aliisque saecularibus conversationibus, ut Deo liberius fruatur, generoso animo valedicit (cf. S. THOMAS, *Summa Theol.,* II^{a}-II^{ae}, q. 184, a. 5; q. 188, a. 2 ad 3).

[2] Cf. PIUS XII, Alloc. ad PP. Iesuitas, 10 sept. 1957: *A.A.S.,* 49 (1957), pp. 807-808.

[3] Accessio ad vota sollemnia a multis Congregationibus, praesertim mulierum, expetitur a Sancta Sede, ad pleniorem authenticam sodalium consecrationem coram Deo et Ecclesia consequendam, quam tamen quisque pro sua generositate ex animo intime iam perficere valet. Cum haec professio sollemnis necessario non secumferat clausuram papalem, sodales illam emittentes operibus apostolatus externis secundum proprias Constitutiones sine impedimento vacare valebunt.

[30] CAPUT V

DE VITA IN COMMUNI DUCENDA

30. [*De vita in communi caritatis spiritu imbuenda*]. Vita in communi ducenda testimonium caritatis primaevae Ecclesiae, qua omnes erant « unum et anima una » (*Act.* 4, 32), exprimere pergat.

Moderatores et Antistitae tamquam patres vel matres erga sodales sese gerant; hi autem spiritu filiali erga Superiores animentur atque fraterna unione et communi conspiratione inter se devinciantur.

Fraternae caritatis sensus ne intermittantur, tunc etiam cum quis sodalis ab instituto discesserit.

31. [*De diversis condicionum sodalium in communitate*]. Spiritu familiae afflante, nonobstante condicionum dissimilitudine, intimius erit inter sodales vinculum fraternae unitatis, et religiosi qui conversi vel alio nomine vocantur vitae et communitatis operibus facilius coniungentur; si autem rerum adiuncta id suadeant, in institutis mulierum, ad unitatem classium deveniri poterit.

32. [*De clericis et laicis pari ratione instituto adscriptis*]. Nihil impedit quominus, uti antiqua et hodierna exempla comprobant, monasteria et instituta habeantur quibus pari ratione clerici et laici adscribuntur, salvis iuribus ordinationis sacrae vel praescriptis Constitutionum.

[31] CAPUT VI

DE HABITU RELIGIOSO

33. [*De honore habitui religioso debito*]. Habitus religiosus, sive virorum sive mulierum, cum personae consecrationem, separationem a mundo et vitae sanctitatem significet, ut quid sacrum fideliter et digne est deferendus atque ab omnibus in honore habendus.

34. [*Qualitates habitus religiosi*]. Sit autem simplex ac modestus, pauper simul et decens, valetudinis postulatis consenta-

neus et temporum locorumque adiunctis necnon ministerii neces- [31]
sitatibus accommodatus.

Etiam habitus iam existentes, si his normis, iudicio Sanctae Sedis, non congruant, immutandi sunt.

35. [*Obligatio deferendi habitum religiosum*]. Religiosi generali obligatione tenentur sui instituti habitum tum intra tum extra domum deferendi, nisi salvo iure Ordinariorum locorum, Superiores Maiores gravi de causa de habitu extra domum gerendo aliter statuerint.[1]

NOTA

[1] Iure vigente, Ordinarius loci facultatem non habet Religiosis clericis imponendi habitum Cleri saecularis, et multo minus aliis Religiosis prohibendi proprium habitum. Etenim, Religiosis omnibus specialis datur obligatio « proprium suae religionis habitum (deferendi) tum intra tum extra domum, nisi gravis causa excuset, iudicio Superioris maioris aut, urgente necessitate, etiam localis » (can. 596, *C.I.C.*; can. 139 *C.I.C.O., de Religiosis*). Haec specifica obligatio omnino independens est ab illa simili Clericis saecularibus vi canonis 136 Codicis Iuris Canonici imposita deferendi habitum ecclesiasticum, « secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta ».

Dum ergo Ordinarius loci ex canone 136 facultatem habet habitum ecclesiasticum definiendi pro Clero saeculari, facultate caret mutandi habitum religiosorum vel ipsis proprium habitum prohibendi extra domum. Ubi autem vestis talaris a Clero saeculari deponitur, id fieri potest ob
duo motiva valde diversa: vel propter aliquam *intolerantiam* ex parte [32]
Gubernii civilis vel morum populi, et tunc sine difficultate Religiosi uniformitati sese conformare deberent, ne gravia incommoda ex praxi contraria obveniant in dioecesi. E contra si depositio vestis talaris fiat solummodo ob maiorem *commoditatem rei,* irrationabile esset, ratione uniformitatis servandae, ad hanc praxim Religiosos cogere illosque impedire quominus publicum praebeant testimonium terrestribus renuntiationis quam habitus religiosus significat.

Caput VII [33]

DE SODALIUM INSTITUTIONE

36. [*De alumnorum institutionis necessitate*]. Institutorum status perfectionis accommodata renovatio, quam vigilans Mater Ecclesia tantopere exoptat, maxime pendet ab illa integra aptaque alumnorum institutione, qua ipsi, a primis vocationis germinibus, assidua cura congruentique ratione instruuntur, educan-

[33] tur et exercentur, tum ad vitam religiosam flagranti perseverantique animo ducendam, tum ad opera instituti, pro cuiusque condicione, supernaturali cum zelo rite ac fructuose explenda.[1]

Quapropter, Superiores institutorum status perfectionis, sive virorum sive mulierum, gravi officio conscientiae tenentur curandi ut candidati, novitii necnon professi, pro instituti indole aptam atque undequaque completam per praescriptum tempus recipiant institutionem, ad illam quidem excellentiam adducendam quam peculiaris statuum perfectionis dignitas eorumque in Mystico Christi Corpore munere exigunt.[2]

37. [*Institutio novitiorum*]. Etiam noviciorum institutio hodiernis tam internis quam externis necessitatibus accommodetur. Curent autem Magistri ut, non solum germina vitiorum et defectus gradatim exstirpentur, sed etiam alumnorum indoles atque naturales et supernaturales virtutes quam maxime in bonum efflorescant et perficiantur.

38. [*De sodalium institutione post noviciatum protrahenda*].

Institutio sodalium post noviciatum seu prima formalem probationem ulterius ita protrahenda est, ut eorum vocationis postulatis, quoad perfectionem adquirendam et apostolatum exercendum, plane respondeat.

Diligenter curent Moderatores ut, quoad instructionem sodalium clericorum in scientiis ecclesiasticis et eorum praeparationem ad apostolatum, fideliter serventur normae a Sancta Sede datae.

Cum munus religiosis laicis et mulieribus in Ecclesia concreditum magis in dies apostolatui clericorum ipsos adsociet, urgenda
[34] est plenior eorum institutio. Quapropter sodales non clerici et religiosae immediate post noviciatum, etiam duorum annorum, operibus apostolatus ne destinentur; sed eorum religiosa institutio ad instar sodalium clericorum, congruis congrua referendo, in aptis domibus et convenienti disciplina ordinetur.

Progrediatur autem illa institutio una cum formatione doctrinali (etiam, quantum fieri potest, theologica) necnon apostolica et technica, titulis qui eorum peritiae sint documenta pro rei opportunitate obtentis, ut apti ad futura munia rite explenda reddantur.

Per totam autem vitam hi sodales intendant hanc culturam spiritualem doctrinalem et technicam sedulo perficere et Moderatores, pro viribus opportunitatem, adiumenta et tempus ad hoc eis procurent.

39. [*Immediata praeparatio spiritualis ad definitivam cooptationem*]. [34] Ad perpetuam seu definitivam cooptationem sodales immediate parentur speciali recollectione, ad modum renovati noviciatus congruenti tempore protrahenda.

40. [*De ultima perfectione institutionis alumnorum*]. Ad personalis sanctitatis atque apostolatus uberiores fructus adipiscendos sodales, sive viri sive mulieres, aliquam ultimam institutionem recipiant, quae sit veluti totius formationis complementum et confirmatio.

NOTAE

[1] Cf. Pius X, Epist. Apost. *ad Gen. Mag. O.P.,* 4 aug. 1913: *A.A.S.,* 5 (1913), pp. 388-389.

[2] Pius XII, Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* Statuta adnexa, art. 1°.

Caput VIII [35]

DE COORDINATIONE INTER INSTITUTA

41. [*Coordinatio inter instituta affinia*]. Sacra Synodus, exempla institutorum quae foederibus fraternis iam sociari coeperunt plene comprobans, cetera hortatur, ut pro eorum gradu affinitatis et rei opportunitate, arctiores inter se uniones sub ductu Sanctae Sedis promoveant, fine et spiritu cuique propriis fideliter servatis.

42. [*Coordinatio institutorum eiusdem generis operum*]. Instituta iisdem aut similibus operibus externis dedita, etsi indole diversa, opportune, servatis servandis et, si de apostolatu agitur, consultis pro negotiorum natura Sancta Sede vel locorum Ordinariis, consociari possunt, saltem intra regionis vel nationis limites, quo mutuum adiutorium idque valde proficuum, sibi praestare valeant, praesertim in sodalibus ad opera explenda rite instituendis ipsisque operibus maiore cum facilitate et fructu exercendis.

43. [*Foederatio et confoederatio monasteriorum sui iuris*]. Monasteriis sui iuris eiusdem familiae religiosae commendatur ut, ubi id profuturum praevidebitur, in foederationes et confoederationes coalescere studeant, non solum ad spiritum primaevum Ordinis servandum, verum etiam ad fraternum sibi mutuo praestandum adiutorium, tam in regularis observantiae conservatione,

[35] tutela, incremento rebusque oeconomicis, quam in omnibus aliis.

Hae confoederationes et foederationes regantur statutis a Sede Apostolica approbatis.

44. [*De Superiorum Maiorum conferentiis*]. Omnia vero instituta, etiamsi nullam peculiarem inter se affinitatem praeseferant, per conferentias seu consilia Superiorum Maiorum utiliter sociantur ad finem singulorum institutorum plenius assequendum, ad efficaciorem conspirationem fovendam in bonum Ecclesiae, ad evangelii operarios in determinato territorio aequiore modo di-
[36] stribuendos necnon ad communia religiosorum negotia tractanda.[1]

Regantur autem Statutis a S. Sede approbatis, a qua directe dependent.

45. [*De unione institutorum similium*]. Sacra Synodus valde commendat ut familiae religiosae quae similes fere habent Constitutiones et usus eodemque spiritu animantur, praesertim si ex parvo membrorum numero constent, ad quamdam unitatem reducantur, quatenus iudicio Sanctae Sedis id expedire videatur.

46. [*De languescentibus institutis*]. Instituta languescentia quae, iudicio Sanctae Sedis, nullam amplius praebeant fundatam spem incrementi, prohibeantur ne in posterum novicios recipiant et, si fieri potest, alio instituto vegetiori, quod fine et spiritu haud multum differat, uniantur, ne detrimentum pati pergant animae Deo sacratae.

Idem servetur pro monasteriis sui iuris, quorum deterior condicio nec per foederationem nec alio modo sublevari possit.

47. [*De novis institutis condendis*]. In novis institutis promovendis et erigendis, necessitas vel saltem magna utilitas necnon incrementi possibilitas serio ponderandae sunt, ne incaute oriantur instituta inutilia aut sufficienti vigore destituta.

48. [*De institutis iuris dioecesani ad gradum iuris pontificii evehendis*]. Tempestive provideatur ut religiones, societates vitae communis sine votis necnon instituta saecularia iuris dioecesani, cum primum condiciones ad pontificiam approbationem consequendam praescriptas obtinuerint, eam sollicita cura implorent.

NOTA [36]

[1] In schemate concordato a Commissionibus de Episcopis et de Religiosis: « De rationibus inter Episcopos et Religiosos praesertim quoad apostolatus opera », circa relationes inter Conferentias Episcoporum et Conferentias Superiorum Maiorum, haec habentur: « Conferentiae Superiorum Maiorum in pluribus nationibus erectae hanc institutorum coordinationem in apostolatu pro sua parte promoveant, habita ratione eorum quae ab Episcopis circa apostolatum statuta fuerint ».

Caput IX [37]

DE VOCATIONIBUS RELIGIOSIS FOVENDIS

49. [*De vocatione religiosa quae est donum Dei fovenda*]. Vocatio ad statum perfectionis evangelicae, quae ex recta intentione simul cum idoneitate discernitur, habenda est tamquam excellens donum a Deo largiter collatum, quod Ecclesiae magnum fructum ac decorem affert. Variae sunt formae huius status ab Ecclesia recognitae, ita ut christifideles illum facilius, pro sua quisque indole, ingredi valeant.

Quapropter a via consiliorum minime avertantur qui eam ingredi cupiunt. Sacerdotes educatoresque christiani curent, ut eam prudenter iudicent, immo seria conamina adhibeant ut vocationibus religiosis novum detur incrementum Ecclesiae necessitatibus plane respondens. Etiam in praedicatione ordinaria, qui curam animarum gerunt saepius de consiliis evangelicis et de statu religioso amplectendo agant. Valde autem commendatur parentibus ut christianis moribus educando suos filios vocationem religiosam in cordibus eorum excolant et tueantur.

50. [*De religiosis vocationibus colligendis*]. Institutis fas esto sui notitiam, ut vocationes foveant, divulgare, atque candidatos colligere, dummodo hoc cum debita prudentia et iuxta normas a S. Sede traditas fiat.

Candidati autem ad vitam religiosam ne admittantur, nisi accurate delecti sint. Cavendum est ne immoderatus conatus augendi sodalium numerum eorum qualitati detrimento sit, vel illi recipiantur qui divinae vocationis signa vel saltem seria indicia non praebeant.

Finis et natura huius status, et simul indoles ac spiritus pro-

[37] prii instituti ipsis clare inde ab initio, modo tamen cuiusque captui accommodato, proponenda sunt.

51. [*De vocatione religiosa fideliter prosequenda*]. Monendi sunt illi, quorum vocatio ad statum perfectionis sufficienter comperta est, ut eam generose sequantur atque, Dei adiutorio innixi, in ea fideliter perseverent.

[38]

VOTUM

52. [*Facultates Moderatorum Supremorum*]. Opportunum censetur ut in institutorum status perfectionis utilitatem, conferantur Moderatoribus Supremis facultates ad quaedam negotia expedienda, ne frequentiores ad S. Sedem recursus habeantur.[1]

NOTA

[1] De aliquo *directorio* a Sancta Sede pro Religiosis conficiendo nihil dicitur in schemate, quia de eius utilitate valde dubitandum est dum maxima certo esset difficultas in illo conficiendo.

Etenim, secus ac dioeceses, singula instituta religiosa proprias ac multiplices habent leges et normas quibus praescripta generaliora et communia sibi in particulari applicantur. Sic habent Constitutiones ab auctoritate ecclesiastica approbatas quae leges communes Ecclesiae religiosos spectantes pro singulis institutis definiunt. Insuper habent sua directoria ad normam Constitutionum confecta quibus earumdem applicationi in variis adiunctis consulitur: sive directoria generalia, pro universo instituto; sive particularia pro singulis provinciis vel regionibus; sive specialia pro diversis activitatibus et officiis, scilicet, directorium administrativum, directorium Capitulorum, domorum, speciatim formationis nempe, scholae apostolicae, noviciatus et seminarii, necnon directorium operum et praecipuorum officiorum. Haec omnia complementum accipiunt a sic dictis consuetudinariis. Quid vero plus afferre posset aliquod directorium universale omnibus institutis commune!

Ex alia parte, maxima esset difficultas in huiusmodi directorio universali conficiendo. Ipsum enim ad particularia descendere deberet, ne mera legum repetitio sit easque, e contra, concretis adiunctis singulorum institutorum effective applicet: secus omni utilitate careret, immo indolem directorii vix retineret. Sed tunc fere impossibile videtur ad huiusmodi legum concretas applicationes descendere quae simul omnibus institutis, inter se valde diversis, vere conveniant nulloque eorum contradicant!

De cetero expectanda est nova Iuris Canonici codificatio ad cuius rationem omnes Constitutiones et directoria emendanda erunt.

II

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA PROPOSITIONUM DE RELIGIOSIS *

1

EM.MUS P. D. PETRUS TATSUO CARD. DOI
Archiepiscopus Tokiensis

In pag. 6, lin. 5: post « afferunt » addatur: « simulque secundum propriam rationem ad dilatationem Regni Dei conferunt ». *Ratio*: etiam Ordines contemplativi habent munus missionarium et debent manere conscii eiusdem.

In pag. 7, lin. 13: post « Sanctae Sedis », addatur: « ratione habita voti Conferentiarum Episcopalium ». *Ratio*: habitus religiosus diiudicandus est secundum diversas condiciones in variis gentibus.

Nomine omnium episcoporum Iaponiae.

2

EM.MUS P. D. PAULUS M. CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Hoc schema, nimis contractum, non vitat quasdam confusiones quae, fateor, generaliter profitentur.

1. Cur definitur status religiosus e practica triorum consiliorum, nempe castitatis, paupertatis, obedientiae? Nam sunt alia quam ista consilia evangelica.

2. Distinctio, modo iuridico et nimis fortiter allata, inter vitam contemplativam et vitam activam enervat conceptum vitae religiosae etiamque christianae. Haec systematizatio non in Evangelio neque in historia plene fundatur. Praeterea clausura monialium videtur modo strictiori quam clausura monachorum regi, et sine vera ac rationabili causa. Num ad episcopos alicuius regionis, ratione habita postulationis superiorum religiosorum, quoque pro feminis, debeat referri quaestio habitus? De hac accommodatione maiorem competentiam habent pastores locales.

Quoad vocationem religiosam commendatio in n. 19 posset latius explanare condiciones morales, psychologicas et etiam physicas de quibus prudenter ratio habenda est.

---

* Cf. pag. 85.

3

REV.MUS P. D. IACOBUS ALBERIONE
Superior generalis S.S.P.

Pag. 5, n. 2, lin. 4: « ... hodiernis sodalium condicionibus physicis et *psychicis...* ». Tollerem verbum « psychicis » quia videtur insinuare animam religiosorum mutationibus obnoxiam iri ».

N. 2, lin. 7. Tollerem totum comma: « Quapropter ... usque ad finem ». Haec enim recognitio certo certius facienda est post revisionem actualis Codicis, sicuti fecerunt fere omnes religiosi post promulgationem Codicis Iuris Canonici anno 1917.

N. 3. Auferrem totam hanc periodum ad libertatem relinquendam sive Apostolicae Sedi, sive Institutis religiosis circa modum obtinendi hanc renovationem vel accommodationem.

Pag. 6, n. 7: « Religiosi sese renovent in oboedientia, castitate et paupertate... ». Non intellego quomodo loqui possit de *renovatione* in virtutibus.

N. 8, lin. 4: « Congregationes religiosae suis Constitutionibus permittere possunt ut sodales bonis patrimonialibus acquisitis vel acquirendis renuntient ».

Hoc mihi videtur pertinere ad novum Codicem Iuris Canonici.

Pag. 7, n. 11. Tota periodus revidenda est quia non videtur congruere cum latina grammatica.

4

EXC.MUS P. D. LEOPOLDUS BRELLINGER
Episcopus Chimscienensis

De exemptione nihil habetur in hoc schemate (nisi forte pag. 7, n. 15?); sed plura practica in schemate *de pastorali episcoporum munere,* pag. 19, praesertim pag. 20, lin. 10, ubi agitur de cooperatione religiosorum in cura animarum.

Corrigenda. Pag. 7: nullus n. 13, n. autem 14 bis.

5

EXC.MUS P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES
Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Hoc schema placet iuxta modum.

Pag. 5, lin. 4. Multum officere potest instituta saecularia inter « Religiosos » adnumerare, cum ad minus tunc « status religiosus » aliter ac in I. C. can. 487 definiri debeat.

In Gallia enim, maior pars eorum qui institutis saecularibus adscripti sunt seipsos non ut religiosos in mundo degentes sed velut laicos qui Deo laicalem vitam consecraverint, existimant. Quibus inter religiosos adnumeratis, priori indulgetur sententiae cuius asseclae sunt instituta quaedam sicut et plures canonistae, cum altera ad hodiernas necessitates melius respondere videatur. « Laicismo » insuper favetur qui saecularibus institutis exceptivas leges imponere cona-

tur quae religiosos mulctant: v. g. repulsa a ministeriorum status officiis etc. qua de re non pauci iam pervulgati sunt articuli. Quam ob rem etiam horum membrorum praesentia et activitates impediuntur in regionibus quibusdam non christianis et praesertim quae communistarum regimine subduntur. Si consensus de altero titulo obtineri nequiverit, nulla de institutis saecularibus fiat mentio. Propono: « De iis consilia evangelica profitentibus ».

N. 4. Haec propositio post primam vel cum ipsa intexta est ponenda.

Nn. 5-6. Utrum religiosi inter « activos » et « contemplativos » secundum rerum veritatem dividantur? Instituta enim sunt « vitae mixtae » dedita. Quanam insuper categoria recentia velut « Les Petits Frères » vel « Les Petites Sœurs de Jésus » adscribas?

N. 6, linn. 12-14. Lineae aliquantulum obscurae sic mutentur: « Actio autem apostolica ex intima cum Deo unione *procedens, caritatem ipsam* erga Deum et proximum *fovet et auget* ».

N. 8, linn. 23-24. Omnino consentio quod insuper religiosi permulti postulant.

N. 9. Magis mihi placebat prioris schematis articulus 24 ad quem propositio haec refertur.

N. 11, linn. 4-6. Pro monialibus vitae unice contemplativae, clausurae lex penitus mutanda; convenit enim, saltem in Gallia, crates, vela, tornum (tour), « tertiam » in collocutorio (la tierce au parloir), tintinnabulum, artificibus in clausuram introeuntibus, pulsandum, etc. Omnia haec revisenda.

Formula « iuxta temporum locorumque conditiones accommodata », post « clausura firma manente » posita, mutationem non inducit sufficientem. Dicatur potius: « Clausura papalis monialibus vitae unice contemplativae servatur; sed mutanda iuxta temporum locorumque conditiones erit ».

6

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS FRANIĆ

Episcopus Spalatensis et Makarskensis

Proposuerim ut ad pag. 7, lin. 8 adderetur: « Congruit quoque ut instituta vitae activae habeant speciales domus, praesertim instituta quae maiori numero membrorum pollent, in quibus quaedam membra sub ductu gratiae Spiritus Sancti possint vitam ducere contemplativam sive stabilem sive ad tempus, cum clausura papali et secundum regulas proprias, in spiritu Instituti proprii ». *Ratio* est: ita illa nimia divisio inter instituta contemplativa et activa minueretur et demonstraretur clarius magnum momentum vitae contemplativae prae activa. Insuper occasio daretur omnibus sodalibus religiosis ducendi, saltem ad tempus, vitam contemplativam.

Mihi videntur ita fecisse magni illi monachi, utpote ipse s. Bruno et s. Franciscus Assisiensis, qui vitam contemplativam cum activa temperabant.

7

REV.MUS P. D. IOANNES B. JANSSENS

Praepositus generalis S.I.

Quamvis improbo labore et abnegatione confectum, non placet hoc schema: « accentum » ponit ubi non est ponendum, non ponit ubi est ponendum.

Conferatur quaeso allocutio habita a Paulo VI die 23 maii huius anni ad nonnulla Capitula generalia Religiosorum (*L'Osservatore Romano,* 24 maii 1964). Summus Pontifex perbene insistit in colendis virtutibus essentialibus Religiosorum, nec tamen omittit allusiones ad « renovationem » opportunam.

Quantum audivi a non paucis Superioribus virorum, et ipse in proprio Ordine expertus sum, multi praesertim inter iuniores Religiosos prospectant « renovationem » quae imprimis consisteret in relaxata disciplina et austeritate, in « renovanda » obedientia, quae nonnisi per modum conventionis inter subditum et Superiorem procederet, in renovanda paupertate, quae omnia commoda huius aetatis a saecularibus mutuaret; in relaxandis praesidiis castitatis, dum omnia videre, legere, audire liceret.

Inde timeo ne, si pondus ponatur in « renovatione », res desinat in decadentiam vitae religiosae; eo vel magis quod statuitur, n. 3, ut de renovatione et accommodatione omnes Instituti sodales « cooperari » oporteat. Res certe eo sensu audietur quod omnes et sententiam dicere et statuere de hac re convenit.

A non paucis appellabitur Concilium contra exhortationem Pauli VI de qua supra, cum haec insistat potius in austeritatem, humilem obedientiam, fidelitatem et disciplinam.

Meo submisso iudicio convenit in decreto condendo insistere in obedientiam, disciplinam, paupertatem veram (consistentem non tantum in dependentia, cf. n. 8), caritatem. Haec omnia quidem in schemate dicuntur, sed videntur proponi ut res secundariae, cum prima res sit « aggiornamento », quod evidenter audietur de supprimendis rebus traditis, novisque quibusque introducendis.

Particularia pauca. De n. 3 iam dixi; non intellegitur quo sensu acceptabili audiendus sit.

N. 5: videant Monaci. Ego non capio quo sensu « ratio formaque vitae » monachorum sit « renovanda ».

Pag. 6, n. 10, lin. 35: si sermo est de nomine, veste, similibusque rebus, bene; sed non video quomodo, etiam in Institutis mulierum, vitari possit ne de facto duae sint classes, minore talento praeditarum, quae officiis domesticis vacabunt, et reliquarum quae docebunt, aegrotos curabunt et similia.

Pag. 7, n. 16, lin. 35, minus apte sermo fit de spe « incrementi ». Nam et Instituta florentissima quaedam vix ac ne vix quidem « crescunt ». Dici possit: quae non praebeant fundatam spem ut ulterius « floreant »; vel spem « sufficientis roboris » vel simile.

8

REV.MUS P. D. GERMANUS LALANDE
Superior generalis Congr. a S. Cruce

Ad 1, lin. 9. « Sancta Matre Ecclesia duce »: haec locutio, ad sensum sequentium articulorum, significat Ecclesiam hierarchicam, et quidem apostolicam. Hac de causa, nonne esset melius scribere: « Apostolica Sede duce »? Haec ultima verba haberent significationem magis rigorosam, quod esset optandum in nostro textu et contextu in terminis potius iuridicis expressis.

Ad 1, lin. 10. Mihi videtur verba: « Christi sequelam » habere significationem ampliorem quam vocabulum: « Evangelium »: ideoque, oporteret ordinem invertere. Textum sic scriberetur: « *secundum Christi* sequelam et Evangelium... ».

Ad 1, lin. 11. Propter eamdem rationem, oporteret invertere: « spiritu » et « propositis ». Praeterea, adderem vocabulum « essentialibus » in sententia, quae tunc sic scriberetur: « Fundatorum genuino spiritu ac *essentialibus propositis...* ». Etenim, fundatores statuerunt principia quidem secundaria quae, secundum diversa tempora, deberent variare quin essentialis Instituti figura mutari posset.

Ad 10, linn. 1-3. Hic textus videtur concedere ut omnia hominum instituta — aeque quidem fratrum —, possint in eorum coetu sacerdotes admittere. Quod esset optimum, nam Fratres possent, secundum interiores necessitates, aliquos ex eorum societate ad ordinationem sacram proponere, ut nunc fit apud Fratres Sancti Ioannis de Deo. Sed est-ne intentio Concilii de hoc re statuere?

Ad 11, linn. 7-8. Hic articulus proponit sorores non unice contemplativas ab obligatione clausurae papalis eximere. Tunc ad quid ultima sententia: « propriis Constitutionibus regantur »?... Nonne haec obligatio omnibus institutis convenit, etiamsi a clausura papali dispensentur?

Ad 12, lin. 13; ad 16, lin. 34; ad 17, lin. 4; ad 18, lin. 11; ad 19, lin. 27. Substituere *Apostolicae* pro *Sanctae,* ad maiorem cum aliis schematibus convenientiam obtinendam.

Ad 18, lin. 10. Dicitur: « favendum... a Sancta Sede erectis »: vere, cum Apostolica Sedes erigat, non esset amplius locus loquendi de simplici favore, sed potius de obligatione decretum assumendi. Si Patres mallent loqui secundum textum allatum, non tunc esset locus addendi: « a Sancta Sede *erectis* », sed relinquendi Superioribus maioribus cuiusvis nationis curam conferentiae erigendae.

9

BEAT.MUS P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI
Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Considérations générales. Deux points sont à louer dans ce Schema: l'insistance sur la rénovation des Instituts religieux et leur adaptation aux circonstances.

Par ailleurs, l'insistance sur la pauvreté, dans l'esprit du Concile est bonne, surtout sur la pauvreté collective des Instituts religieux: ne pas accumuler les biens, mais les faire servir à soulager les pauvres (p. 6, nn. 8, 9).

D'accord pour que les Instituts féminins n'aient qu'une seule classe de religieuses, pour libérer du complexe d'infériorité celles qui ne sont pas « professes » (p. 6, n. 10).

D'accord aussi pour que les religieux prennent des titres de spécialisation (p. 7, n. 14).

D'accord pour ce qui est dit de la création de nouveaux Instituts: ne pas les multiplier, à moins qu'ils n'aient un nouvel esprit adapté aux circonstances (p. 7, n. 15).

Considérations particulières. 1) Le n. 16 de la page 7 pourrait être complété, en y déclarant qu'on laisse aux Patriarches Orientaux le soin de décider de la vie d'un Institut agonisant ou qui ne se recrute plus. Leur présence sur les lieux leur permet de comprendre mieux les circonstances.

2) Je redirai ici, à propos de la fusion des Instituts qui se ressemblent par leur but et leur esprit, ce que je disais déjà dans mes « réflexions » envoyées au Secrétariat, en août 1963, concernant le Schema « de statibus perfectionis adquirendae »: « les trois Ordres libanais de Saint Antoine réalisent parfaitement ce qui est dit à la page 36, par. 45 (dans le Schema présent, p. 8, n. 17) mêmes Constitutions, mêmes usages, même esprit (même rite), nombre assez restreint de membres. L'unification de ces trois Ordres serait pour le bien religieux du Pays, et, certainement, pour le bien religieux des membres qui les composent ».

Je voudrais ajouter ici qu'il reste très dommageable à l'Autorité patriarcale que ces Ordres aient été soustraits à son Gouvernement.

3) A propos du n. 18 de la page 8, je redirai ce que j'ai dit dans les mêmes « réflexions » du mois d'août 1963: « Bien que les Conférences des Supérieurs Majeurs soient à favoriser (p. 35, par. 44), il me semble que leurs décisions, concernant l'apostolat dans les Diocèses, doivent être soumises et non imposées à la Hiérarchie, avant toute exécution ».

Je voudrais ici ajouter que ces Conférences, l'expérience en est témoin, ont déjà commencé à agir, avec une mentalité « d'exemption » déplorable, mettant au courant de ce qu'elles avaient fait, ne soumettant pas leurs projets pour avis: comme si la Hiérarchie locale n'existait pas, et cela en désaccord net avec l'esprit de Vatican II. Par ailleurs, leur rattachement direct à Rome leur donne comme une prétention à imposer leur point de vue.

4) A propos du n. 19, p. 8, je redirai aussi ce que je disais au mois d'août 1963: « Que les Instituts religieux se fassent connaître pour attirer des vocations (p. 37, lignes 17-20), cela est nécessaire. Mais que cela ne soit pas fait maladroitement, aux dépens du clergé paroissial. La paroisse demeure " pars Dioecesis ac vivens veluti membrum, dioecesis velut cardo " » (cf. Schema *de episcopis ac de dioecesium regimine,* p. 24, par. 33).

J'ajouterai ici une incise, à introduire dans le texte, comme celle-ci: « quin laedatur vocatio cleri dioecesani ».

5) Je regrette qu'on ait supprimé le par. 28 de la page 28 de l'ancien Schema, concernant la rentrée dans le rang des Supérieures, une fois leur période de gouvernement terminée.

10

EXC.MUS P. D. JOLANTHUS NUZZI
Episcopus Campaniensis

1. Desideratur sollemnis asseveratio principia theologica perfectionis acquirendae in qualibet Religione, Societate et Instituto Saeculari eadem esse.

Proinde diversitates et differentiae quaelibet in statibus perfectionis suam originem ducunt ex principibus seu motivis secundariis. Hae principia secundaria praevalere et multo minus suffocare principia theologica essentialia non debent ullo modo. Collaboratio immo et unio inter diversos status perfectionis in hac debite observata hierarchia principiorum, sicut optatur, facilior eveniet.

2. In n. 9, verbum « sacrum » auferendum esse: falsum conceptum cuiusdam privilegii ingenerare posset; nam hoc sensu bona baptizatorum et sacra sunt.

3. In n. 10, circa abrogationem classium in institutis mulierum, loco ditionis optativae melius esset ditio praeceptiva.

4. In n. 11, Institutum de clausura papali non videtur iam requiri a nostris temporum condicionibus; forsitan congruit totalis abrogatio.

5. Mendicatio a sodalibus Statuum perfectionis esset valde coarctanda, forsitan omnino abolenda. Nostris temporibus mendicatio iam non consideratur ut forma vel exercitium humilitatis, sed e contra manifestatio illius qui in labore esse non amat.

11

REV.MUS P. D. ALFONSUS SALVINI
Abbas generalis Congr. Vallis Umbrosae O.S.B.

Schema *de Religiosis* iterum iterumque ad puncta essentialia contractum, prudenti ratione ad Codicis Iuris Canonici recognitionem ac singulorum Institutorum Constitutionum consequentem accommodationem quam plura remittit; attamen, ne in hac morosa recognitionis expectatione pedetentim relaxetur renovatio spiritus, quem Spiritu Sancto excitante Patres Concilii et in Religiosis suscitare satagunt, opportuna propositione conclusiva edicendum est hanc omnium Religiosorum renovationem aliquatenus etiam a legum generalium vel particularium accommodatione pendere, quam potissimum vero ab indefessa singulorum in Consiliis evangelicis renovatione, qua denique tandem et Statutorum revisio totius obtinebitur.

Quae ratio nisi ut cuiusque renovationis fundamentum apertissimis ponitur verbis, vix formalismus ille iuridicus effugitur, qui exteriorem Religiosorum quodammodo tutatur apparatum, dum reapse in eisdem Evangelii spiritus, ad ipsorum et Ecclesiae damnum, languescit.

Peropportune proinde quae de paupertate individuali et collectiva dicta sunt, potiori ratione de obedientia edicentur, praesertim cum, considerata Ecclesiae constitutione, ad bonum commune a legitima auctoritate Institutorum sodalibus, cuiusque dignitatis et gradus, bono iure aliquid innuitur. Denique, si germanus spiritus ac propria uniuscuiusque Instituti indoles servetur oportet, in C.I.C. recognitione peculiari « De Monachis » habeatur caput: quod non incongrue a Patribus Concilii indicari potest.

12

EXC.MUS P. D. IOANNES SAUVAGE
Episcopus Anneciensis

Introductio, loco textus allati ponatur sequens textus: linn. 1-3 immutatae, usque ad « ducere » inclusive, postea autem haec quae sequuntur: nunc, agere intendit, prout tempora suadent de vita, disciplina et necessitatibus, status religiosi qui est « vivendi modus ab Ecclesia recognitus quo fideles propriam vitam Deo speciali modo consecrant ad perfectionem caritatis prosequendam in servitio Ecclesiae ».

N. 1. Regula fundamentalis accommodatae renovationis sic recognoscatur ordine magis logico ex materiis ex nn. 1, 2, 4, 7 depromptis: linn. 7-9 immutatae remaneant; linn. 10-11 sic mutentur: secundum Evangelium et Christi sequelam tamquam supremam regulam, unico mandato caritatis intendens, Dei scil., ex quo proximi dilectio profluit in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem; attentis Fundatorum propositis ac genuino spiritu ac semper firmis praeceptis legis naturalis.

N. 2. Deleatur prima sententia, linn. 13-15 et textus sic immediate incipiat: Ratio vivendi etc. ... Et consequenter titulus sic mutetur: *Accommodata renovatio ut subveniatur necessitatibus hodiernis.* - *Ratio huius mutationis*: lineae deletae, simplex repetitio rerum iam expositarum in numero praecedenti; lineae servatae optimae sed egent novo titulo.

Postea, sub eadem ratione accommodationum et in eodem numero, materia ponatur n. 15, verbis his simillimis: Instituta iam condita opera propria fideliter retineant et adimpleant, salvis novis temporum locorumque exigentiis, opportunis ac novis mediis adhibitis, attentis, sine nimia fixitate et rigiditate, operibus quae cum instituti spiritu et germana indole magis apparent consentanea.

N. 3. Placet. N. 4. iam provisum n. 1.

Nn. 5-6 penitus recognoscantur ut vitetur distinctio inadaequata in religiosos activos et contemplativos et valor affirmetur omnium formarum religiosarum ab Ecclesia approbatae. *Ratio*: haec dichotomia caret solidis argumentis theologico, historico ac iuridico; theologico: pericopa Marthae et Mariae hic allata nullomodo intendit tractationem diversarum formarum canonicarum vitae religiosae; historico: distinctio systematizata in vitam activam et contemplativam non respondet genuinis expressionibus monachismi in historia; iuridico: Pius XII in constitutione apostolica *Sponsa Christi* distinguit vitam contemplativam canonicam a vita contemplativa theologica, cui omnes christifideles vocantur. Et praxis Ecclesiae in designatione Ordinum contemplativorum manifestat difficultatem strictae definitionis vitae contemplativae, seclusa omni forma activitatis apostolicae (vide *Annuario Pontificio* 1964, pp. 809-817).

Maximo nocumento esset, et pro vita religiosa, tam activa quam contemplativa et pro vita fidelium si hoc documentum conciliare fundamentum praeberet opinioni, nimis, proh dolor, vulgatae contemplationis tamquam esoterismi cuiusdam et quasi extraneae vitae activae seu apostolicae: quod est omnino alienum a doctrina traditionali, speciatim a doctrina Sancti Thomae.

N. 6, pag. 6, de vita apostolica speciatim, in revisione optata duo desiderantur:

1) ut mentio fiat de sacerdotio religiosorum, quo constituuntur cooperatores episcopi: quae cooperatio fons est obligationum, sicut et professio religiosa.

2) Ultima sententia, pag. 6, linn. 12-14 sic mutari deberet: Actio autem apostolica ex intima cum Deo unione *procedens, caritatem ipsam* erga Deum et proximum *fovet et auget. Ratio* ut clarius appareat actionem apostolicam et fontem invenire in unione cum Deo et nutrimentum afferre eidem unioni.

N. 7. Prima pars melius veniret in n. 1. Sed secunda pars de testimonio quod vita religiosa reddit praesentiae Christi hic esset optima.

N. 8. Optima enuntiatio, linn. 23 s. de renuntiatione possibili bonis patrimonialibus, etiam pro professis votorum non sollemnium. Necesse est ut evolutio fiat in categoriis canonicis de disciplina votorum.

N. 9. Placet. N. 10. Placet peroptime.

N. 11. *De clausura monialium.* Formula proposita non placet quia nimis timida. Vehementer optandum videtur ut regulae de clausura monialium, regulis monachorum aequiparentur: quia in omnibus aliis rebus in societate mulieres hominibus aequiparantur; quia quaedam regulae clausurae feminarum orientem arabicum redolent.

Supprimantur ea quae gallice vocantur: « grilles, voiles, tours ».

Deleatur regula omnino odiosa pro iuvenibus religiosis eorumque parentibus de nunquam in locutorio eundo sine religiosa comite. In visitatione canonica monialium inveni religiosas quae abhinc decem annis sunt moniales et nunquam ausae sunt loqui parentibus de hoc usu, quia religiosa comes in umbra remanet!

N. 12, *de habitu religioso*: lin. 13, pag. 7, loco « iudicio Sanctae Sedis » ponatur instantia minor, quia hic Sancta Sedes implicatur in minimis, quod est indecens.

Praevideatur dispositio de relinquendo habitu in quibusdam casibus necessariis.

N. 13. Placet cum aliquo modo: mentio fiat de institutione continua omnium religiosorum, etiam peracto tempore primae formationis.

N. 15. Delendum, quia iam supra provisum. Nn. 16-17-18. Placet.

N. 19. Non accedit, tam pro forma quam pro contentu, ad dignitatem decreti conciliaris.

Deest, proh dolor, propositio *de missionibus,* et speciatim de necessitate, pro ordinibus fovendi vitam religiosam indigenam, per fundationes aptas. Desideratur de hac re nova paragraphus.

13

Exc.mi PP. CONCILIARES LINGUAE GERMANICAE ET SCANDIAE

Schema, olim *de statibus perfectionis adquirendae,* nunc melius *de Religiosis* inscriptum, in genere placet. Qui id accuratius perpendit, facile intelliget multa ad accommodatam vitae religiosae renovationem perutilia ibi contineri. Tamen silentio praeteriri nequit, quod plura, quae a multis religiosis maxime desiderantur, in schemate adhuc non leguntur. Quapropter Patres conciliares linguae Germanicae et Scandiae, quaedam corrigenda et supplenda proponunt, quae propositiones concinniores reddant vel ipsis in hodiernis adiunctis ad finem schematis melius obtinendum necessaria esse videbantur.

Emendationes et supplementa, quae commendantur:

Ad Prooemium. Pag. 5, lin. 1: Sacrosancta Synodus, postquam in constitutione *de Ecclesia* ostendit *consiliorum evangelicorum professionem a Divini Salvatoris doctrina et exemplis originem ducere, studium perfectae caritatis adquirendae in Ecclesia fovere ac tanquam signum Regni caelestis apparere,* nunc...; *vel*: Sacrosancta Synodus, postquam in constitutione « de Ecclesia » *professionis consiliorum evangelicorum rationem theologicam ostendit,* nunc de Religionum... vita ac disciplina intendit agere... *Ratio*: In cap. V, resp. VI, constitutionis *de Ecclesia,* uti nunc proponitur, non solum de origine christologica consiliorum evangelicorum et de « prosecutione sanctitatis » (expressio non optima!), sed etiam de eorum relatione ad mysterium Ecclesiae et ad eschatologiam agitur, quae omnia ad rationem theologicam professionis religiosae pertinent.

Ad n. 1: pag. 5, lin. 7: Cuiusvis instituti spiritualis ac religiosa renovatio atque eius ad praesentes vitae conditiones accommodatio secundum Evangelium et Christi sequelam tamquam supremam regulam, Sancta Matre Ecclesia duce, promovendae sunt, attentisque Fundatorum propositis ac genuino spiritu. *Ratio*: ordo verborum aliquantulum invertatur, ut melius appareat regulam fundamentalem accommodatae renovationis esse Evangelium et Christi sequelam.

Ad n. 2: pag. 5, lin. 13: Natura et fine, quae cuiusque instituti patrimonium constituunt, fideliter servatis, ratio vivendi, operandi, orandi... *Ratio*: cumulatione verborum (« natura », « finis », « spiritus proprius », « sanae traditiones ») serio considerata vix videtur, quomodo genuina evolutio alicuius instituti, quam graves temporis circumstantiae forsan suadent et de qua in historia religionum non raro legitur, adhuc fieri possit.

Ad n. 4: pag. 5, lin. 28: Loco « assiduo studio fortique animo... » dicatur « ante omnia assiduoque studio consequi nitantur quam maximam cum Deo unionem, quae est finis omnis vitae religiosae et ex qua profluit proximi dilectio in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem ». *Ratio*: ut primatus Dei amoris et proximi dilectionis in vita religiosa clarius eluceat.

Loco nn. 5 et 6: pag. 6, lin. 3:

5. (De iis, quae omnibus institutis religiosis communia sunt). Omnia instituta religiosa contemplationem, qua Deum prae omnibus et unice quaerunt, cum amore apostolico, quo opus redemptionis consummare Regnumque Christi dilatare nituntur, secundum cuiusque missionem propriam consocient oportet.

Non obstante fine particulari operibusque propriis omnia instituta tenentur vitam Ecclesiae universalis participare eiusque proposita, v. g. in re biblica, liturgica, sociali et oecumenica, pro viribus fovere.

6. (De diversis formis vitae religiosae earumque accommodata renovatione). Monachi, quorum primum sane officium est, Divinae Maiestati intra ambitum monasterii humile simul ac nobile servitium praestare, apostolico fervore impulsi rationem vitae suae ita instaurent, ut hominibus melius exemplo et adiutorio esse possint. In re oeconomica et sociali prodant exemplum doctrinae Ecclesiae, foveant in sanctuariis suis actuosam fidelium participationem operis Dei, praebeant omnibus, qui ipsos adeunt, Verbum Evangelii et vitae spiritualis divitias, quo fit, ut eorum monasteria sint centra et seminaria instaurationis christianae. Instituta vitae stricte contemplativae, quae suas partes in Corpore mystico Christi habent et missioni salvificae Ecclesiae eximie inserviunt, in ratione formaque vitae congruenter moribus et necessitatibus hodiernis sese renovent.

Ratio et ordo institutorum, quae ex fine suo proprio ministerio apostolico vel operibus caritatis dedita sunt, ita componantur, ut neque exercitia pietatis apostolatui neque opera apostolatus orationi officiant, sed potius sese mutuo perpenetrent, inspirent ac incitent, quo unitas vitae religiosae obtineatur. In his autem institutis, in quibus labor apostolicus et beneficus constituit finem vere specificum, omnes bene considerent illum tantum laborem fovere caritatem erga Deum et proximum, qui ex intima unione cum Deo procedit. *Ratio*: nn. 5 et 6 penitus non satisfaciunt ideoque ex integro mutentur oportet. In schemate agi quidem debet de diversis vitae religiosae formis, sed tunc praecise dicendum est, quaenam puncta singulis relate ad accommodatam renovationem nostro tempore sint maxime urgentia. In respectivis numeris schematis impressi fere nihil nisi veritates per se evidentes afferuntur.

Ad n. 7: pag. 6, lin. 15: Christum oboedientem, virginem et pauperem imitantes eiusque praesentiam in hoc mundo speciali modo testificantes, Religiosi, quamvis in variis vitae circumstantiis degant, sese renovent in eodem vigore evangelico oboedientiae, castitatis et paupertatis, quam professi sunt. *Ratio*: ordo verborum invertatur, ut primatus imitationis Christi in observatione votorum melius in lucem ponatur. Addatur, quod diversitas conditionum vitae non diminuat vigorem evangelicum paupertatis etc.

Inseratur inter n. 7 et n. 8:

8. (De castitate et oboedientia in specie). In educatione sodalium ad castitatem et oboedientiam religiosam illi, ad quos spectat, bene noscant leges psychologicas harum virtutum, quarum legum observatio ad defectus psychicos arcendos hodie maximi est momenti.

Quin diminuatur religiosa oboedientia, qua religiosus Superioribus suis humile pro amore Christi praestat obsequium, sodales adducantur ad responsabilitatem individualem et rectum libertatis usum. *Ratio*: aliqua saltem, quae hodie maioris momenti esse videntur, de castitate quoque et de oboedientia dicantur.

N. 8 et n. 9 schematis impressi ad unum n. 9 contrahantur.

9. (De paupertate in specie). Pag. 6, lin. 22: ... re et spiritu sint pauperes. Ut vero paupertas religiosorum mutatis adiunctis technicis et oeconomicis necnon menti sociali hominum vere respondeat, instituta ne vereantur etiam novas paupertatis formas quaerere. *Ratio*: non semper constat, qualem speciem paupertas religiosa in certis circumstantiis induere debeat, ut religiosis simul et apostolicis postulatis respondeat atque Christum testificet.

Ad n. 10: pag. 6, lin. 32: « ...anima una » (*Act.* 4, 32). Quapropter communis Eucharistia ut centrum fraternitatis christianae peculiari cura celebretur. Ut porro inter sodales... *Ratio*: hoc sequitur ex momento constitutionis *de Liturgia.*

Pag. 6, lin. 35: ... curandum est, ut in institutis mulierum distinctio ordinum, in quantum potest, e medio tollatur. - *Vel*: ... curandum est, ut... ad unam formam (ad unum genus) sororum perveniatur, quod tamen fiat cum discretione. *Ratio*: verbum « classis » ob associationem ad doctrinam Marxismi vitetur. De cetero experientia docet in hac quaestione quadam discretione opus esse.

Ad n. 11: Quamvis valde annuendum sit eis, quae hic de tollenda clausura papali monialium ex instituto operibus externis deditarum dicuntur, tamen magis urget reformatio generalis disciplinae clausurae.

Ad n. 13: pag. 7, lin. 20: ... protrahatur. Ne vero vitae religiosae ad nostri

temporis exigentias adaptatio sit mere externa neve apostolatus quoad fideles segnes religionisque neglegentes inefficax reddatur, sodales iuxta statum cuiusque intellectualem in vigentes hodiernae vitae socialis mores rationesque sentiendi et cogitandi bene introducantur. *Ratio*: hoc pertinet ad institutionem apostolicam, quae hodie in institutis vitae activae, praesertim mulierum, urgeri debet.

Pag. 7, lin. 22: ... optime seligantur et per speciale studiorum curriculum praeparentur. *Ratio*: tale curriculum non solum pro professoribus sed etiam v. g. pro magistro noviciorum (magistra noviciarum) hodie necessarium esse videtur.

Ad n. 19: pag. 8, lin. 26: ... dummodo hoc fiat evitata omni specie coactionis et servatis... *Ratio*: talis annotatio perutilis esse videtur, cum in puerili aetate periculum deficientis libertatis adsit.

III [5]

SCHEMA CONSTITUTIONIS DE SACRORUM ALUMNIS FORMANDIS *

PROOEMIUM

1. Summi Sacerdotis, Prophetae ac Regis munera in Se Ipso coniungens, Christus Dominus, cum potestatem suam Ecclesiae contulit eique mandatum dedit redemptionis opus ad saeculorum usque occasum perpetuandi, homines voluit sui Sacerdotii participes qui triplex illud munus adimplerent, eo ministrandi spiritu animati, quem Ipse verbo et exemplo docuit.

Quare Ecclesia, cuius vita a sacerdotio tantopere pendet, nihil antiquius habet quam ut homines, ad tam necessarium et sublime officium a Deo electi, debitam recipiant institutionem ac propria munera rite exerceant « ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi » (*Eph.* 4, 12).

I – DE VOCATIONIBUS ECCLESIASTICIS

2. Cum vero Sacerdotum numerus magis in dies christiani populi necessitatibus impar evadat, haec Sancta Synodus ecclesiasticas vocationes imprimis fovere cupit, quod quidem Divinae Providentiae actioni respondet, quae aliquot homines ad Christi Sacerdotium participandum eligit, eis congruas tribuit dotes simulque Ecclesiae committit ut, vocationis signis agnitis, candidatos qui tantum munus recta intentione et libere petierint, admittat eosque Sancti Spiritus sigillo in aeternum consecret.

---

* *In initio fasciculi legitur*: Ss.mus Dominus Noster Ioannes Pp. XXIII, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo discutiendum, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXII mensis Aprilis, anno MCMLXIII.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

[5] 3. Quare eadem Sancta Synodus, omnium in tanto opere impensam cooperationem exoptans, Ecclesiae Pastores atque omnes sacerdotes monet, cuicumque ministerio addictos, praesertim vero parochos et animarum moderatores, ut vitae exemplo atque apostolico zelo, nullis parcentes curis atque laboribus, ecclesiasticas vocationes foveant atque tueantur. Magistri pariter atque omnes qui puerorum iuvenumque institutionem quovis modo curant, discipulos sibi concreditos ita erudire studeant ut voca-
[6] tionem divinam percipere et sequi valeant. Familiae quoque christianae apprime sentiant quantum in se ipsas recidat vocationum adiumentum vel impedimentum, ac sacerdotalem vocationem tamquam eximiam ipsi familiae caelestem gratiam collatam aestimantes, prompto atque hilari animo filios Deo offerre parati sint, eorum tamen libertate religiose servata. Praesertim vero dilecti iuvenes, qui supernum vocationis donum acceperunt et in quibus spem futuri aevi collocat Ecclesia, instanter monentur ut vocem Dei libere ac magno sequantur animo, sibi persuasum habentes rem Deo gratissimam ac proprio totiusque Ecclesiae bono utilissimam se facturos esse.

4. Inter praecipua communis cooperationis subsidia Sancta Synodus imprimis orationem commendat ad vocationes a Deo impetrandas iuxta praeceptum Domini: « Rogate Dominum messis ut mittat operarios in messem suam » (*Mt.* 9, 38), necnon congruam christifidelium institutionem sive praedicatione et catechesi, sive etiam periodicis commentariis impertiendam, qua quidem necessitas, natura et praestantia vocationis aperte declararentur. Etenim praeter generalem vocationem qua homines per baptisma ad vitam christianam vocantur, inter peculiares vocationes eminet sacerdotalis vocatio, quae tum matrimonio christiano tum laicorum apostolatui singulariter praestat.

5. Haec aliaque vocationum subsidia eo pleniorem assequentur efficaciam quo arctior erit inter parochos, parentes, magistros et consociationes, Episcopo patre et duce, virium laborumque coniunctio; ideoque in singulis dioecesibus vel regionibus « Opus Vocationum Sacerdotalium » erigere atque fovere iuvabit, eiusque promotores causas quoque sacerdotum penuriae accurate inquirere ne praetermittant, eo quidem consilio ducti ut aptius huic inopiae mederi et efficaciora ad vocationes augendas subsidia comparare queant.

Quae actuosa ad vocationes fovendas conspiratio, singula-

rum dioecesium atque nationum fines dilatato corde transcendat [6] oportet atque ad universalis Ecclesiae necessitates respiciat, ita quidem ut illis regionibus auxilium afferri possit, ubi Domini vinea instantius advocat operarios.

6. Vocationum sacerdotalium promotio id quoque postulat, ut adhibeatur assidua earum cura, statim ac prima apparuerint germina, a parentibus imprimis intra naturalem familiae ambitum [7] atque a parochis et ab animarum moderatoribus.

Praeterea, ut iuxta veneranda Ecclesiae consuetudines iam adolescentes ad sacerdotalis vitae virtutes comparandas institui possint, Seminaria Minora, secundum proprias ordinata leges, sedulo foveantur, itemque peculiaria illa Collegia, quae pro locorum adiunctis eidem fini inserviunt, necnon specialia quaedam Instituta pro iis qui maturiore aetate divinam sequuntur vocationem.

Alumni vero in Seminariis Minoribus vitam ducant quae cum communi omnium adolescentium vita, quantum potest, congruat; simul vero virtutibus rectisque moribus solide pro eorum aetate instituantur, ac religionis studio et humanioribus litteris dent operam ceterisque disciplinis, quae praerequiruntur ut ipsi Seminaria Maiora ingredi ac formationem proprie sacerdotalem inchoare valeant.

II – DE FORMATIONIS FINE ET SEMINARIORUM ORDINATIONE

7. Sacrorum alumnorum formatio nullum aliud exemplar prosequatur oportet quam ipsum Dominum, qui « Bonus Pastor ... proprias oves vocat ... et animam suam dat pro ovibus suis » (*Io.* 10, 3 et 11). Quibus verbis et munera Christi describuntur et apte demonstrantur sacerdotalia et pastoralia ministeria, ad quae obeunda sacrorum alumni praecipue formandi sunt: quae quidem eo spectant ut divina veritas ministerio verbi proclametur; celebrationibus liturgicis integer cultus publicus exhibeatur Deo et Christi vita hominibus tribuatur; fideles ad sectanda Christi vestigia pastorali zelo atque prudentia ducantur. Ad tanta vero munera rite adimplenda formari nequeunt alumni, nisi ipsis in hac impertienda institutione, genuina inculcetur sacerdotalis et pastoralis pietas, atque simul vires naturales, humanis quoque subsidiis opportune adhibitis, rite excolantur.

[7] Quae omnia institutionis elementa ita concordi actione in unicam profundam alumnorum formationem conspirent oportet, ut in luce, quae a Verbo Dei procedit atque pro profectum spiritualem formationemque liturgicam et pastoralem in vitam et actionem profluit, fideles Dei ministri effingantur, per quos Chri-
[8] stus homines a se redemptos attrahere, illuminare ac vivificare valeat.

8. Ad hanc sacrorum alumnis formationem apte impertiendam, quae iam salubriter statuta sunt de Seminariis Maioribus erigendis et promovendis, Sancta Synodus actuosa ac materna sollicitudine confirmat et complet eademque apostolicae Episcoporum sollicitudini enixe commendat. Ubi vero congruus deest alumnorum numerus vel singularum dioecesium vires non sufficiunt, erigantur ac foveantur Seminaria Interdioecesana, Regionalia, Nationalia vel Internationalia ut solidae alumnorum institutioni, quae in hac re suprema lex est habenda, efficaciore usque ratione consuli possit.

9. Cum vero alumnorum institutionis exitus magis quam a sapientibus legibus, ab idoneis et expertis educatoribus pendeat, Seminariorum moderatores et magistri ex optimis ecclesiasticis viris seligantur, numero sufficientes, ab alienis officiis liberi, naturae et potissimum gratiae donis praediti, quae ad diversa munera exercenda requiruntur; quibus accedat oportet peculiaris quoque institutio, qua ornari debent tum ii qui ad docendum destinantur, tum ii qui ad superiorum vel directorum spiritus munera deputantur; ita quidem ut hi omnes virtute et scientia, prudentia et experientia, psychologica et paedagogica arte praecellant. Omnes vero moderatores et magistri, Episcopi auctoritati fideliter obsequentes, sub Rectoris ductu, in quo regiminis unitas innititur, servata officiorum distinctione, at arctissima simul operae consortione, alumnis instituendis sedulam concordemque dent operam.

10. Apta alumnorum institutio vigilantem eorum selectionem et probationem a vocationum promotoribus et a Seminariorum moderatoribus postulat. Quare sedula cura inquiratur oportet de alumnorum idoneitate, de eorum recta intentione ac firma voluntate, de sano iudicio et sufficienti ingenio, de congrua valetudine physica et psychica, de capacitate sacerdotalia onera ferendi; eos vero qui idonei non sint, superiores tempestive dimittant, nullo habito humano respectu, neque aliis rationibus

moti, cuiusmodi est lugenda sacerdotum penuria, confidentes [8] Deum idoneos ministros Ecclesiae daturum esse, si digni tantum promoveantur.

11. Recta Seminariorum ordinatio disciplinam custodiendam [9] postulat quae, ex naturalis sapientiae principiis atque ex supernaturali Ecclesiae magisterio, necessaria apparet ad naturae infirmitatem humanae et peccati originalis sequelas medendas atque ad virilem efficiendum animum eorum qui ad apostolatum sacerdotalem in hierarchico ministerio exercendum praeparantur.

Quare recentiores speciosi errores, quibus sanae disciplinae sensus et vis extenuantur aut prorsus destruuntur, a Seminariis arceantur et rectae disciplinae doctrina inculcetur, quae non modo est mediorum externorum summa, quibus moderatores alumnorum educationem promovent, sed ipsa animi interna dispositio qua auctoritas superiorum, suaviter et fortiter praecipiens et prohibens, suadens et ducens, a sacrorum alumnis ex intima persuasione et humili caritate, propter conscientiam (cf. *Rom.* 13, 5) et propter supernaturales rationes suscipitur.

Firma vero disciplinae principia iuxta diversam alumnorum condicionem et aetatem apte et prudenter applicanda sunt ita ut alumni gradatim sibimetipsis moderari ac libertate sapienter uti addiscant, crescat in eis actionum officiorumque suorum conscientia, opera ultro sponteque incipiendi congrua eis concedatur facultas.

Moderatores igitur memores amorem plus valere quam timorem, et persuasionem plus quam coactionem, fiduciam et caritatem ita inspirare curent ut tota Seminarii familia Rectori sicut patri aequo animo oboediat et cuncti inter se fraterna concordia coniungantur.

III – DE INSTITUTIONE SPIRITUALI

12. Etsi integra doctrinalis et pastoralis institutio eo tendere debet ut sacrorum alumnus, non tantum sacrae ordinationis charactere, sed intima totius vitae consortione alter fiat Christus, secundum illud Apostoli: « Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus » (*Gal.* 2, 20), peculiaris tamen institutio spiritualis necessaria est ut, per sedulam virtutum exercitationem, totus eius animus spiritu Christi imbuatur, et mortis Dominicae mysterium celebraturus, vere agnoscat quod agit, imitetur quod tractat.

[9] 13. Quapropter ita in fide statuendi sunt alumni ut « Christum Dei virtutem et Dei sapientiam » (*1 Cor.* 1, 24) cognoscere
[10] addiscant sicut Apostolus exoptat, precans ut Christus habitet « per fidem in cordibus » (*Eph.* 3, 12). Ad christianam quoque excolendam spem sollicite componantur ut non sibi suisque viribus, sed potius Eius auxilio confidant qui vicit mundum suisque promisit: « Ego vobiscum sum » (*Mt.* 28, 20). Praecipue vero doctrina tradatur de caritatis primatu et sermones Domini in ultima Coena prolati (*Io.* 13-17) tamquam Seminariorum codex habeantur, quem assidue sacrorum alumni perlegant ac pertractent, ut discant cum Patre et Filio Eius Iesu Christo et Spiritu Sancto familiari et assidua caritate vivere (cf. *1 Io.* 1, 3); ex qua caritate, per Spiritum Sanctum in cordibus effusa, alitur animarum zelus in futuris dominici gregis pastoribus.

14. Supernaturalem hanc vitam sacrorum alumni hauriant potissimum ex ipso eoque necessario fonte, hoc est ex actuosa cum sacrosanctis mysteriis publicis sollemnibusque Ecclesiae communicatione. Quare sacer cultus universus, praecipue autem eius centrum et fons, quod est ipsum eucharisticum sacrificium, in Seminariis sic explicetur et sic celebretur ut clerici ex sacro altaris mysterio, una cum Christo sese hostias Deo gratas offerendo et uno eucharistico pane refecti, in unitate mystici Corporis vivere discant; atque sacro Ecclesiae vertente anno, ad mysteria Christi participanda ducantur ut, aliquando sacerdotio aucti, populum sibi commissum, ex intima cultus imprimis sacrificalis participatione, in communitatem vere christianam coadunare valeant.

Ad spiritum orationis alumni formentur ut futuri sacerdotes viri orationis fiant, qui scilicet libenter orent et orandi necessitatem persentiant et ad debitum Trinitati beatae obsequium solvendum et ad ipsorum vitam interiorem alendam et ad quemcumque apostolatum fructuose exercendum. Quare pia exercitia Seminarii lege sancita vel usu probata fideliter peragant, et varias pietatis formas, praesertim in honorem Deiparae Virginis, assidue colant. Ut autem orationem, quam ipsa Ecclesia peculiariter eis committet, amare discant, institutione sapienter progrediente initientur in Psalterium totumque Officium Divinum intellegenda et degustanda.

15. Ad evangelicam perfectionem contendentes, vivendi modum vere simplicem et modestum iam a Seminario suscipiant qui

pauperibus evangelizare atque vitae futuri saeculi validum te- [10]
stimonium mundo praebere debebunt. Sicut homines mundo cru- [11]
cifixi et quibus mundus ipse est crucifixus (cf. *Gal.* 6, 14), ad humilitatem quoque et mortificationis spiritum formentur, reprobata crescente in dies propensione methodos sequendi quae hedonismum sapiunt.

Vigili diligentique cura educentur ad sacerdotalem castitatem, vi cuius sacerdotes, secundum proprias diversorum rituum Ecclesiae leges, integra animi et corporis deditione Domino inserviunt, vere spirituale cum Ipso connubium ineunt, atque aptissimum impetrant auxilium ad perfectam caritatem in ministerio continuo exercendam.

Memores sacerdotem eo efficacius redemptionis instrumentum evadere quo arctius per oboedientiam Ei coniungitur qui factus est pro nobis « oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis » (*Phil.* 2, 8), praeparentur alumni ad promittendam et sancte servandam oboedientiam, qua in cura animarum constituentur dociles sui Episcopi cooperatores.

16. Illae quoque virtutes sedulo curandae sunt, quae ad integram formationem non solum christianam et sacerdotalem, sed etiam humanam perfecte comparandam necessariae sunt et in civili societate magni aestimantur, cuiusmodi sunt vitae integritas animique sinceritas, a fallacia et a cuiusvis generis simulatione abhorrens, assidua iustitiae cura, promissis servata fides, in agendo urbanitas, in conversando comitas cum modestia et caritate coniunctae, quae omnia sacerdotem valde decent et apostolatum multum iuvant.

17. Praecipua Rectoris cura sit ut in Seminario vita spiritualis potissimas partes habeat et cetera omnia ita ordinentur ut ad vitae spiritualis fastigium componantur. Spiritualis vero institutio assiduam moderatoris pietatis operam postulat qui, sive unus est in Seminario, sive plures adsunt, servata semper spiritualis directionis unitate, singulos alumnos cognoscere et efficaciter curare debet.

Ad formationem spiritualem roborandam Episcoporum erit opportunitatem perpendere congruam periodum instaurandi impensioris tirocinii spiritualis, sive ante curriculum theologicum ad vocationem sacerdotalem maturiore iudicio amplectendam, sive immediate ante sacerdotium ad convenientem praeparationem perficiendam.

[12] IV – DE STUDIORUM RATIONE

18. Cum scientia praesertim sacra sacerdotes excellere debeant, prout per Malachiam prophetam Spiritus Sanctus praemonet: « Labia sacerdotis custodient scientiam » (*Mal.* 2, 7), studiorum curriculum sacrorum alumnorum secundum venerandas Ecclesiae consuetudines omni ope curandum est.

Cum vero in tanta gentium regionumque diversitate nonnisi generales de studiis leges ferri possint, in singulis nationibus peculiaris Ratio Studiorum habeatur, a competenti Auctoritate Ecclesiastica illius territorii statuta et a Sancta Sede approbata, qua leges universales evolvantur et peculiaribus locorum temporumque adiunctis accommodentur, ut sacerdotalis institutio pastoralibus exigentiis respondeat illarum regionum in quibus ministerium exercendum erit.

Ii vero qui ad ipsas disciplinas docendas vel promovendas destinantur vel ad peculiaria munera obeunda vel ad specialia ministeria exercenda, opportuno tempore ad studiorum ecclesiasticorum Facultates vel Instituta mittantur ut superiorem scientificam institutionem obtineant et gradus academicos consequantur.

19. Antequam sacrorum alumni studia proprie ecclesiastica aggrediantur, necesse est ut studiorum humaniorum curriculum rite absolverint, quo tum hominis efformatio intenditur, completa atque harmonica omnium facultatum educatione, tum instructio impertitur eorum quae homines culti scire debent, cum magis in dies urgeat necessitas ut sacrorum alumni inferiores non sint ceteris iuvenibus qui in propria natione ad studia academica accedunt; ac praeterea didicerint quae futuris sacerdotibus propria sunt, imprimis eam latinae linguae cognitionem qua sacrae traditionis et ecclesiastici magisterii documenta, ceterosque libros, quorum assiduus usus erit in philosophico et theologico curriculo atque in tota sacerdotali vita, facile intelligere et adhibere possint.

20. *Studiorum ecclesiasticorum curriculum* cursum philosophicum et theologicum complectitur. Cum vero philosophicus cursus theologico sit propaedeuticus, utriusque disciplinae cursus arcte et harmonice coordinentur, atque curetur ut sacerdotalis et pastoralis visio iam ab initio alumnis late aperiatur, Sa-
[13]

crae Scripturae praesertim lectione, qua generalis biblica intelligentia declaratur illius Christi mysterii, quod totam humani generis historiam pervadit. [13]

In universum praeterea, collatis inter magistros consiliis, enitendum est ut disciplinarum et tractatuum ordo et nexus alumnorum mentibus lucide fulgeat. Omni ope quoque magistri discipulos adiuvent ad audita et lecta proprio nisu peragranda et assimilanda, illosque, sapienter accommodata docendi ratione, institutis quoque colloquiis aptisque exercitationibus et praecipue suo ipsorum exemplo ad studiorum sacrorum amorem ita conforment, ut ex ipso, etiam sacerdotio aucti, lumen et robur pro suis aliorumque necessitatibus haurire pergant.

21. *In cursu philosophico* Philosophia perennis, secundum S. Thomae rationem, doctrinam et principia, accurate distinctis iis, quae ab omnibus retineri debent, ab opinionibus quae libere inter catholicos controvertuntur, ita tradatur ut eius completam cohaerentemque synthesim alumni acquirant, omnium praecipuorum argumentorum solido atque accurato studio, omissis quaestionibus tum obsoletis, quae vix ullum momentum retinent, tum subtilioribus, quae ad altiora academica studia remittenda sunt.

Introducantur alumni ad cognoscenda et crisi subiicienda systemata philosophica praesertim moderna, quae in propria natione maiorem influxum exercent ita ut, quae bona probantur teneant, errores ad religionem praesertim spectantes refellere discant et hominum, quos evangelizare debent, mentem cognoscant quo aptius propriae aetatis quaestionibus respondere valeant.

22. *In cursu theologico* theologia sacra, duce Ecclesiae Magisterio, ita tradatur ut alumni doctrinam catholicam ex divina revelatione accurate haustam profunde penetrent, propriae vitae spiritualis reddant alimentum atque in ministerio sacerdotali annuntiare, exponere atque tueri valeant. Omnes vero disciplinae theologicae ita doceantur ut harmonice in hunc finem conspirent, quippe quae singulae, ex intrinsecis proprii obiecti rationibus, mysterium Christi in historia salutis a Divinis Scripturis annuntiatum et in Ecclesia semper in actu clara in luce ponant.

Quare Sacrae Scripturae studio, quae universae theologiae prope anima esse debet, peculiari diligentia alumni instituantur; congrua introductione praemissa, in exegeseos methodum accurate initientur, maxima divinae Revelationis themata perspiciant [14]

[14] et ea quae ad diversos theologiae tractatus pertinent, penitius investigent. Cum Patres tantopere ad revelationem fideliter transmittendam et enucleandam contulerint, eorum quoque studium in singulis tractatibus magni fiat, necnon historia praecipuorum dogmatum in sua quoque habitudine ad generalem Ecclesiae historiam; ad revelationem vero integre quantum fieri potest illustrandam, eam ope speculationis, S. Thoma magistro sicut de philosophia dictum est, intimius penetrare et in veritatum systema ordinare alumni discant; eamque semper in cultu et vita Ecclesiae praesentem et operantem agnoscere doceantur; atque humanorum problematum solutionem sub revelationis luce quaerere eiusque aeternas veritates mutabili rerum humanarum condicioni applicare noscant.

Manuducantur alumni ad plenius cognoscendas eas communitates quae christiano nomine decorantur, sed ab Apostolica Sede sunt seiunctae, ut fratres iuvare possint ad unitatem a Domino Nostro expostulatam; introducantur etiam ad alias religiones cognoscendas in singulis regionibus magis vulgatas, quo melius id quod boni, Deo disponente, habent, agnoscant, errores refellere discant et plenum veritatis lumen non habentibus communicare valeant.

23. Studiorum ecclesiasticorum *indoles pastoralis* peculiari cura attendenda est. Quemadmodum pastoralis sollicitudo totam sacrorum alumnorum formationem pervadere et animare debet, sic pastoralis aspectus et ratio, quasi vitalis halitus in disciplinis praesertim sacris tradendis a magistris diffundatur oportet, ut doctrinalis quoque institutio vere pastoralis evadat. Praeterea in cursu theologico diligenter instruantur alumni in iis disciplinis quae ministerio exercendo peculiari ratione inserviunt; accurate praeparentur ad sacram praedicationem et ad catecheticam institutionem tum pueris tum adultis apta impertiendam methodo; item diligenter instituantur in iis quae ad sacramenta digne ministranda conferunt, praesertim quoad poenitentiae sacramentum et animarum directionem; sacram liturgiam ita celebrare addiscant ut, eius virtutem et momentum persentientes, populum sibi committendum ad consciam et actuosam participationem manuducere valeant.

Ad christianum sensum socialem alumni sedulo informentur
[15] et de sociali Ecclesiae doctrina eiusque potioribus applicationibus, secundum tradita Ecclesiae documenta accurate doceantur.

Cetera etiam subsidia assumant quae disciplinae tum paeda-

gogicae tum psychologicae tum sociologicae actioni pastorali uti- [15] liter afferre valent, iuxta rectas methodos, consilia et monita Auctoritatis Ecclesiasticae; de hodiernis quoque communicationis socialis instrumentis necnon de activitatibus ad animi relaxationem spectantibus alumni, per graduales cognitiones et moderatos usus, congrue edoceantur ut easdem Regno Dei utiles reddere, pericula vero cum iis saepe connexa praecavere sciant.

Laicorum cooperationem magni facere discant et studiose reddantur idonei ad apostolicam eorum actionem excitandam, fovendam et dirigendam. Quare laicos humiliter et aperta mente audire assuescant ut rei familiaris, vitae professionalis et socialis necessitates rectius cognoscant et in difficultatibus vitae christianae et apostolicae ab ipsis laicis gerendae consilium et sacerdotale auxilium opportune praestare valeant.

24. Cum opus sit ut alumni apostolatus artem non tantum theoretice, sed etiam practice addiscant, iam durante studiorum curriculo ad praxim pastoralem initientur opportunis exercitationibus, quae pro alumnorum aetate ac locorum temporumque condicione, prudenti Episcoporum iudicio, moderate quidem ne formationi spirituali et intellectuali damnum afferatur, sed methodice et sub peritorum magistrorum ductu fiant. Peculiari cura alumni exerceantur in actuosa una cum aliis socia praestanda actione, et cum apostolica opera non solum paroeciae, sed ipsius dioecesis fines saepe transcendant, etiam ad proprium apostolatum in ampliore campo coordinandum praeparentur.

V – DE FORMATIONE POST SEMINARIUM PERFICIENDA

25. Sacerdotalis formatio accurate danda est in Seminario, at ob modernae vitae adiuncta post Seminarium perficienda est, primis annis vitae sacerdotalis, sub aspectu spirituali, intellectuali et praesertim pastorali, ut neosacerdotes a quodammodo tecta et collecta Seminarii vitae consuetudine ad actuosam et non paucis periculis obnoxiam operositatem pastoralem sine incommodo transeant.

Quare Episcopi sollicitam eis paternamque curam continenter praestent, atque opportunitatem eis praebeant aptum spiri- [16] tus directorem habendi, recollectiones menstruas et exercitia spiritualia ipsis aptata frequentandi ac pias consociationes sacerdotales participandi.

[16] Parochi vero neosacerdotes caritate vere fraterna suscipiant, in ministerio exercendo paterne adiuvent et moneant; ad quod maxime iuvabit vitae communis inter clericos consuetudo, summopere laudanda atque suadenda, uti in Directorio generali Parochorum huius Sanctae Synodi iussu edendo ulterius statuitur.

26. Ad pastoralis actionis primos gressus tutius dirigendos valde iuvabit pastoralem institutionem in Seminariis receptam per aliquot annos peculiari cura complere, diversis illis modis qui secundum Episcoporum experientiam in singulis regionibus videantur aptiores.

27. Illud tandem meminerint quotquot maximo sacerdotum formandorum operi se dedicaverint, quod « cum apparuerit Princeps Pastorum, immarcescibilem gloriae coronam » (*1 Petr.* 5, 4) ipsi percipient et eo pretiosiorem, quo Christo acceptiores ministros eosque in ministerio fecundiores recta paraverint institutione.

[17]

APPENDIX I *

INSTRUCTIONIS

DE SACRORUM ALUMNIS FORMANDIS

Auctoritate Concilii Oecumenici Vaticani II conficiendae prima lineamenta adumbrata a Commissione de Seminariis de Studiis et de Educatione catholica

I – DE VOCATIONIBUS SACERDOTALIBUS FOVENDIS

1. De natura vocationis sacerdotalis eiusque signis.
2. De promovenda omnium Ecclesiae membrorum socia opera ad vocationes sacerdotales fovendas.

---

* De quaestionibus, quae in hisce Appendicibus proponuntur, nulla fiet disceptatio in Congregationibus Generalibus, sed unusquisque Pater Conciliaris libere poterit animadversiones suas *scripto* facere easque tradere Secretario Generali Concilii.

Appendices autem, iussu ipsius Sacrosancti Concilii, remittentur una cum omnibus animadversionibus a Patribus prolatis ad Commissionem de reformando Codice I. C. vel ad alias Commissiones quae Directoria pastoralia redigenda curabunt.

3. De mediis ad vocationes sacerdotales fovendas, v. g.: [17] De « Die pro vocationibus » in omni paroecia instituendo; de peculiari parentum instructione; de directione spirituali; de consociationibus catholicis; de parvo clero; de pueris cantoribus; de iuvenum exercitiis ad vitae statum eligendum etc.

4. De Opere Vocationum Sacerdotalium fovendo, secundum universalis Ecclesiae necessitates, ad meliorem cleri distributionem.

II – De Seminariorum speciebus et ordinatione

1. De Seminariis Minoribus et de eorum peculiari ordinatione.

2. De Seminariis pro vocationibus provectioris aetatis.

3. De Seminariis Interdioecesanis et Regionalibus, necnon de Seminariis Nationalibus et Internationalibus. De Seminariis [18] specialibus v. g. pro Missionibus, pro America Latina etc.

4. De Seminariorum Visitatione.

5. De moderatorum et magistrorum praeparatione; de Institutis ad hunc finem erigendis vel frequentandis.

6. De alumnorum selectione et probatione. De perito medico audiendo. De usu methodi quae vocatur « test » etc.

7. De disciplina in Seminario: de erroribus vitandis, de aptis normis applicandis.

8. De vacationibus sacrorum alumnorum.

III – De sacrorum alumnorum in Seminariis institutione

1. De institutione spirituali et de eius notis: biblica, christocentrica, ecclesiali.

2. Monita et consilia circa peculiares periodos ad institutionem spiritualem profundius excolendam.

3. De normis circa probandam castitatem recognoscendis et unico documento colligendis.

4. De moderatore pietatis et de eius peculiari praeparatione. De confessariis et de normis ab ipsis servandis.

5. De vita liturgica in Seminariis, de lectionibus sacris etc.

6. De studiorum ratione et de eius accommodatione ad diversas nationes, missiones etc.

7. Peculiaria de diversis formationis intellectualis gradibus

[18] et temporibus; de curriculo studiorum humaniorum, philosophico, theologico.

8. De institutione proprie pastorali sive theoretica sive practica. Consilia pro exercitationibus pastoralibus durante Seminario.

IV – De institutione post Seminarii curriculum complenda.

De institutione post Seminarium perficienda consilia varia ab Episcoporum coetibus pro diversarum regionum adiunctis perpendenda: diaconatus per annum, convictus sacerdotales, periodici conventus, mensis sacerdotalis etc.

[19] APPENDIX II

DE SACRORUM ALUMNIS FORMANDIS

Normae quae ad Codicem Iuris Canonici spectare videntur iuxta proposita Commissionis de Seminariis, de Studiis et de Educatione catholica

1. Can. 1353 ita augeatur, ut de opere vocationum in unaquaque dioecesi condendo sit sermo sive quoad finem sive quoad media.

2. Quaedam ex integro constituantur de institutis vocationum provectioris aetatis.

3. Quaedam fusius de qualitatibus et condicionibus requisitis ad receptionem in Seminarium concedendam statuantur deque auctoritate competenti iudicium ultimum ferendi de hac admissione.

4. Item quaedam enucleatius dicantur de Seminariis interdioecesanis (de facto vel de iure), regionalibus, internationalibus, ipsis notionibus clarius distinctis.

5. Canon generalis de re oeconomica Seminarii condatur iuxta principia iuris patrimonialis Ecclesiae, quae in schemate Commissionis de disciplina Cleri et populi christiani continentur.

6. Quaedam expresse statuantur de peculiari formatione eo-

rum, qui in Seminariis munere aliquo moderandi et docendi [19] funguntur.

7. Principia accuratiora de selectione et probatione alumnorum dentur, cum canon 1371 negativo tantum modo exaratus sit.

8. Distincti canones condantur de Disciplina, de Formatione spirituali, de Studiis, de Formatione pastorali, cum in Codice vigenti normae quae adsunt, aliquomodo confuse rem describant. Item canon vel paragraphus condatur de formatione praecipue pastorali post Seminarium perficienda.

9. Sancte servatis principiis universalibus (cf. can. 1364), in singulis nationibus Ratio Studiorum habeatur, ab Episcoporum coetu redacta et a Sancta Sede approbata, qua leges gene- [20] rales evolvuntur et particularibus locorum temporumque adiunctis accommodantur.

10. Canones in Codice vigenti, qui nimis ad particularia descendunt, iuxta ea quae in schemate Constitutionis hac in re continentur, opportune recognoscantur (cf. e. gr. can. 1367).

11. Commissio « De Seminariis, de Studiis et de Educatione Catholica » votum profert ut in novo Codice omnia quae admissionem ad ordines spectant, ei S. Congregationi deferantur, cui tota formatio cleri commissa est.

12. Examinandum videtur utrum ea quae de sacrorum alumnis formandis in Codice novo agent, ex libro « De rebus » ad librum « De personis » transferenda sint.

IV
ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD SCHEMA CONSTITUTIONIS DE SACRORUM ALUMNIS FORMANDIS

1

EM.MUS P. D. ANTONIUS M. CARD. BARBIERI
Archiepiscopus Montisvidei

Que el voto de castidad que se hace en el Subdiaconado no sea perpetuo, sino temporal y dispensable por el Ordinario, hasta la ordenación sacerdotal en la que se hará el perpetuo.

Que antes del Presbiterado se ejercite, por lo menos por un año, el Diaconado en las parroquias, y después se vuelva al Seminario para otro año de estudios especialmente consagrados a la Ascética y Mística, Teología Pastoral, Litúrgia y Sociología, además, de un cultivo especial de la oración, y la realización del mes de ejercicios espirituales, después del cual se recibiría la ordenación.

2

EM.MUS P. D. JULIUS CARD. DÖPFNER
Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis

Commendatur, ut schema ad formam brevissimam reducatur, id est fere sequentem:

(Prooemium). Saepius nostris temporibus Sancta Sedes instructionibus et monitionibus formationem sacrorum alumnorum curavit, quae a Concilio repetenda non sunt. Omissis iis, quae omnibus iam nota sunt, Concilium ea tantum statuere decrevit, quae una ex parte nostris temporibus specialis seu novi momenti sunt, altera ex parte quae necessaria sunt, ut fructus Concilii quam citius futuris sacerdotibus et per eos populo christiano communicentur.

I. *De vocationibus et seminariis minoribus.*

1. (De vocationibus). Cum maxima hodiernis temporibus sit cura Ecclesiae, ut pueri iuvenesque a Deo vocati ad sacerdotium perveniant, ante omnia providendum est, ut in familiis, communitatibus paroecialibus et scholis illa vita plene atque profunde christiana oriatur et foveatur, ex qua vocationes provenire solent. Cum autem prima germina vocationum apparuerint, ii, ad quos pertinet, zelo prudenti et religioso easdem tueri et evolvere satagant.

2. (De seminariis minoribus). Pro iis pueris vocatis, qui in familia propria et scholis catholicis ad ingrediendum seminarium maius apte perduci non possunt, seminaria minora pateant. Vita in seminariis minoribus ita instituatur, ut doctrinis psychologiae sanae plene respondeat. Pueri contactum cum familiis suis ne amittant,

ad experientiam rerum mundanarum diligenter ducantur, spiritu sanae iuventutis vivant. Praesertim ad laetum et vivum Christi amorem ducantur et omnia ita disponantur, ut in plena libertate ad spontaneam et profundam decisionem pro sacerdotio eligendo venire possint.

Studia ita ordinentur, ut ii qui se non vocatos esse noverint, facile ad aliam professionem se praeparare possint, nisi omnino seminaria ita ordinata sint, ut in iis tum futuri sacerdotii candidati cum laici catholici ad apostolatum laicorum eximius dispositi educentur.

II. *De seminariis maioribus.*

3. (De unitate formationis interna). Formatio alumnorum ex visione totali seu integrali oriatur, ita ut studium theologiae, formatio personalitatis, institutio ascetica, cultus liturgicus, educatio pastoralis necnon tota vita communis seminarii sit unica profunda alumnorum formatio.

4. (De tirocinio spirituali). Perpendant Episcopi instaurare periodum congruam impensioris tirocinii spiritualis ante curriculum philosophico-theologicum, quo addiscant alumni conversione facta vivere secundum Evangelium (cf. *Mc.* 1. 15).

5. (De studio theologico). Studium theologiae sub quadruplici respectu ordinatum esse debet: Vera scientia proponatur, necessitatibus et diversitatibus temporum et populorum correspondeat, vitam fidei et caritatis alumnorum nutriat et ita praxi pastorali correspondeat eique serviat, ut alumni testes credibiles esse possint.

6. (De momento Sacrae Scripturae). In studio theologiae studium sacrae Scripturae, quae universae theologiae prope anima esse debet, positionem fundamentalem et centralem habeat.

7. (De momento S. Liturgiae). Liturgia, cum sit culmen vitae Ecclesiae, magni aestimetur in studio theologico, in vita religiosa alumnorum et pro futuro labore pastorali. Praesertim autem pia et digna eius celebratio et participatio manifestet glorificationem Dei summum esse Ecclesiae munus.

8. (De educatione pastorali). Cum pastores educandi sint, pastoralis sollicitudo totam sacrorum alumnorum formationem pervadere et animare debet. Iam durante studiorum curriculo iidem ad praxim pastoralem initientur opportunis exercitationibus et operibus.

9. (De oboedientia et responsabilitate). Alumni non tantum ad spiritum oboedientiae sed et ad responsabilitatem et maturitatem educandi sunt ita ut gradatim praeparentur, in se stantes (aut: cum animi constantia) in mundo vivere, indoles hominum cognoscere, quae sunt bona agnoscere et christiana prudentia ac libertate homines ad Christum adducere.

10. (De recta aestimatione culturae populorum). Curent Episcopi, ne mentalitas occidentalis alumnos aliarum regionum a mentalitate proprii populi abalienet, sed ut iidem divitias traditionum et culturae proprii populi ita cognoscant, ut iis praedicando uti eademque fide christiana pervadere valeant.

11. (De recta aestimatione Apostolatus Laicorum). Cognitio et sensus pro apostolatu laicorum iam in seminariis excitetur. Laicorum cooperationem magni aestimare discant et laicos humiliter et aperta mente audire assuescant.

12. (De educatione sociali). Alumni introducantur ad cognoscendas condiciones sociales societatis modernae, imprimis vitae familiaris et professionalis, et doctrinam socialem Ecclesiae bene perspectam habeant.

13. (De educatione oecumenica). Alumni ad quaestionem oecumenicam cognoscendam et ad pleniorem cognitionem communitatum fratrum christianorum separatorum adducantur.

14. (De sana naturae evolutione). Ne transmittatur cultus indolum naturalium corporis et animae, uti sunt v. gr. sanitas, urbanitas, familiaritas cum condicionibus vitae laicorum.

Animadversiones ad supra dictum schema:

Schema propositum placet.

Animadvertenda autem videntur quae sequuntur:

Ad n. 2. Primo inciso huius numeri anteponatur: « Curent Ordinarii, ut in quibusvis scholis publicis, praesertim superioribus, pueris per sacerdotes idoneos solida institutio religiosa impertiatur atque imprimis spiritus fidei, pietatis, castitatis colatur ac in dies augeatur, ita ut germen vocationis sacerdotalis, ubi inveniatur, sancte servetur et foveatur ». Deinde prosequatur: « Pro iis *autem* pueris vocatis, qui in familia propria et *scholis* ad ingrediendum seminarium maius... » (deleto in linea 2 verbo « catholicis »). *Ratio*: Necesse videtur, ut aliquid dicatur de vocatione spirituali tutanda et nutrienda in iis qui, in suis familiis manentes, scholas publicas frequentant, cum experientia constet permultos iuvenes hac via ad sacerdotium pervenire.

Ea de causa in linea 2 verbum « catholicis » delendum est, ne opinio oriri queat vocationem sacerdotalem in scholis, quae stricto sensu catholicae non sunt, servari non posse.

Ad n. 12. Iste numerus melius post n. 8 poni videtur.

[*Subscripserunt*] M. Wehr, ep. Trevirensis; B. Stein, aux. Trevirensis; C. Schmidt, aux. Trevirensis.

3

EM.MUS P. D. CLEMENS CARD. MICARA

Episcopus Veliternus

Placet iuxta modum. Ad n. 6, pag. 7, linn. 10-16: de seminariis minoribus. Expediret ut studia proponerentur ita ordinanda quae sint apta et utilia non solum ad sacerdotium ascensuris sed etiam ad saecularia redituris.

Periculum ita devitatur vel minuitur ne quis sentiat se ad capessenda clericalia munera coactum cum timeat se posse difficulter inter laicos collocare. Qui seminaria deseruerint, si experientur nullum ex ibidem transacto tempore passos esse detrimentum, immo utilitatem assecutos, pro vita quoque in saeculo agenda, gratam memoriam servabunt et Ecclesiam, nedum acerbo animo prosequantur, saepe valide tamquam laici coadiuvabunt.

Ad nn. 22-24, pagg. 13-15. Describitur ratio studiorum pro seminariis, laudabilis quidem, quae tamen difficulter vel minime ad effectum deduci possit. Periculum inest ne, studiorum disciplinis cumulatis, doctrinae soliditati detrimentum afferatur.

Appendices I-II (pagg. 17-20) nimis de rebus et normis parvi ponderis curant, opportunius seminariorum superioribus, episcopis moderantibus, remittendas.

4

EM.MUS P. D. PAULUS M. CARD. RICHAUD

Archiepiscopus Burdigalensis

Valde mihi placet quod enuntiatur principium, in n. 18, de varietate, secundum rationes particulares diversarum nationum, exigentiarum quoad efformationem cleri, adeo ut leges universales a Sancta Sede non sint tam multae, tam cogentes.

Cuncta in hoc schemate sunt bene proposita, speciatim de recognitione opportuna seminariorum minorum et seminariorum pro vocationibus provectioris aetatis.

Optima est commendatio ad congruam periodum instaurandam (in n. 17) impensioris tirocinii spiritualis.

Quoad *Appendices,* multo exoptandum est ut istae directivae vel normae non nimis ad particularia descendat. Attamen quaedam explanationes appetendae sunt: de *natura vocationis* sacerdotalis eiusque signis; de *seminariis interdioecesanis,* quae possent institui, sine recursu ad Sacram Congregationem, tantummodo per consensum et contractum inter episcopos harum dioecesium, servatis tamen legibus generalibus; de *seminariorum Visitatione* quae fit per visitatores, non solum a Sancta Sede approbatos, sed etiam accurate designatos a Conferentiis Episcopalibus, ita ut sint vere competentes et adaptati; de *vacationibus sacrorum alumnorum,* quarum duratio vel conditiones a Conferentiis Episcopalibus determinandae sunt, cum tamen aliquo monitu contra nimiam frequentiam ac diuturnitatem talium feriarum; tandem evidenter apparet quod ea quae de sacrorum alumnis formandis *in codice novo agent in libro « De Personis »*, potiusquam in libro *De rebus.*

5

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. RITTER

Archiepiscopus S. Ludovici

In many ways, this schemata is the most disappointing of those presented. The formation of candidates for the Priesthood is treated in an almost purely juridical manner. I regret particularly that nothing has been said about the personal development of the Seminarian and no indication given that he should be enabled to develop personal responsibility in his spiritual, intellectual and apostolic life.

I also regret that there is no indication that Seminaries and Seminary curricula cannot be the same in every locale. The need of adapting Seminaries to the needs of the region should be adverted to in the text.

Finally, I am convinced that greater stress should be placed on the development of the whole person in our Seminaries, where too much emphasis has been laid on the formation of the docile subject.

6

EM.MUS P. D. LAUREANUS CARD. RUGAMBWA
Episcopus Bukobaensis

This Schema reflects the traditional teaching of the Church with perhaps more stress on the pastoral aspect as appears from n. 7 and 23.

As to this pastoral aspect I could not find anything better than an extract from an article written by the Very Reverend Father Degrijse of the Congregation of the Immaculate Heart of Mary (Scheut) and published in " Christ to the World " Vol. VIII, No. 1, 1963. Many priests will welcome this article. The question treated therein is a practical one. No. 27 of the Schema deals with the theoretical formation. The practical apostolic training must of course vary in different countries according to the peculiar circumstances and cannot therefore be expressed in a Schema, which is of a more general nature.

In the same way as future teachers practice under the control of their teachers or tuters, so also it should be quite normal that future priests who must be teachers of the Divine Word, be trained not only in the pastoral doctrine, but also in the practical work of the pastoral ministry. The main task of the apostolate is teaching, preaching and personal contacts with non christians. Now we cannot but feel a certain uneasiness when we see that many priests are not very capable of this task, because they have never learned it. The Seminary teaching in almost complete isolation and separation from the outside world is too often theoretical and looses sight of the needs of men. For that reason the young priest is in many cases not well prepared for his apostolate. He may be full of zeal, but he does not know *how* to bring Christ to the world. The result may be misguided zeal or inefficiency: many times possibilities remain unexploited because of ignorance.

While stressing the *practical* necessity of the Apostolate it is not said that the spiritual training is of less importance. The necessity and primacy of the spiritual training is beyond any doubt but it is not *all*. One can still hear a remark like this: " Why refuse a candidate because of lack of intelligence? Could he not as a priest pray? Why then remove such a candidate from the seminary? " With a growing circle of intellectual laymen in Africa more stress should be laid on a solid formation both theoretical and practical. Following is an extract from the article by Very Reverend Father Degrijse, Superior General of the Scheut Missionaries:

" The traditional formula for sacerdotal training consists of two principal parts: theological (intellectual) formation and spiritual formation which constitute the distant preparation for the future ministry. *Immediate preparation for the apostolate is not envisaged.* Many of them consider apostolate and action taboo during the years of training. An atmosphere of complete separation, of intense inwardness is judged indispensable both for intellectual and for spiritual formation. Apostolic activities would be incompatible with such an atmosphere.

We get the illogical situation that, on the one hand, it is dinned into laymen, young people especially, that every baptized person must be an apostle, while, on the other hand, future priests are dispensed from the apostolate for six or seven years. This ban weighs all the more heavily on many of them in that they had apostolic activities before their entry to the seminary.

The danger exists that the young priest may *leave the seminary* and begin his

sacerdotal life without *sufficient training for the apostolate,* at the risk of suffering from this handicap all his life. Maybe he has only a weak apostolic spirit: it is only by engaging in the apostolate that one becomes an apostle. Maybe he has never grasped the meaning of the lay apostolate, never realized that one of his great tasks is the apostolic animation of the laity and their training in apostolic techniques. The little apostolate that he has exercised in the course of his studies was perhaps limited to one category of people, youth for example, so that, for the whole of his life, he will not dare to engage whole-heartedly in the apostolate among adults. He has not learned the psychology of contacts with people of all classes (which is learned only by practice). He runs the danger of limiting his whole apostolic vision to Catholic environments alone. Perhaps he will never throw himself into the apostolate vision to Catholic environments alone. Perhaps he will never throw himself into the apostolate of the dechristianized and of people of other beliefs, because he does not dare and does not know how to set about it, or because concern for those—outside—has never been awakened within him.

The sacerdotal ministry must be exercised in terms of the community, if it is to respond to the spirit animating the Church community today. Moreover, the apostolate of the priest in our present day world is so heavy, so difficult, so demanding that it can be efficient only if it is exercised in a group. But sacerdotal team work must be based on a spiritual discipline that is learned only with long practice.

The priest is 100% an apostle: the apostolate is the meaning of his life. Therefore, it seems logical that a third essential element should form part of his training: training for the apostolate. When he leaves the seminary, he must be able to cope with his task in our modern world, with his task in a Church that must be put in state of mission. This problem is felt everywhere. A first attempt at a solution was the introduction of the *fifth year* of pastoral work for religious. Some Bishops have already adopted this initiative for their seminarians. *But this solution does not seem to be adequate.* One does not acquire an apostolic spirit, knowledge of men, the technique for contacts, the methodology of the apostolate in a few months; it takes years to do so. Apostolic training should be given for the whole time spent at the seminary, and not only theoretically (pastoral theology) but also practically: *it is practice that makes the apostle.* Thus it becomes an integral part of the seminary curriculum and compulsory for everyone. It is no longer a—marginal—activity and just tolerated. The teaching staff must accept this formula and all its members put themselves at the service of the apostolic training of the seminarians. Then one is not only a scholar or a teacher of dogma, for example, but also a trainer for the apostolate ".

End of quotation: The article still continues giving some practical suggestions and it points also to the advantage which this practical training has for the spiritual life of the student.

No. 8 of the Schema speaks of Interdiocesan Seminaries. This seems to be a great asset, since such seminaries will bring along more contacts and save money and personnel. The danger of a " parochial " spirit or narrow-mindedness may be more remote and the standard of education can more easily be raised to a higher level. The question of re-distribution of priests for the various pastoral tasks is closely linked to the institute of Interdiocesan Seminaries.

Very important seems to me that the seminarians have an open window on

the world and become familiar with its main problems, such as for example Ecumenism. As one can read more and more in magazines, African intellectuals have great hopes that the time has come that the Church in Africa may assume her own responsibilities, but also be allowed to express her own " physiognomy ". In this connection we often hear the word: " adaptation ". This word, however, may be misunderstood. Adaptation may be regarded as a sort of concession granted to the Church in Asia or Africa. The Roman, Latin form and juridical organization is regarded as the universal one and deviations from that universal model are " tolerated " and granted in the form of indults, whereby implicitly finds its expression the concept of uniformity. What many people feel is that the Church in Asia or Africa is still held as a minor, not capable yet of adopting the Roman forms, its legal structure and liturgy.

The Church in Africa, however, can develop her own " physiognomy " from within and not imported from regions in the world with a different culture. One can find statements made by African intellectuals which indicate a state of malaise. So for example the Abbé Nioka (in Informations Catholiques Internationales, No. 187, mars, 1963 in an article entitled " L'Espérance Africaine ") asks himself what is christianity for the African? " C'est la religion des Blancs, une religion étrangère, importée? " One may even think if not some of his statements are too absolute. Bishop Kimbondo (in the same article) speaks of " un visage africain " for the liturgy. Christianity in Africa is still too occidental and as a result of it, it has no firm grip on the African mentality. The liturgy is for the common man in most cases the language in which the Church speaks to her children and besides the liturgy the common man finds little by which to enrich his christian life. Should, therefore, our seminaries in Africa not be open for such problems and not " a priori " accept all that is western, because it is western? Since the message of Christ is destined to reach all people it is not more than natural that this message should be brought to them in a language understood by the people, and that the external divine worship be brought in greater harmony with the inner feelings and character of the people, to that they may more spontaneously join in the celebrations of the divine cult. The Episcopal Conferences, on the other hand, will enable these trends of renewal to be channelled and not to be allowed to grow out into too many branches.

From the above one comes to the conclusion that it would be almost a necessity to establish Institutes in the future in Africa instead of sending our students to Europe. The Faculties of Philosophy and Theology in Africa could set themselves the task to search for a truly African form in which the unalterable truth of God can be expressed. Pope John XXIII has said that the eternal truth can be expressed in various forms and the variety of liturgies reveals the multi-coloured robe of Holy Mother Church.

7

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

A nationali episcoporum conventu in Chilia propositae.

A) *Observationes generales.* Schema in genere placet. Sunt tamen aliqua quae adhuc desiderantur, ut sequentia:

1. Titulus alter proponitur: *De formatione clericorum.* Rationes patebunt.

2. Schema in mente habere videtur imaginem aliquatenus puerilem candidatorum, fortasse in voce « alumni » contentam. Iamvero in aliquibus locis magna pars seminaristarum iuvenes, immo et adulti sunt. *Desiderandum videtur hoc schema tantum ad Seminaria Maiora restringi,* forte cum aliquo brevi paragrapho ubi de seminariis minoribus vel aliis collegiis ad vocationes fovendas agatur.

3. Si fieri possit, cum iuxta novum titulum de « clericorum formatione » ageretur, includantur aliqua summa principia ad formationem diaconorum regendam.

4. Desideratur etiam ut locus detur alicui tirocinio pastorali, seu ut suggeratur exercitatio practica pastoralis per aliquod tempus protracta, ad nutum Episcopi. Sic forte inter philosophiam et theologiam, vel post diaconatus susceptionem. Vocationes sic possent melius experiri et praeparari.

5. Aetas minima ad ordinem sacerdotalem suscipiendam 25 anni esse debet.

B) *Observationes particulares.* Pag. 5, lin. 4: loco « Sacerdotii » proponitur « *missionis* ». *Ratio*: lin. 1: « Sacerdos » contradistinguitur « Prophetae » ac « Regi »; hic « Sacerdotium » haec omnia includit. Ne ergo eadem fere vox duabus significationibus diversis adhibeatur, oportet alteram mutare.

Pag. 5, lin. 17: post « Sacerdotium » addatur *hierarchice. Ratio:* omnes fideles Sacerdotium Christi aliquo modo participant. Distinguatur ergo modus hierarchicus seu ministerialis participationis.

Pag. 5, lin. 21 - pag. 7, lin. 16: supprimatur. *Ratio*: problema de vocatione sacerdotali adhuc obscurum videtur. Nec locum hic habere debet tanta tractatio de hac re. Brevis ergo proponitur paragraphus ubi summatim de vocationibus fovendis, de unione inter dioeceses atque de ratione vitae et studiorum apud seminaria minora vel alia collegia, generales proponuntur normae; uti exempli gratia: « Quare eadem Sancta Synodus Ecclesiae pastores atque omnes sacerdotes, immo ac fideles omnes monet ut oratione, exemplo, verbo zeloque vocationes ecclesiasticas quam maxime foveant. Quae actuosa ad vocationes fovendas conspiratio etiam dioecesium fines transcendat oportet, ita ut illis regionibus auxilium afferri possit, ubi Domini vinea instantius advocat operarios.

Seminaria vero minora, ac peculiaria illa collegia, quae promotioni apostolicae sacerdotalisque vocationis apud adolescentes valde fructuose inserviunt, secundum peculiaria locorum adiuncta et episcoporum iudicium sedulo foveantur; ita tamen ut ratio vitae alumnorum quantum potest cum communi omnium adolescentium vita congruat, et titula vel gradus ab iis conferantur, sicut ab aliis collegiis catholicis vel status; ne alumni coactionem moralem quam minimam ad statum clericalem amplectendum patiantur ».

Pag. 7, lin. 17: specificandum videtur hic agi de seminariis *maioribus.*

Pag. 7, lin. 23: post « divina » addatur *et salutaris. Ratio:* salutifera enim virtus est ratio cur Deus divinam nobis tradidit veritatem.

Pag. 9, linn. 1-21: disciplina ad maturam et adultam personalitatem efformandam ordinari debet. Duo in hac re sunt pericula cavenda: *alter,* ut omnis disciplina veri nominis elidatur, de quo in schemate contra aliquos recentiores errores sermo fit; *alter,* ut personalitas deformetur et omnis spiritus sic dictae « initiativae » exstinguatur. *Proponitur ergo:* linn. 16-21 transferatur post lin. 6, ita ut pars positiva veniat ante errorum enumerationem; loco « recentiores speciosi errores », dicatur « errores quosdam ». *Ratio:* ne recentior evolutio tota seu ex

toto sub suspicione cadere videatur. Mentio forte facienda esset de secundo periculo supra memorato.

Pag. 10, linn. 31-36: Cum constitutio conciliaris *de sacra Liturgia* valde commendet usum ampliorem ac — consequenter — pleniorem intellegentiam Sacrae Scripturae in tota educatione et celebratione liturgica (cf. nn. 24; 35; 51; 90), inter pia exercitia in seminario fideliter colenda, mentio peculiaris facienda esset de Lectione Sacrae Scripturae, praesertim Evangelii.

Pag. 12, linn. 2-3: verba « prout ... (*Malachias* 2, 7) », omittantur; sacerdotes enim V. T. non sunt simpliciter praecursores sacerdotum N. T. In N. T. alius textus inveniri potest ut loco prioris ponatur; e. g., ad *Tim.* 1, 4. 6.

Pag. 12, linn. 21-32: haec supprimantur, si schema ad postulantes in seminariis maioribus restringitur; vel doctrina, quae in se optima est, immo et ad religiosos extendenda, brevi memoretur in paragrapho ubi de requisitis ad seminaria maiora ingredienda.

Pag. 12, lin. 28: (si relinquitur) iuxta « latinae linguae » proponitur additio *culturae humanisticae cognitionem. Ratio:* textus destinatur etiam Orientalibus; praeterea conceptu « culturae humanisticae » et alia elementa, una cum lingua latina, utique primordiali, complectuntur.

Pag. 12, lin. 33 - pag. 13, lin. 28: ubi dicitur (passim) « cursum philosophicum » et « cursum theologicum », dicat melius « studia philosophica » et « studia theologica ». *Ratio:* in dies enim crescit opinio quae tenet philosophiam non adeo separandam esse a theologia; ne ergo praecludatur praemature possibilitas studendi philosophiam simul cum theologia speculativa (uti fit, e. g., in ipsa D. Thomae Summa Theologica), proponitur supradicta mutatio.

Pag. 13, lin. 27: mentio fieri potest etiam scientiarum naturalium. Post « valeant » ergo inseratur: « etiam quaestiones modernae ex progressu scientiarum naturalium ortae in studiis philosophicis tractandae sunt, ne alumni imaginem mundi iam obsoletam prae oculis habeant ».

Pag. 14, lin. 14: « veritates »: forma pluralis videtur non omnino libera a conceptualismo. Dicatur *aeternam veritatem.*

Pag. 14, linn. 17-18: post « fratres » addatur: « cognoscere, diligere et ... ». *Ratio:* fratres separati cognosci et diligi debent priusquam eis auxilium tribuatur. Vox « iuvare » nimis restricta videtur.

Pag. 15, lin. 24: hic suggerentia alicuius « tyrocinii pastoralis » per aliquod tempus protracti (forte etiam per annum vel duos annos) introduci potest, uti fit inter aliquas congregationes religiosorum.

Pag. 15, linn. 29-35: duo hic essent addenda: 1) formatio praesertim pastoralis debet continuari post Seminarium, ita tamen ut introductio in vitam activam gradualiter fiat non tantum ob eius pericula, sed etiam ut sacerdotes semper parati sint ad necessitates semper mutantes, et in dies celerius, mundi hodierni obeundas; praeterea haec formatio protracta inservit ad adunationem cleri; 2) praxis pastoralis continet etiam multas gratias et invitationes Domini, quae memorari debent ne visionem nimis negativam, periculorum plenam, praesentetur.

8

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN

Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Schema, uti propositum, in genere mihi placet. Unam animadversionem facere velim: in n. 26 dictum est: « Ad pastoralis actionis primos gressus tutius dirigendos valde iuvabit pastoralem institutionem in seminariis receptam per aliquot annos peculiari cura complere, diversis illis modis qui secundum episcoporum experientiam in singulis regionibus videantur aptiores ». Certe certius nemo dubitat quin formatio sacerdotalis post seminarium perficienda sit. Perutile est statuere principium quod Ordinarii vel episcoporum coetus habebunt ius et munus diiudicandi modum huiusmodi institutionis aptiorem. Etiam, in instructione auctoritate Concilii Oecumenici conficienda expresse statuendum est idem principium. Episcopi propter suam experientiam et meliorem adiunctorum regionis suae cognitionem poterunt providere illis tantum modis institutionis qui neosacerdotibus maxime proderunt et qui nullum detrimentum operi pastorali sine necessitate inferent.

9

REV.MUS P. D. IACOBUS ALBERIONE

Superior generalis Piae Societatis a S. Paulo Ap.

Ad n. 2 ss. Mihi videntur expungenda esse omnia quae dicuntur de vocationibus ecclesiasticis et unienda cum analoga disceptatione in vocationes ad status perfectionis. Haec unio iam facta est a Suprema S. C. S. Officii, ope Decreti 3 novembris 1916, relate ad indulgentias lucrandas a membris Sodalitatum ad provehendas religiosas vocationes: « Ss.mus D. N. Benedictus div. Prov. Pp. XV, in audientia Rev.mo P. Commissario Generali S. Officii, feria V, die 7 septembris 1916, impertita, benigne concedere dignatus est ut omnes et singulae indulgentiae ac privilegium Missarum, quae per Decretum huius Supremae S. Congregationis sub die 29 maii 1913, s. m. Pius Pp. X elargitus est Sodalitatibus promovendis iuvandisque ecclesiasticis vocationibus erectis vel erigendis, extendantur *ad consimiles Sodalitates,* provehendis iuvandisque, pro quolibet Ordine, Congregatione, Instituto, ex utroque sexu, religiosis vocationibus ».

Insuper terminologia magis curanda est. Potiusquam de vocationibus ecclesiasticis, agi videtur de vocationibus ad statum clericalem.

In genere. Promiscue adhibentur vocabula « institutio » et « formatio », cum, e contra, in Constitutione Apostolica *Sedes Sapientiae,* art. 2 Statutorum Generalium adnexorum, clara fit distinctio inter institutionem et formationem. « In huiusmodi *institutione,* tria assidue concurrant oportet: instructio... educatio... *formatio* ».

10

EXC.MUS P. D. IOSEPH ATTIPETTY
Archiepiscopus Verapolitanus

I. In schemate prout proponitur seminaria minora manent extra ambitum formationis proprie sacerdotalis. De eis enim verbum tantummodo fit in cap. I, n. 6, linn. 10-15 directe, et in n. 19, linn. 20-30 implicite.

Praeterea expresse dicitur formationem proprie sacerdotalem inchoari in seminario maiori « ... ut ipsi seminaria maiora ingredi et formationem proprie sacerdotalem inchoare valeant » (linn. 14-15, pag. 7).

Meo vero iudicio institutio alumnorum sacerdotalis debet inchoari in seminario minori, in quantum fieri potest. Momentum quaestionis haeic implicatae in eo est quod plura adsunt seminaria minora, specialiter in terris missionum, quae recipiunt alumnos qui iamiam studia media humanarum litterarum perfecerunt in sedibus civilibus. Nec desunt huiusmodi seminaria minora in dioecesibus iuris communis.

De facto autem formatio sacerdotalis in pluribus seminariis minoribus inchoatur non tantum mediis adhibitis ad alumnos imbuendos aestimatione et spiritu vitae sacerdotalis, sed directe eos alliciendo ad sacerdotalem formationem acquirendam. Inde quaeri potest utrum huiusmodi praxis tanquam exceptio a iure aegre tantum ferenda consideretur.

Imprimis absonum foret *omnia seminaria minora,* quorum utilitas et fructus patent, ad quoddam genus generale collegii saecularis reducere.

Seminaria minora debent venire in schemate constitutionis expresse definita, et Sancta Synodus confirmare deberet et complere quae iam in pluribus dioecesibus fit.

Procul dubio, praeteriri non possunt differentiae quae interesse inspiciuntur inter seminaria maiora et minora, inter disciplinam et exercitia propria seminario maiori et methodum agendi in seminario minori.

Formatio sacerdotalis inchoata iuxta adaequatam methodum in seminario minori, et continuata in curriculo philosophico optime praeparat alumnos ad recipiendam formationem clericalem-pastoralem in curriculo theologico. Natura non facit saltus, nec gratia destruit naturae leges: transformatio vero illa hominis moderni in sacerdotem verum et perfectum, requirit tempus.

Ergo concluderem: Inseratur in schemate formationem sacerdotalem inchoandam esse in seminario minori, in quantum fieri potest.

II. In III. De institutione spirituali, n. 15, linn. 6 ss. optarem ut explicite diceretur alumnos seminariorum *ab initio* ad sacerdotalem castitatem educandos esse. Item optarem ut explicite S. Synodus condemnet recentiores speciosos errores iamiam damnatos a Pio XII in *Sacra Virginitas,* uti damnat errores quoad disciplinam in n. 11, linn. 7 ss.; errorum enim funestae consequentiae graviores esse possunt in hac materia.

In n. 17, linn. 34 ss. quoad tirocinium ad formationem spiritualem roborandam in alumnis dicendum videtur ipsum posse instaurari etiam aliis temporibus praeter casus in schemate praevisos, e. g. ante subdiaconatum, vel diaconatum. Plures rectores suadent hoc tirocinium ante susceptionem subdiaconatus ita ut

alumni post tirocinium peractum sive tertium sive quartum annum theologiae perficiant.

In n. 18, linn. 6 ss., explicite oporteret dici rationem studiorum clericalium ex intrinseca catholici sacerdotii unitate, ad obiectum et finem quod attinet, communem debere esse, cui ratio studiorum peculiaris addenda esset in singulis nationibus.

Ad Appendicem II. 1. Cum institutum alumnorum sacrorum formationis satis evolutum sit, si universa materia in unum redigatur, iuvat materiam systematice et logice ordinare. Vigens ius canonicum continet normas attinentes alumnos candidatos ad sacerdotium dispersas in pluribus locis. Oporteret omnes canones reduci ad titulum specialem « De alumnis sacrorum formandis ». Sic reducendi sunt ad dictum titulum specialem omnes canones qui agunt de vocationibus promovendis, de seminariis, de regimine seminariorum, de admissione, de qualitatibus, de institutione tum spirituali tum intellectuali tum pastorali, de ordinatione — relictis in proprio loco iis quae ad Ordinem ut sacramentum attinet — de obligatione et iuribus alumnorum, de egressu e seminario, de formatione complenda post seminarium.

2. Optarem canonem specialem statuentem coetum rectorum seminariorum vel nationalem vel regionalem, immo et internationalem, qui, sub ductu sive episcoporum sive Apostolicae Sedis, seminariorum aptationem et renovationem foveret. Huiusmodi enim congressus vel coetus magnopere iuvabit ad creandam coordinationem regionalem, nationalem et internationalem in clero. Nec debemus oblivisci necessitatem huiusmodi spiritus cohaerentiae et cooperationis inter sacerdotes diversarum dioecesium et regionum nationumque.

3. Materia canonica quoad moderatorum qualitates, rationem nominationis, stabilitatem in officio, potestatem, iuribus officiisque iuxta principia decreti de formandis sacrorum alumnis et plus minusve sequendo ordinem adhibitum in Codice quoad alia officia, in libro de Personis ordinetur.

4. Ea quae habentur in canonibus de Ordine scil. cann. 972, 973, 974, 975, 976, 984, 987, 992, 993, 996, 997, 1001, opportune ad illam partem Codicis ubi de formandis alumnis sacris agetur, transferentur. Agitur enim de qualitatibus requisitis in alumnis sacris; possent poni tales conditiones inter conditiones ad admissionem.

11

Beat.mus P. D. IGNATIUS PETRUS XVI BATANIAN

Patriarcha Ciliciae Armenorum

Pag. 7, n. 6: legitur: « Alumni vero in seminariis minoribus vitam ducant quae cum communi omnium adulescentium vita, quantum potest, congruat... ».

Optatur ut vita, de qua fit sermo, ampliori et meliori modo explicetur. Dicendum est, praecise, in quo vita alumni in seminario minori debet congrui cum vita omnium adulescentium, et in quo ab illa differri.

Pag. 8, n. 10: nonnulla dicuntur circa vocationum probationem et selectionem.

Num opportunum non fuisset addere cetera signa vocationis, in Encyclica

Pii XI *De sacerdotio catholico,* anni 1935, enumerata et indicata, tum positive tum negative?

En eius verba: « Qui ad sacrum huiusmodi institutum ea una nobilique de causa contendat, ut divino famulatui animarumque saluti se dedat, simulque et solidam pietatem et probatam vitae castimoniam, et consentaneam, ut diximus, doctrinam assecutus sit vel assequi nitatur, is profecto, ut perspicuo patet, ad sacerdotale ministerium a Deo vocatur. At qui, contra, ab improvidis forsan parentibus compulsus, hoc idem eo consilio complecti velit, ut terrena, quae captanda prospexerit, emolumenta ac commoda potiatur — quod quidem elapso tempore crebrius contingere poterat —; qui ab disciplina obtemperationeque plerumque abhorreat, parum sit ad pietatem proclivis, nec satis laboris animarumque salutis studiosus; qui, peculiari modo, ad libidinis illecebras sese pronum impertiat, neque iam diu experiendo ostenderit illius dehonestamenta effugere posse; qui denique ad disciplinarum studia ita haud idoneus evadat, ut portendi liceat praescriptum eorum curriculum non posse eum, satis moderatoribus facientem, perficere; hi omnes ad sacrum hoc munus ineundum non nati aptique sunt » (*A.A.S.,* 2 ian. 1936, p. 40).

Pag. 9, n. 11, lin. 7: necessaria et perutilis insistentia, qua optatur ut quaedam methodus et manualia arceantur a seminariis.

12

Exc.mus P. D. MAURITIUS BAUDOUX

Archiepiscopus S. Bonifacii

In genere: 1. Inveniuntur in hoc schemate multa communia cum schemate *de clericis*. Sed inspiratio et mens generalis multo meliora sunt. Speciatim:

a) Vocatio sacerdotalis bene introducitur perspecta ecclesiali complementarietate cum ceteris vocationibus particularibus, sub vocatione communi ad vitam christianam.

b) Efformatio virtutum sacerdotalium aspectum positivum induit, v. g. per momentum assignatum virtutibus theologicis et per modum castitatis elucidandae, itemque per instantiam relate ad libertatem et eius educationem.

c) Renovatio disciplinae pastoralis perspicue indicatur, simul atque liturgiae.

2. Heu! intra contextum et inter textus sane admirandi, sententiae et etiam paragraphi prorsus absonae apparent et indicare videntur puram repetitionem adnotationum conscriptarum ante priorem sessionem. Mea animadvertenda tractabunt in specie de plerisque his defectibus. Sed ex illis assertis quaedam mihi videntur indolem induere principiorum quorum praestantia est generalis et primaria. Hic igitur de his tractandum esse videtur. Auctores enim oblivisci videntur hanc constitutionem Ecclesiam universalem afficere et consequenter omnia genera civilizationum attingi usque ad tempora futura longissima.

a) Cognitio linguae latinae hic profertur tamquam res summi momenti et quidem praerequisita pro omnibus futuris sacerdotibus (pag. 12, n. 19, linn. 23-32). Id profecto Orientales non potest obstringere neque multitudinem aliorum quorum generalis cultura aut etiam civilizatio propria non est latina. Haec assertio

igitur saltem minime reverentiae est relate ad has culturas et civilizationes. Praeterea opus maxime oecumenismi necessarium, quia divinum, obice magno impedit. Et hic facere non possum quin recorder *Act.* 15, 5, sed etiam 15, 28-29. Insuper exceptis paucissimis qui ad fontes recursum debebunt, quique ergo etiam linguam graecam discere debebunt, sacerdotes hodierni impromptu habent interpretationes a peritis confectas, quae omnes in plerisque casibus adversus errorem securius protegunt quam ipsa lectio textus. Praeterea celebratio liturgiae non in futurum exiget cognitionem tantopere extentam latinae linguae. Neque necesse videtur cursus philosophiae et theologiae potius latine tradendos et edendos esse. Denique latina lingua est una ex intellectualis culturae fontibus sed non unica neque nostro tempore praecipua.

b) Quae supra dicta sunt quoad cognitionem latinae linguae relate ad culturas et civilizationes varias, quoad oecumenismum, liturgiam, instructionem, iterum hic assero ut similiter pertinentia, mutatis mutandis, de obligatione pro omnibus sacerdotibus studendi « secundum S. Thomae rationem, doctrinam et principia (pag. 13, n. 21, linn. 9-18; pag. 14, n. 22, linn. 9-11), ratione absolutismi praescripti (cf. mea animadvertenda circa schema *de scholis catholicis,* pag. 14, n. 20, linn. 15-20).

3. Optandum esset substituere ubique verbis « vocatio ecclesiastica » verba « vocatio sacerdotalis » (v. g. pag. 5, tit. I et n. 2, linn. 25-26).

4. Perutile esset ubi tractatur de vocatione, de virtutibus et de muneribus sacerdotalibus uti saepius textibus aut locutionibus biblicis, quae textum divitiorem reddant eumque vivificent simul atque eum reponant in contextu plenario, v. g. (pag. 5, n. 1, lin. 9) « a Deo ex hominibus assumpti » (*Hebr.* 5, 1), loco « a Deo electi ».

5. In genere, schema aggreditur tractationem materiae more individualistico: parum favet spiritui servitii et sensui recto apostolatus localis. Pastoralis ratio quam vult inculcare laborat mente individualistica tum ex parte pastorum tum fidelium.

6. Nonne Concilium deberet in sese descendere de utilitate, ne dicam de necessitate reformationis structurae praesentis seminariorum et etiam possibilitatis formationis clericalis extra seminarium. Adeo variae sunt conditiones locorum et mutari hodie solet. Non abest periculum formas retinendi inflexibiles atque immobiles (se figer dans) quae vigent in certis regionibus et circumstantiis.

7. Sane utile esset schema distinctionem accuratam instituere inter ea quae ad minora seminaria et ad maiora pertinent, et clarius elucidare distinctionem debitam inter formationem generalem dandam in seminariis maioribus et illam, magis scientificam et peritam, quae locum obtinet in Facultatibus ecclesiasticis. Adest in schemate *de scholis catholicis* sectio tota appendicis secundi, pag. 22-25, quae aptiorem locum obtineret in appendice praesentis decreti, sed tamen magis explicite esset tractanda sectio illa.

8. Videtur adesse aliqua contradictio inter ambas appendices (pag. 17-20) et id quod scriptum est pag. 20, n. 11: si conferentiae episcopales debent curare ut constituant formationem sacerdotum secundum exigentias pastorales et necessitates cultus generalis regionis, num omnia sunt decernenda codice aut instructione speciali.

In specie. Pag. 5, n. 2, linn. 13-15. Sacerdotum inopia relate ad necessitates populi christiani non est, non debet esse causam unicam, neque primam, vocatio-

nes sacerdotales fovendi. Causa vere principalis est *responsio Dei vocationi*: haec ergo ipsa primo in lumine proferenda et elucidanda est.

Pag. 6, n. 5, linn. 27-36. Exinde decet supprimere can. 969: neque sunt, neque umquam fuerunt, neque umquam erunt satis multi sacerdotes ut satisfaciant omnibus hominum necessitatibus, quippe qui vocentur omnes ad aggregationem et simul ad crescendum in populo Dei.

Pag. 8, n. 8, lin. 10. Deceret addere hic: « provinciae ecclesiasticae et conferentiae episcopales, sive nationales sive internationales pollent auctoritate plena in his seminariis erigendis regendisque recursu ad Sedem Apostolicam habito tantum ad Statuta recognoscenda et ad appellationem in casu conflictus. Ex alia parte videbunt ne numerus alumnorum tantus evadat ut incompatibilis sit cum exigentiis eorum formationis ».

Pag. 8, n. 9, lin. 16. « Ab alienis officiis liberi »: haec pars sententiae potest male interpretari, neque intellegenda est ut « ab aliis officiis liberi ». Siquidem sacerdos magister qui ministerium exercet consentaneum cum munere suo docendi adiuvabitur ad infundendum mentem pastoralem in suas lectiones et peritior fiet in solvendis practicis difficultatibus vitae christianae prout existit extra seminarium. Itaque etiam aptior evadet ad seminaristas efformandos quoad munus eorum futurum.

Pag. 8, n. 9, lin. 27. Addere hic conveniret: « sacerdotes, qui curant de formatione et instructione seminaristarum ducant cum eis quandam communem vitam ». Perutile enim est in quantum possibile videtur eos interesse iisdem actibus liturgicis, se miscere cum seminaristis cum in laborando (v. g. in symposiis) quam edendo et relaxando, semper in spiritu magnae caritatis fraternae et simplicitatis, sese exhibentes vere tamquam ministros eorum. Hic modus agendi profecto seminaristas officiet in bonum, eisque inculcabit rectum animum solidaritatis sacerdotalis.

Pag. 9, n. 11, linn. 3-15. Omnes hae lineae paragraphi sunt simpliciter reficiendae. Ex earum modo loquendi suboriuntur interrogationes sescentae, v. g. in prima alinea sane agitur de sapientia naturali et magisterio supernaturali Ecclesiae, nullo autem modo de Verbo Dei et de infirmitate humana ex peccato orta, neque de reparatione abundantissima per redemptionem allata, neque de viribus vitalibus et divitiis Ecclesiae. In altera paragrapho, adest condemnatio errorum aetatis nostrae, sed absque ulla determinatione eorum naturae, perinde ac si ex eo solo quod sunt coaetanei in suspicionem eos incidere oporteat, nulla iterum mentione facta virtutis actuosae et spei quae in praesenti tempore vigent; quod tempus ex Deo est, idque magnificentissime. Ceteroquin totum nebulosum et verbosum est.

Pag. 9, n. 12, lin. 28. Sententia « sacrae ordinationis charactere, sed... alter fiat Christus » est theologice controversibilis. Iam enim in baptismate christianus Christo configuratur potestque igitur nominari « alter Christus ». Ex alia parte, relate ad complures ex nostris fratribus separatis, haec consociatio verborum insinuare videtur sacerdotem locum tenere Christi, cum potius hic indicandum esset sacerdotem Christi esse sacramentum, signum praesentiae eius salutaris, et medium quo et in quo Christus agit multiplicibus modis.

Pag. 10, n. 14, lin. 26. Formatio ad vitam orationis debet profecto includere elementa hic memorata, v. g. voluntas reddendi Sanctae Trinitati cultum ei debitum, etc. Sed ille qui sacerdos futurus est debet etiam discere Christo obviam

ire et cum eo colloqui ita ut enascatur profunda et vere personalis intimitas cum Domino suo. Discat reperire et frequentare Christum praesentem plurimis modis: tum in augusto altaris sacrificio, sive in ministro suo, sive in speciebus sacris, tum in sacramentis, tum in Sacra Scriptura, tum in laudibus divinis, tum denique in omnibus fratribus suis praesertim minimis (cf. *Mt.* 25, 45) aut in nomine suo congregatis (cf. Pius XII, *Mediator Dei*: *A.A.S.,* 39 [1947], p. 528).

Praeterea clare hic demonstrandum esset « pia exercitia » haurire iugiter sucum et substantiam suam ex fontibus vivis Verbi et Liturgiae. Celebratio eucharistica et officium divinum iam oratio, sacrificium laudis et centrum vitae unionis cum Deo per Christum sunt. Decet seminaristas discere orationem diligere quam Ecclesia eis postea concredet, sed eis iam nunc inveniendus est in ea cibus idoneus ad vitam spiritualem.

Denique non potest omitti « Lectio divina » et studium sacrarum scientiarum quae sunt elementa substantialia formationis firmae ad vitam orationis.

Pag. 11, n. 15, lin. 13. Legere oportet « per obedientiam Ei libere coniungitur... ».

Pag. 11, n. 15, lin. 15. Verba sequentia tamquam magis accurata inserenda videntur post « praeparentur alumni »: « ad suam intime faciendam mentem episcopi ut efficiant in omnibus voluntatem eius qui eum mittit » (cf. *Io.* 6, 38; 20, 21; *Hebr.* 10, 9) et iuxta hunc spiritum « ad promittendam etc. ... ». *Ratio*: Cum sacerdotes sint dociles sui episcopi cooperatores, id includit obedientiam quae particeps fiat mentis ipsius episcopi.

Pag. 12, n. 18. Ibi rememorari convenit Scripturam ubique et in omnibus valere. Etiam illud propositum optimum duco ut continuatio studiorum in Facultate aut in Instituto Superiore non efficiatur nisi post certum tempus in ministerio peractum, ne magister ipse contactum amittat cum hominibus, siquidem « pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum ».

Pag. 12, n. 18, linn. 2-3. Citatio ex Malachia stuporem gignit et parum apte est selecta. Ad significandum « scientia praesertim sacra sacerdotes excellere debere », praeferendum mihi videretur uti textu Novi Testamenti, v. g. *2 Tim.* 3, 15-16, ubi Paulus docet cognitionem sacrarum litterarum a Deo inspiratarum ad salutem posse instruere, per fidem, quae est in Christo... ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectum instructus.

Pag. 12, n. 19, linn. 21-22. Haec assertio: « necesse est ut studiorum humaniorum curriculum rite absolverit » nimis absoluta est. Patet eam conscriptam esse in contextu europeano, si non romano. Sed ratio habenda est circumstantiarum communiter obtinentium in Ecclesia. Porro, ubique aut fere ubique Civitas curam sibi reservat, absque tamen ullo animo nobis adverso, educationis primariae, secundariae, academicae et superioris. Humanarum litterarum studia sub quadam forma traditionali vix locum retinent in ratione libelloque studiorum (programme). Num arcendi erunt « a studiis proprie ecclesiasticis » discipuli qui haec studia tantum peregerunt? Ideoque... num privabitur alumnis Ecclesia? Experientia docet discipulos qui studia « High School » nuncupata compleverint, sed non humaniora, etsi incipiunt latinae linguae studere simul atque philosophiae, optimos sacerdotes postea evadere, saepe nullo modo inferiores aliis in ministerio pastorali.

Pag. 12, n. 19, linn. 26-27. Illud e contra accidet, si studiis humanioribus peragendis incubuerint quae in multis regionibus habentur obsoleta nisi eis

aliae disciplinae hodiernae subiugantur, ut hi « sacrorum alumni inferiores videantur iuvenibus qui in propria natione ad studia academica accesserint ». Exstat hic manifeste problema quod requirit curam intentam omnium et cui praestat invenire solutionem quasi fundamentalem quae vi polleat relate ad omnes nationes. Meo iudicio haec sectio schematis et partes appendicum ei afferentes examinandae sunt simul atque omnia afferentia, in schemate *de scholis catholicis.*

Pag. 13, n. 21. Thomismus semper stat et valet, sed non praetermittendum est studium penetrans systematum philosophiae coaeternae ne periculum oriatur loquendi et iudicandi de eis absque discrimine, et etiam omittendi quidquid in eis sit boni. Insuper adest periculum utendi loquela quae a coaetaneis vix intelligi possit.

Pag. 14, n. 23, lin. 34. Non sufficit rogare ut seminaristae digne sacramenta conferant, sed potius ut spiritui et significationi sacramentorum se conforment; et tum consequenter, digne et apte, cum fide et fructuose sacramenta celebrabunt.

Pag. 15, n. 25, lin. 31. Quia linn. 31-32 praenuntiant « sub aspectu spirituali, intellectuali... pastorali », deceret, ut mihi videtur, 1) addere adlineam post eam quae terminatur sub pag. 16, lin. 4, in qua breviter elucidaretur aspectus intellectualis; 2) immediate post hanc adlineam, collocare textum par. 26: « ad pastoralis... aptiores », quae definite tractat de aspectu pastorali; 3) referre ad n. 26, linn. 10-14 adlineam « parochi... statuitur », cuius textus alienus est par. 25.

Pag. 18, n. 6, linn. 6-7. Illud ibi evidenter adest periculum ut alumnus independentiam amittat, psychologo duce, qui pro eo decisiones efficit aut eas ei quasi imponit. Quoad « Tests » facilius quam par est ducimur compertis quasi mathematicis et per se prout exemplaria stantibus (standards), vix ulla ratione habita personae indolis propriae.

13

EXC.MUS P. D. MICHAEL BERNARD

Archiepiscopus Brazzapolitanus

Pag. 6, n. 3, lin. 6: post verba « parati sint », addatur: « Eorum tamen libertate accurate servata, ne dubitent parentes christiani quin eis ostendant vocationem sacerdotalem munus esse quod forsan exsequi in posterum possint ».

Pag. 8, n. 9, in fine: addatur: « Necesse est ut Instituta paedagogica condantur in quibus peculiariter futuri magistri et rectores seminarii in difficilibus officiis erudiri possint. Inter eximios sacerdotes iam academicis iuribus praeditos illi ad Instituta potissime mittantur qui egregia indole et virtutibus eminere videntur ».

Pag. 9, n. 11, post lin. 21: addatur: « Abhinc quinquaginta annis, si sacerdos in ministerio exercendo illam quae in seminario vigebat vivendi regulam servare poterat, constat hoc tempore in omnibus fere regionibus christianis munera pastoralia rationem vivendi sacerdoti imponere multo diversam ab illa quae in seminario observare solebat. Itaque institutio seminariorum ita nunc disponi debet ut, sub vigilanti cura rectoris et moderatorum, valeant alumni iam liberam voluntatem et proprium iudicium quam maxime usurpare.

Propterea durante priori periodo alumnorum institutionis, per duos scilicet vel tres annos, eadem servetur disciplina quae hucusque in seminariis vigebat, ut

principiis vitae sacerdotalis firmiter imbuantur. Ac deinceps per posteriorem periodum gradatim assuescant alumni eidem vitae conditioni in qua post ordinationem sacerdotalem receptam sese habebunt, liberam adhibentes auctoritatem et proprium ius, in quantum prudentia sinet.

Denique per vocationes maiores, postquam a laboribus decenter conquieverunt et ad familiam visendi gratia adierunt, commorabuntur alumni apud communitatem sacerdotum strenuam et piam, ubi custodiente parocho, iam pastorale ministerium navare incipiant ».

Pag. 10, n. 14, post lin. 36 in fine addatur: « Doceantur oportet futuri sacerdotes dioecesani de instituendis nexibus summae coniunctionis cum episcopo, de cuius enim plenitudine sacerdotali ipsorum dignitas, munus potestatesque emanare dicuntur. Habeant ergo alumni episcopum in patrem, et se ei praesto futuros esse comparent. Nihil vero episcopo praestantius sit quam ut singulos alumnos intime cognoscat, in seminario visitet et, salvo iure rectoris, admoneat ».

Pag. 11, n. 17, in fine addatur: « Periodus tirocinii spiritualis et ascetici speciali modo interesse videtur ineunte primo anno; quae initiamenta vitae spiritualis per totum primum trimestre spatium intermitti non debeant ».

Pag. 12, n. 18, post lin. 13 addatur: « Cum ratio studiorum decerni non debeat nisi omnibus perspectis conditionibus temporum vel locorum et habito respectu ad ea quae pastorale munus spectant, alumni curriculum studiorum omnino peragent in proprio seminario. Quapropter illi qui ad ipsas disciplinas docendas vel promovendas destinantur, vel ad peculiaria munera obeunda vel ad specialia ministeria exercenda, ad studiorum ecclesiasticorum Facultates vel Instituta ne mittantur nisi peracto curriculo studiorum communi in proprio seminario ».

Pag. 13, n .20, in fine addatur: « Philosophiae tradendae ita per tres annos distribuentur cursus, ut iam durante primo anno alumnis tradi possint prima elementa vitae interioris, conspectus generalis de re sacerdotali et principia futuri muneris pastoralis ».

Pag. 13, n. 22, lin. 32: post verba « atque tueri valeant » addatur: « Caveant magistri ne sacram doctrinam ducant ut puram scientiam, sed tanquam verum nutrimentum vitae spiritualis et apostolicae illam tradere curent. Investigationes scientificae et peculiaria studia illis relinquentur qui apud Instituta et Universitates superiori scientiae ulterius se dederint ».

14

Exc.mus P. D. IOSEPH GERALDUS BERRY

Archiepiscopus Halifaxiensis

[Misit folium typis impressum cui titulus *Special Christopher Notes n. 17. Toward bringing out the Apostolic Potentialities of Theology in the training of Seminarians.* Summary of conclusions reached during a Study Week held at Christopher Headquarters, New York, N. Y., July 8-13, 1963].

15

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS BRIZGYS
Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunensis

De omnibus schematibus loquendo non omnia inclusa venient in decretis, quae dicta fuerunt in disceptationibus. Et de hoc schemata multa dicenda sunt, quae iuvabunt aliquo modo etiamsi non inclusa in futuro decreto.

Nostris temporibus saltem in aliquibus regionibus dantur nimis multi apostatae a sacerdotio seu exsacerdotes. Sine dubio dantur et aliae secundariae causae huius mali, principalis tamen causa est formatio in familia et seminariis.

Iam ab 19 annis non habeo directum contactum cum aliquo seminario. A distanti tamen habeo opportunitates observare alumnos in variis partibus mundi (ipse exul et in servitio profugum in regionibus ubicumque isti emigrant). Sunt personae competentes iudicare de spiritu in hodiernis seminariis. Ego dicam aliquas observationes, quae si superficiales iudicentur a peritis, non eis contradicam.

Programmata in seminariis minoribus. Ultimis temporibus multa bona in hoc campo evenerunt, sunt tamen etiam nunc seminaria minora, in quibus iuvenes praeparantur solummodo ad studia in seminariis maioribus. Si post seminarium minorem iuvenis non est praeparatus ingredi aliquam aliam scholam (Universitatem, Collegium vel aliquam scholam superiorem) nisi seminarium maiorem, talis coactus est, etiamsi sine vocatione et contra voluntatem, continuare studia in seminario maiori et ad ordines sacros accedere. Plurimi ex illis, qui non habebant sufficientem spiritum et vires perseverare in sacerdotio, sunt victimae huius circumstantiae. Puto sine ulla misericordia adlaborandum esse, ut in omnibus seminariis minoribus sine mora introducantur programmata communia omnibus scholis talis vel talis regionis *plus* necessaria ad formationem futuri alumni seminarii maioris.

In seminariis maioribus et Universitatibus catholicis arcendi sunt a docendo omnes auctores et fautores theoriarum nondum definitarum in exegesi, theologia, historia etc. Haec omnia debent resolvi inter competentes viros scientiarum sine praematuro clangore et non spargi praemature inter iuvenes studiorum alumnos. Pauci anni in seminario maiori vix sufficiunt ad acquirendam doctrinam iam solidam et definitam.

Quae dicta sunt in schematis pag. 15, versibus 29 etc. et in pag. 16 de formatione post seminarium perficienda, censeo transferenda esse ad schema *de clericis.*

De disciplina, formatione etc. in seminariis minoribus. In seminariis minoribus etiam nomen clerici (chierichetto) est renuntiandum. Vocantur alumni scholae mediae vel superioris, secundum programmata scientiae, talis vel talis tituli: e. g. P. Pii XI, B. J. Neumann, B. Contardo Ferrini et alia.

In seminariis minoribus abolenda est vestis talaris. Vestem talarem conservandam esse iudico uti privilegium in ordinibus constitutorum. In genere, reformanda sunt omnia, quae in vestitu et tota externa apparitione nostris diebus populo si non risum movet, saltem inveterata sapiunt. Verum est multa horum antiqua esse. Suo tempore illa fuerunt assumpta ex populo illius temporis, quae non sunt nostri temporis, sunt inutilia, non paucis iuvenibus huius temporis repugnantia. Vestitus, formae exteriores, mentalitas de rebus quotidianis, quae redolent formas et mentalitatem feminarum XVII vel XVIII saeculi, nostris diebus iam nec mulieribus, nec viris decent et placent, eo vel minus clericis et sacerdotibus.

Censeo arcendos esse a seminariis praesertim spiritus et disciplinae moderatores, qui suo charactere vel formis externis sunt potius simplices mulieres, quam viri destinati ad formandos viros-milites in certamine contra mundum et inimicos salutis. Iuvenes in seminariis minoribus et clerici in maioribus sunt masculi ex quibus debent efformari viri integri virilis characteris. Iuvenes sacerdotes sine virili charactere semper sunt victimae non solummodo periculorum sed etiam inevitabilium in vita et labore sacerdotis.

16

EXC.MUS P. D. CONSTANTINUS CAMINADA
Episcopus Ferentinus

Ad 14. Videtur perutile, in scholis theologicis, studium Litt. Enc. *Mediator Dei,* quae nimis ignoratur a sacerdotibus.

Ad 23. In seminario clerici memoriae mandare deberent catechismi formulas ut ad eas alumnis docendas vere apti fiant. Experientia docet prorsus necessarium esse formularum studium. Sine formulis *clare et efficaciter explicatis* nihil remanet in alumnorum mente et corde.

Ad 24. Practicae pastoralis exercitationes, sub superiorum regimine et inspectione effectae, non tantum utiles sed prorsus necessariae videntur ad seminarii alumnorum modernam et integram formationem. Seminarii Beneventani mirabilis experientia — a rev. patre A. Grasso, S.I., in « Civiltà Cattolica » descripta — est huius affirmationis clara demonstratio.

Ad 25. Iuvenis cleri institutio evangelicae paupertatis spiritu niti debet. Christiana paupertas necessaria est conditio ad apostolicam efficacitatem pastoralis ministerii. « Motorizatio » (ut vocant) — in multis paroeciis minime necessaria! — pro iuveni clero grave est periculum. Facile primum locum tenet in eius psychologia. Prima cura plurium iuvenum Sacerdotum est « automobilis » emptio etiam si, propter paupertatem familiae, in Seminario gratis degerunt.

17

EXC.MUS P. D. IOANNES CANESTRI
Episcopus tit. Tenediensis

N. 6, pag. 7, lin. 10, legitur: « Alumni vero in seminariis minoribus vitam ... congruat ». Nemo est qui non videat verba esse inutilia; praesenti enim temperie hoc periculum, quod revera extitit pro sacrorum alumnis praeteritarum generationum, omnino desiit.

18

EXC.MUS P. D. ANTONIUS CARDOSO CUNHA
Episcopus tit. Barenus in Pisidia, aux. Beiensis

a) In pag. 8, sub n. 8. Numerus minimus stabiliatur saltem quadraginta alumnorum seminariorum maiorum. Dioeceses quae non habeant indicatum numerum obligentur eos mittere ad seminaria interdioecesana.

b) In pag. 11, sub n. 17. Ordinatis in sacro ordine diaconatus imponatur periodum trium annorum ad experimentum. Diaconi enim iam pretiosum laborem praestare possunt in Ecclesia, praesertim in instructione fidelium. Hoc experimento, multos infelices casus infidelitatis sacerdotalis vitari possunt qui sunt magnae tristitiae Sanctae Matris Ecclesiae.

19

EXC.MUS P. D. IOANNES COLOMBO

Archiepiscopus Mediolanensis

Propono sequentes mutationes:

Pag. 5, n. 2, lin. 24: post verbum « acceperint » adiungenda mihi videntur haec verba « vel recognoverint »; et sic legatur: « ... qui supernum vocationis donum etiam maturiore aetate acceperint vel recognoverint... ». Infatti nella più parte dei casi, gli adulti riconoscono una vocazione già avvertita in diversi modi da fanciulli (massime sugli 11 o 12 anni) e per diverse ragioni ritardata. Così mi conferma la mia lunga esperienza.

Pag. 5, n. 2, lin. 26: post verbum: « idoneitate » et haec verba adiungenda mihi videntur: « morali et intellectuali », ut melius declaretur de quanam idoneitate agatur; et sic legatur: « Vigilanti cura inquiratur de candidatorum recta intentione *et* idoneitate morali atque intellectuali ».

N.B. La congiunzione « ac » nella lingua classica si usa solo davanti a consonante, quindi meno bene è premessa alla parola « idoneitate ». Mi si perdoni la pedanteria purista.

Pag. 7, n. 11, linn. 27-29: ordo verborum mutandus, meo iudicio, hoc modo: « ac praeterea eam linguae latinae cognitionem acquirant, qua tot scientiarum sacrarum fontes et ecclesiastica documenta intellegere atque, si de latini ritus alumnis agatur, libros liturgicos intima peritia adhibere possint ». Così mi sembra sia rispettata maggiormente la progressione logica del pensiero; mentre la prescrizione dello studio del latino conservi la sua forza anche per gli alunni che non sono di rito latino.

20

EXC.MUS P. D. PHILIPPUS CONDURU PACHECO

Epicopus tit. Decorianensis

In schematis *de sacrorum alumnis formandis* scribantur, pag. 6, lin. 5, « paratae » pro « parati »; pag. 7, lin. 11, « adolescentium vitae deceat », pro « cum communi omnium adolescentium vita, quantum potest, congruat »; lin. 16 « perficere » pro « inchoare »; lin. 29 « vires spirituales » pro « vires naturales ».

21

EXC.MUS P. D. VILLELMUS CONWAY

Episcopus tit. Nevensis, vic. cap. Armachanus

I - *De vocationibus ecclesiasticis.* Par. 4, pag. 6, lin. 19. Velim ut post verbum « declarentur », par. 4, pag. 6, lin. 19, inserantur sequentia vel similia verba: « Optandum ut in singulis nationibus specialis " Dies Vocationum " habeatur in qua, in omnibus ecclesiis, orationes speciales fierent ad vocationes sacerdotales a Deo implorandas et conciones speciales haberentur ad illustrandum inopiam Ecclesiae et gloriam sacerdotii ».

II - *De formationis fine et seminariorum ordinatione.* Par. 7, pag. 7, lin. 24. Post verba « celebrationibus liturgicis » inserantur verba « et imprimis sacrosancto Missae sacrificio ».

III - *De institutione spirituali.* Par. 15, pag. 11, lin. 3. Velim ut, agendo de mortificatione, inculcetur momentum roborandi voluntatem per longum tempus ita ut alumni, sacerdotio aucti, ea quae sunt licita et tamen non expediunt renuntiare valeant. Velim ergo ut post verba « mortificationis spiritum » addantur sequentia verba: « ... necnon ad illam voluntatis fortitudinem qua, sacerdotio aucti et in media plebe viventes, ea quae licita sunt sed non expediunt prompte renuntiare valeant ».

22

EXC.MUS P. D. GERARDUS COUTURIER

Episcopus Altaripensis

Totum schema brevius conscribi deberet, omissis nonnullis paragraphis quae nonnisi generalia et alibi invenienda exprimunt (v. g. par. 11, de ordine ad disciplinam custodiendam).

Modo generali ea quae in cap. I De vocationibus ecclesiasticis fovendis afferuntur multo brevius conscribi possent, servatis iis tantum quae ad praesentes necessitates respondent.

Titulus mihi videtur non rectus, cum non sola vocatio ad sacerdotium ministeriale sed et omnis vocatio « ecclesiastica » dici debet. Desideratur aliqua definitio vocationis sacerdotalis per respectum ad totam Ecclesiam in cuius definitionis lumine ea omnia quae afferuntur proponi debent. Praeterea fortius affirmari debet sacerdotes e christianis seligi debere: etenim candidatum ad vitam sacerdotalem primo ad solidam vitam christianam, secundum characterem baptismi et confirmationis, per virtutes praesertim theologicas, sed et humanas, educari debet, cum clericum formare antequam christianum et adultum sit structuram aedificare absque fundamento.[1]

---

[1] Le fondement de toute vocation spéciale est la vocation à la vie chrétienne. Ce n'est que là-dessus qu'on peut bâtir une vocation sacerdotale solide; c'est pourquoi, sans perdre de vue sa vocation sacerdotale, le jeune séminariste doit d'abord, comme tous les autres jeunes

Fortius affirmari debent ea quae in par. 6 feliciter dicuntur, scil. ut alumni « vitam ducant quae cum communi omnium adolescentium vita quantum potest congruat ». Etenim alumni, antequam ad seminarium maius accedant aliquam cognitionem hodierni mundi per studium, laborem, apostolatum et vitam communem cum aliis eiusdem aetatis possidere deberent, cum sit omnino difficile, in praesenti forma seminarii maioris, istum contactum modo valido pro alumno mundi inexperto durante cursu theologico efficere. Candidatus, antequam ad seminarium maius accedat, deberet esse vir adultus fide et aetate psychologica maturus (cf. par. 10).

De cap. II, modo generali eadem dicenda sunt ac ea quae de cap. I, scil. servanda sunt ea quae ad necessitates praesentes et ad finem Concilii utilia sunt, aliis in aliqua instructione speciali vel etiam in piis libris inveniendis.

Ea quae in par. 7 notantur feliciter exprimuntur, i. e. de sacerdotali et pastorali pietate.

In par. 8 recte foventur seminaria regionalia ac nationalia, etc. Tamen notari debet seminaristas in istis institutionibus viventes contactum cum vita dioecesana servare debere et episcopos proprios eos frequenter visitare.

In par. 9, bene notatur exitum institutionis alumnorum magis ab educatoribus quam a legibus pendere. Quoad leges, notari potest, n. 11, eas paucas immo paucissimas sed omnino tenendas debere esse, ut alumnos libertatem et prudentiam suam simul cum oboedientia firma exerceant.

De cap. III, de Institutione spirituali. Bene statuitur primatum caritatis. Forsan clarius et magis nervose dici potest fundamentum vitae spiritualis in virtutibus theologicis quaerendum esse.

Optima dicuntur in par. 14 de Sacra Liturgia ut fonte vitae spiritualis. Explicitari posset necessitas nutriendi orationem mentalem in vita liturgica Ecclesiae, in Sacra Scriptura et in contemplatione operationis Spiritus Sancti in animis, occasione ministerii.

In par. 15, datur optima et positiva definitio castitatis sacerdotalis. In secunda parte eiusdem paragraphi, citatio textus *Phil.* 2, 8 extra sensum biblicum videtur. Melius ostendi deberet valor apostolicus et ecclesiasticus oboedientiae et arctioris coniunctionis sacerdotum cum episcopo, super unitatem sacerdotii fundatae.

In par. 16, feliciter notatur necessitas virtutum humanarum.

Ea quae de opportunitate tirocinii spiritualis dicuntur servari ac magis perpendi debent.

Cap. IV, de studiorum ratione. Circa par. 18, exegetae non concordant de sensu illius citationis *Mal.* 2, 7.

Optime dicitur leges a Suprema Auctoritate Ecclesiae circa rationem studiorum nonnisi generales fieri posse, et rationem studiorum accommodandam esse ad loca et tempora. Etiam bene distingui debet duplex gradus in institutione clericorum, i. e. formatio ordinata ad munera pastoralia, in seminariis danda (cf. par. 23) quae suo modo debet esse scientifica; formatio ordinata ad scientiae pervestigationem vel ad docendum in facultatibus universitatis et in seminario, quae post completum cursum seminaristicum incipienda est.

---

chrétiens et avec eux, se former à la vie chrétienne telle que le requièrent sa consécration baptismale et sa confirmation. C'est sur le chrétien que se forme le prêtre. Il ne faudrait pas former des « petits clercs » avant de former de vrais chrétiens et des adultes dans la foi.

Par. 20. Cursus philosophicus non est tantum propaedeuticus theologico, sed et intendit formationem rationis et cognitionem mundi et ingenii humani (cf. par. 6). Seminaristae debent habere ingenii culturam aequalem et similem ac iuvenum eiusdem loci et aetatis.

Par. 21. Commendatio philosophiae ac theologiae ad mentem S. Thomae pertinet non ad Concilium oecumenicum ad totam Ecclesiam ordinatum sed ad peculiarem instructionem pro parte occidentali Ecclesiae.

Par. 23 et 24 optima sunt inter omnia alia schematis. Tamen etiam doceri deberet valor laboris in coetu ducti (travail en équipes) secundum methodum actionis catholicae et multorum huius temporis humanarum negotiorum.

Instructio a commissione de seminariis adumbrata videtur pertinere ad mentem anterioris schematis, et omnino de novo redigi debet.

Adnotatio generalis: totum schema *de sacrorum alumnis formandis* ut admissum supponit formam educationis per institutionem seminariorum servandam esse. Tamen prius Concilium, scil. Tridentinum, seminaria fundavit ut formationem sacerdotum necessitatibus huius temporis accommodaret, Concilium Vaticanum II eamdem potestatem habet reformandi istam institutionem seminariorum, immo proponendi aliquid novi et diversi, secundum experientias in aliquibus regionibus factas. Non dicimus formam praesentem seminariorum relinquendam esse sed Concilium saltem habere potestatem immo obligationem sibi quaestionem serio ponendi.

23

Exc.mus P. D. ANTONIUS CUNIAL
Episcopus Lucerinus

I - *De vocationibus ecclesiasticis:* n. 3: opportunum videtur magis in luce ponere momentum decisivum quod habet familia, in sua actione educativa et in suo exemplo, quantum ad initium et ad perseverantiam in vocatione; eo vel magis in situatione hodierna, in qua beneficus influxus familiae, sensu dicto, forte desideratur.

N. 6, lin. 15: forsan melius potest res exprimi, quia, ut in schema dato, aliqua ambiguitas videtur haberi scil.: quod actio educativa in seminario minori possit aliquo modo esse neutralis in relatione ad idealem sacerdotalem. Debitis cautelis, e contra, et pleno respectu habito libertatis selectionis vocationis quae tardius maturabitur, iam ideale sacerdotale fermentare debet actionem educativam seminarii minoris.

II - *De formationis fine ...:* n. 9, lin. 20: optandum esset ut ii qui deputantur ad formandos pastores animarum, insuper, qualitatis experientiae pastoralis, directae et satis prolungatae, ornati sint.

III - *De institutione spirituali,* n. 13: absque re videtur non esse requirere explicite in alumno constitutionem psychicam sufficienter robustam et aequilibratam.

IV - *De studiorum ratione,* n. 19: optima est attentio circa institutionem culturalem alumnorum, in relatione ad studia aliorum alumnorum in respectiva natione; sed analoga attentio debet insistere in efformationem sensus practici, ita ut alumnus fiat capax intelligendi situationes concretas hominum omnium classium.

Appendix I: optima videretur elaboratio alicuius « Directorii » pro pastorali vocationum, cum aliquibus explicitis directivis, in materia, relate ad actionem familiae, paroeciae, variarum institutionum (de vocatione in genere, de specificis vocationibus...; de qua re habeatur ratio etiam in compilatione textus catechismi).

24

EXC.MUS P. D. JULIUS VICTOR DAEM
Episcopus Antverpiensis

Ad 5. 2ª pars primae al. sic formuletur: necnon foveantur collegia vel scholae quae in multis regionibus ita christiano spiritu imbuantur ut eidem fini interveniunt.

Exstant nostris temporibus multae scholae mediae et etiam technicae in quibus vocationes oriuntur et evolvuntur.

Specialia instituta condantur pro iis qui maturiore aetate divinam sequuntur vocationem.

Ad 11. Insistatur in necessitate collaborandi cum fratribus sive in studiis sive in apostolatu iam a tempore studiorum (Le travail en équipe).

Ad 20-21. Omnia quae hic declarantur optima sunt sed Commissio deberet episcopis commendare opportunam adaptationem rationis studiorum tempori ac nationi.

Duo curricula studiorum nempe philosophiae et theologiae possent utiliter aliter disponi ita ut praesertim iuniores seminaristae maiorem fructum obtineant.

Ad 28. Oportet agere in hoc numero etiam de aliis sacerdotibus: omnem sacerdotem, non solummodo neosacerdotem, oportet studere variis disciplinis etiam post seminarium.

25

EXC.MUS P. D. IOSEPH ANTONIUS DAMMERT BELLIDO
Episcopus Cajamarcensis

En general apruebo el esquema. En el n. 5 considero que debe agregarse una exhortación a los movimientos juveniles de apostolado seglar, fuente ubérrima de vocaciones sacerdotales (cf. PII PP. XI Lit. Enc. *Ad catholici sacerdotii, A.A.S.,* 28 [1936], p. 46).

En el n. 19 y sgs. me parece qui se legisla demasiado unilateralmente para la Iglesia latina, sin advertir que el Concilio es ecuménico.

En cuanto a los apéndices expreso: 1) para una materia tan amplia y tan delicada no queda tiempo suficiente, así que para las « animadversiones » debe darse un plaze más largo después del Concilio; 2) la forma actual sería solo la codificación de la praxis de la S. C. de Seminariis, que no es aplicable a la Iglesia universal ni siquiera a la Iglesia latina, pues las condiciones son muy diversas en los continentes y naciones; 3) ¿qué comisión conciliar prepararía el Directorio? 4) Los obispos no conocemos « prima lineamenta adumbrata a Commissione de Seminariis de Studiis », así que antes de publicarse la Instrucción « auctoritate Concilii Oecumenici Vaticani II » debe ser consultada y revisada por el episcopado universal.

La actual Comisión conciliar redactaría el Directorio.

26

REV.MUS P. D. DOMINICUS DESPERBEN

Praefectus apostolicus Hainanensis

Je propose humblement aux Pères du Concile d'ajouter au n. 24 du chapitre IV De Studiorum Ratione l'étude obligatoire des trois Sciences Auxiliaires suivantes: Diction, Comptabilité, Relations Publiques.

1. *Diction:* Le prêtre est par sa fonction un homme « public »: il prie en public: il parle en public: il enseigne en public: il est le serviteur de la parole publique: il faut donc qu'il acquière la science de la diction parfaite comme un avocat, comme un homme du théatre: cette science à été trop négligée jusqu'à présent: peu de prêtres arrivent à avoir une diction qui rende l'audition agréable: nous le constations tous les jours au Concile.

Nous ne devons rien négliger pour rendre l'action du prêtre plus efficace: il faut que dans les séminaires on engage des professeurs experts dans l'art de la diction: au début il faudra engager des professeurs laïcs et celà exigera des sacrifices pécuniers mais les résultats seront merveilleux: et il faut un acte du Concile pour entrainer les évêques et les supérieurs des séminaires à faire les dépenses nécessaires.

2. *Comptabilité:* Cette science du « chiffre » est nécessaire et les évêques semblent l'avoir compris puisqu'on y touche dans le De Cura Animarum mais sa place est dans ce schéma-ci: tout prêtre est appelé à manipuler l'argent soit de la paroisse, soit du diocèse, soit du séminaire, soit des œuvres diverses qu'il doit diriger et celà souvent dès sa sortie du séminaire: la science de la Tenue Des Livres lui est très utile et si on attend qu'il l'acquière par la pratique ce sera très souvent pour ne pas dire toujours au détriment des intérêts qu'il doit sauvegarder.

3. *Relations Humaines:* Il existe une branche de la psychologie pratique que les américains appellent « Public Relations Science » qui est d'une importance majeure pour tout prêtre: le ministère du prêtre s'exerce toujours avec le public plus ou moins élargi: paroissiens, élèves, pénitents, personnes des œuvres catholiques: il doit apprendre à manipuler toutes sortes de caractères: il doit présenter le message évangélique à des milieux très différents: les conditions où il exercera son ministère demande de lui un doigté psychologique extrêmement souple: la science psychologique des « Relations Humaines » sera d'un grand secours pour lui: cette science avec ses applications religieuses devrait être la base de l'enseignement donné dans le cours de Pastorale.

Dans la période de formation des grands Séminaires qui court l'espace de sept ans on trouvera aisément le temps pour intercaler l'étude de ces trois sciences auxiliaires.

Les Pères du Concile seront bénis par les générations futures des prêtres pour l'introduction de ces sciences: leur acquisition rendra les jeunes prêtres plus aptes à affronter leur terrible ministère et dans de nombreux cas ces sciences supprimeront les complexes de timidité parmi les prêtres.

On dira peut-être que l'expérience suffit pour acquérir ces sciences: je réponds que cela est vrai pour la moyenne des prêtres mais cette acquisition se fait au

détriment d'expériences dommageables pour les âmes et souvent quand le prêtre a acquis l'expérience il n'a plus la force de la mettre en pratique.

Dans le monde la culture générale est ou tend à devenir plus élevée: il faut que le prêtre suive le mouvement et qu'il soit au même niveau que celui des hommes avec lesquels son ministère sacré le met en rapport.

Seul un acte du Concile peut engager les évêques et les supérieurs des séminaires, à cause des sacrifices financiers, à introduire dans les séminaires l'étude de ces trois sciences auxiliaires.

27

EXC.MUS P. D. ALBERTUS CONRADUS DE VITO

Episcopus Lucknovensis

In cap. IV « De studiorum ratione ». Pro recta seminariorum ordinatione ardenter proponere velim ut a Sacrosancta Synodo vel in praesenti schemate vel in novis Statutis pro Missionibus condendis clare definiatur quod pro unaquaque Natione, etiam in Missionibus, unica habeatur Ratio studiorum, cum initio et fine anni scholastici eodem tempore, cum iisdem legibus seu normis disciplinaribus.

28

EXC.MUS P. D. IOSEPH DRZAZGA

Episcopus tit. Siniandenus, aux. Gnesnensis

Animadversiones generales. 1. In dicto schemate traditionalia praesertim principia methodus sacrorum alumnorum formandi continentur, quae quidem in se recta omnino, tamen pro praeparatione sacerdotum hodiernae curae pastorali addictorum insufficientia videntur.

2. Propterea in schemate non omnia inveniri possunt, quae a viris educationi sacrorum alumnorum addictis exspectantur. Qui quidem viri in eo consentiunt, quod modum traditionalem educationis seminaristicae haud sufficere testantur, renovationem necnon « aggiornamento » uti dicitur postulant, tam quoad moderatorum professorumque paedagogicam praeparationem, formationis asceticae, intellectualis et apostolicae methodum, quam prorsus universam quoad auram in seminariis desideratam.

Quam renovationem exigunt inter alia: *a*) hodierna figura mundi huius; *b*) indoles alumnorum qui nunc recipiuntur; *c*) spiritualis et moralis habitudo neosacerdotum; *d*) sacerdotum curae pastorali addictorum penuria.

Ad *a*) Citra omne dubium, post ultimum bellum mundiale praesertim, immutatae sunt condiciones vitae humanae, forma orbis terrarum, fidelium mens, exigentiae et desideria.

Ad *b*) Alii etiam intrant nunc seminaria alumni: mente laicisati, in mundum externum propensiores, supernaturalium irreceptivi, in agendi libertate effrenati, nec legem naturalem, nec ecclesiasticam, nec civilem agnoscentes. Quibus cum defectibus iunguntur: auctoritatis omnis parviponderatio, enorme omnia diiudicandi condemnandique studium, temeritas quaedam et levitas, accuratioris mentis

defectus, conscientiae moralis infirmitas, disciplinae et suiipsius spontaneae oblàtionis ignorantia, mentis re technica ludisque stadiorum maxima praeoccupatio, personalis denique culturae degradatio.

Ad *c*) Saepius nunc, iam paucis post ordinationem sacerdotalem annis elapsis, apostasiae, crisim vitae supernaturalis sequentes, committuntur.

Ad *d*) Accommodatam formationis seminaristicae renovationem expostulat, iugiter in fidelium societate accrescens, sacerdotis curae pastorali totaliter dediti desiderium, qui hodiernis temporibus maxime congruat.

3. In schemate tandem introducenda desiderantur postulata et suggestiones in enuntiationibus Sanctissimi Domini Pauli PP. VI nuperrime editis contenta, videlicet Epistula Apostolica *Summi Dei Verbum* diei 4 novembris 1963 anni, et in constitutione *de Sacra Liturgia* diei 4 decembris eiusdem anni.

I. *De vocationibus ecclesiasticis.* 1. Peropportuna videtur imprimis definitio naturae necnon signorum vocationis sacerdotalis, in prooemio huius capitis ponenda, propter opinionum multitudinem hucusque vigentem et ad satisfaciendum exspectationi horum omnium, qui in seminarium alumnos admittunt et ad ordines praesentant, qui quidem viri in documentis Sedis Apostolicae « dotes naturae » haud ita clare quam « dotes gratiae » definitas invenire possunt.

2. Praeter familiam christianam, etiam paroecia qua supernaturalis societas suae de catholicae Ecclesiae sorte responsabilitatis conscia, necnon puerorum altari inservientium coetus — dummodo a sacerdote recte ducantur, optimus est ager in quo sacerdotalis vocationis germen accrescit.

3. In n. 4, ad lin. 15 addi possunt quae sequuntur: « Commendantur ideo communes christifidelium ad vocationes sacerdotales impetrandas preces in missis votivis D. N. I. Christi Summi ac Aeterni Sacerdotis feriis quintis aut sabbatis initio uniuscuiusque mensis celebratis, speciales porro supplicationes feriis quattuor temporum persolvendae, tandem singularis aegrotorum et languentium de doloribus patienter toleratis oblatio ».

4. Ad lin. 22, n. 4 addenda proponuntur: « Huic fini inservire debent: " Dies " vel " Hebdomada vocationibus sacerdotalibus sacra " annuatim in paroeciis instaurandae, dies ordinationis sacerdotalis in tota dioecesi, exercitia spiritualia adolescentium, prima quoque Missa a neosacerdotibus sollemniter celebrata ».

5. Ad n. 6, post lin. 16 addenda sunt sequentia: « Antequam sacerdos curam animarum gerens iuvenem quempiam in seminarium suscipiendum commendet, debet diligenter perpendere, qualis sit familia adolescentis, quae sint eiusdem vires physicae et morales, quibus motivis ingrediendo in seminarium, praesertim maius, ducatur. Hac in re adamussim sequatur oportet Sedis Apostolicae praescripta, ut non solo desiderio, sed debitis signis vocationis instructos, omni defectu inhabilitante liberos, seligat sacerdotii adeptos ».

II. *De formationis fine et seminariorum ordinatione.* 1. Introductionis instar in hoc capite asserendum videtur, finem educationis seminaristicae, minime perfectum alumnum, sed sacerdotem — animarum pastorem — esse.

2. In schemate perennes, necessariae et immutabiles presbyterorum dotes tractantur, potiusquam dispositiones, quae nunc postulantur. Et haec sunt tractanda, et illa non parvipendenda.

3. Non solis, etiam optimis, educationis principiis alumni formantur, sed

personalitate, cogitandi agendique ratione moderatorum, quorum defectus vel carentia nullo modo suppletur.

4. Moderatores sedulam operam, non obstante temporis iactura, in recognoscendis alumnis eorumque dispositionibus et necessitatibus, iis etiam quibuscum in seminarium ingressi sunt, navantes, personarum formationi incumbant.

5. Professores non solum scientiae fautores et disciplinarum scientificarum lectores se esse aestiment, sed etiam paedagogos una cum moderatoribus simul pro recta alumnorum formatione responsabiles. Ne contententur ideo sola scientiarum traditione et examinatione, sed extra pericula acroasesque cum alumnis conversentur oportet.

6. Ceterum addendus censetur sequens passus de sacerdotum curatorum erga seminarium relationibus:

a) Seminarium dioecesanum non soli episcopo, sed omnibus etiam sacerdotibus dioecesanis in animo sit, qui non solum sustentationis media libenter suppeditent, sed etiam pro sacrorum alumnis, iis praesertim qui in paroeciis commissis orti sunt, responsabiles se esse iudicantes seminarii rectorem certiorem faciant de alumnorum agendi in vacationibus ratione, eosdem libenter sibi adsciscant et associentur.

b) Quaestionibus in scrutiniis ante sacrorum alumnorum ordinationes iuxta Sedis Apostolicae praescripta propositis respondeant sincere, in conscientia, memores responsabilitatis suae.

c) In causis alumnorum, paroecianorum suorum, cum moderatoribus seminarii iugiter communicentur, ad facilius maturiusque provehendos eosdem, sine tamen personarum acceptione, pro bono Ecclesiae potius, quam ad ambitioni privatae satisfaciendum ».

7. In animum revocentur etiam alia quaedam:

a) Moderatores et sacrorum alumni invicem sinceram confidentiam et amicitiam foveant, sine quibus optata personarum formatio impossibilis est.

b) Maxime exoptanda vere familialis aura nullos inter moderatores et sacrorum alumnos admittit abyssos, econtra unam communitatem congerere tam quoad mensam, quam in recreatione, iubet.

c) In seminariis rectum uti dicunt « clima » paedagogicum desideratur, quod nimiam severitatem ex una, nimiamque libertatem ex altera parte evitet.

d) Quam maxime excludendus ostenditur modus procedendi mere naturalisticus in sacrorum alumnis formandis.

e) Magis attendantur in educandis clericis vacationes, tempus nempe probationis et simul seipsum regendi custodiendique artis addiscendae.

III. *De institutione spirituali.* 1. Principalis asceticae in seminariis dioecesanis formationis finis in spiritu sacerdotibus dioecesanis proprio, diverso a mente sacerdotum religiosorum, reponatur. Vitam spiritualem sacerdotis dioecesani nempe unitas cum Antistite proprio ac per eum Summo cum Pontifice totaque Ecclesia Universali regat, paupertas evangelica zelusque apostolicus, serviendi promptitudo, mundi christiana dilectio insignet.

2. In sacrorum alumnis efformandus est perfectus homo, christianus, sacerdos, animarum pastor. Propterea assidue exerceantur in naturali rectitudine animi, in mentis cultura, in omnibus virtutibus cardinalibus characterem moralem hominis constituentibus. Sacerdotii adeptus intellegere debet vitae humanae problemata

spiritualem et materialem hominum indigentiam; sedulo etiam modum vivendi cum omnibus addiscat.

3. Fundamentum formationis spiritualis futuri sacerdotis conscientia propriae sit vocationis divinae.

4. In sacrorum alumnis maxima cum diligentia formetur spiritus orationis, abnegationis, fidei et crucis; omnis enim defectus praeparationis huiusmodi crisim vitae spiritualis, apostasiam ab ordine sacerdotali vel etiam totalem a fide apostasiam causare nactus est.

5. Sedulo attendendum est educationi conscientiae ad sensum responsabilitatis fovendum, quem sacrorum alumnus in vita seminaristica facilius amittere potest in omni momento directioni statutorum iussisque moderatorum mere passive obsecundans.

6. N. 17 schematis « tirocinium spirituale » ad roborandam spiritualem formationem ante inceptum theologiae cursum et ante ordinationem spiritualem expostulatur.

Opportunius autem primum « tirocinium » in forma cursus praeparatorii iam ante philosophicam alumnorum institutionem instauraretur, potissimum propter defectum spiritualis et intellectualis dispositionis et propter fidei et morum ignorantiam, quibus in candidatis tempestive consulere oportet.

Secundum autem « tirocinium » potius post ordinationem presbyterorum locum habeat necesse est, quae ordinatio aliquot mensibus cursus theologici absolutionem praecederet. Tunc etenim lectiones cum praxi pastorali facilius componeretur, ducentes ad finale octiduum exercitiorum spiritualium futuri apostolatus directivorum.

Haec exercitia qua finem proprium habeant imprimis synthesim spiritualem neosacerdotis dioecesani, porro futuri operis periculorumque vitae pastoralis delineationem, tandem ad vividum spirituale cum seminario, moderatoribus et spiritus directore commercium ducendum invitamentum exhortationemque.

IV. *De studiorum ratione.* Ad maiorem claritatem et perspicuitatem procurandam, ad magis accentuandas singulas sacerdotalis praeparationis directivas, praesens caput in tria capitula dismembretur oportet, sub titulis: A. De formatione intellectuali, B. De formatione liturgica, C. De formatione apostolica.

A. *De formatione intellectuali.* *a*) Exitiosa periculosaque dissociatio studiorum philosophico-theologicorum et asceseos, seu scientiae et pietatis dissociatio auferatur, propter quam studium et educatio spiritualis hucusque independenter progredientes, bifariam quandam personalitatem in alumnis efformabant. Opus est syntheseos: scientia in seminariis tradita sit viva et vivificans, ab auditoribus susceptibilis, animarum formativa, fidei pietatisque infusiva, quae omnia modum potius expositionis, quam veritatem ipsam respiciunt, ut theologia fiat non solum mentis sed etiam cordis.

b) Veritates theologicae non mere scientificarum quaestionum instar, sed uti veritates divinae proponantur.

c) Lectiones exercitia etiam in omnibus scientificis disciplinis comitentur oportet, alumnos in modum adaptandi veritatem variis circumstantiis et necessitatibus pastoralibus introductura.

d) Curriculum studiorum philosophicorum et theologicorum maiori gradu

connectatur cum hodiernis quaestionibus scientiarum philosophicarum, moralium, naturalium, technicarum et socialium.

B. *De formatione liturgica.* Maiore attentione in schemate digna videtur educatio liturgica in seminariis, quam quidem doctrinalem, spiritualem et practicam Encyclicae Litterae Pii PP. XII *Mediator Dei* et Pauli PP. VI constitutio *de sacra Liturgia* postulant.

Quos enim alios promotores renovationis liturgicae requirere oporteat, nisi sacerdotes, imprimis iuvenes?

« Sed quia, ut hoc evenire possit — nulla spes effulget nisi prius ipsi animarum pastorales spiritu et virtute Liturgiae penitus imbuantur in eaque efficiantur magistri — ideo pernecesse est ut institutioni liturgicae cleri apprime consulatur » (*Const. de S. Liturgia,* n. 14).

Ideoque eadem constitutio statuit, ut

a) magistri sacrae Liturgiae disciplinae tradendae probe instituantur,

b) dicta disciplina necessaria et potior in seminariis habeatur,

c) sub aspectu theologico et historico, spirituali, pastorali et iuridico tradatur,

d) connexio inter hanc disciplinam et alias disciplinas excolatur,

e) « ut clerici, in seminariis ... formationem vitae spiritualis liturgicam acquirant, cum apta manuductione qua sacros ritus intellegere et toto animo participare queant, tum ipsa sacrorum mysteriorum celebratione, necnon aliis pietatis exercitiis spiritu sacrae Liturgiae imbutis ... ». Liturgia ergo magistra vitae censeri debet, sacrorum alumnos in arctissimo nexu et communione cum Christo Sacerdote educatura totamque formationem seminaristicam vivificatura.

C. *De formatione apostolica.* 1. In formatione sacrorum alumnorum ad apostolatum, praeter doctrinam pastoralem, quae traditur, praeter habitus operativos pastorales, qui exercentur, etiam Ecclesiae eiusque missionis amor, vocationis apostolicae zelus, pro Regni Dei in terra dilatatione animarumque immortalium salute responsabilitas attendatur, ut futuri pastores dynamicam, victricem, missionariam et oecumenicam agendi rationem addiscant.

2. Educatione in seminario durante alumni practice in muneribus pastoralibus obeundis exerceantur:

a) pedetemptim et gradu qui educationi receptae congruat,

b) stricto in nexu cum formatione seminaristica, quam non infirmare sed complere fas est,

c) ductu peritorum professorum, moderatorum vel animarum pastorum.

3. Tempore vacationum alumni edocta in seminario principia practice applicare studeant.

4. Eiusmodi praxi subiacere debent omnia munera pastoralia: homileticum, catecheticum, liturgicum, paedagogicum, caritativum, apostolatus laicorum directivum, paroeciae administrativum et ceteri.

5. Valde utilis ostenditur menstrua praxis pastoralis ante tertium cursus theologici annum inceptum, sic dicta « diaconia vacationum tempore », iuxta definitam regulam, apud parochos zelo apostolico usuque novissimae methodi pastoralis insignes peragenda.

V. *De formatione post seminarium perficienda.* 1. Maior qua par est distinctio usque adhuc viget inter seminaristicam educationem et condiciones vitae pastoralis neosacerdotum. Iam ergo in seminario, praesertim ultimo studiorum anno,

sacrorum alumni circumstantiis adaptentur, in quibus victuri acturique sunt, ne novi « climatis » asperitas bono animae sacerdotalis habituique sacerdoti proprio detrimentum faciat.

2. Omnis neomysta conscius sit officii, primis post ordinationem annis formationem seminaristicam intellectualem, spiritualem et pastoralem perpolliendi, desideretque oportet verum augmentum spirituale, quia hic praesertim « non progredi - regredi est ».

3. Iuvenes sacerdotes cursu seminaristico absoluto exercentur ordinarie apud parochos, quibus cooperaturi mittuntur. Parochus ergo, opus formationis seminaristicae continuans, optimae notae sit cum quoad ingenium voluntatisque dotes, tum quoad sapientiam pastoralem. Non omnibus itaque parochis neomystae concredantur sed iis solum, qui supranominatis perfectionibus excellant.

4. Ad servandam rectitudinem vitae neosacerdotum sequentia comportant:

a) Communis habitatio, mensa, communiaque de re pastorali cum parocho consilia, qui paterna benignitate et dilectione confratrem suum prosequatur, in domo paroeciali iucunda, nitida, affabilique, periculum apostasiae apprime excludente.

b) Episcopus, verus sacerdotum pastor et pater existens, qui liberum ad se aditum iuvenibus sacerdotibus patefaciat, ut promptius difficultates suas exponere et solvere valeant; vicissim etiam sacerdotes suos per se vel per auxiliares visitet, curam animarum sacerdotalium exercens.

c) Neosacerdotum cum professoribus, moderatoribus, directore spiritus seminaristico praesertim, commercium.

d) Directoris spiritus pro sacerdotibus totius dioecesis, vel minorum eiusdem regionum, constitutio.

e) Recollectiones menstruae et specialia pro neosacerdotibus exercitia spiritualia singulis annis primi quinquennii peragenda.

f) Consuetudo sacerdotalis seipsos invicem visitandi, ad praecavenda vitae solitariae pericula.

g) Solidaritas vigens inter sacerdotes simul ordinatos, vel una in paroecia curae pastorali addictos, etc.

5. Formationi sacerdotali post seminarium perficiendae, philosophicae nempe, theologicae et pastorali, inserviunt praeterea lectionum cursus cum exercitiis spiritualibus coniuncti, intra primum quinquennium annuatim instituendi, necnon specialiter accommodatae regulae circa examina a Codice Iuris Canonici praescripta.

[*Subscripsit eiam*] Latusek Paulus.

29

Exc.mus P. D. ARMANDUS FARES

Archiepiscopus Catacensis et episcopus Squillacensis

1. In responsione ad litteras em.mi card. Tardini diei 18-VI-1959, a me data die 6-IX eiusdem anni (cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando* - Series I (*Antepraeparatoria*), vol. II, *Consilia et vota Episcoporum et Praelatorum,* Pars III, *Europa - Italia,* pp. 177-187), inter negotia

maiora quae praesertim hodie alte persentiuntur in ambitu ipsius Ecclesiae, primo loco hoc enumerabam: « formationem cleri in seminariis clericorum et in religionibus clericalibus; sanctificationem cleri in ministerio pastorali; culturam ecclesiasticam et civilem temporibus praesentibus idoneam; activitatem religiosam cleri, cum auxilio etiam fidelium laicorum » (*l. c.,* p. 183, n. 32).

2. Attente examinando schema paratum circa formationem cleri, multa quam diligenter et acute exposita sunt a commissione: de quibus gratiae multae exhibendae sunt praesidi et commissioni; mihi tamen officium esse duco quaedam animadvertere vel adiicere, ad finem perficiendi vel textum vel materiam quae proponitur.

Ergo ad singula.

3. In prooemio, videtur inserendum: homines, quos Christus Dominus voluit sui sacerdotii participes, cum non, sicut in veteri lege, ex una electa tribu ratione carnali assumendi essent, per mirabile donum *vocationis* tantum, in ipsum sacerdotium, assumi possunt: quos voluit, elegit: de qua voluntate et electione iudicium profert Ecclesia.

4. In c. I: De vocationibus ecclesiasticis. In n. 2: videretur opportunum aliquid adiicere, licet breviter, si non ad solvendum, saltem ad rectius intelligendam rationem vocationis. In lin. 18 dicitur: « vocationis signis agnitis »: apertius, licet forsan tantum exemplificative, de istis signis dicendum, ut textus constitutionis sive a peritis, sive a fidelibus cognosci possint et aestimari.

In n. 3: omnia bene sunt enumerata et dicta et feliciter inculcata. In ultima periodo (pag. 6, linn. 6-11) sermo fit ad iuvenes iam vocatos. Proponerem aliquid: an ponderari seu pensari posset a commissione conciliari opportunitas ut Concilium edat — occasione discussionis conciliaris, vel approbationis huius constitutionis, vel quando consilio praesidentiae placuerit, sed semper in Concilio — *appellationem quandam universalem* omnibus iuvenibus catholicis totius Ecclesiae, ut si qui vocem Domini invitantis ad sui sequelam audierint, ex animo respondeant, cum huic voci internae adiungatur vox Ecclesiae in Concilio, quae omnes filios suos vocat ad laborem pro regno Dei dilatando et conservando.

Huiusmodi appellatio considerari deberet ut « *Manifesto di mobilitazione universale* » omnibus iuvenibus directus.

S. Ioannes Bosco ait ex *tribus* iuvenibus saltem *unum* in se desiderium serviendi Domino vel veram vocationem habere. Num hodie manus Domini abbreviata est in favorem Ecclesiae suae? « Rogate Dominum messis » et congruenter agite...

In n. 4: iterum promo votum iam emissum (cf. *l. c.,* pag. 184, n. 33) ut statuatur Dies in quo *in tota Ecclesia celebretur Dies vocationum.*

In n. 6: circa seminaria minora: Necessaria est distinctio inter adulescentes et eos qui maturiore aetate in seminariis institui debent.

Sed circa ipsa seminaria minora, schema quoddam adiiciendum esset (uti iam in Appendice I, in pag. 17, lin. 12 dicitur) in quo *positive* edicantur illa quae in omni seminario facienda sunt ad rectam, licet initialem, formationem alumnorum, relinquendo episcopis facultatem ea ordinandi prae oculis habitis rationibus et consuetudinibus locorum, studiorum, etc.; et sic alumni qui e seminario egrediuntur (et possent multi esse, experientia teste) saltem in vita sua gaudere poterunt de solidioris institutionis christianae fructibus in seminario receptae.

5. In c. II. De formationis fine et seminariorum ordinatione. Quaedam tantum notare desidero. In n. 7: quae in primo commate dicuntur (pag. 7, linn. 17-31) optime sunt delineata, sed in mentem revocetur illa omnia, non omnia simul fieri posse, et recte distinguendum esse tempus praeparationis in seminario *ante* sacerdotium, et tempus praeparationis proximae *post* susceptum sacerdotium (vel diaconatum) et demum actionem ipsam in campo pastorali iuxta episcoporum designationem. Ne eveniat ut a clericis exigatur quod minime possunt in seminario dare, vel exigatur, etiam in exercitio quodam praevio ministerio sacro, quod ipsi dare etiam possent at cum detrimento in formatione intellectuali et culturali, quae revera exigit tempus, magnum temporis spatium, quod non inutiliter transigit si cum pietate et disciplina animus alumnorum ad sacra studia omni ope contendit.

Ad n. 9: de formandis superioribus seminariorum et magistris, imprimis insistendum est. Res sane ardua, cum nec possint esse vel dari instituta specialis praeparationis ad hunc finem. Sed quaedam fiant in hac re, saltem brevia curricula promoveantur in singulis Nationibus ad hos sacerdotes vere sub omni respectu efformandos, a quibus pendet formatio futurorum sacerdotum.

Laudanda maxime sunt incepta in hac re a S. Congregatione de Seminariis in Italia iam promota; sed saltem multiplicanda et ita in actum deducenda ut, studiis collatis, quibus experientia singulorum participantium addi potest, vividiorem singuli acquirant conscientiam sui muneris in actum deducendi. Ne tamen in oblivione ponatur, quod in lin. 24 (pag. 8, lin. 24) dicitur: « Episcopi auctoritate fideliter obsequentes ».

Ad n. 10: quae in lin. 31 dicuntur: « ... inquiratur... *de eorum recta intentione* » super omnia alia considerari debent; et huiusmodi recta intentio perpendenda est etiam in iis quae ad temporalia vel ad usum temporalium spectant. Non semel enim, post sacerdotium initum, naufragium fit circa acquisitionem mediorum ad vitam honeste sustendandam, quasi haec sint unicum et supremum ad quod attingendum omnibus viribus adlaborandum sit: quo obtento, omnia alia vilescunt in mente et in re. Hodiernis temporibus evenit ut alumni seminariorum clericalium, si non omnes, plerique tamen caritate Ecclesiae et benefactorum sustententur in seminariis. Hinc facillime istis deest opportunitas utendi mediis propriis seu familiaribus ad sibi providenda quaecumque necessaria vel utilia.

Duo consequuntur ex hac positione: vel ignorantes ex experientia propria vel familiae quantum valeat sacrificium in acquirendis bonis temporalibus necessariis ad vitam, incapaces evadunt in recta aestimatione bonorum et ideo bona ecclesiastica dissipant vel oneribus sese supponunt, etiam in operibus bonis promovendis, quae nullo pacto sustinere valent; vel, quod est peius et communius, ita paulatim decidunt ex consideratione paupertatis familiae propriae, ex visione melioris conditionis aliorum sacerdotum aetatis provectioris, ex petulanti insistentia parentum, ex desiderio sese accommodandi exigentiis hodierni apostolatus, in quo requiritur saltem autoraeda (automobile etc.), ut nil sine pecunia, nil nisi propter pecuniam agant.

Verum quidem est dum sunt in seminario, alumnis non datur possibilitas ut sese exerceant in his rebus pecuniariis; sed superiores et seminariis praepositi prae oculis habeant, in recta aestimatione vocationis, etiam ea omnia quae ad hanc materiam spectant.

6. In c. III. De institutione spirituali. Ad n. 14. Notare vellem: tota institutio spiritualis fundetur oportet in dogmate. Alumni videant oportet quae in

scholis — praesertim in theologia et in Sacra Scriptura quae est fundamentum theologiae — dicuntur, esse reapse illas veritates revelatas super quas totum aedificium spirituale erigi debet. Hinc non solum vitatur illa communis persuasio qua « aliud est studere, aliud est pietatem fovere » etc. quasi hiatus insuperabilis sit inter utramque rem; sed insuper efficitur ut praesertim in curriculo theologico alumni ex ipso sacrarum rerum studio confirmationem fidei habeant, spiritu fidei vere imbuantur, sine quo nulla datur vita spiritualis et sacerdotalis.

Cum autem summa mysteria fidei sint in Trinitate, Incarnatione, Eucharistia et Ecclesia, pietas alumnorum erit in perpetua adoratione et cultu SS. Trinitatis, per Christum Redemptorem, Sacerdotem aeternum, qui in Ecclesia suum munus adhuc exercet per mysterium eucharisticum, centrum omnium mysteriorum, quod constituit vim coagmentativam Corporis mystici Christi, cuius Mater est B. Virgo Maria.

Multi, iam sacerdotes, in pietate paulatim deficiunt, ex carentia huius spiritus fidei, qui fundatus non est supra firmam petram veritatis divinae revelatae.

Ex his omnia alia in ordine morali.

Ad n. 17: in ultimo commate, linn. 34-39. Optima propositio! quae si sanciretur a Concilio, et ideo non relinqueretur iudicio uniuscuiusque episcopi, multos fructus afferre posset.

V. g. statui posset ut cursus philosophicus absolvatur addita praxi Exercitiorum spiritualium ad mentem S. Ignatii per mensem producta. Erit opportunitas serio examinandi coram Domino vocationem clericalem eiusque vim etc., ita ut alumni qui cursum theologicum adibunt securiores et fidentiores in viam Domini procedere poterunt.

Cursus longior exercitiorum, v. g. per saltem decem dies, subdiaconatui praemittendus; quod pariter statuendum ante ordinationem presbyteralem.

7. In c. IV. De studiorum ratione. Ad n. 19: in linn. 25-26: « sacrorum alumni inferiores non sint ceteris iuvenibus... ». Principium hoc firmiter inculcetur, etsi dari possit casus exceptus.

Optarem ut dicatur etiam de studio linguarum, praeter classicas, quae hodie sunt communiores, vel quae in ministerio sacro exercendo necessariae sint: v. g. in cura emigrantium, etc.

Ad n. 21: duo adnotare velim: 1) solemnis fiat declaratio a Concilio de tradenda in scholis nostris philosophia perenni ad vim et rationem S. Thomae Aquinatis. Derelinquere Thomam, praesertim in re metaphysica, est erroribus potius quam veritati mentem aperire, praesertim hodie, cum tot systemata erronea vel minus tuta serpant, cum consequenti veritate relativa etc., et consectariis pessimis in principiis ipsis moralibus. 2) Alumni, praeterea, philosophiam accipiant non tantum methodo expositiva, sed etiam polemica seu disputativa. Non desunt sacerdotes hodie qui bene instituti inveniuntur in rebus philosophicis: sed rarissime invenitur qui disputationem quandam cum adversariis sustinere queat...

Et tamen, oportet nos rationem dare de iis quae profitemur et credimus!

Ad n. 22: omnia hic bene dicuntur; sed ne e mente excidat illud: non multa, sed multum! Ne alumni obruantur materiis, etiam specialibus, quae tamen possunt distrahere animum a materiis essentialibus. Evidenter hic non loquor de cursu theologico academico, qui in Facultatibus seu Universitatibus perficitur; sed de cursu ordinario in seminariis clericalibus. Columnae aedificii theologici sunt quattuor: S. Scriptura, Theologia Dogmatica, Theologia moralis, Historia Eccle-

siastica. Si alumni, per quattuor annos, per quattuor horas in singulis diebus hebdomadis, uno die excepto ad alias materias tractandas, serio incumbunt, sub ductu boni magistri, sacerdotes habebimus vere formatos, qui capaces erunt etiam, brevi tempore, addiscere et in actum deducere quae in nn. 23 et 24 dicuntur, quin tamen cogantur multa miscere quae ad aliud tempus opportunius remitti possunt.

Ad totum hoc cap. IV de studiorum ratione, aliud addere vellem, quod iam innui in meo voto ad card. Tardini (*l. c.,* pag. 184, n. 35), videlicet: quicumque laicus, post studia humanitatis (liceo classico) ad universitatem studiorum accedit, transacto curriculo saltem quattuor annorum in facultate quam eligit, et periculis superatis, doctor seu diplomatus in illa ratione studiorum renuntiatur.

Clericis, qui in nostris seminariis studiis sacris, post cursum licealem et philosophicum, per quattuor annos incumbunt, nulla datur agnitio officialis studiorum sacrorum in fine curriculi.

Verum quidem est ipsos in Facultate qua tali erecta studia non confecisse; sed cur in aestimatione populi christiani, praesertim hodie, qui digni invenientur in fine curriculi theologici, quodam titulo non condecorari debent, ad hoc ut saltem paritas agnoscatur cum viris eiusdem culturae proprii temporis?

Sicut enim dictum est in pag. 12, lin. 25: « sacrorum alumni *inferiores non sint* ceteris iuvenibus qui in propria natione ad studia academica accedunt », ita etiam in aestimatione communi auferatur ratio quaedam inferioritatis coram laicis, concedendo titulum quendam: qui si esse non potest *titulus doctoris,* sit saltem aliquis indigitans vim sacrae scientiae adquisitae.

Verbi gratia, sensu supra exposito, alumnus qui bene superatis periculis in quadriennio theologico dignus habeatur qui speciali mentione donetur, renuntietur *Lector Sacrae Theologiae* = non sensu antiquorum religiosorum vel professorum, sed sensu obvio: qui legere possit et explicare, uti sacerdos, veritates divinas etc.

30

EXC.MUS P. D. ANGELUS FERNANDES

Archiepiscopus tit. Neopatrensis, coad. c.i.s. Delhiensis

I. *In genere.* Ille spiritus accommodatae renovationis quo effata huius Sanctae Synodi imbui debent non satis elucet.

II. *In specie.* 1. Spiritus apostolicus et oecumenicus quem Sancta Synodus diligenter fovet in prooemio explicite exprimi debet. Idem spiritus integrum tractatum illuminare debet.

2. Formatio spiritualis duplicem finem habere debet, scil., progressum personalem alumnorum et ipsos fidelium directores satis peritos efficiendi. Id autem postulat formationem magis personalem in vita spirituali, et in quantum fieri potest, magis intensam, praesertim quoad theologicam asceticam et mysticam.

3. In tractatu theologiae moralis primatus caritatis in lucem evadat potius quam spiritus nimis negativus aut casuisticus. Praeparatio ad ministerium sacramenti reconciliationis sic melius haberetur et proinde animae fidelium in viam perfectionis tendentium magis feliciter ducerentur.

4. Necessitas correlationis inter disciplinas seminarii et conditiones in mundo vigentes religiosas, philosophicas et sociales in schemate non sufficienter apparet.

5. Cum ministri Ecclesiae Christi non sint omnes nisi missionarii Domini ad Evangelium praedicandum omni creaturae, magis insistendum videtur in formatione apostolica alumnorum.

6. Quia fideles recte exspectant ut Verbum Domini saltem cum eodem vigore ac potestate exponatur ac fit in theatris et aulis mundi hodierni, omnino necessarium videtur insistere in meliore provisione pro disciplina sacrae eloquentiae. Quare usus instrumentorum technicorum quae in hac re adiumentum esse possint ne facilius omittatur et si opus sit, laici ad hanc disciplinam adhibeantur.

7. Dum in necessitate disciplinae in schemate valde insistitur, ad integrationem huius cum vita spirituali et quidem in gratia Domini fundata non sufficienter attenditur.

8. Utrum unus vel plures debent esse directores spirituales in seminario sit propositio in schemate consideranda. Eo vel magis quod res ut nunc geritur non omnibus satisfacere videtur.

9. Professores theologiae dogmaticae curam habeant ut eruditio recentior de Sacra Scriptura producta in eorum cursum momentum latiorem gaudeat.

10. Rectores et professores seminariorum, et religiosi et dioecesani saepe saepius inter se conferant ut problematibus mutuis consulant.

31

Exc.mus P. D. SALOMON FERRAZ

Episcopus tit. Eleuthernensis

In hoc schemate magna prorsus apparet cura et fere praeoccupatio clericorum, in superioribus scholis efformandorum, minor vero pastorum humilium immediate populum inservientium praeparatio.

Extollitur momentum methodus et doctrinae scholastico-thomistae, parum vel nihil dicitur de doctrinis traditionalibus, modernioribus idiomatibus exprimendis, et necessitatibus populorum applicandis, ut sic et ab alumnis melius intelligi possint et ab eisdem fidelibus efficacius temporibus nostris et culturae modernae aptari iuxta mentem et normam ab ipso Summo Pontifice sanctae memoriae Ioanne XXIII, ipsis patribus conciliaribus initio Concilii, apertissime, manifesta.

Magis in schemate videtur urgenda clericorum formatio in quaestione sociali, qua in re eorum magna pars confusione ne dicam ignorantia laborant. Et quidem non solum edocendi sunt clerici, in artibus technicis et methodo, quibus oppugnandi sint doctrinae socialis Ecclesiae oppositores, sed plenius huius doctrinae et lineamenta praecisa et ipsius doctrinae fundamenta attingantur; cuius rei incuria, nonnullorum sacerdotum, sine debita praeparatione huic sociali lavori addictorum, deploranda defectio.

Aliquid etiam desideratur de educatione sexuali rite impertienda, sive prae oculis habito statu caelibatus, quem amplexuri sunt, sive considerato apostolatu, quem inter puellas et iuvenes exercere debent; sive etiam ipsorum suae vitae sacerdotalis periculorum, quibus in mundo brevi exponentur, realitate non spernenda, prae oculis habita.

32

Exc.mus P. D. PETRUS FIORDELLI

Episcopus Pratensis

Schema placet. Tres tantum observationes liceat submittere examini commissionis.

1. Ad n. 6, pag. 7, lin. 4, ubi dicitur « adulescentes », diversa vox ponenda videtur. Nam vocabulum « adulescentes » quam aetatem significat? Potest significare aetatem tum 12, tum 15, tum 17 annorum. Sed constans Ecclesiae praxis et mens est, ut illi « qui indicia praebeant ecclesiasticae vocationis » (*C.I.C.*, can. 1353) quam primum in seminario recipiantur.

Ponenda ergo videtur vox « pueri » (*C.I.C.*); vel « adulescentuli » (Paulus VI in Litt. Ap. *Summum Dei Verbum*); vel dici potest « inde a prima adulescentia ».

2. Item ad n. 6, pag. 7, lin. 6, ubi dicitur « itemque peculiaria illa collegia etc. ». Ista collegia vel sunt exclusive destinata ad seminaristas et tunc sufficit loqui de seminariis minoribus; vel sunt destinata tum iis qui spem habent vocationis ecclesiasticae tum iis qui quavis vocationis spe carent et tunc, iuxta meam mentem, bonum non videtur ut Concilium illa adprobet. Seminaristae enim necessitatem habent peculiaris educationis etiam in seminario minori.

3. Semper ad n. 6, pag. 7, linn. 10-15. Humiliter mihi videtur absonum omnino esse statuere ut « alumni formationem vere sacerdotalem *inchoare* valeant » tantummodo in seminariis maioribus. Inde a seminario minori — ordinatione utique sapienti, prudenti, et graduali — tamen debent *inchoare* formationem vere sacerdotalem pro modulo suo. Vel negatur utilitas seminarii minoris, vel concedendum est inde ab initio vitam seminaristicam forma sacerdotali ordinandam esse. Illa distinctio inter formationem mere civilem, humanisticam et moralem, quae propria esse deberet seminarii minoris, et formationem vere sacerdotalem, quae *inchoari* deberet tantum in seminario maiori, respondere non videtur neque principiis psychologiae et rectae paedagogiae, neque praesertim constanti menti Ecclesiae. Summus Pontifex Paulus VI in Litt. Ap. *Summum Dei Verbum* videtur aperte contradicere iis quae in schemate dicuntur. Cito tantum haec verba « Quo firmissimo principio posito, illud sequitur, quod in ecclesiasticae vitae usu magni est ponderis, *humanam nempe educationem pari gradu procedere oportere cum educatione, quae christianum hominem et sacerdotem addeceat,* ut naturae humanae vires evehantur ac roborentur, sive ope precationis, supernaeque gratiae, ... sive supernaturalium virtutum pulsu, quibus quidem exercendis naturales virtutes praesidio sint et auxilio ». Sed totum praeclarissimum documentum hanc mentem redolet.

Ergo humiliter peto, ut quae in linn. 10-15 dicuntur penitus mutentur.

33

EXC.MUS P. D. EDUARDUS ALOISIUS FITZGERALD
Episcopus Vinonaensis

I wish to briefly state my sincere conviction that we need a real up-dating of our statements on the above subjects.

It is important that our curricula in the Catholic schools and particularly in the seminaries—minor and major—shall be reorganized in accordance with modern pedagogical methods rather than to follow the format set forth by the recommendations of the Council of Trent. Those were appropriate for the needs of those days; but today we need to prepare our seminarians to meet the problems of our modern age.

I agree with Archbishop Hurley of Durban that "seminary training should reinforce the essentially pastoral calling of the priest." His spiritual as well as his intellectual life should be integrated to that end. Formal scholastic philosophical and theological training should take place only after a more pastoral, scriptural and liturgical orientation has been given.

I consider that if " Verbum sapientiae " is put into effect we will be placing strictures on a more complete development of Christian Philosophy and Theology. In the words of Reverend Charles Davis of Downside, England: "Latinization of the new pastoral presentation of Philosophy and Theology complicates progress in thought. Language and culture are inseparable, and creative thinking goes so deep and involves so much of the personality that a man thinks creatively only in his native language, with rare exceptions. Latin has ceased to be the language of philosophical and theological thinking; it can serve only as a secondary language into which is translated what is thought out in native languages." There is a big difference between " Cognitium Latinae " and " Usum Latinae ".

May we hope that the members of the Conciliar Commission on these subjects will approach the problem with open minds rather than with ideas of other days when problems were different. Unity of Faith must be maintained, but I believe that methods of presentation can be adapted to the culture and intellectual life of widely divergent areas.

I humbly submit these observations with a prayer and hope that we may truly meet the problems of our day.

34

EXC.MUS P. D. HERMENEGILDUS FLORIT
Archiepiscopus Florentinus

Schemata *De sacrorum alumnis formandis* et *De scholis catholicis,* ut patet ex responsis episcoporum regionis conciliaris Etruscae, generatim placent, sive quoad textum, sive quoad structuram et stylum. In omnibus etiam responsis extollitur momentum quaestionum quae in schematibus pertractantur, sive in genere, sive quod attinet ad particulares nostrae nationis condiciones.

In uno responso haec sententia exprimitur, nempe nimium esse apparare duas

Conciliares constitutiones circa argumenta iamdudum in multis ecclesiasticis documentis explanata et quae in omnibus nationibus aspectus diversos plerumque exhibent. Quare opportunum videtur includere aliqua generalia principia in schema *de Ecclesia,* circa eius evangelizandi munus et circa sacerdotium, quod attinet ad Seminaria, et in schema *de Ecclesiae praesentia et actione in mundo hodierno,* circa educationem, quod attinet ad scholas catholicas. Cetera omnia remitti possunt ad commissiones de reformando Codice Iuris Canonici vel ad alias commissiones.

His praemissis, en animadversiones circa schema *de sacrorum alumnis formandis.*

Pleraque responsa schema quoad textum, structuram et stylum approbant, interdum etiam laudibus, nec quidquam indicant addendum, supprimendum vel mutandum. In aliquibus autem responsis animadversiones proferuntur, quae ita brevi absolvi possunt.

Animadversio generalis. Hoc schema ex integro recognoscendum est quia: *a*) nimia prolixitate laborat; *b*) ordine caret; *c*) generice et descriptive loquitur, dum e contra textum conciliarem definite et auctoritative loqui decet; *d*) silet vel inadaequate loquitur de nonnullis quaestionibus magni momenti, v. g. de relationibus inter auctoritatem et libertatem in Sacrorum alumnis educandis.

Animadversiones particulares. 1) *Prooemium.* Quod nunc invenitur prooemium, reformandum est. Ratio est quia illud triplex munus (n. 1, linn. 5-12), sacerdotale scilicet regale et propheticum, super quod textus fundatur, non competit solis presbyteris, sed universo populo christiano eiusque singulis membris. Schema, igitur, incipere deberet a notione « populi Dei », deinde declarare quomodo ex isto populo, qui *spirituali sacerdotio* pollet, nonnulla membra eleventur — divinae electionis ope — ad *ministeriale sacerdotium,* quod constituit perfectam participationem cum Christi sacerdotio.

Per novam prooemii formulationem melius eluceat oportet coniunctio schematis « de Sacrorum alumnis formandis » cum schemate « de Ecclesia », quod totius Concilii velut centrum est.

2) *De vocationibus ecclesiasticis* (cap. I). Quae de inquisitione et detectione sacerdotalium vocationum hic inveniuntur, nervosius dicenda sunt, praetermissis his quae locum meliorem invenient in Directorio pastorali de Concilii mandato suo tempore apparando.

Officium parentum, sacerdotum et magistrorum, in vocationibus ecclesiasticis curandis, videtur, ex textu schematis, esse solummodo detectivum; at omnes norunt Deum eligere homines, utpote causas secundas, ad vocationem ecclesiasticam in puerorum animum inducendam. Quare amplius loqui necesse est de parentibus, sacerdotibus et magistris quatenus sunt satores, non detectores tantum, ecclesiasticarum vocationum.

Operi pro sacerdotalibus vocationibus, in unaquaque dioecesi instituenda, praeficiatur presbyter in psychologia peritus et liber a quovis alio munere.

3) *De formationis fine et seminariorum ordinatione* (cap. II). Titulus huius capitis ad simpliciorem formam reducendus est; nam *disiunctive* agendum est de formationis fine et de seminariorum ordinatione, minime vero *copulative,* alioquin confusio praecaveri non potest. Igitur, quae sub n. 7 huius capitis leguntur relate

ad Bonum Pastorem, transferenda sunt ad caput tertium in quo de sola spirituali formatione sermo fit.

Quod ad seminaria minora attinet, opportunum videtur ita definire eorum ambitum, ut comprehendant alumnos scholae mediae et gymnasii, idque variis rationibus: *a*) ut ad seminarium maius post congruam vocationis probationem mittantur; *b*) ut unitas disciplinae servetur, quod haud facile fit, si in seminarium maius gymnasii alumni una cum alumnis superiorum classium recipiantur.

Seminaria maiora sint tantum interdioecesana et praedita facultate conferendi gradus academicos.

Pro rectoribus ceterisque seminariorum moderatoribus, periodici cursus de psychologia et de educatione adspirantium ad sacerdotium instituantur.

Maximi momenti est, in seminaristica institutione, quaestio de recto modo contemperandi moderatoris auctoritatem cum alumni libertate; sed haec quaestio indirecte tantum attingitur sub n. 11 huius secundi capitis, et resumitur postea, disiunctim et incomplete, sub n. 14 tertii capitis. Nonne conveniens est totam hanc quaestionem maiore cura et altius investigare?

4) *De institutione spirituali* (cap. III). Ad hoc caput transferenda videntur quae in secundo, sub n. 7, dicta sunt de Iesu Bono Pastore, qui omnium sacerdotum perhibetur typus et exemplar. Sed posita figura Boni Pastoris, ex ea derivare oportet omnia elementa quae ad efformandam sacerdotalem spiritualitatem conferunt. Et quoniam communis est theologorum sententia Bonum Pastorem esse typum Episcopi (cf. S. Th. II-II, q. 184 ad 5), si Bonus Pastor assumitur etiam ut exemplar sacerdotum, explicare oportet arctam coniunctionem inter episcopalem et sacerdotalem spiritualitatem, immo sacerdotalis perfectionis ab episcopali perfectione dependentiam.

Schema numquam de sacerdotali perfectione loquitur; si quandoque huius argumenti mentionem facit, genuinam rei notionem perturbat. Quod fit, v. g. sub n. 15 istius capitis, ubi legimus: « (sacerdotes) ad evangelicam perfectionem contendentes etc. ». At ista locutio: « evangelica perfectio » monachorum et religiosorum vitam communiter designat, non vero cleri dioecesani. Item, sub eodem n. 15 sacerdotes dicuntur « spirituale connubium inire cum Christo » per castitatis propositum. Sed iste loquendi modus convenit religiosis qui castitatis votum emittunt; castitas sacerdotalis magis pertinet ad connubium cum Ecclesia. Quare tota quaestio altius investiganda et clarius declaranda videtur, ita ut Concilium Vaticanum II, quod pastorali nota praefulget, animarum pastoribus principia quibus eorum peculiaris spiritualitas innititur praebeat.

Locus aptus naturalibus virtutibus in schemate non assignatur; istae enim virtutes post supernaturales habitus ponuntur, ut apparet ex n. 14 et 16. At quoniam gratia perficit naturam, natura ipsa primo et accurate excolenda est; quod fieri potest, immo et debet, quin perniciosi naturalismi opinionibus faveatur.

5) *De studiorum ratione* (cap. IV). Ad perfectam intellectualem formationem, qua hodie sacerdotes ornati esse debent, utile fortasse erit, in nostra natione, redire ad studiorum rationem qua usi sumus usque ad saeculum decimum octavum, etiam nunc servatam apud Sodales S.I., quae amplectitur: post quinque annos inferiores, tres annos lycaei humanistico-scientifici, duos annos philosophiae scholasticae, quattuor annos sacrae theologiae.

Necessitas linguae latinae magis excolendae, ad normam constitutionis *Vete-*

rum sapientia, requirit ut nova studiorum ratio statuatur, minuendo sive numerum sive amplitudinem aliarum disciplinarum, si bene auspicatam linguae latinae provectionem aliquando adeptam volumus.

Magis magisque suadendum est momentum earum linguarum quibus homines huius aetatis utuntur; ideoque sacrorum alumni ad huiusmodi linguarum studium excitandi sunt. Etiam psychologiae et paedagogiae operam navent; admonendi tamen sunt ut psychologiam et paedagogiam caveant falsis innixas principiis positivismi et materialismi.

Ut sacrorum alumni ad illam praxim pastoralem initientur de qua sub n. 24, utile praesertim erit tempus feriarum aestatis.

6) *De formatione post seminarium perficienda* (cap. V). Optima est voluntas obligandi neosacerdotes ad formationem spiritualem et intellectualem perficiendam, sed ad hoc non sufficiunt adhortationes, etiamsi instantes. Oportet aliquid aperte *decernere,* saltem in directoriis pastoralibus, ut omnes sacerdotes, statutis temporibus, adeant loca in quibus eorum institutio possit augeri et reparari.

Hoc caput occasionem dat mentionem faciendi de gravi problemate sacerdotum qui ministerium suum deserunt paucis annis post diuturnam commorationem in seminario. In methodo formationis, optima ceteroquin, quae in schemate illustratur, nonne aliquid fortasse deest, cum post tot annos formationis non tam pauci sint sacerdotes qui mundo non resistant? Si statutis modis formatio post seminarium perficiatur, multi lapsus poterunt praecaveri.

35

Exc.mus P. D. DOMINICUS SENYEMON FUKAHORI
Episcopus Fukuokaensis

Animadversio generalis. Fere nihil dicitur in schemate de *selectione* vocationum (n. 10 tantum). Selectio tamen praecedere debet formationem candidatorum ad sacerdotium. Quapropter, valde optandum est ut fusius scribatur de *selectione* vocationum. Titulus ipse schematis sic mutari potest: *De sacrorum alumnis seligendis ac formandis.*

De selectione iuvenum multa dici possunt, hic tamen pauca tantum mentionem facio:

1. Seminarium, sive minus sive maius, est institutum ad vocationum selectionem faciendam. Sub directione et cum auxilio directoris spiritus, iuvenes investigant utrum veram vocationem habeant necne.

2. Non omnes qui in seminario admittuntur, vocationem ad sacerdotium habent. Quapropter, ne dicatur iuvenes omnes qui e seminario egrediuntur, vocationem suam perdidisse vel vocationi suae infideles esse. Nimis numerosi sunt parentes qui errant. Non raro, parentes filios suos libere et sponte sua e seminario egredientes, vituperant; quod libertati nocere potest.

3. Pariter, ne dicatur, in similibus casibus, seminaristas egredi propter culpam directorum seminarii. Affirmatio huiusmodi est fere semper gratuita et sine fundamento. De facto, provenit ex incomprehensione et nocere potest bonae administrationi seminarii.

Animadversiones particulares. I. *De vocationibus ecclesiasticis.* N. 4: In fine ultimae lineae (lin. 23) huius paragraphi, suadetur ut verba sequentia addantur: « et ad diffusionem necnon sanctificationem Ecclesiae magis iuvat », saltem « de se », seu « natura sua ».

N. 5: Etsi numerus vocationum ad sacerdotium in quibusdam dioecesibus decrescit, evenit tamen in nonnullis dioecesibus ut auctoritas ecclesiastica non admittat in seminarium suum omnes iuvenes qui signa vocationis manifestant, quia redditus deficiunt sive ad multos seminaristas sustentandos, sive ad novas paroecias erigendas pro neo-sacerdotibus. Quae cum ita sint, forsan suaderi potest:

a) ut dioeceses multos redditus habentes, pauperiores dioeceses pecunia sua magis adiuvent,

b) ut dioeceses nimis numerosos candidatos ad sacerdotium habentes, non recusent illos admittere, vel saltem eos offerant dioecesibus ubi adest vera penuria sacerdotum et vocationum,

c) ut dioeceses qui multos redditus non habent, Divinae Providentiae magis confidant,

d) ut non solum « Opus vocationum sacerdotalium » pecuniam pro educatione iuvenum solvat, quia est institutum impersonale; sed etiam ut sacerdotes ipsi, praesertim parochi, pecunia sua propria et secundum vires suas, iuvenes vere adiuvent.

N. 6: In dioecesibus ubi seminaristae pauci sunt, optandum est ut seminaria minora, vel collegia, vel instituta specialia, sive interdioecesana, sive regionalia condantur. Praesertim desiderandum est, in quantum fieri potest omnibus mature perpensis, ut seminaristae minores vel iuvenes in collegiis seu institutis specialibus degentes, in melioribus scholis educationem suam recipiant. Quapropter, suadendum est ut haec instituta vel haec collegia prope optimam scholam aedificentur.

Pag. 10, lin. 14: Post verba: « ceterisque disciplinis », addatur: « elementis saltem linguae latinae non exceptis », vel verba similia. Nam, in aliquibus regionibus, iuvenes mittuntur in seminarium maius sine adaequata praeparatione.

II. *De formationis fine et seminariorum ordinatione.* Ad omnem ambiguitatem removendam, dicatur in titulo ipso utrum agatur de seminariis maioribus an potius de seminariis minoribus. Quae distinctio appareat etiam in textu.

N. 8, lin. 9: Agiturne de seminariis minoribus an maioribus?

N. 10, lin. 35: Scribitur: « superiores tempestive dimittant ». Optandum est ut addatur: « cum caritate tamen, benignisque verbis; et, in quantum fieri potest, eos adiuvent sive ad laborem inveniendum, sive ad studia superiora peragenda, ita ut non sint alieno animo in Ecclesiam ». In quibusdam locis, auctoritas competens non satis curat de seminaristis e seminario sive sponte sua egredientibus, sive de illis qui dimittantur.

III. *De institutione spirituali.* Pag. 10, linn. 6 ss.: Satis non est ut doctrina de caritate seminaristis tradatur; praeterea, requiritur ut directores seminarii exemplum praebeant, necnon ut seminaristae ipsi caritatem practice exerceant in suis relationibus quotidianis cum confratribus.

N. 14, 1 paragraphus: Optandum est ut mentio expresse fiat de virtute *religionis,* quia est veluti *centrum* totius vitae sacerdotalis.

N. 14, lin. 25: Post ultima verba lineae 25, addatur sententia sequens, vel

aliquid simile: « Nam, omne incrementum religionis christianae sperandum est ex communione religionis Iesu Christi in Eucharistia iugiter latentis ».

N. 15: Instandum est ut cor seminaristarum paupertatis spiritu impleatur. Inter media apta ad hunc spiritum firmandum, enumerari possunt:

1) visitatio et levamentum pauperum pecunia sua propria;

2) labores manuales in seminario ipso; etc.

N. 17, lin. 32: Ad unitatem directionis spiritualis servandam, director spiritus et confessarius idem esse debent. Praeterea, ut directio spiritualis sit valde efficax et optimos fructus afferat, requiritur ut frequens sit, i. e. circiter bis in mense in maiori seminario, et semel in mense in minori seminario.

IV. *De studiorum ratione.* N. 22: Disciplinae nunc docendae (multae enim novae disciplinae introductae fuerunt recenter) ita numerosae sunt ut impossibile sit eas omnes convenienter tradere intra spatium quatuor annorum. Quapropter, optatur ut totus cursus theologicus extendatur.

In nonnullis seminariis, ultimus semester quarti anni reservatur ad recapitulationem totius theologiae faciendam. Hoc valde utile est pro seminaristis. Utile erit Ecclesiae introducere hanc praxim in omnibus seminariis.

N. 22, lin. 36 (pag. 13). Verbo « ponant », addatur: « Quapropter, oportet novos textus (manuels; text-books) conficere secundum hanc mentem ».

Pag. 15, lin. 3: Inter disciplinas subsidiarias, adnumerari possunt etiam:

1) Quod vulgo dicitur « tenue des livres », relate ad administrationem paroeciae.

2) Praescripta iuris civilis relate: *a*) ad bonorum ecclesiasticorum administrationem; *b*) ad emptionem loci pro extructione novae ecclesiae; *c*) ad aedificationem sive ecclesiae, sive residentiae pro sacerdote, etc. Hoc est valde practicum praesertim in terris missionum.

V. *De formatione post seminarium perficienda.* Pag. 16, lin. 6: Scribitur « moneant ». Forsan addi potest: moneant ut « iura » sua non nimis vindicent. Nam sacerdos debet esse « servus », sicut Iesus Christus ipse et sicut Summus Pontifex ipse, qui vocatur « Servus servorum ». Moneant pariter ut « dociles » sint, non tantum externe, sed et praesertim in corde.

N. 26: Addatur: In dioecesibus, vel in regionibus, ubi neo-sacerdotes valde pauci sunt (v. g. in terris missionum, saepe duo vel tres tantum neo-sacerdotes unoquoque anno ordinantur), suadetur ut unum tantum « centrum » formationis organizetur pro pluribus dioecesibus.

Addenda: 1. Quod scribitur de *formatione spirituali* seminaristarum in schemate est optimum. Forsan optari potest ut tota materia magis ordinetur circa « ideam centralem », v. g. circa « virtutem religionis », vel circa « Christum ipsum », vel circa « Ecclesiam ». Quod de hac materia invenitur in praesenti schemate videtur esse nonnisi enumerationem veritatum fundamentalium.

2. Tandem, hoc schema incompletum erit si nihil dicitur de formatione missionariorum. Duae praesertim virtutes missionariis docendae sunt: fides et patientia. Nam fides requiritur praesertim quando apostolatus est difficilis et conversiones fere nullae. Saepe, missionarii inclinantur ad « demissionem » (découragement), quando effectus laboris sui non clare apparent. Patientia etiam requiritur ad omnia supportanda cum constantia. Hic agitur de patientia a caritate nutrita.

Praeterea, formatio apostolica missionariorum videtur esse insufficiens seu inadaequata praesertim in disciplinis sequentibus:

a) *liturgia:* nonnulli missionarii spiritum necnon applicationes practicas « movimenti » liturgici moderni non bene sciunt.

b) *catechesis:* Quidam missionarii nunquam receperunt formationem catecheticam in seminario. Quod dolendum est, nam missionarii fere omnes fere quotidie catechismum docere debent. Alii, etsi quamdam formationem receperunt, fere nihil sciunt de spiritu « moderno » vel potius de spiritu « kerygmatico » catechesis hodiernae.

c) *canonica:* Nimis numerosi sunt missionarii qui ignorant textum « Facultatum Apostolicarum » a S. C. de Propaganda Fide concessum. Nullus cursus aderat de hoc in seminario. Praeterea, multi nesciunt modum conficiendi libros paroeciales, v. g. librum baptismi, librum matrimoniorum; ... et qui nesciunt modum praeparandi « Formulas dispensationum ab impedimentis », etc. v. g. « Formulas sanationis in radice ».

Ultima Animadversio: Mirandum est hoc schema silere de praecipuis problematibus hodiernis, v. g. de vocationibus, vulgo sed improprie dictis « tardives »; de feriis seminaristarum; de usu ephemeridum necnon mediorum communicationis, uti radio, etc. ..., in seminario; de « rehabilitatione » seminaristarum qui e seminario egressi sunt (vocantur « ex-seminaristae); etc.

* * *

1. *De formationis fine et seminariorum ordinatione.* Desideratur ut in hac sectione schematis clare distinguatur non tantum inter seminaria minora et maiora, sed etiam inter: *a*) seminaria maiora facultates theologiae *non* habentia... Etenim immediate praeparant ad ministerium pastorale; *b*) seminaria maiora *cum* facultatibus theologicis ... Etenim praeparare debent et ad ministerium pastorale, et ad gradus academicos; *c*) facultates theologiae ... Etenim praeparant quasi exclusive ad gradus academicos.

2. *De studiorum ratione*: Numerosi sunt professores seminariorum maiorum qui conscii sunt de adaptationis necessitate in docendo. Attamen, nesciunt quid sit, in praxi, faciendum. Quapropter, valde optandum est ut haec Sacra Synodus directivas practicas approbet. Praesertim, exoptatur ut tota tractatio materiae theologiae magis habeat Christum tanquam « centrum theologiae », et ut etiam melius appareat « historia salutis ».

Appendix. I. *De vocationibus sacerdotalibus fovendis.* 1. Ut certum habere debemus sacerdotalem divinam vocationem esse quid praecedens admissionem a parte episcopi et ab ea distinctum. Est complexus gratiarum et aptitudinum supernaturalium naturaliumque inter quas eminet recta intentio.

3. Contactus frequens inter exemplarem sacerdotem et iuvenes est semen efficax vocationum. Recitatio precum approbatarum ab auctoritate ecclesiastica pro vocationibus fovendis. Visitatio seminarii a iuvenibus.

II. *De seminariorum speciebus et ordinatione.* 3. In casu seminariorum interdioecesanorum, optatur ut dicetur: Utrum ordinariorum unanimis sententia requiratur, an sufficiat maioris partis consensus, ad decisiones graves applicandas.

5. Moderatorum magistrorumque praeparatio sit adaequata tam in re intel-

lectuali quam in re morali et paedagogica. Haec praeparatio semper perficienda est per lectionem librorum. Unde, requiritur ut magistri seminariorum dent maximam partem temporis muneri seminarii, et non acceptent opera extra seminarium, nisi cum maxima prudentia.

6. Ad meliorem selectionem alumnorum obtinendam, peritus sacerdos adiuvet parochos in signis vocationis scrutandis antequam iuvenes in seminarium maius mittantur. De usu methodi quae vocatur « test », sic distinguendum est:

a) tests psychologiques d'orientation: possunt esse vere utiles; attamen, « test » soli non sufficiunt;

b) tests psychiatriques: prudentia maxima requiritur; nam damnum causari potest;

c) tests psychoanalytiques: vitari debent, tanquam principium generale; exceptionaliter utiles esse possunt.

N.B. — In terris missionum, periti qui possunt praeparare et « analyser » haec « tests » sunt valde rari. Quapropter, in praxi, usus methodi quae vocatur « test » est quasi impossibilis.

Examen medicale, sive de toto corpore, sive de partibus inhonestis est valde utile.

7. Disciplina in seminario, etsi flexibilis temporibusque adaptata, animae evangelicae et apostolici characteris efformandi regula sit. Disciplina ipsa requiritur ad spiritum mortificationis efformandum.

8. Alumni, saltem tempore aestivo, apud propriam familiam vacationes habeant. Hoc spatium temporis est maxime utile ad vocationem firmandam. Si impossibile est ut sese recreent apud familiam suam, vivant cum parocho et eum adiuvent diverso modo, non autem sese recreent in seminario toto tempore vacationum praesertim temporis aestivi.

III. *De sacrorum alumnorum in seminariis institutione.* 1. Vita liturgica activa tres notas sequentes multum fovet. *Sacrificii spiritus* ut unum ex elementis fundamentalibus semper habeatur; quo deficiente, sacerdos numquam erit authenticus mediator, hostia Deo placens (*Rom.* 12, 1), *semper* mortificationem Iesu in *corpore suo* circumferens (*2 Cor.* 4, 10).

3. Absentia peccatorum externorum non sufficit.

4. Ubi seminaristae numerosiores sunt, spirituales directores saltem 3, 4, 5, etc. esse debent ad conscientae libertatem melius servandam et animam unamquamque profundius cognoscendam. Optatur tamen ut seminarista non semper mutet confessarium, neque ut confiteatur peccata sua uni et recipiat directionem spiritualem ab alio. Etenim, unitas requiritur ut recte formetur seminarista.

6. Pro seminariis missionum, studiorum ratio, tractatus aut cursus potius regionibus in maiore parte catholicis destinatos omittens, cursibus tractatibusque statui Ecclesiae missionario utilioribus immorari debet: v. g. ius naturale; historia religionum huius regionis; catechetica baptismalis; psychologia populorum; etc.

7. Ob hodiernas necessitates, novi cursus ab Ecclesia adnumerati sunt, et convenienter tractari seu explicari nequeunt inter spatium 4 annorum. Unde 5 annos pro theologiae cursu humiliter petimus.

8. Ut exercitatio pastoralis posset permitti ministerium activum diaconorum, durante 5° anno cursus theologiae, in variis paroeciis, semel vel bis in mense, die dominica (et sabbato etiam): praedicatio Verbi Dei, administratio baptismi, expli-

catio et commentarium liturgiae, explicatio catechismi, cura et visitatio pauperum, etc.

IV. *Addendum.* Ut certissimum habemus gradatim neo-sacerdotum adaptationem faciendam esse ad novum ministerium. Convictus sacerdotalis videtur esse bonum remedium ad transitionem faciendam inter seminarium et ministerium. Praeterea, semel in anno, optatur ut adsint etiam « Semaines D'Etudes ».

36

EXC.MUS P. D. XAVERIUS GEERAERTS
Episcopus tit. Laganitanus

IV. *De studiorum ratione,* pag. 12. *Notandum in genere.* Nostris temporibus ubicumque necessarium est ut sacerdotes excellant scientia praesertim sacra, ergo regula generalis pro tota Ecclesia promulgari deberet praescribens hoc quod consideratur ut formatio intellectualis et sacerdotalis absolute necessaria, nempe:

1. Curriculus studiorum humaniorum omnino aequalis ac iste qui imponitur iuvenibus qui ad studia academica (universitates) accedere volunt.

2. Cursus Philosophiae sicut sub n. 21 exponitur.

Notandum tamen: In hoc cursu non tractetur de aliis philosophiis ut synthesis totius philosophiae melius videatur.

Omnes aliae doctrinae, omnia systemata bene exponentur in cursu *Historiae Philosophiae* ubi etiam philosophiae modernae locum suum habebunt. Ad cursum philosophiae addetur cursum scientiarum suppletivum ad illum qui in studiis humanioribus iam datum fuit.

3. Cursus Theologiae. Hoc optime exponitur sub n. 22, pag. 13 et seq.

Notandum tamen: Discussiones subtiles et considerationes sapientes relinquendae sunt his qui post seminarium gradum aliquem in theologia acquirere debent. Abstineatur in cursu theologiae dogmaticae a dissertationibus longissimis de erroribus haereticorum et opinionibus nuper a theologis datis. Haec omnia tractari possunt in Historia Ecclesiae vel Historia theologiae.

Theologia pastoralis tantum quoad principia generalia separatim tractetur sed post unumquodque caput theologiae detur applicatio practica pastoralis.

Idem est dicendum pro cursu Iuris Canonici.

Quoad cursum Scripturae Sacrae clare indicentur principia hodierna exegetica et pro usu pastorali bene doceatur quomodo haec omnia populo christiano exponenda sunt.

Corpus sacerdotale deberet praeparari post seminarium aliquo tempore exercitationis (stage) quod fieri possit in aliquibus paroeciis bene organizatis sub ductu virorum expertorum ab episcopis indicatis et hoc non necessario in propria dioecesi sed etiam in regionibus missionis fieri poterit pro multis neo-sacerdotibus qui sic amplissimam experientiam acquirere possint.

37

EXC.MUS P. D. IOSEPH GORI

Episcopus Nepesinus et Sutrinus

Appendix II, pag. 19. Ad excitandas vocationes ad sacerdotium a parochis curentur magnopere: 1. Opera parvi cleri (piccolo clero); 2. Pueri cantores.

38

EXC.MUS P. D. CAROLUS GRECO

Episcopus Alexandrinus

Hoc schema valde bonum est, ac proinde illud approbo. Mihi tamen videtur includi posse (pag. 14, par. 23) in iis omnibus quae ad formationem pertinent clericorum, cursus in Confraternitate Doctrinae Christianae (*C.I.C.,* c. 711, et *Acerbo Nimis*), ita ut quando iuvenes sacerdotes ex seminariis exeunt, iam sciunt vires et programmata Confraternitatis ideoque possunt, statim ac exeunt, organizare laicos ad opera instructionis assumenda. Sine laicorum adiutorio non est possibile ingens illud catechizandi opus complere.

39

EXC.MUS P. D. CAROLUS HERMANNUS HELMSING

Episcopus Kansanopolitanus - S. Ioseph

Hoc schema, multis respectis, magni aestimandum est. In formatione alumnorum sacrorum necesse est cum emphasi docere relationem presbyterorum, saecularium et regularium, collegio episcopali.

In seminariis nostris maiorem emphasim ad educationem personae ponendam esse videtur.

Suggestiones. Cap. II, n. 11, pag. 9: Accentus negativus huius moniti contra « Speciosos errores » contrarius reliquo documenti esse videtur. Hoc maxime verum est, quia « errores » non definiti sunt.

Cap. IV, n. 18, pag. 12: Haec pars documenti est valde accepta, quia requisita et necessitates loci agnoscit.

Nota: Alia nota de distributione illorum aspirantium ad presbyteratum, quandocumque talis distributio fieri possit, includenda est. Quaedam dioeceses plus applicantium quam, propter spatium in seminariis, quotannis accipere possunt. Quaedam archidioeceses et dioeceses nonnullum centum applicantes singulis annis reiecisse notae sunt. Multi ex his viris requisita implere possunt, atque in alia dioecesi bene prospere possint. Aliquid ad utendum hac magna copia aspirantium agendum est.

40

EXC.MUS P. D. AUGUSTINUS HERRERA

Episcopus tit. Tanaitanus, coad. s.d. Jujuyensis

I. *De vocationibus ecclesiasticis.* Ad 5. Spiritus quo ducitur Sancta Synodus, abs dubio unitatis et concordiae est. Igitur, propono ut a SS. Patribus in Synodo propugnetur ut Opus Vocationum Sacerdotalium una cum Opere pro Vocationibus Religiosis, in posterum adlaboret in unaquaque dioecesi. *Ratio*: religiosi et religiosae Ecclesiae filii sunt sicuti alii ecclesiastici. In territorio alicuius dioecesis laborant et in iurisdictione cuiusdam episcopi domus habent. Immo, sacerdotes religiosi saepe saepius requiruntur pro ministerio in paroeciis et religiosae variis in formis apostolatus cum parochis collaborant. Igitur, vere dignum et iustum esset si omnes unanimiter et vero spiritu caritatis impulsi, pro vocationibus adlaborarent.

Hac propositione, nolo propugnare unitatem Operis. Minime vero! Tantummodo unitas actionis, sed remanendo unumquodque Opus omnino independens.

Si ita labor fiet, melius et efficacius erit, abs dubio pluribus de causis. V. g. magnum exemplum caritatis apud fideles erit. Expensae utiliore modo erogarentur ac media disponibilia meliora essent virium unione. Et certissime fructus Deus benedicet abundanter, Spiritus spirando quo velit, sine contentionibus quae saepe saepius surgunt in dioecesibus.

Ad 6. Iam in textu decreti novitates introducuntur. Sed melius si indicatur perspicuis verbis, Episcopum esse ducem et iudicem organizationis sui seminarii. *Ratio*: experientia docet quam difficile est seminarium erigere. Attamen, primarium opus in dioecesi iudicari debet.

Ex altera parte, si hodiernos mores consideramus et familiarum indolem, regimen seminarii modo antiquo nullatenus conservari potest cum fructu pro vocationibus. Quare, relinquere episcopis pro suo iudicio et arbitrio — admissa eorum prudentia — organizationem seminarii, praesertim minoris, utilissimum erit, quia diversa in diversis regionibus mores et exigentiae sunt.

V. g. si in dioecesi collegium catholicum adsit, quare seminaristae eum adire nequeant pro scholis, dum in seminario degant sub disciplina ecclesiastica et ibi pro aliis exigentiis propriis formationis clericalis erudiantur? Hoc systema non solum utilissimum evaderet sub aspectu oeconomico, sed etiam in eo quod attinet ad vocationis maturitatem. Immo, et iuvaret pro efformatione sociali alumnorum, qui conviventia aliorum iuvenum humanas eorum dotes evolvent naturaliter, fovendo eodem tempore amicitiam pro futuro ministerio abs dubio utilissimam.

Ad 10. Optimo cum consilio hoc statuitur. Et melius adhuc si Sancta Synodus praescribat ut omnis episcopus normas condat pro sua dioecesi in eo quod attinet ad candidatorum selectionem. Iam hoc in decreto plures aspectus maximi momenti urgentur. Sed nunquam sufficiens erit ad clariora verba descendere quia saepe saepius sive sacerdotes sive familiae, mature non agunt in casu.

Hodie, quamvis vocationes paucae sint, sine dubio existunt et laborem requirunt praesertim sacerdotis cum cura animarum, qui est instrumentum principale in oeconomia Divinae Providentiae pro vocationibus. Sed labor criteriosum debet esse, etiam sub aspectu humano quia in his Deus aedificat.

41

Exc.mus P. D. IOSEPH HÖFFNER

Episcopus Monasteriensis

A. *Laudanda in schemate.* I. Schema propositum se adaptare conatur principiis in prima periodo Concilii statutis.

1) In schemate, quod non tantum collectio normarum pro tempore vigentium est sed in punctis magni momenti nova affert, viget tendentia ad visionem totalem (integralem), quae efficit internam integritatem schematis, ita ut « summula » vocari potest. Haec visio totalis se manifestat in sequentibus postulatis et placitis:

a) Studium Sacrae Theologiae, formatio ascetica, participatio in vita liturgica, educatio pastoralis in seminariis tamquam « unica profunda alumnorum formatio » spectantur (pag. 7, linn. 33-35). Finis est « integra formatio non solum christiana et sacerdotalis, sed etiam humana » (pag. 11, linn. 19-20).

b) In studiorum curriculo intima coordinatio Philosophiae et Theologiae optatur (« utriusque disciplinae cursus arcte et harmonice coordinentur » pag. 12, lin. 36), accurate distinguendo inter veritates, quae ab omnibus retineri debent, et theses, « quae libere inter catholicos controvertuntur » (pag. 13, linn. 6-17). Cognitio et crisis systematum philosophicorum modernorum, « quae in propria natione maiorem influxum exercent », non omittenda est (pag. 13, linn. 23-24).

c) In alumnis non tantum oboedientiae spiritus excolatur sed etiam actionum officiorumque conscientia, « ut alumni gradatim sibimetipsis moderari ac libertate sapienter uti addiscant ».

2) In studio theologico studium Sacrae Scripturae, « quae universae theologiae prope anima esse debet » (pag. 13, linn. 38-39), positionem centralem habet.

3) Momentum Sacrae Liturgiae pro vita religiosa alumnorum (« sacer cultus universus ... in seminariis sic explicetur et sic celebretur, ut clerici ex sacro altaris mysterio ... vivere discant », pag. 10, linn. 16-21), pro studio theologiae (alumni intelligere discant divinam revelationem tamquam « semper in cultu et vita Ecclesiae praesentem », pag. 14, linn. 11-12), et pro futuro labore pastorali (« sacram liturgiam ita celebrare addiscant ut, eius virtutem et momentum persentientes, populum sibi committendum ad consciam et actuosam participationem manuducere valeant », pag. 14, linn. 36-39), speciali modo — secundum vota Concilii — extollitur.

4) Peculiari cura attenditur indolis pastoralis totius educationis et formationis alumnorum. Totum studiorum curriculum ita ordinetur, « ut sacerdotalis et pastoralis visio iam ab initio alumnis late aperiantur » (pag. 13, lin. 1). « Pastoralis sollicitudo totam sacrorum alumnorum formationem pervadere et animare debet » (pag. 14, linn. 25-26). Insuper postulatur, ut alumni « iam durante studiorum curriculo ad praxim pastoralem initientur opportunis exercitationibus » (pag. 15, linn. 19-21).

5) Cognitio et sensus pro apostolatu laicorum iam in seminariis excitetur: « Laicorum cooperationem magni facere discant..., laicos humiliter et aperta mente audire assuescant » (pag. 15, linn. 11-14).

6) Alumni « per graduales cognitiones » introducantur ad cognoscendas conditiones sociales societatis modernae. Praesertim mentio fit de vita professionali moderna, de hodiernis communicationis socialis instrumentis necnon de activitatibus ad animi relaxationem spectantibus (pag. 15, linn. 6-7).

7) Magna cum cura alumni ad quaestionem oecumenicam cognoscendam adducantur: « ad plenius cognoscendas eas communitates quae christiano nomine decorantur, sed ab Apostolica Sede sunt seiunctae » (pag. 14, linn. 16-18).

II. Schema ulteriores et concretas determinationes quoad formationem et educationem alumnorum ad peculiaria gentium regionumque adiuncta accommodandas esse proponit. Membra commissionis memores erant querelae cuiusdam episcopi indiani: « Structura mentis sacerdotum indianorum per septem annos in seminario transformatur in structuram occidentalem, omnino alienam a mentalitate indiana. Propter hanc transformationem deest sacerdoti indiano lingua communis cum suis concivibus, in qua doctrina christiana possit intelligibiliter exprimi... Sacerdos indianus quasi separatur a concivibus suis paganis, quorum mentalitatem, ideas religiosas, vitam quotidianam ignorat et despicit ». Ad haec incommoda praecavenda in schemate tantummodo principia generaliora statuuntur, ulteriores vero determinationes episcopis et conferentiis episcoporum relinquuntur. Aliqua exempla:

1) Curriculum studiorum humaniorum pro alumnis regulariter formationi eorum correspondere debet, « qui in propria natione ad studia academica accedunt » (pag. 12, linn. 26-27). Cum in singulis nationibus conditiones valde diversae sint, applicatio et ulterior determinatio principiorum generalium ad conferentias episcopales pertinet.

2) Episcoporum est perpendere opportunitatem instaurandi « tirocinium spirituale », sive ante curriculum theologicum sive opportuno tempore ante ordinationem sacerdotalem, « ad vocationem sacerdotalem maturiore iudicio amplectandam » (pag. 11, lin. 35).

3) Prudenti episcoporum iudicio relinquitur, quomodo, secundum peculiaria adiuncta, exercitationes in praxi pastorali habeantur, « ut alumni apostolatus artem non tantum theoretice, sed etiam practice addiscant » (pag. 15, linn. 18-19).

4) Etiam concreta determinatio ulterioris formationis theologicae, asceticae et pastoralis post seminarium curae episcoporum traditur (pag. 15, lin. 29).

B. *Emendationes proponendae.* Etsi schema in genere placet, tamen variae emendationes et additiones proponendae sunt. Propositiones sequentes partim habentur ex animadversionibus ab aliis exc.mis DD. episcopis mihi factis.

I. Quamquam schema de educatione et formatione omnium sacrorum alumnorum agit, tamen problemata specialia pro educatione et formatione sacrorum alumnorum in Ordinibus et Congregationibus non tanguntur. Etiam in reliquis schematibus, ut mihi videtur, de hac re non ex professo tractatur. Duo praeprimis consideranda sunt:

1) Etiam pro scholis religiosorum principium esse debet, quod omnis institutio minus qualificata, quae non dat ius ad studium academicum in Universitatibus, reicienda est, cum talis institutio una ex parte efficiat complexum inferioritatis, alia ex parte autem coarctet libertatem in professione eligenda, quia illi alumni, qui religionem non ingrediuntur, nullum fructum habent ex tali institutione. Quare saltem pag. 12, lin. 25 inserendum est: « ... ut sacrorum alumni, non exceptis illis, qui in scholis religiosorum studiis operam dant, inferiores non sint ceteris iuvenibus qui in propria natione ad studia academica accedunt ».

2) Quaestio ponenda est, an liceat habere tam multas scholas philosophico-theologicas variarum religionum haud magnas, immo exiguas. Rationabilis coordinatio et cooperatio numerum professorum et expensas materiales minueret atque qualitatem scientificam augeret. Quare proponitur additio in pag. 8, lin. 12 inserenda: « ... quod etiam pro seminariis maioribus religiosorum valet ».

II. Ad caput « De vocationibus ecclesiasticis » pag. 5 haec animadvertenda sunt. Schema iure meritoque effert necessitatem cooperationis ex parte parentum, sacerdotum, magistrorum in vocationibus fovendis (pag. 6, linn. 24-25).

Ubi primum prima signa vocationis se manifestant, a parentibus et sacerdotibus speciali sollicitudine fovenda sunt. Quamquam ergo schema vocationes ecclesiasticas non solum ex « Seminariis minoribus » exspectat, sed expresse supponit, quod non paucae vocationes etiam immediate ex familiis et scholis communibus veniunt, hoc tamen clarius dici debet. Quapropter post lin. 2 in pag. 7 inseratur: « Curent Ordinarii ut in quibusvis scholis publicis, praesertim superioribus, spiritus fidei, pietatis, castitatis in iuventutibus per sacerdotes idoneos colatur atque in dies augeatur, ita ut germen vocationis sacerdotalis, ubicumque inveniatur, sancte servetur et foveatur. Etiamsi in multis regionibus non pauci iuvenes immediate ex familiis christianis et publicis scholis seminaria maiora ingrediantur, tamen, ut iuxta venerandas Ecclesiae... ».

Schema in omnibus dioecesibus « Opus Vocationum Sacerdotalium » erigendum proponit; hic (pag. 6, lin. 31) addi potest: « Ut ... efficaciora ad vocationes augendas subsidia comparare queant, ad quem finem obtinendum *Dies vocationum* in omnibus paroeciis quotannis celebranda multum iuvabit ».

III. Ad caput « De formationis fine et seminariorum ordinatione » sequentia animadvertenda sunt:

In pag. 8, linn. 13-27 iure postulatur specialis formatio ascetica psychologica et paedagogica moderatorum, magistrorum et directorum spiritualium in collegiis et seminariis maioribus. Ad hoc placitum melius realizandum pag. 8, lin. 23 addatur: « ... praecellant ad quem finem obtinendum institutum quoddam speciale interdioecesanum vel regionale condendum esse videtur ».

In pag. 7, lin. 28 loco « inculcetur » ponatur « foveatur », quia pietas non potest inculcari.

IV. Ad caput « De institutione spirituali » animadvertenda sunt:

In pag. 10, lin. 32 addatur: « praesertim in honorem *Christi Domini et...* ».

Quoad tirocinium spirituale addatur in pag. 11, lin. 36: « sive ante curriculum philosophicum vel theologicum ».

V. Ad Caput « de studiorum ratione » animadvertenda sunt: Ut libertas eligendi statum clericalem plene servetur et eiusdem status dignitas augeatur, addatur pag. 12, lin. 27 post verbum accedunt: « Studia ita instituantur necesse est ut discipuli e seminario immature exeuntes ad scholas publicas transire sine difficultate vel damno valeant. Item curari oportet ut testimonia de studiis in seminario peractis a civili potestate agnoscantur iisdemque iuribus augeantur quibus diplomata scholarum publicarum fruuntur ita ut qui in seminarium maius ingredi noluerint, ad alia studia academica libere accedere possint ».

Cum schema se ad totam Ecclesiam dirigat, hic quoad cognitionem linguae latinae non satis respicitur Ecclesia orientalis (pag. 12, linn. 28-32).

Similiter quoad pag. 13, linn. 14-15 (« secundum S. Thomae rationem doctrinam et principia ») et pag. 14, linn. 7-9 (« S. Thoma magistro ») non satis respicitur Ecclesia orientalis. Etiam Patres Graeci, quorum Theologia non subsumi potest sub « ratio, doctrina et principia S. Thomae », hic nominandi sunt.

In pag. 13, post lin. 27 inserendum est: « etiam quaestiones modernae ex progressu scientiarum naturalium ortae in cursu philosophico tractandae sunt ne alumni imaginem mundi iam obsoletam prae oculis habeant ».

In pag. 14, lin. 36 magis extollatur studium Sacrae Liturgiae: « ... in studium sacrae Liturgiae diligenter incumbant eamque ita celebrare addiscant... ».

VI. Ad caput « de formatione post seminarium perficienda ». In pag. 16, lin. 7: Hic nominetur non tantum vita communis sacerdotum, quod practice pro multis possibilis non est, sed etiam cooperatio in sic dictis "teams", ubi scientia theologica perfici potest et problemata collatis consiliis discuti aut solvi possunt.

42

Exc.mus P. D. VINCENTIUS M. IACONO

Episcopus tit. Patarensis

È manifesta l'opportunità anzi la necessità che il Concilio Vaticano II accolga lo schema preparato con grande diligenza e profonda sapienza, riallacciandosi alle sapienti norme del Concilio di Trento.

Sarebbe una grande lacuna per il programma generale del Vaticano II se si trascurasse o anche si sorvolasse. Mancherebbe, tra l'altro, la vera base allo schema « De Clericis », cui gioverà, forse, più intimamente collegare la Costituzione « De Sacrorum alumnis formandis », nelle due parti fondamentali di esso.

Alla prima « De vitae sacerdotalis perfectione » ben si connette la parte centrale della Costituzione « De formationis fine et Seminariorum ordinatione » e « De Institutione spirituali ».

« De studiorum ratione », poi, prepara « De studio et scientia pastorali » del « De Clericis ».

« De vocationibus ecclesiasticis » gioverà trattarne come introduzione al « De fine seminariorum », ampliando, con i suggerimenti specifici, l'Instructio dell'Appendice I. Lo stesso, forse, potrebbe dirsi delle norme particolari sul « Studiorum ecclesiasticorum curriculum » rimettendosi alle *Conferenze Nazionali* per le applicazioni concrete.

43

Exc.mus P. D. ANDREAS JACQ

Episcopus tit. Cerasenus

Schema hoc indiget quadam reordinatione et refectione. Quamvis seminaria minora persequantur eamdem finem quam seminaria maiora, scilicet praeparationem iuvenum ad statum clericalem, tamen natura formationis mediaque in his duobus seminariis valde differentes sunt. Ideo requiritur in ipso textu caput distinctum pro seminariis minoribus.

I. *Refectio proposita*

Schema ante refectionem	*Schema post refectionem*
Prooemium	Prooemium
1. De vocationibus ecclesiasticis.	1. De vocationibus ecclesiasticis.
2. De formationis fine et seminariorum ordinatione.	2. De seminariis minoribus.
3. De institutione spirituali.	3. De seminariis maioribus.
4. De studiorum ratione.	*a*) De formationis fine et seminariorum ordinatione.
5. De formatione post seminarium perficienda.	*b*) De institutione spirituali.
	c) De studiorum ratione.
	4. De formatione post seminarium perficienda.

II. *De seminariis minoribus.* Incipitur a n. 6 (pag. 6, lin. 37): « Vocationum sacerdotalium etc. »; sed, pag. 7, lin. 3, deleantur verba « Praeterea ut ». Statim incipitur a: « Iuxta venerandas etc. ... usque ad pag. 7, lin. 13 ... aetate instituantur ». Deleantur omnia quae sequuntur: « ac religionis ... » usque ad « .... inchoare valeant » (lin. 16).

Deinde persequitur: pag. 12, n. 19, lin. 20. Attamen deleantur verba: « Antequam sacrorum alumni studia proprie ecclesiastica aggrediantur », statim incipitur a: « Necesse est ... » usque ad lin. 32 « ... adhibere possint ».

Deinde requiri videtur aliquas monitiones: *a*) de cura rectoris ut in seminariis aera sit religiosa, iucunda et intima, ut studium scientiarum profanarum non convertatur in fine in se, praesertim quando iuvenes debent consequi Baccalaureatum (in artibus liberalibus) in ultimo anno seminarii, sed ut omnes activitates iuvenum ordinentur ad formationem clericalem; *b*) de modo eligendi moderatores: doctrina tuta, peritia in psychologia adolescentum, praesertim vita spiritualis profunda ...; *c*) de modo eligendi professores: periti in scientiis profanis et in paedagogia, vita sacerdotalis exemplaris, vera voluntas pro iuvenibus ...

III. *De seminariis maioribus.* (De institutione spirituali). Pag. 11, n. 15, lin. 17. Addendae sunt aliquae monitiones ad: 1) colendum spiritum missionarium, quia in institutione hierarchiae, Christus non solum dixit: « Facite hoc in meam commemorationem » et « Pasce oves meas », sed etiam « Euntes docete omnes gentes ». Spiritum missionarium requiritur non solum in « terris missionalibus », sed etiam in « regionibus catholicis ». In nostris temporibus, tota Ecclesia est ut « in statu missionis ».

2) Colendum etiam spiritum communitatis, mentem collegialem (esprit d'équipe). Christus instituit hierarchiam in forma collegii habentis Petrum ut caput. Praeterea, sacerdotes participant sacerdotio pleno Episcopi, sub quo et cum quo collaborant. Denique, in nostris temporibus, labores apostolici valde complexi sunt, itaque, sine cooperatione, sine auxilio aliorum, nullus potest ipse perfecte explere.

Appendix I. Principia quae leguntur in constitutione de unitate regiminis (n. 9), doctrinae (nn. 21 et 22), institutionis spiritualis (n. 17) necnon et de spiritu « familiae » qui in seminario optandus est (n. 10, linn. 21-25), videntur postulare ut in instructione de sacrorum alumnis formandis (Appendix I) sub

n. II, 3, enuntiatur natura cuiusque seminariorum generis et praesertim addantur congrua statuta.

Optandum enim est ut seminaria interdiocesana sicut et regionalia uni « corpori » sive dioecesano, sive religioso committantur, ita ut omnes qui in institutione partem habent vere uno animo ad eam concurrant.

In regionibus vero in quibus episcopi experientiam pastoralem simul ac vocationis probationem ad annum censent esse extendendam, communi consilio tempus in institutionis decursu statuatur aptius, ne futuro sacerdoti haec experientia noceat potius quam prosit.

44

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS JÄGER

Archiepiscopus Paderbornensis

Schema ut totum valde placet, quia inhaeret principiis theologicis et paedagogicis sanis et nostri temporis necessitatibus prudenter providet. Liceat mihi parvas emendationes proponere:

Pag. 11, n. 15, lin. 9: deleantur verba: « vere spirituale cum Ipso connubium ineunt ». *Ratio:* Hic modus loquendi minus conveniens videtur viris et maxime nostrae aetatis iuvenibus, qui terminologiae mysticae nondum sunt assueti.

Pagg. 6-7: De vocationibus ecclesiasticis. Placent quae dicta sunt de vocationibus ecclesiasticis. Forsan a pluribus desideratur definitio, quid sit vocatio. An sit charisma aliquod speciale? An naturales ingenii et morum dona constituent praecipuam vocationis partem? Forsan definitio est theologorum pervestigationibus reliquenda, sed hic aliquid clarius dicendum non deficiendo, sed illustrando vocationis proprietatem. *Ratio:* Quia multa optima de vocationibus dicuntur, ipsa eius ratio aliquomodo saltem significatur.

Pag. 12, n. 18, linn. 6-13: Huic optimae normae addatur: In unaquaque natione cursus philosophicus et theologicus seminariorum maiorum adaptetur cursibus ordinariis in facultatibus theologicis Universitatum et Athenaeorum. *Ratio:* Quia cursus seminariorum et cursus ordinarii facultatum in unum finem tendunt, etiam iisdem rationibus instituantur. Ab his cursoribus utique discernuntur cursus ad gradus academicos assequendos in pluribus facultatibus institutis.

45

REV.MUS P. D. IOANNES B. JANSSENS

Praepositus generalis S.I.

Aptiorem optet quis titulum huius schematis: agitur tantum de formandis alumnis pro clero saeculari seu dioecesano; iamvero religiosi ad sacerdotium destinati sunt quoque « sacrorum alumni ».

N. 3, pag. 5: ex contextu patet agi tantum de suscitandis vocationibus ad clerum saecularem. Nonne opportunum foret ut, saltem per praeteritionem, alludatur ad vocationes religiosas pro utroque sexu suscitandas? Secus mox, uti iam fit, amare querentur episcopi de deficientibus vocationibus religiosis, imprimis mulierum. Valet haec nota de numeris quoque 4 et 5.

N. 6, pag. 7, linn. 12-14: concludere quis possit (et de facto in certis locis ita fit) formationem in seminario minori talem tantum esse debere ut praeparet ad seminarium maius. Crediderim eam praeterea talem esse debere ut iuvenes ad eumdem gradum formationis deducat qui requiritur in scholis laicis. Nam: bene multi sunt, immo saepe maior pars alumnorum, qui non perseverant in vocatione ecclesiastica. Ne illi sint et maneant quasi naufragi, necesse est ut eam praeparationem studiorum habuerint quae requiritur ut possint in saeculo ulterius procedere, etiam ad studia universitaria.

Videtur quoque saepe expedire ut seminaria minora condantur *interdioecesana*. Sub oculis enim habemus tot seminaria minora quae infra requisitam mediocritatem haerent, quia nimis exigua dioecesis, nec professores nec alumnos numero et qualitate sufficientes habet. Nonne opportunum ut aliquid de hac re dicatur?

N. 9, pag. 8, lin. 23: « Episcopi auctoritati »; seminaria regionalia subsunt non episcopis sed Sanctae Sedi. Et recte: nam ubi plures praesunt, nemo praeest.

N. 20, pag. 13, lin. 7: « lucide fulgeat ». Vitentur illae nimietates, quibus efficitur ut sensus vocum verus pereat et « lucide fulgeat » nihil aliud significet ac « satis pateat ».

N. 21, pag. 13: de curriculo philosophico. Est ubi studia sic dicta « philosophica » in scholis secundariis peracta, — et quae potius eruditionis quam formationis sunt, — computentur ad biennium philosophicum. Nonne exigere convenit biennium integrum philosophiae scholasticae, quae nempe vere praeparet ad theologiam? Defectus cleri vel pecuniarum ne sit causa ad demittendam formationem futurorum sacerdotum.

Nn. 22 ad 24: bene multa adduntur studiis proprie theologicis; et quidem recte. Memores tamen esse oportet *a*) cursum verae theologiae dogmaticae et scripturisticae esse apprime necessarium hac praesertim aetate; *b*) alumnum non esse capacem, quaecumque sit eius bona voluntas, qui indefinite disciplinam super disciplinam assimilet. Si integrum biennium philosophiae in seminario fit, nonnulla possunt remitti ad curriculum biennale philosophiae, sicque poterit alleviari onus studentium theologiae.

Ceterum totum hoc schema placet propter altum conceptum de formatione sacerdotali et propter cohaerentiam et unitatem.

46

Exc.mus P. D. IGNATIUS JEŽ

Episcopus tit. Albensis maritimus, aux. Gnesnensis

Cap. I: De vocationibus ecclesiasticis, pagg. 6-7, versus 3-16, de seminariis minoribus.

Versus 10 ss.: post verba « Alumni vero in seminariis minoribus vitam ducant quae cum communi omnium adulescentium vita, quantum potest congruat », addendum proponitur: « praesertim in his, quae ad communem eruditionem spectant, ut nulla prorsus necessitate astringentur cum aliam sibi vitae viam eligere deliberant in quocumque studiorum temporis momento »; ... et sequentia sicut in texto: « simul vero virtutibus rectisque moribus solide pro eorum aetate instituantur, ac religionis studio et humanioribus litteris dent operam ceterisque disci-

plinis, quae praerequiruntur ut ipsi seminaria maiora ingredi ac formationem proprie sacerdotalem inchoare valeant ». *Ratio:* Considerans verba in versibus 10-16 uti totum videtur peculiaris attentio praebenda esse statui studiorum in seminariis minoribus relate ad aequivalentia instituta pro pueris educandis. Expressio « vitam ducant » potest insinuare nonnisi de modo vivendi tractari, scilicet de seminario minori non ad exemplum monasterii, in clausura regendo. Atque saepissime quoque impedit libertatem aliam eligendi vitae viam diversus gradus institutionis inter seminaria minora aliasque scholas aequivalentes. Ideoque talis immo in omnis disciplinis institutio in seminariis minoribus requiri videtur ut omnia similia instituta civilia superat, quia tunc tantum plena libertas asseverari possit aliam in quocumque momento eligendi viam.

Dubitari tamen licet utrum hoc requiri possit. Procul tamen dubio nil peioris sit in seminario minori alumno qui in eo remaneat coactus quia ad aliud institutum aut scholam transire non valeat ob inferiorem receptae in seminario institutionis gradum.

Clare videtur talem exigentiam Pius PP. XII in adhortationi *Menti nostrae* ex d. 22-IX-1950 (*Discorsi e radiomessaggi Pio XII,* tomus XII, 527 ss., cap. III, p. 554 ss.) edici, ideoque si in schematis propositione alia eius postulata inclusa fuerint etiam hoc optatum considerare convenit et hoc primo quidem loco.

Proposita addenda logicam simul constituent relationem ad partem sequentem supradicti excepti (vv. 12-16), quae de tali virtutum ac morum, religionis et scientiarum gradu loquitur, ut alumnus sane ad superiores cursus transire valeat.

Rationarium e praxi sem. min. ostendit magnum numerum alumnorum ad cursus superiores admitti, attamen probat etiam multos aliam eligere vitae viam. Magni autem est momenti ut etiam ad talem possibilitatem congrue praeparati sint in quocumque studiorum momento.

Est quidem sermo de institutionis gradu alumnorum in cap. IV. De studiorum ratione « pag. 19 » ... inferiores non sint ceteris iuvenibus qui in propria natione ad studia academica accedunt ..., secundum tamen verborum positionem videntur haec alumnis ad seminaria maiora accedentibus applicari. Secundum autem sensum postulant congruum institutionis gradum in sem. min. relate etiam ad illos qui aliam eligunt vitae viam post maturam decisionem et de his in proposito tractatur.

47

Exc.mus P. D. IOANNES PATRICIUS KAVANAGH

Episcopus Dunedinensis

Appendix I. Anno 1942 Motu Proprio Sanctissimus Pontifex Pius XII instituit apud S. Congregationem Seminariorum Opus Pontificium ad vocationes ad statum clericalem promovendas atque fovendas. Similiter, motu proptio di 11 februarii anno 1955, aliud Opus Pontificium ad vocationes ad statum religiosum promovendas atque fovendas apud S. Congregationem Religiosorum instituit.

Ex duplici opere oriri potest confusio apud populum christianum. Melius esset si habeatur unicum Opus quod curaret de vocationibus tum ad statum religiosum tum ad clericalem tam ad religiosum quam saecularem. Iidem moderatores sub directione ordinariorum locorum ac Sanctae Sedis, sicut nunc habetur in opere

de Propaganda Fide, coordinare possent omnes conatus in hac re, tum in ecclesiis tum in scholis ac apud familias. Sacerdotes ex utroque clero insimul operantes plus facerent quam agere potuissent si, uti dicam, unusquisque contendisset ut in suam partem eundem iuvenem raperent.

Responsabilitatis sensus erga Sanctum Spiritum animas dulce trahentem cui vocatio debetur in sacerdotibus aliisque qui ad hoc opus sese devoveant ita stabilitur.

2. De seminariorum speciebus et ordinatione. In novo codice Iuris Canonici statuatur lex vi cuius alumnus qui nomen det seminario interdioecesano et regionali pro servitio in aliqua dioecesi illius regionis, statim obtineat domicilium in illa dioecesi pro qua inscribatur approbante Loci Ordinario, ita ut ille Ordinarius fit episcopus ordinationis ac litteras dimissorias pro tonsura ac ordinibus dare possit.

3. De sacrorum alumnorum in seminariis institutione. Maxime prodesset si darentur in forma brevi ac clara normae servandae a confessoribus, directoribus, parochis aliisque quibus incumberet munus consilium dandi iuvenibus qui de vita clericali assumenda deliberent. Clarificetur lex quoad episcopum ordinationis pro aliis ordinibus conferendis clerico in ordinibus minoribus qui, sua sponte ad statum laicalem regressus, postea, priore ordinario approbante ab alio ordinario recipiatur pro servitio in sua dioecesi.

48

Exc.mus P. D. MICHAEL KLEPACZ

Episcopus Lodzensis

Ad pag. 3, n. 5. In unaquaque dioecesi penes dicasterium Curae Pastoralis in Curia Dioecesana constituendus est specialis coetus sacerdotum, qui idaeam vocationis propagarent.

Ad pag. 4, n. 7. Ubi catholicae scholae secundariae condi possunt, illae potius officiis seminariorum minorum fungi deberent.

In quantum operum huius generis necessitas vel utilitas sentitur, pro tota natione constituantur unum vel plura seminaria pro candidatis in provectiore aetate constitutis.

Ad pag. 8, n. 16. In alumnis sedulo impugnetur omnis species adulationis et blanditiae erga superiores.

Ad pag. 8, n. 17. Primus seminarii cursus oporteret ab aliis cursibus — si exteriores circumstantiae id permittunt — omnino separari! Indicatae forent separatae et speciales pro alumnis primi cursus conferentiae spirituales.

Seminario absoluto, opportunum foret, ut alumni, adhuc ante maiorum ordinum susceptionem, unum annum praxi in paroeciis consecrarent.

Ad pag. 9, n. 10. Alumnis praelectiones non sunt in nimio numero tradendae, ita, ut pro individuali studio scientifico et pro exercitiis pietatis necessarium tempus habeant.

Ad pag. 12, n. 25. Pro neopresbyteris et iunioribus sacerdotibus specialia exercitia spiritualia forent indicata. Valde utile videtur munus directoris spiritus pro universo clero totius dioecesis, et pro singulis decanatibus (fortasse pro aliquot simul sumptis vicariatibus foraneis).

Ad pag. 13, n. 26. Ante nominationem neopresbyteri ad primum officium sacerdotale utiliter seminarii rector quoad candidati ingenium et characterem audiendus esset.

Neopresbyteris statim post ordinationem non sunt regulariter maioris momenti officia in magnis potissimum civitatibus committenda. Non sunt eis etiam vicariatus committendi apud parochos difficilioris characteris.

Nota. Speciminis causa adiungitur instructio a Curia Dioecesana Lodzensi ad parochos edita quoad vocationes sacerdotales.

1. In praescripto Codicis, hodierno can. 1353 correspondenti, sermo habeatur oportet de condendo opere vocationum. Opus hoc penes Curiam episcopalem condendum constare debere videtur aliquot peritis sacerdotibus, rectore et professoribus seminarii, iuventutis educatoribus, qui in unione cum reliquis dioecesanis sacerdotibus, praesertim cum parochis, allaborare debent informandis pueris et arcendis a saeculi vanitatibus. Maior attentio pueris missae inservientibus donetur.

Idem opus potest et debet fovendis vocationibus religiosis inservire.

2. Necessarium videtur, ut in Codice futuro norma habeatur de opportunitate fundandi instituta pro vocationibus provectioris aetatis, ubi eorum necessitas vel utilitas sentitur.

3. Pro uniformitate servanda vere desiderantur normae de qualitatibus eorum, qui in seminarium admitti desiderant. Postulanda videtur norma de schola secundaria a candidatis absoluta, de egregiis candidati moribus in anteacta vita. Ultima decisio quoad candidati idoneitatem episcopo reservanda est, qui, cum seminarii rectore, iudicium suum feret.

4. Quoad seminaria interdioecesana, regionalia et internationalia videtur necessaria et utilis norma determinans, quibus in conditionibus illa condantur oportet.

5. Quoniam seminarium est persona moralis et quibusdam certis praescriptis res eius oeconomica regi debet, praecisa norma de hac re videtur utilis ita, ut ceterae dioeceseos personae morales, fideles et sacerdotes pro viribus seminarium adiuvare teneantur.

6. Ii, qui in seminario docent et idem moderantur, peculiariter ad munera haec sunt formandi. Necessaria videntur studia superiora absoluta et adepta curae pastoralis praxis acquirenda in paroeciis in officiis parochorum, vicariorum et iuventutis institutorum. Antequam aliquis sacerdos munus stabile moderatoris seminarii vel professoris assequatur, officiis minoris momenti in seminario fungi debet.

7. Can. 1371, negativo conceptus modo, servandus videtur, sed ipsum praecedere deberent normae positivae de probatione et selectione alumnorum, qui formatione sua intellectuali et suo charactere spem debent afferre se bonos fore presbyteros.

8. Bona videtur idaea, ut in futuro Codice distinguantur canones de formatione pastorali, de studiis, de formatione spirituali et de disciplina.

Necessaria videtur nova praescriptio de formatione presbyterorum perficienda post seminarium. Haec formatio videtur utilissima sub respectu spirituali et sub respectu adeptae et verificandae praxis pastoralis.

Seminarium, qua tale, tutela sua novos presbyteros fovere debet, ad specialia exercitia spiritualia eos convocare, conferentias pastorales et doctrinales pro iis praeparare.

9. Praescriptis cann. 1364 et 1365 observatis, seminaria cuiusque nationis

suas studiorum rationes, suaque programmata habeant ab episcopis condita in conferentiis suis adunatis et a Sede Apostolica approbata.

10. Quoad nimias particularitates in iure vigenti contentas (v. g. in can. 1367) videntur illae e novo codice expungi debere, substitutis generalibus principiis; hae particularitates ad leges seminarii, de quibus in can. 1357 § 3, remittantur.

11 et 12. Propositio, ut materia novi Codicis, admissionem ad ordines spectans, deferatur ei S. Congregationi, quae formatione cleri occupatur, magis logica est. Idem dicendum de translatione ad librum « De personis » earum omnium praescriptionum, quae de sacrorum alumnis formandis in futuro Codice continebuntur.

49

EXC.MUS P. D. IOANNES IOSEPH KROL

Archiepiscopus Philadelphiensis Latinorum

In genere. Hoc schema laudandum est quia in eo recognoscitur diversitas conditionum in variis et dissitis regionibus vigentium, quae diversitas influxum aliquem in formationem cleri futuri habere debet. Etiam laudandum est schema quia monet problemata non amplius actualia omitti debere in scholis, et opiniones modernas theologicas et philosophicas disci et crisi subiici debere.

In specie. 1. In Pag. 5, linn. 1-12: Usus vocis *Prophetae* ansam potest dare alicui confusioni et quidem duplici ratione. Quid sibi vult vox? Quando catholicus audit vocem, de facto cogitat de illo qui futurum praeannuntiat. Quamquam Dominus Noster Iesus Christus certo certius praeannuntiavit futura, hic aspectus activitatis eius non invenitur necessario apud sacerdotes. Deinde, charisma propheticum non datur solis sacerdotibus, quamvis omnis charismaticus debet se subiici auctoritati sacrae hierarchiae.

Praeterea plena potestas Ordinis non habetur nisi ab episcopis qui regunt aliquam partem populi Dei. Quamvis seminaria etiam futuros episcopos efformare debeant, nemo est qui tale esse munus ordinarium seminariorum ordinarie cogitat.

Etiam notari potest, et forte debet, viros non sacerdotio auctos partem habuisse in Ecclesia regenda, in populo sanctificando et etiam ex officio docendo; illustrationis causa puta de diaconis et de antiquis Sanctae Romanae Ecclesiae Diaconis Cardinalibus. Altera ex parte multi sunt sacerdotes hodierni qui nullam partem in regimine Ecclesiae habent.

Itaque proponitur ut sex primae lineae ita reconficiantur: « Summi Sacerdotis, Doctoris ac Regis munera in seipso coniungens, Christus Dominus, cum potestatem suam Ecclesiae contulit eique mandatum dedit Redemptionis opus ad saeculorum usque occasum perpetuandi, homines voluit sui triplicis muneris participes, qui pro parte sibi assignata illud adimplerent, eo ministrandi spiritu animati, quem ipse verbo et exemplo docuit ».

2. Pag. 10, lin. 2: loco « *Eph.* 3, 12 » legatur « *Eph.* 3, 17 ».

3. Pag. 12, linn. 8-9: « ... *a competenti auctoritate ecclesiastica illius* territorii... ». Quaenam est illa auctoritas? Deinde potest quaeri si in aliquibus nationibus conditiones tales sint quae requirant congruenter differentias aliquas in sacrorum alumnis formandis quia in variis regionibus eiusdem nationis manifestantur differentiae, e. g. linguisticae vel culturales; puta de dictione Canadensi vel de Oceania.

4. Pag. 12, lin. 29: « Sacrae traditionis ». Lingua latina non erat solum instrumentum linguisticum Ecclesiae. Tamquam exemplum potest notare aliquos Patres maximi nominis graece, sicuti Novi Testamenti auctores, scripsisse. Itaque suggeritur vocem « partis » ante vocem « sacrae » inseri.

50

EXC.MUS P. D. LUDOVICUS LA RAVOIRE MORROW
Episcopus Krishnagarensis

Ad n. 18 (pag. 12, linn. 6-13): Haec est optima sententia totius schematis, diu expectata, omnino retinenda.

Ad n. 19 (pag. 12, linn. 20-32): *De usu linguae latinae. Principium fundamentale*: Lingua latina non est finis absolute servandus sed merum medium ad finem, qui est bonum Ecclesiae.

Unde, si res ita se habeant ut lingua latina evadat impedimentum ad maius bonum, v. g., ad obtinendas vocationes sacerdotales, tunc debet locum cedere; melius enim est habere sacerdotes qui linguam latinam non callent, quam omnino non habere sacerdotes. Lingua latina, quamvis utilis Ecclesiae ut eius lingua officialis, tamen de facto non est lingua totius Ecclesiae catholicae, nec fuit lingua Apostolorum nec Ecclesiae trium priorum saeculorum.

Conditio hodierna linguae latinae: *a*) Ut omnibus compertum est, nostris temporibus linguae latinae studium in dies decrescit. Gradatim in collegiis et universitatibus totius mundi e studiorum curriculo aufertur.

b) Nec dici potest studium linguae latinae efformare mentem melius quam aliae disciplinae. Sunt tot homines qui eminent in scientiis, in arte gubernandi, etc., qui tamen linguam latinam ignorant.

c) Nostris diebus opera scientifica vel litteraria non eduntur nisi in linguis vernaculis. Ex altera parte, habentur optimae versiones vernaculae scriptorum latinorum.

d) In ipso Concilio Vaticano II, cui intersunt primores ecclesiastici, praelati et periti, plurimi sermone latino sese exprimere non valent. Atque multi non intelligunt quae dicuntur in disputationibus vel male intelligunt.

e) Denique, sperare hanc conditionem in melius mutatum iri, est idem ac vana somnia somniare.

Necessitas alicuius accommodationis. *a*) Sunt adulescentes, virtute et intelligentia praediti, qui timent studia ecclesiastica aggredi propter difficultatem linguae latinae, eo magis quod bene sciunt magnum laborem et tempus tali studio impensum fore quasi sine ulla utilitate practica.

b) Plures viri adulti, caelibes et vidui, vitam ecclesiasticam inire possent nisi magnum impedimentum linguae latinae adesset.

c) Inter alumnos seminariorum pauci linguam latinam ita callent ut latine cogitare valeant. Propterea longe maior numerus varias disciplinas philosophicas et theologicas numquam plene intelligunt sibique assimilant, nec de eis praedicare vel cum hominibus cultis loqui possunt modo efficaci et auditoribus intelligibili.

Quare sequentia vota humiliter propono: 1. Lingua latina ab Ecclesia adhibita in decretis, litteris apostolicis, instructionibus, etc., ne sit ille sermo « clas-

sicus » qui dicitur, seu Ciceronis instar, difficilis intellectu nec hodierno modo disserendi aptatus. Sed planus sit et lucidus; cuius magna nobis exempla patent. Simplex ac vere plebi apta fuit lingua qua S. Augustinus in suis sermonibus usus est; etiam S. Thomas res difficiles in lingua simplici ac plana expressit. Item S. Bernardus et multi alii antiqui scriptores christiani.

2. Cognitio linguae latinae longe provehenda est a facultatum ecclesiasticarum doctoribus, seminariorum professoribus, ab iis qui Romae aut in dioecesanis curiis munere funguntur, atque illis seminariorum alumnis qui hoc desiderant vel ad studia superiora destinantur.

3. Pro reliquis requiritur solum talis cognitio quae sufficiat ad liturgiam celebrandam et simplicia documenta intelligenda. Ubi vero liturgia non celebratur lingua latina, superiores in casibus specialibus possunt dispensare a studio huius linguae.

4. In cursu *seminaristico* libri textus, praelectiones atque examina omnia sint in lingua vernacula; textus tamen e fontibus desumpti citentur latine.

In studiis *academicis* autem principia doctrinae exponantur latine; ulteriores vero explanationes tradantur in lingua vernacula.

Ad n. 20 (pag. 12-13): Philosophia recte designatur ut « cursus propaedeuticus ». Sed problema practicum manet, scil.: quomodo philosophia ordinanda sit ut vere evadat praeparatio ad theologiam. Non sufficit fovere « visionem sacerdotalem », sed magis intrinsece ipsa philosophia debet in sua problematica semper remanere *aperta* pro *revelatione* et facto religioso *historico*.

Ad nn. 22, 23 et 24: Materia hic descripta est tam ampla ut formatio alumnorum non videatur posse absolvi intra quattuor annos.

Ad n. 25 (pag. 15): Quaeritur an statim post absoluta studia theologica alumni debeant ordinari sacerdotes?

Graves rationes suggerunt ut post receptum diaconatum expectent usque ad trigesimum annum expletum, atque interim, per sex circiter annos, in ministerio exerceantur, probentur atque maturescant.

Constat enim in mundo hodierno iuvenes 24 annorum non esse maturos, quibus ordinatio sacerdotalis possit secure conferri. Inde tot lapsus atque ruinae! Si per sex annos exercentur, experimento poterunt a superioribus cognosci atque seipsos cognoscere, et, si veram vocationem habent, sacerdotio augeri.

Secus poterunt sive ad statum laicalem reduci atque uxorem ducere, sive pergere in servitio Ecclesiae tanquam diaconi permanentes (et uxorati?).

Haec iam est praxis communis in aliquibus Ecclesiis catholicis orientalibus: diaconi non ordinantur sacerdotes ante annum trigesimum.

51

Exc.mus P. D. STANISLAUS LOKUANG
Episcopus Tainannensis

1. N. 10 dicit « Apta alumnorum institutio vigilantem eorum selectionem et probationem a *vocationum promotoribus* et a seminariorum moderatoribus postulat.

Selectio seminaristarum ad seminarii rectorem et ad Ordinarium loci pertinet. Cur nunc dicitur « a vocationum promotoribus »? Haec expressio potest esse

vera in multis circumstantiis; sed magnam confusionem in campo iuridico et in directione seminaristarum causare potest. Igitur haec verba « a vocationum promotoribus » substituenda sunt « ab Ordinariis loci ».

2. In votis episcoporum, quae in voluminibus ante-praeparatoriae commissionis inveniuntur, plures postulationes delatae sunt quoad formationem seminaristarum accommodatam circumstantiis modernis. E. g. quoad spiritum mortificationis, quoad spiritum oboedientiae, quoad spiritum orationis, quia hodierna tempora spiritum laxationis et commoditatis ubique secumferunt. Licet in schemate sub paragrapho III de institutione spirituali multa dicantur de virtutibus seminaristarum; sed expositio est habitualis et videtur esse repetitio sermonum in exercitiis spiritualibus. Necesse est aliquid dicere quod refertur ad formationem specialem pro temporibus hodiernis sicut in Pii XII Exhortatione *Menti Nostrae,* atque in iis insistere ita ut attentiones sive moderatorem sive alumnorum habeantur. Secus pulchra quidem expositio, sed consuetudinaris quae habetur in schemate hoc, nullam attentionem specialem attrahere valet et remanebit uti litterae mortuae.

3. N. 23 dicit « Studiorum ecclesiasticorum indoles pastoralis peculiari cura attendenda est », et enumerat plura studia peculiaria quae facienda sunt a sacrorum alumnis. Sed deest indicatio relate ad aliqua studia missionaria quae studia formationem non tantum intellectualem sed etiam spiritualem seminaristarum adiuvare possunt, quia haec studia sensum catholicum et amorem versus Ecclesiam universalem efformant.

52

Rev.mus P. D. PETRUS MALEDDU

Praefectus ap. Hinganfuensis

Art. IV: *De studiorum ratione.* 1. Vacationis tempore alumni mihi videntur erudiendi de his quae ad machinalem scientiam pertinent. Parochis enim ceterisque animarum curatoribus saepe saepius machinis uti opus erit.

Eodem tempore prosequantur cuiusque propensiones ad peculiaria studia.

2. Cumque valde prosit tum in paroeciis tum in missionibus, ut fidelibus consulatur, sive medicinae, sive agri culturae, sive electricae vis, etc., cognitio, illarum scientiarum principia, vacationis tempore alumnis tradenda videntur.

3. Ut futura « unio » foveatur alumnos parare decet exquisitiore scientia aliarum christianarum confessionum, tali modo tradita ut quae iam communia sunt appareant et magni fiant, et quae unitatem fovere possunt conlustrentur. De quibus optime quae paragrapho quarta, n. 20 statuuntur.

4. Cavendum autem ne sacrorum alumnis occasio detur vel permittatur gymnasiorum ludos et palestrae athletas nimio studio (tifo) prosequi: quod studiis et vitae interiori obstare omnino compertum est.

53

EXC.MUS P. D. NICOLAUS MARGIOTTA

Archiepiscopus Brundusinus

Pag. 15, n. 24; Appendix 1, IV, pag. 18: De institutione post seminarii curriculum complenda. Si ritiene assai opportuno che, soprattutto al fine di consolidare la vocazione, i chierici, giunti al diaconato, siano affidati a parroci pii e prudenti per esercitare tale grado dell'Ordine nel ministero pastorale. Tale esercizio dovrebbe durare non meno di un anno; dopo, il diacono potrà diventare sacerdote.

Non si ritiene che siano efficaci i convitti ecclesiastici, che potranno avere altra funzione, e tanto meno i periodici convegni, né il mese sacerdotale.

L'esercizio del diaconato per almeno un anno ha lo scopo di collaudare la vocazione mediante l'esperienza pastorale.

Così si maturano meglio le decisioni definitive.

54

EXC.MUS P. D. EDUARDUS MASON

Episcopus tit. Rusicadensis, vic. ap. de El Obeid

Ad vocationes sacerdotales fovendas necessarium est non tantum *Opus vocationum* commendandum in omnibus dioecesibus, sed saltem in qualibet regione eligendi sunt plures sacerdotes (duo vel tres) ad hoc bene paratos per cursus speciales, naturaliter idoneos ad vocationes excitandas et in cura animarum positos, ideoque experientia, saltem inchoata, praediti.

Propono ut isti sacerdotes, quivis pro sua sectione paroeciarum, easdem visitent una vel duobus vicibus in anno ad colloquendum de vocatione cum pueris et iuvenibus — tam munus sacerdotale explicando quam vitam religiosam pandendo; deinde quandam necessitudinem stabiliat cum pueris qui manifestant signa vocationis, ea omnimodo roborando.

Colloquia vocationis initianda erunt non tantum cum pueris sed etiam cum iuvenibus et adultis, praesertim inter eos qui militant Actione Catholica, quia haud raro pretiosae vocationes adoriuntur etiam aetate aliquantulum provecta.

Sacerdotes candidatos suos sequentur per menses vel etiam per annos eos adiuvando amicitia, consiliis et manu ducendo ad portam seminarii ubi eos sequentur paterna cura per aliquot menses usque dum primae difficultates superatae sunt.

Quamvis tamen *Opus vocationum* concredatur sacerdotibus ad hoc instructis necesse tamen erit ut Concilium enixe exhortetur omnes sacerdotes ut in vocationes excitandas sedulo incumbant, eorumque paternitatem spiritualem summopere commendent si valeant socios laboris sibi adsciscere qui eorum opus exequi pergant.

1. In curriculo seminaristarum et religiosorum et alia pauca mihi videntur esse reformanda; inter ea propono quae sequuntur:

a) Methodus discendi et docendi linguam latinam in seminariis valde obsoletum est, cum iam a saeculo XV initium habuerit: lingua latina ne tradatur, quaeso, tanquam cadaver mortuum et in partes dissectum sed ut lingua viva discenda colloquiis et utilis ad concepta tradenda. Ad hoc fortasse iuvabit studium scriptorum communium ecclesiasticorum magis quam Ciceronis et Horatii. Scriptores optimi relinquantur professoribus et Academiis.

b) Lingua graeca et hebraica omitti possunt pro alumnis communibus (reservetur iis qui postea Academiam sequentur). Mihi item videtur Algebra et Logarithmi vel Trigonometria omittenda esse, eorumque loco suggero ut augeantur lectiones linguae Patriae et scientiarum hodiernarum una cum elementis scientiae scriptorum ephemeridum, theatri, elocutionis, radio et televisionis (giornalismo).

2. In cursu philosophico rogo ut amplior detur locus psychologiae, sperimentalis quoque, et studio Historiae Philosophiae praesertim hodiernae, ita ut alumni discant funditus quo modo homines hodierni evangelizandi sint.

3. Rogo ut omnes neo-sacerdotes per biennium post ordinationem praeter sociologiam hodiernam cursus pastoralis, edoceantur quoque in didactica religiosa, historia religionum praesertim Islamicae, Hindu et Buddhisticae et Shintoistae.

55

EXC.MUS P. D. IOANNES CAROLUS McQUAID

Archiepiscopus Dublinensis

Cap. II, pag. 7, lin. 36 per quos Christus attrahere valeat, et cap. III, n. 16, lin. 22, a fallacia et a cuiusvis generis simulatione abhorrens.

Dicere mallem: praeprimis hodie instituendi sunt sacrorum alumni ad vitam omnino honestam (vulgo honourable) degendam.

Nihil enim homines hodierni temporis magis arcere potest quam aliqua ratio agendi insincera vel etiam leviter fallax.

56

EXC.MUS P. D. OCTAVIANUS MÁRQUEZ TÓRIZ

Archiepiscopus Angelorum

1. *De sacrorum alumnis formandis* novum schema mihi optimum videtur, siquidem in synthesim concinne ac laboriose reducta sunt ea quae antea in diversis schematibus (et optime sane) inveniebantur. Unde laus sincerissima tribuenda est praeclaris novi schematis auctoribus.

2. Mihi tamen liceat aliqua, etsi parva, fortasse nullius momenti, sed ad tranquillitatem animi mei, exponere:

3. In pag. 6, sive lin. 13, sive in lin. 15, mihi videtur utilissimum addere « una cum sacrificiis » siquidem tam ex doctrina quam ex ipsa experientia scimus quantum in vocationum favorem christiana sacrificia obtineant.

4. In eadem pag. 6, linn. 18 et 19, videtur verbum debere esse « declarentur » (et non « declararentur »).

5. In pag. 7, linn. 10-15, mihi obscuram mentem adesse videtur, et praeterea non placet verbum: « Alumni in seminariis minoribus vitam ducant quae *cum communi omnium adulescentium* vita... » etc.; quia tunc nihil aut fere iam nihil sacerdotale eis imbuitur. Ego humillime contrariam sententiam teneo: inde a seminarii minoris initio eis aliquid saltem sacerdotale vivendum est. Etenim seminarium minus est seminarium, non collegium qualecumque. Utique pro adulescentulis, sed qui iam germina vocationis sacerdotalis prae se ferunt. In multis sane Nationibus ita sunt seminaria minora. Utique alumnorum institutio valde diversa debet esse atque in maioribus. Sed non *communis* cum omnibus adulescentibus (saecularibus seu laicis). Non sufficit dicere « quantum potest », quia confusio semper oritur. Unde humiliter propono ut mutentur verba et clare dicatur seminaria minora, quamvis diversa a maioribus, iam *ideale sacerdotale,* pueris seu adulescentulis accommodatum, intense debere vivere. A. v., summa libertas componenda cum initio spiritus sacerdotalis. Ceteroquin, quomodo vocationes illae adhuc tam tenerae coli possent?

6. In pag. 7, lin. 24: verbum « celebrationibus » fortasse ideam suggerit alicuius sollemnitatis externae. Unde melius forsitan esset dicere « actionibus », quia ni fallor agitur de Sacramentis, sacrosancto Missae Sacrificio, etc.

7. In pag. 8, lin. 5: Siquidem verbum « actuosa » saepe postea repetitur, melius esset in hoc loco illud supprimere. Sufficit « materna sollicitudine ».

8. In pag. 10: Post pulcherrima verba quae in schemate habentur, mihi necessarium videtur aliquid addere de sacrificii spiritu, hodie tam necessario in sacerdotibus, et de universali missionario zelo. Fortasse, si placet, posset addi post verbum « pastoribus » in lin. 13: « una simul cum sacrificii spiritu, et non tantum pro ovibus proximioribus, sed et pro totius humani generis salute ».

9. In pag. 11, lin. 9: non placent verba « vere spirituale cum ipso connubium ineunt »... Fortasse melius esset dicere: « sese ipsi totaliter consecrant ». Non nego connubii spiritualis veritatem in Mystica, sed dico viris nostrae aetatis, praesertim iuvenibus, fortasse verbum illud *a Concilio* prolatum non placere.

10. In pag. 11, linn. 15-17: Mihi urgentissimum videtur insistendum, etsi breviter, in perfecta clericorum oboedientia, hodie magis magisque impugnata et magis magisque necessaria, e. g., his verbis: « reprobatis modernis contra perfectum sacerdotalem oboedientiam erroribus ».

11. In pag. 11, lin. 30: loco « moderatoris pietatis » mihi praeferendum videtur nomen « moderatoris spiritus », sive ad uniformitatem in terminologia, sive ad melius conceptum exprimendum.

12. Sive in pag. 12, lin. 32, sive in pag. 13, lin. 28, mihi valde utile videtur aliquid de scientiis quae ad Philosophiam eiusque studium praeparant (Mathesis, Physica, Chemia, etc.) utique sub uno verbo, sed hoc non invenitur in schemate.

13. In pag. 14, lin. 38: forsitan melius esset dicere « activam » loco « actuosam » ad repetitiones vitandas.

14. In pag. 15, lin. 6: humiliter propono ut, ante verba « de hodiernis... » addantur haec: « de modernis et efficacioribus apostolatus formis ad animas lucrandas et de hodiernis... ».

15. In pag. 17 ss., agendo de instructionibus: mihi videtur valde difficile

episcopos opiniones vel animadversiones plus minusve cohaerentes vel ordinatas dare, si eis schema aliquod seu exemplum instructionis non proponitur. Aut saltem puncta principaliora fusius proponantur.

16. In pag. 17, lin. 12: Ut iam antea dixi, propono ut *agendo de seminariis minoribus aperte declaretur spiritum sacerdotalem,* utique pueris seu adulescentulis accommodatum, et quidem cum maxima eorum libertate, principem locum obtinere debere. Si in scholis apostolicis hoc fit, quanto magis in seminario minore?

17. In pag. 17, lin. 15, et in pag. 18, linn. 1-2: Necesse omnino est statuere gradus auctoritatis seu potestatis episcoporum in seminariis regionalibus, nationalibus, etc., quia saepe saepius rector difficultates patitur ex desideriis diversis episcoporum, e. g. qui extra seminarium alumnos proprios vocant, cum disciplinae detrimento.

18. In pag. 18, lin. 17: Melius dicatur « De moderatore *spiritus* ».

19. In pag. 18, post lin. 27, adderem numerum (9) hoc modo: « De quinto Sacrae Theologiae anno cum praecipuo pastoralis praeparationis fine ».

20. In pag. 20, linn. 4 ss.: Dixerim: Quamvis can. 1367 ad particularia descendit, sed actiones practicas et valde necessarias refert, unde periculosum esset in genere tantum loqui, attenta hodierna tendentia ad orationem clericorum magis magisque reducendam. Unde practicae illae retineantur.

21. Cetera quae in hoc novo schemate inveniuntur, valde bona, omnino laudanda et retinenda mihi videntur. Unde laudes sincerissimas repeto.

57

Exc.mus P. D. FREDERICUS MELENDRO

Archiepiscopus Nganchimensis

Pag. 9, n. 11, lin. 7: Legitur: « Quare recentiores speciosi errores, quibus sanae disciplinae sensus et vis extenuatur aut prorsus destruuntur, a seminariis arceantur ». Aptum sane praeceptum haec verba significant. Ut tum directores sacrorum alumnorum perniciosos illos errores perspicue animadvertant, calleant, arceant, tum seminaristae et luce clara eos intelligant et toto corde detestentur; praecipuos recentiores et speciosos recenseri forte convenit.

Additio sequens proponitur: « Quare recentiores speciosi errores, ut sunt independentia a superioribus in agendo, libertas leges ac dispositiones obedientiae censurandi, effusio ad exteriora, aviditas mundanarum delectationum aliaque, quibus sanae disciplinae sensus et vis extenuantur aut prorsus destruuntur, a seminariis arceantur ».

Pag. 10, n. 13, lin. 12: Additio proponitur: « Sanctum etiam Dei timorem sacrorum alumni magni aestiment ». Additionis *rationes.* Dei timor valde est homini necessarius: Spiritus Sancti est donum: Multum iuvat ad divinam conservandam gratiam atque ad Dei dilectionem augendam.

Pag. 10, n. 14, lin. 32: Legitur: « ... et varias pietatis formas, praesertim in honorem Deiparae Virginis, assidue colant ». Additio proponitur: ... « et varias pietatis formas, praesertim in honorem *Sacratissimi Cordis Iesu* et Deiparae Virginis, assidue colant ». Additionis *ratio*: Cultus, quo Ss.mum Cor Iesu honoratur, ad Domini Nostri Iesu Christi cognitionem, dilectionem, imitationem quam ma-

xime ducit; animos ad fervorem et vitae spiritualis perfectionem sublevat; christianae religionis essentiam, quae in Divinae Maiestatis dilectione consistit, complectitur.

Pag. 10, n. 14, lin. 36: Dicit « ... Ut autem orationem etc. ... initientur in psalterium totumque Officium Divinum intelligenda, degustanda ». Additio proponitur: « Ut autem orationem etc. ... initientur in psalterium totumque Officium Divinum intelligenda, degustanda et meditanda. Ideoque sacrorum alumni maiores congruenti tempore quotidie meditationi vacent ». Additionis *ratio.* Si sacrorum alumni maiores meditationi quotidianae congruum tempus non tribuunt, nec sacerdotio suscepto, orationi mentali vacabunt; quod et multum interest et necessarium ducitur.

58

BEAT.MUS P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

1. *Considérations générales: a*) Il me semble que le Schema « de Sacrorum alumnis formandis » est assez complet. Il envisage la formation au sacerdoce des séminaristes avec un sens du concret: formation spirituelle adaptée, formation sociale et pédagogique, formation intellectuelle et pastorale, contact avec les moyens modernes de communication sociale, intégration des Laics dans le travail pastoral pour les points où ils affirment une compétence, etc. (p. 14, par. 23).

b) Parmi les vertus sur lesquelles le Schema appuie surtout, ce sont tout particulièrement la pauvreté, si nécessaire à notre monde moderne; la chasteté qui signifie la liberté du prêtre; et l'obéissance, si urgente pour une pastorale d'ensemble et une unanimité si profitable pour le bien d'un Diocèse (p. 10, par. 15).

c) Je voudrais attirer l'attention sur un point très important: le Schema parle d'un noviciat qui serait à imposer aux candidats au sacerdoce, soit avant la théologie, soit avant l'ordination (p. 11, lignes 34-39).

d) Partant de ce point de vue, le Schema insiste sur la prière dans laquelle doit être baignée la vie du prêtre d'aujourd'hui (p. 10, lignes 26-36 et passim), (p. 9, par. 12; pp. 9 et 10, par. 13; p. 9, par. 8).

e) Je noterais aussi ce sens du zèle apostolique et de la charité sur lequel revient le Schema (pp. 9-10, par. 13), et ce sens de la Sainte Messe, centre de la vie du prêtre (p. 10, par. 14).

Dans un monde matérialisé et « humanisé » où le sens de l'adoration de Dieu, le sens de la souveraineté est perdu, le Schema revient avec à propos sur les vertus solides et les fondements d'une vie sacerdotale exemplaire.

f) Mais le Schema tient à ce que le prêtre d'aujourd'hui développe en lui les vertus naturelles de sincérité, d'honnêteté, de courage (p. 11, par. 16), qui sont le fondement des vertus surnaturelles.

g) Dans un monde où l'on a besoin d'hommes, dans le plein sens du terme, le Schema, insistant sur la formation des futurs prêtres, rappelle les devoirs et les responsabilités de la famille, des directeurs spirituels, des supérieurs. Il insiste ici surtout, sur le devoir des Séminaires de former leurs futurs prêtres aux initia-

tives indispensables dans la formation d'un homme, et, à plus forte raison, d'un prêtre (p. 9, lignes 22-26, lignes 16-21; p. 8, par. 9).

h) Je noterais enfin le sens concret des situations présentes dont fait preuve le Schema:

1) insistance, étant donnée la pénurie des prêtres, sur la création des Séminaires nationaux, internationaux, etc. (p. 8, par. 8).

2) insistance sur l'adaptation de l'enseignement de la philosophie (p. 13, par. 21), et de la théologie (p. 14, lignes 16-23).

3) soumission des futurs prêtres à des exercices pastoraux, sous la direction de l'Evêque (p. 15, lignes 18-27).

4) étant donné le progrès et l'évolution rapides du monde, les prêtres seront soumis à une formation post-scolaire (pp. 15 bas, et 16; cf. p. 18, lignes 28-31).

5) le Schema insiste sur les vocations tardives et la nécessité de leur donner un statut juridique précis (p. 19, lignes 4-5).

6) à la page 19, par. 9, le Schema insiste, avec raison, sur la nécessité d'adapter la « Ratio Studiorum » aux différentes régions et circonstances.

(Une remarque pareille fut faite dans le Schema « de Scholis Catholicis »).

7) malgré la pénurie de prêtres, le Schema insiste pour qu'on renvoie les candidats inaptes, spirituellement, moralement, psychologiquement et physiquement (p. 8, par. 10).

i) Il me semble bon et nécessaire de transférer la partie qui concerne la formation des futurs prêtres du « de rebus » du C.I.C., pour la mettre dans le « de personis ».

2. *Considérations particulières*: *a*) Il me semble que Schema est trop touffu. Il n'est pas composé. On y trouve de nombreuses répétions (p. 5, par. 2, et p. 6, par. 4; p. 6, ligne 37; p. 7, lignes 1-2; p. 5, par. 3).

b) Il faudrait donc, me semble-t-il, recomposer ce Schema en reprenant les excellents éléments qui s'y trouvent, d'une manière plus logique et plus claire.

c) Le Schema devrait, me semble-t-il, attirer fortement l'attention sur la formation du caractère et de la volonté. Il n'est de l'intérêt de personne que les prêtres manquent d'une forte personnalité, dont le développement doit être la tâche principale des familles et des Séminaires.

d) Un des points qu'il faudrait introduire dans la formation des futurs prêtres, c'est l'art de la parole, l'éloquence sacrée, dont on ne parle pas dans le Schema.

e) Un autre point: qu'on forme le futur prêtre au sens de la psychologie et des bienséances, point dont on ne parle pas dans le présent Schema, et qui est pourtant d'importance.

f) Qu'on veuille bien redire ici ce qu'on a dit dans le Schema « de Scholis Catholicis » sur la connaissance des autres religions qui existent dans le même pays. Cela peut être compris, évidemment, dans la « Ratio Studiorum » que les Evêques sont appelés à adapter à leurs pays.

59

EXC.MUS P. D. CONSTANTIUS MICCI
Episcopus Larinensis

Pag. 7, post n. 6, addatur alius numerus, sic edocens: n. 7: « Sicut Sacrosancta Tridentina Synodus in omni dioecesi seminarium esse decrevit, ita Sacrosancta haec Vaticana II Synodus, prae oculis habens urgentissimas necessitates multarum gentium, quibus deest sufficiens sacerdotum numerus, decernit seminaria esse non tantum pro dioecesi, sed pro Ecclesia, ita ut omnes Ecclesiae pastores vere satagant ut amplior numerus quam necessitas in dioecesi postulet, immo maximus possibilis, alumnorum in seminarium vocentur, et opportuna formationis ope in spiritu, ut dicitur, missionario, gradatim ad consideranda munia totius Ecclesiae edoceantur, iis parati obire quocumque loco necessitas exurgat ».

60

EXC.MUS P. D. PAULUS NGUYEN VAN BINH
Archiepiscopus Saigonensis

N. 21, page 13: « ... accurate distinctis quae ab omnibus retineri debent, ab opinionibus qui inter catholicos libere controvertuntur ».

La formule n'est pas très adroite. Si l'on se place au seul point de vue philosophique, il faut maintenir qu'aucune affirmation philosophique ne s'impose par suite d'une définition dogmatique, mais seulement d'après les arguments rationnels qui soutiennent cette affirmation. Le grand effort de St. Thomas a été de dégager la philosophie de son temps de toute méthode purement théologique s'appuyant sur une autorité hors du raisonnement.

Ce qui est exact, c'est qu'il y a un certain nombre de vérités rationnelles (peu nombreuses: survivance de l'âme, création du monde par Dieu, valeur rationnelle de l'existence de Dieu, ...) qu'on doit soutenir pour ne pas s'opposer à des affirmations du dogme. Les philosophes restent libres dans leurs raisonnements, même à l'égard de ces affirmations, pourvu qu'ils n'aboutissent pas à les nier.

On pourrait donc dire plus exactement: « ... accurate distinctis iis quae nullo modo possunt cum veritatibus aperte definitis ab Ecclesia, et opinionibus quae directe non connectuntur cum illis veritatibus... ».

Par ailleurs les indications données dans ce n. 21 sont excellentes. Si on les développait, on serait amené à réformer l'enseignement de la philosophie dans les séminaires.

De même le n. 20, qui précède, pose un principe qui mérite d'être retenu: il est bien rare que l'enseignement de la philosophie dans les séminaires apparaisse comme vraiment utile pour la théologie.

N. 22, page 13: A propos de l'enseignement de la théologie, on devrait insister sur le fait qu'elle est avant tout destinée à mettre le futur prêtre en état d'exercer ses fonctions d'enseignement et de prédication. Il est vraiment étrange qu'aujourd'hui on tend à ajouter une année de plus à la théologie, destinée à

apprendre comment prêcher, faire le catéchisme et s'adresser aux fidèles. Pourquoi faut-il que le prêtre à la sortie du séminaire soit parfois obligé de se débarrasser du langage et des exposés théologiques.

Le n. 22 devrait donc nettement affirmer que la formation pastorale doit être étroitement intégrée dans l'enseignement de la théologie. Ceci rendra la théologie plus attrayante pour beaucoup d'étudiants et leur donnera l'habitude d'utiliser vraiment des notions précises dans leur prédication et leur catéchisme.

61

EXC.MUS P. D. HENRICUS NICODEMO
Archiepiscopus Barensis

Schema in genere mihi placet. Tantum animadverto opportunum fuisse et hoc schema, sicut cetera ab aliis commissionibus confecta, relationem habere ad documenta pontificia et alias fontes, quae minime desunt hac in re. Ita opportuna fuisset commemoratio Decreti Tridentini « Cum adulescentium aetas ».

Appendix I. III, 1. Quod notae institutionis spiritualis sacrorum alumnorum in seminariis sint quae hic indicantur: biblica, christocentrica, ecclesialis, optime. Sed meminisse iuvabit et notam *marianitatis.*

Appendix II. Curetur uniformitas quoad studia in singulis nationibus omnium sacrorum alumnorum sive cleri dioecesani sive cleri regularis et una adsit pro omnibus Sacra Romana Congregatio moderans.

62

EXC.MUS P. D. PATRICIUS LUDOVICUS O'BOYLE
Archiepiscopus Vashingtonensis

1. *The course of studies.* It seems to me that the urgings contained in the great social encyclicals of modern Popes are not strongly enough reflected in the teaching given in many seminaries. We must remember that Popes Pius XI and John XXIII, in particular, urged that seminaries prepare priests to understand the social teaching of the Church and the problems of the modern world. It is in the light of these papal exhortations that the following suggestions are made with regard to the seminary curriculum.

A) In the philosophy course, there should be a one-year study of social problems. This should be a three-hour course each week, with the first semester concentrating upon social problems (marriage and the family, urban problems, race and inter-religious relationships, crime, delinquency, and poverty), and the second semester on socio-economic problems (the nature of an economy, bases of production, distribution of income, labor, rural life, social reform, socialism, communism). Many seminaries already have such a course. It should not overcrowd the curriculum, since most seminaries have courses of secondary importance, not needed in the modern world. Of course, State accreditation demands must be kept in mind.

B) In the course of moral theology, textbooks and curricula should be drastically rewritten to take into consideration, not only the social encyclicals of the modern Popes, but many other ideas derived from modern science. For example, the findings of psychology on freedom of will, scrupulosity, etc. should be included. Writers of textbooks should confer with experts from the fields of psychology, medicine, law, political science, sociology, economics, and social philosophy to make their teachings reflect the modern world and its problems. Moral theology teachers should be strongly urged to do summer school work in some of the various disciplines mentioned above, so that they can teach with competence. Naturally, no one professor can be expert in all of them. But, in a large faculty, the moral theology and pastoral theology professors collectively should know more about the real problems of the modern world.

C) Pastoral theology should include problems of social action in the widest sense of the term. For example, marriage counseling, general pastoral counseling, use of religious sociology, race relations (for nations with racial problems), alcoholism, and the distinction between moral problems and those arising from personality disorders or mental disturbance—all are areas with which a modern priest should be familiar.

2. *The Seminarians.* *A*) Seminarians should be permitted reading which familiarizes them with the problems of the day. At least they should have access to news magazines, magazines of opinion, and at least the front page of a good newspaper, along with the editorial page. Seminary libraries should have books dealing with current economic, social, and political problems.

There should be lectures in seminaries to keep the students aware of the major problems and currents of throught, both in the Church and in the secular world.

Theology students should utilize their weekly or bi-weekly walks to become familiar with pastoral problems. This should include not only visitations of the sick, but also of mental institutions, homes for disturbed children, jails, reformatories, etc. It might be well for selected students, to be encouraged, during vacations, to sit in on meetings of Alcoholics Anonymous, children's courts, labor-union conventions, and gatherings organized for social-action programs.

B) Without disturbing the peace and quiet necessary for proper spiritual preparation, we should consider the dangers arising from excessive shielding and sheltering of such students.

Is the residence type of preparatory seminary suitable for our day, or should we have the day-school type as more satisfactory? It is questionable whether a boy should be away from home during adolescence, if he is to develop fully emotionally. If he does not work at a summer job, at least through his preparatory seminary years, will he understand the economic and social problems confronting the family today? Will he be able to establish *rapport* with the families in his parish later on?

On the same basis, is the villa system suitable for major seminarians? It might be well for them to work during their philosophy years during the summer. When they are in theology, they might either go to summer school for special courses in social problems or assist the clergy in their pastoral work (CCD, census, etc.).

3. *The seminary faculty. A*) If the faculty members are to guide students for the diocesan priesthood, they should be familiar with the concrete problems of parish life. Hence, even religious and members of congregations should be encouraged to spend at least a year in an active parish before teaching in a seminary. They should also be urged to keep such contacts alive by helping priests in a parish during the summer vacation, at least periodically.

B) In addition to the regular faculty, it might be well to have an auxiliary faculty for seminars in some of the problems noted above. These could include laymen as well as priests, who have done outstanding work in modern forms of the apostolate.

C) If the regular faculty is reasonably competent in its knowledge of modern problems, it is much easier to keep these problems in their proper perspective and to keep students from excessive emphasis upon practical matters, to the exclusion of the necessary theoretical and ascetical training. If the faculty is not so informed, then the students tend to reject their urgings as old-fashioned and based on lack of knowledge of the modern world.

63

Exc.mus P. D. ALFREDUS OBVIAR Y ARANDA

Episcopus tit. Linoensis, adm. ap. Lucenensis

His in insulis Philippinis multa seminaria ad civilem recognitionem obtinendam properant, ut facile iuvenes attrahantur; nam postea, qui non idonei sunt, in universitatibus et aliis institutionibus sine difficultate studia prosequi queant. Estne laude dignus hic modus agendi? Nonne periculum perversionis ad sacrorum alumnos efformandos praebet?

64

Exc.mus P. D. MARCELLINUS OLAECHEA LOIZAGA

Archiepiscopus Valentinus

Sobre el Schema Constitutionis *De sacrorum alumnis formandis,* creemos que pueden hacerse las siguientes observaciones generales.

Hay en el esquema un material excelente, pero expuesto en un estilo difuso, nada agil, inexpresivo. Todo el material está presentado como colodado en el mismo plano; la forma y el estilo de exposición no contribuyen a poner ante la mirada la dinámica misma del proceso de formación del sacerdote que es el objetivo del esquema.

El esquema carece, creemos, de aquella universalidad propia de una constitución promulgada por un Concilio ecuménico para toda la Iglesia. Parece pensar sólo en una concreción muy determinada de instituciones educadoras. Diríamos que es occidental, latino, pensado sólo para el clero secular.

A nuestro parecer, debería limitarse a indicar las líneas generales del proceso formador del sacerdote y dejar a la autoridad competente la tarea de disponer las instituciones, conforme a estas líneas generales, de modo muy diverso según los distintos paises.

El esquema se ciñe a consagrar la rica doctrina de los últimos Pontífices y de la S. Congregación de Seminarios sobre la formación sacerdotal, pero no abre nuevos caminos a esta formación. Creemos que es necesario abrirlos, pues necesitamos formar al sacerdote para un mundo que cambia rápidamente. Por otra parte, no permite ver con claridad que la estructura actual del proceso formador y de las instituciones correspondientes se ha quedado a la zaga de este rápido cambio de la cultura de nuestro tiempo y, por consiguiente, contribuye en buena medida a los tres grandes males que lamenta la Iglesia, a saber, la escasez de vocaciones, la falta de perseverancia en las instituciones educadoras sacerdotales y las defecciones de sacerdotes.

Nos parece que el esquema debería destacar tanto por su contenido como por la ordenación de éste los siguientes puntos:

1. En el capítulo sobre las vocaciones eclesiásticas (que sería mejor titular « de la vocación »), sin decidir los difíciles y discutidos problemas sobre la esencia de la vocación sacerdotal, podría sin embargo insistirse en la afirmación de que *Dios llama a través de la Iglesia.* Debería, pues, evitarse la peligrosa presentación de que la Iglesia no hace en este asunto otra cosa sino ratificar una vocación interior. Es necesario destacar que la Iglesia escoje sus candidatos, previo el juicio de su idoneidad y recta intención. Se trata, pues, de subrayar la actitud activa, positiva, de la Iglesia en la elección de sus sacerdotes. Las consecuencias de esta actitud serían muy fecundas:

a) aumento del número de vocaciones y reclutamiento de éstas en todos los estamentos sociales (con ello se saldría al paso de un obstáculo crecientemente extenso y agudo para la acción evangelizadora universal de la Iglesia, a saber, el reclutamiento de vocaciones en un sólo medio por ejemplo el rural).

b) interpretación de la selección de los candidatos al sacerdocio como una positiva elección y no solo como una eliminación.

c) supresión en los candidatos de la falsa idea de un derecho al sacerdocio basado en una supuesta certeza de un llamamiento interior.

2. Es necesario tambien subrayar que *la vocación sacerdotal surge y se desarrolla por una comunicación viviente y personal con el sacerdote* o, dicho con más precisión, *con la comunidad sacerdotal correspondiente.* El sacerdocio plenamente vivido por la comunidad sacerdotal, diocesana o religiosa, es el medio decisivo para suscitar y cultivar las vocaciones sacerdotales. Las instituciones formadoras no son un cuerpo aislado de la diócesis o del instituto religioso. Hay que considerar, en efecto, la formación como una « traditio » del espíritu sacerdotal de los sacerdotes de la diócesis o del instituto religioso. De este modo se desterraría la falsa interpretación del fomento de vocaciones como asunto de una « asociación piadosa », que allega medios para sostener las instituciones formadoras.

3. Creemos que el esquema ha de *urgir la necesidad de la madurez y libertad en los candidatos al sacerdocio.* Esta exigencia se hará en el mundo futuro crecientemente aguda. Se ha de determinar la edad y condiciones de la madurez psicológica, diversas en las distintas regiones, según el juicio de peritos. En la libertad se habría de incluir la completa libertad social, es decir, la ausencia de condicionamientos sociales que de hecho impiden al candidato una elección completamente libre. Por ejemplo, el temor a las dificultades de entrar en una vida civil, cada vez más complicada, puede atar la libertad de los candidatos; las instituciones

educadoras han de disponer la formación de sus alumnos de modo que les sea muy facil, en cualquier momento, integrarse plenamente en la vida civil.

4. En el capítulo sobre la formación sacerdotal, creemos que sería necesario exponer con rigor en el esquema que *la formación sacerdotal es un proceso dinámico* desde los primeros gérmenes de vocación hasta la ordenación sacerdotal; que este proceso ofrece diversas etapas con sus diversas características cada una de ellas; que cada una de estas etapas exige unos procedimientos diversos de formación y las instituciones apropiadas a ellos.

5. Nos parece que el ambiente predominante de la etapa e institución dedicados a los estudios teológicos debería ser de *profunda oración y recogimiento, necesarios para formar al hombre de Dios.* Para hacer esto posible, debería estar asegurada, antes de ingresar el candidato en ellos, la madurez cristiana y tambien la psicológica y la libertad de que hablamos más arriba. Con todo esto se evitaría el caracter híbrido de muchos teologados, en los que no se logra un fecundo retiro pues es necesario poner a sus alumnos en contacto con el mundo para que alcancen la madurez humana debida y una muy problemática experiencia pastoral. La experiencia de lo que ocurre en nuestros teologados muestra que la mayor parte de los alumnos no entra en una interiorización profunda y religiosa de la doctrina sagrada porque está aún en el período de la formación básica de su personalidad y preocupada por tomar su decisión definitiva. En bastantes casos esta grave situación perdura hasta la víspera de la ordenación sacerdotal. Por otra parte, este retiro lo más completo posible y la interiorización en la oración y en la teología se hace crescientemente urgente según avanza el proceso de tecnificación de nuestro mundo.

6. Antes de que el candidato quedase vinculado canónicamente de un modo definitivo, nos parece que el esquema debería ordenar *un período de ejercicio en la vida apostólica que sirviera tambien de prueba.* Unicamente despues de cumplir este período de modo satisfactorio podría el candidato ser vinculado canónica y definitivamente. Adviértase que no tocamos para nada el problema del diaconado. Este ejercicio debería ser efectivo y, a la vez, dirigido y vigilado según normas y procedimientos diversos.

7. Hasta el momento del ingreso en la fase de estudios teológicos habrían de *cultivarse los gérmenes de vocación hasta tal grado de madurez y libertad que al fin de este proceso* (y antes de entrar en los estudios teológicos o período de formación estrictamente sacerdotal) *la Iglesia pudiese tener la certeza moral de que el candidato es llamado al sacerdocio.* En orden a este objetivo se ordenan ciertas instituciones, entre las que deberían incluirse, además de los seminarios menores, las instituciones para el desarrollo de vocaciones juveniles y tardias. El proceso de formación en estas instituciones debería estar determinado según criterios psicopedagógicos señalados en cada región por peritos en la materia con el fin de lograr la madurez y libertad dichas. Hay que evitar estructurar estas instituciones desde patrones aprioristicos.

8. En la educación de las *vocaciones infantiles* debería mantenerse una relación educadora con la familia. Importancia especial debería darse a la asignatura de Religión entendida de un modo integral, como medio de llegar a formar cristianos adultos en su fé.

9. Durante la *juventud* parece necesario para la maduración de la persona, tanto en el orden humano, como cristiano, un contacto grande con la vida. Una

acción apostólica, v. gr. a través de las obras de juventud, parece especialmente indicada, pero, en esto como en todo deben ser las circunstancias concretas las que motiven las diversas estructuras que organice la autoridad eclesiástica competente. En general, un cultivo « eclesiástico » de los gérmenes de vocación que se dan en los niños y jóvenes debe evitar el viciar su formación humana.

Los capitulos III y IV del Esquema parece, por todo lo dicho, que debieran pasar a un Directorio.

II. Directrices del esquema que se propone. En el proyecto de esquema elaborado se pretende sólamente destacar las grandes etapas de la formación sacerdotal y las directrices fundamentales de cada una de ellas.

Y ésto con una gran amplitud para que tenga validez en todas partes. Por lo mismo, se quieren señalar directrices y no fijar una situación aun en el caso en que ésta, dadas las circunstancias actuales, fuera óptima.

Por tanto, no puede descender a detalles, aunque estos sean fundamentales, v. gr. la edad de la ordenación, y debe quedar en los más altos principios y dejar a la autoridad eclesiástica competente en cada caso que los aplique a través de Directorios, Código de Derecho Canónico, Decretos de la Sagrada Congregación, Normas de las Conferencias Episcopales etc., a las diversas circunstancias de lugar, tiempo y ambiente.

El esquema quiere ceñirse a la formación sacerdotal dejando para otros Esquemas Conciliares la parte dogmática sobre el sacerdocio (creemos que debe ir en el *De Ecclesia*) y la ascético-moral sobre la vida de los sacerdotes (creemos que debe ir en el *De Clericis*).

Pretende tener « virtualidad » suficiente para dirigir la evolución necesaria de los actuales seminarios sin provocar cambios estructurales inmediatos.

Al distinguir dos grandes etapas en la formación sacerdotal, una previa de maduración vocacional y otra de formación estrictamente sacerdotal, el esquema se extiende por lo mismo en la descripción de esta última. Por el contrario, es muy breve al describir la primera etapa que debe ser muy varia si queremos que la Iglesia recoja y haga madurar todos los gérmenes de vocación que Dios deposita en las almas. El esquema en esta etapa previa (que consideramos que en algunos casos puede ser muy larga) se limita a señalar la meta (que el candidato llegue a la madurez *humana* y *cristiana* para que pueda responder libremente a la llamada de Dios) y los escollos que una formación eclesiástica prematura debe evitar para no viciar esta formación humana.

Los puntos fundamentales son: actitud positiva de la Iglesia en la llamada de los candidatos en nombre de Dios; valoración del ejemplo de la comunidad sacerdotal en orden a la vocación; exigir plena madurez humana y cristiana y libertad en el candidato para que pueda dar la respuesta a esta llamada; sentido progresivo de la vocación; distinción de dos etapas claramente distinto en la formación sacerdotal; total amplitud respecto a formas e instituciones que deben dirigir la primera etapa que podría llamarse de maduración de la vocación; describir las lineas fundamentales de la formación estrictamente sacerdotal.

Schema constitutionis de sacrorum alumnis efformandis.

Prooemium. 1. Sacerdos aeternus, Christus Dominus, suum redemptionis opus per Ecclesiae suae sacerdotes continuandum in tempore voluit.

Quapropter Ecclesia, sciens ab hac sacerdotali actione suam ipsius vitam

maxime pendere, iam inde a primis saeculis necessariam esse omnino agnovit sacerdotii continuationem ac de suscitandis et efformandis sacerdotibus admodum sategit.

Cap. I. *De sacerdotali vocatione.* 2. In Ecclesia vero « divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus: et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem ».[1] Sacerdotale ministerium, specifica in Christi sacerdotio participatio, cuius vi homo « ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum »,[2] primum fontem habet ipsum Deum, et ipsius misericordem ac liberrimam voluntatem: [3] « Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis: et fructus vester maneat »,[4] et alibi: nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo ».[5]

3. Haec specialis Dei vocatio in ipso Ecclesiae sinu exauditur, ad cuius servitium deputatur is qui vocatur. Ipsa namque Ecclesia, de gratuita vocationis sacerdotalis indole vere conscia, a Deo hoc donum postulat — « Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam » [6] — ac pro viribus, ut efficax haec sit oratio, adlaborare debet. Uterque hic labor, oratio scilicet et actio, cuncta Ecclesiae afficit membra, praesertim vero ea quae, ipsamet sui ratione (parentes, educatores, institutionum pro adulescentulis rectores) cum subiectis ad sacerdotium idoneis intima utuntur consuetudine, ac speciali urget modo, cum de sacerdotibus agitur. Et ipsa ac sola Ecclesia auctoritate pollet ad statuendum quis sit tanto vocationis munere donatus: « Vocari a Deo dicuntur qui a legitimis Ecclesiae ministris vocantur ».[7] Huiusmodi dumtaxat auctoritas per Episcopum est prudenter exercenda, ne manus cito cuiquam imponantur,[8] prae oculis semper habendo exinde formidandum gravissimumque onus in Ordinarios cadere, « utpote ad quos pertineat tum munus ultimum faciendi iudicium de divinae electionis indiciis in sacrorum Ordinum candidatis, tum ius pertineat eos ad sacerdotium vocandi, atque adeo ratam habendi coram Ecclesia efficacemque reddendi divinam ad sacerdotium vocationem, quae in iuvenibus pedetemptim ad maturitatem venit ».[9]

4. Haec Dei vocatio, per Ecclesiam et in Ecclesiae servitium, ad hominem usque pervenit, fitque ipsi personalis quaedam vocatio, quae in ima conscientiae dirigitur, quaeque ipsius existentiam, non in iis tantum quae sunt ad extra, sed et in illis quae ipsi sunt intimiora, penitus mutat, adeo ut vocatus re quidem vera novus evadat homo. Ut homo vocationi huic respondere queat, psychologica potiri debet capacitate ad id perficiendum: ad vocationem percipiendam, ad rectam intentionem in responsione, scilicet, manifestam et firmam voluntatem « qua quis in divinum famulatum se totum dedere exoptet ».[10]

---

[1] *1 Cor.* 12, 4-8.
[2] *Hebr.* 5, 1.
[3] Cf. *Summi Dei Verbum.*
[4] *Io.* 15, 16.
[5] *Hebr.* 5, 4.
[6] *Mt.* 9, 38.
[7] *Cath. Conc. Trid.* P. III, de Ordine, 3
[8] *1 Tim.* 5, 22.
[9] Cf. *Summi Dei Verbum.*
[10] Cf. *Summi Dei Verbum.*

5. Dynamica cum sit gratiae vocationis indoles, in pueritia, in adolescentia, in prima iuventute, immo matura in aetate, quaedam ipsius iam possunt apparere indicia (germina vocationis), minime autem ipsamet proprie dicta vocatio. Ecclesia vero, cuius in sinu haec perficitur vocatio, ineluctabili tenetur officio huiusmodi indicia captandi, eaque patefaciendi, iuxta suam traditionalem doctrinam atque opportunis quibuslibet mediis adhibitis.

Medium suapte natura efficax ad vocationes sacerdotales suscitandas atque colendas est exemplum sacerdotis sacerdotium suum serio et integre viventis, necnon communitatis sacerdotalis efficaciter cum Episcopo adlaborantis. Cuncti enim sacerdotes « adulescentibus praesertim, quibus familiariter utantur, et in quibus divinae vocationis indicia animadverterint, optima exempla praebeant, quae imitentur ».[11]

Cap. II. *De formatione sacerdotali.* A. *Stadia sacerdotalis efformationis.* 6. Cum vocatio sacerdotalis indole dynamica, vitali sit praedita, et « pedetemptim ad maturitatem » veniat,[12] in eiusdem evolutione duo discerni possunt stadia: id quod ad lentam refertur maturationem eorum germinum vocationis, quae in qualibet dari possunt aetate; ac illud in quo, cum ea germina iam vigorem ac certitudinem sint adepta, de proprie dicta vocatione iuxta criteria ab Ecclesia per saecula usitata sermo iam fieri potest ac ideo, cum admissio ad sacros ordines moraliter sit certa, necessarium ducitur ut iis qui vocati sunt, formatio specifice sacerdotalis impendatur.

7. Utrumque stadium et attentionem mentis et speciales promeretur curas ex parte Ecclesiae. In primo priorem obtinere debebit locum cultus illius humanae ac christianae maturitatis, quae ferax evenit solum ubi germen vocationis fructum tandem afferat. In altero vero quaerenda erit conformatio eorum, qui sunt candidati, cum Christo sacerdote, ne vacua evadant et inania verba illa quae ad ipsos in ordinatione Episcopus alloquetur: « Agnoscite quod agitis; imitamini quod tractatis ».[13]

B. *De formatione remota seu de vocatione colenda.* 8. Ut autem vocationis germina nullatenus exstent infecunda, necessarius est eorum cultus, qui quidem alius et alius erit pro locis et indole cuiusque diversa (aetate, statu sociali, litterarum eruditione). Ad ecclesiasticam spectabit auctoritatem statuere quae instituta aptiora sint locorum adiunctis, quae tam diversa in diversis Ecclesiae sunt regionibus.

9. Nihilominus, data etiam huiusmodi providentiali adiunctorum diversitate, praesignari possunt tamquam fines in quacumque plena formatione necessario attingendi: maturitas psychologica, quae ostenditur in quadam personalitatis affectivae stabilitate, necnon in capacitate adaptationis ad diversa commercii humani adiuncta; facultas iam patefacta capiendi et sustinendi rationabiles decisiones, et « responsabilitas » in laboribus constanter peractis probata; capacitas intellectus ad problemata sui temporis iudicanda; maturitas vitae christianae qua possint occurrere in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi; ita, ut iam non sint parvuli fluctuantes neque circumferantur omni vento doctrinae.[14] Tales denique

---

[11] Cf. *Menti Nostrae.*
[12] Cf. *Summi Dei Verbum.*
[13] Cf. *Rit. Ordin.*
[14] Cf. *Eph.* 4.

sint christiani, ut semper parati inveniantur ad satisfactionem omni poscenti eos rationem de ea, quae in illis est, spe.[15]

10. In cultu illorum vocationis germinum, quae in infantia et adolescentia percipiuntur, nullatenus est abiicienda in pueri educatione familiae participatio. Prae oculis insuper habeatur « Seminariorum alumnos, qui primis disciplinis instituantur, nonnisi adulescentulos esse a nativa suae domus humo separatos. Res igitur ipsa postulat ut, quam pueri in Seminariis vitam ducant, cum communi omnium puerorum vita, quantum potest, congruat ».[16]

11. Neque vero tamquam noxium est praetermittendum, in iuvenili aetate, commercium quoddam cum diversis societatis civilis aspectibus, etenim si « iuvenes — qui praesertim a teneris in sacra seminaria fuerint recepti — in locis educentur ab hominum societate paulo nimium seiunctis, ii profecto, cum in publicum prodibunt, haud ex facili sive cum minuta plebe sive cum litteratis hominibus commercium habebunt, fietque eis plurimum, ut aut inconsiderate cum christiano populo se gerant, aut, quam acceperint institutionem, secus existiment ».[17]

12. Omnino necesse est ut « litterarum doctrinarumque studiis ii qui futuri sunt sacerdotes iis nihil saltem cedant qui e laicis iuvenibus paris sint disciplinae auditores ».[18] Ideo, igitur animus erit praecipue intendendus ad recentiorem humanismum technico-scientificum, qui commune humanitatis evenit patrimonium, neque unquam imbuendi erunt alumni exclusivo modo in certo eruditionis humanae typo, adeo ut aut incapaces, aut difficultate serio praepediti evadant ad alias eruditionis formas nobiles ac legitimas percipiendas.

C. *De formatione stricte sacerdotali.* 13. Prius quam in Ecclesiae servitium suam adeat missionem is, qui ad sacerdotium vocatur, sedulo sese praeparare debet, intima utens consuetudine Christi, et per studium Verbi Dei, et per personale cum Ipso commercium in oratione et percrebra sacramentorum receptione. Simili modo, ut Sacra Scriptura nos docet, ii qui olim a Deo vocabantur se parare solebant in solitudine et oratione ut capaces redderentur ad missionem rite perficiendam.

14. Tempore hoc, candidato est adipiscenda harmonica quaedam synthesis et mentis et doctrinae Ecclesiae, qua capax eveniat ad suum futurum ministerium magistri, liturgi, pastoris.

15. Necessaria plane censetur vita communis, qua candidatus ad sacerdotium, qui in hominum servitium destinatur, acquirat et sensum subiectionis auctoritati a Deo constitutae et sensum fraternitatis ac servitii erga fratres. Communis haec vita erit etiam aptum instrumentum paedagogicum, ut qui adiutor Episcopi eique subditus erit et communitatis sacerdotalis activum membrum, rite efformetur.

16. Ut culmen formationis sacerdotalis attingat, et antequam vinculatione canonica definitive adstringatur, candidatus ad sacerdotium apostolatum exercere debebit ad tempus in adiunctis perquam similibus illis sui futuri sacerdotii quod quidem praeterea inserviet ut certitudinem de idoneitate acquirant et illi qui in ordinatione partes habebunt et ipse candidatus.

---

[15] *1 Pt.* 3, 15.
[16] Cf. *Menti Nostrae.*
[17] Cf. *Menti Nostrae.*
[18] Cf. *Menti Nostrae.*

17. Opus futuros sacerdotes efformandi credendum est sacerdotibus virtute praeditis, qui tanto huic labori serio operam dent, quique ad ipsum sint specifice parati; quod dicendum est tam de iis qui muneri docendi incumbant, quam de illis qui alumnos dirigant, ita quidem ut una simul, superiori ductu rectoris, adlaborent, conscii personalis et collectivae obligationis seu « responsabilitatis », quae omnes et singulos afficit, quippe cum diversa illa munera unum tantum spectent, formationem scilicet integram futuri sacerdotis. Licet huiusmodi opus sacerdotibus tradatur perficiendum, nulla tamen sit difficultas in laicis vere peritis et apprime christianis arcessendis, ut partes in tanto opere habeant.

18. Superiores, qui domibus formationis praesunt, candidatum conabuntur adiuvare in recta intentione firmiter stabilienda, praecipuam curam habentes de necessariis conditionibus creandis ut personalis decisio et libere et rationabiliter detur, sicut in religiosis rebus expedit, atque enitentes ut omnis species coactionis, quantum fieri possit, repellatur. « Quodsi quis alumnorum, utilem licet Ecclesiae operam ostendens, e seminario nihilo minus cederet, hoc non esset omnino dolendum; quandoquidem is, rectam viam ingressus, beneficiorum in seminario acceptorum non recordari non posset, nec ad laicorum hominum alacritatem multum suae alacritatis non adiicere ».[19]

19. Candidatus antequam periodum formationis stricte sacerdotalis incipiat, haec habere debet: imprimis maturitatem vitae christianae, qua fiat capax sensum divinae vocationis percipiendi, necnon ea quae talis ex se vocatio exigat; dein maturitatem etiam in psychologica evolutione, qua aptus eveniat ad personaliter capiendam illam tantam decisionem quae suam ipsius vitam penitus adstringit, sive quoad temporis spatium, sive quoad profunditatem sensus; postremo statum libertatis socialis, in quo magna cum facilitate talis decisio prorsus libera esse possit, ad quod maxime oporteret ut aut officium aut liberalem professionem candidatus possideret.

65

EXC.MUS P. D. RENATUS PAILLOUX

Episcopus Arcis Rosebery

Ad n. 11, linn. 14-26. Quod ad seminaria, sive minora sive maiora, attinet, alumnorum institutio ita ordinanda est ut *persuasioni personali,* magis quam coarctioni, locus tribuatur.

Sic optandum est ut, quantum fieri potest, gregarius modus repellatur, quo alumni omnes omnibus *spiritualibus exercitiis* semper et collective interesse debent. Hoc pertinet, v. g., ad quotidianam meditationem in maioribus seminariis, necnon ad Missam diebus ferialibus in minoribus seminariis attendendam. Nobis videtur necessarium esse ut aliquae regulae in omnibus institutionibus fiant ut maius momentum conscientiae personalis efformationi hac in materia tribuatur. Etenim, si id obiectum, durantibus formationis annis, attingi posset, maior spes evaderet futurae perseverantiae sacerdotum in spiritualium exercitiorum praxi.

Idem dici potest de *regulari sacramenti Poenitentiae receptione* in omnibus seminariis, sive minoribus sive maioribus. Experientia enim constat quod nonnulli

---

[19] Cf. *Menti Nostrae.*

sacerdotes pastorali ministerio undique pressi ad receptionem sacramenti Poenitentiae ad longum tempus protrahendam, non sine gravi periculo animae fervoris amittendae, adducuntur. Hac in re, personalis persuasio requiritur, quae habitualiter, non ex coarctione, sed ex recta conscientiae habitudine oritur. Itaque, dum necessarium sit in omnibus seminariis aliquod systema habere quo cognosci possit utrum alumni ad Sacram Synaxim regulariter accedant, tamen methodos indiscriminatae inquisitionis certo vitare oportet.

Ad n. 15. Una cum moralibus qualitatibus quae hoc numero enumerantur, valde iuvaret si de *sinceritate* et *generositate* mentio fieret. Experientia enim constat quam difficile sit ad sacerdotium hos alumnos perducere qui mentes suas fere numquam sive confessario sive spirituali directori aperiunt, vel qui ad ardua quaecumque, sive in materialibus sive in spiritualibus rebus, se trahere habitualiter recusant. Qui enim mollem vitam quaerunt signis realis vocationis indigent et ad asperitates vitae sacerdotalis impares sunt.

Ad n. 17, linn. 34-39: Perutile foret si de hoc *impensiori tirocinio spirituali,* de quo hic agitur, longior sermo haberetur.

Ad n. 24: Valde placent quae de *apostolatus arte* etiam *practice,* iam durante studiorum curriculo, addiscenda hic dicuntur.

a) Ad seminaria maiora quod attinet, nobis videtur necessarium esse ut curricula ita recognoscantur ut, ad instar magistrorum collegiorum, vulgo Teacher Training Colleges, alumni periodos ad plures hebdomadas, statutis intervallis, habeant, quibus durantibus ad praxim artis pastoralis, sub moderamine peritorum sacerdotum, reapse se exerceant.

Vanum enim est, et etiam periculosum, praxim pastoralem usque ad ultimum clericalis formationis annum postponere. Ad instar omnium artium, pastorale opus gradatim et sub supervisione discendum est. Quod si fiat, zelus gradatim aedificatur et vera atque perseverans affectio pro sacerdotali vocatione et missione in alumnis efformatur. Insuper, alumni ad superanda pericula moralia, quae cum pastorali actuositate sunt coniuncta, gradatim et quasi inscienter praeparantur.

b) Etiam in seminariis minoribus, periodi habeantur ad Catholicae Actionis actuositatem peragendam, quae cum aetate et capacitate alumnorum conveniant.

66

EXC.MUS P. D. THOMAS LEO PARKER
Episcopus Northantoniensis

Most of this has already been issued to the Bishops by the Sacred Congregation of Seminaries, and hardly needs so much place in a General Council, especially the two Appendices.

67

EXC.MUS P. D. ALOISIUS PIRELLI
Episcopus tit. Lysiadensis

Ut quasdam observationes meas tempore in epistula 30 aprilis praescripto, i. e. intra iulium mensem mittam, veniam peto si quaedam « de alumnis formandis » italice potiusquam latine exaro.

I - Lo schema *de sacrorum alumnis formandis* mi sembra troppo compendioso, data la sua importanza. Sta alla base di tutti gli altri e, conseguentemente, di tutti i lavori del Concilio.

Opportunissimo a pag. 14, n. 23, l'indirizzo pastorale degli studi. Sono mezzi al fine e sono specificati dal fine. Ciò era detto nel vecchio Ordinamento dei Seminari, ma in certi Seminari Regionali pareva eresia l'accennarlo. Al riguardo mi si permetta ricordare quanto ebbi a scrivere circa 20 anni fa nel mio *In sortem Domini vocatis,* pp. 299-301.

II - Si seguano (Append. I, II) *attentamente* i *seminari minori,* preziosissimi, degni di ogni miglior cura ed assistenza da parte dei sacerdoti ottimi e ben preparati alle esigenze del delicato ufficio. Se non ci sono in diocesi, si cerchino altrove: la Chiesa è cattolica e bisogna guardare al bene degli alunni e della diocesi, prima che alla convenienza.

III - Si insista sulla *natura* e il *fine* specifico pur dei piccoli seminari, secondo le chiare e decise norme della « Officiorum omnium » del 1° agosto 1922 di Pio XI. L'andamento dell'Istituto dipende da questo.

IV - Si insista — cosa, purtroppo, ben rara — nei seminari minori sulla « formazione dell'*uomo onesto,* del *galantuomo* », innanzitutto.

Non risulta che resistino o facciano onore edifici senza fondamento.

V - Append. I, II, 7. Come l'ideale, così l'ossatura delle virtù sacerdotali è e resta, senza possibilità d'attenuazioni, quella che fu.

E i nostri metodi educativi non han bisogno di grandi rivoluzioni, ma solo di evolversi con saggezza per giustamente comprendere a fondo le *attuali esigenze dei giovani,* e col divino aiuto, lavorarli consapevolmente e *concordemente* con perfetta aderenza di metodo al loro *sustrato psicologico* che non è difficile identificare e che esula dal caso illustrare.

Append. I, II, 8. Ad evitare il brusco, deleterio passaggio dalla vita chiusa del seminario a quella esposta del mondo, necessita una preparazione di resistenza e di progressivo esercizio.

Vi contribuiscono opportunamente, specie per *seminaristi di teologia, le vacanze estive.* Ben organizzate da Superiori, d'intesa col Vescovo, costituiscono un periodo di prova definitiva, di allenamento alle diverse forme di odierno apostolato, un tempo propizio per mettere i giovani aspiranti in graduale contatto con la vita sacerdotale nel mondo: pur a questo vaglio si distinguerà il buon frumento, destinato a diventare il candido pane di Cristo da « mangiarsi » per la comune salvezza, dalla vuota paglia non atta a nutrire e infeconda di frutti.

Append. I, III, 3. La S. Congr. dei Semin., per quanto non mai ufficialmente pubblicato, stese e fece conoscere anni fa un ordinamento circa la *castità,* con norme tassative per l'età, la classe, ecc.

Osservo semplicemente che nessuna virtù è, come questa, *personale,* perché nessuna è, come questa, legata al temperamento particolare di ognuno. Non possono quindi stilizzarsi di essa *rigidi precetti generali,* né determinarla con la classe di studio o l'età.

Ma il giudizio che la riguarda, come elemento di vocazione, dovrà concludersi con quello di tutta la personalità.

Va da sé che la castità va presentata ai giovani non tanto negativamente,

ma sotto i grandi aspetti positivi e alla luce degli insegnamenti del dogma, per dare forti e profonde convinzioni al riguardo.

Append. I, III, 4. I Direttori di spirito, come pure i Rettori, devono essere più perspicaci e sereni che mai nel valutare la portata di certe *crisi,* in cui si risolve facilmente, più che in passato, la mobilità intima, la maggior incostanza dei giovani, frutto del più vivo dinamismo derivato dalla rapidità della vita moderna. Non s'impressionino facilmente per non finire di comunicare anche ai diretti la loro impressionabilità e mettere in discussione la vocazione ad ogni oscillazione di cuore.

Piuttosto più si coltivi razionalmente anche il *sentimento* dei giovani — un po' la cenerentola dell'educazione seminaristica — e la bellezza dell'ideale sacerdotale, oltreché all'intelligenza, si faccia brillare anche ad esso.

Non poche vocazioni si perdono per crisi di sentimento, perché, mentre gli ideali del mondo s'accendono di mille colori innanzi agli occhi del seminarista, attraverso la propaganda che ne fanno tutti gli incantesimi dell'arte, della moda, dello spettacolo, della letteratura, ecc., gli ideali stupendi del sacerdozio vengono solitamente ad esso presentati solo dal punto di vista delle rinunzie, senza il compenso degli altri aspetti positivi e delle sublimazioni della grazia, senza la luce vivida della pur sublime poesia del sacerdozio.

Si ha paura di generare una pietà sentimentale, ma in realtà si trascura di far leva su una di più potenti forze di giovinezza, lasciando questo settore dell'anima giovanile indifeso contro le invadenze della mondanità.

Questione di prospettiva; ma tutti sanno quanto sia importante questo canone artistico nell'arte delicata ed ardua della educazione. Di qui certi crolli e certe deviazioni che meravigliano gli stessi educatori che credevano di poter contare su giovani fondamentalmente buoni e ben dotati.

La visione degli altri ideali all'intelligenza e al sentimento terrà sempre accesa la fiamma degli entusiasmi giovanili.

E centri polarizzatori ne potrebbero essere la devozione amorosa ai Cuori SS. di Gesù e di Maria e l'apostolato per le anime, sostenuti però da cooperazione intima ed ardente di tutti i superiori e maestri. S'incanalerebbero anche quelle esuberanze dell'irrazionalismo odierno che, volere o no, invadono anche le animé dei nostri giovani, figli del loro tempo.

Append. I, III, 8. Le esercitazioni pastorali, specie catechistiche, sono così utili ed importanti che van sostenute anche contro il parere contrario di qualche Vescovo.

Il bene di tutti deve prevalere sulla assai discutibile mentalità di qualcuno.

68

EXC.MUS P. D. ROBERTUS POBOŽNÝ

Episcopus tit. Neilenus, adm. ap. Rosnaviensis

Velit s. Synodus in dicto schemate cap. IV, *de studiorum ratione* sub 19 lin. 28, inculcare magis « latinae linguae cognitionem » eo sensu, ut ista cognitio specialiter definiatur attributis, ut sit ista cognitio exculta et exacta atque linea ista sonet emendata: « in primis eam latinae linguae excultam et exactam cogni-

tionem, ut sacrorum alumni conversari, saltem aliqualiter, sciant, qua... » etc. ut in textu legitur. Causae sunt:

Lingua latina est nostra liturgica lingua, in ritu latino principaliter. Hac lingua oramus nos latini Officium Divinum (can. 135 C.I.C.), Missae Sacrificium eadem lingua immolamus (can. 819 C.I.C.), qua de causa iure meritoque eucharistica nuncupatur. Constitutio s. Synodi de sacra liturgia quidem admittit iam usum linguarum vernacularum in ritu latino, sed minime tollit eam linguam, immo in hac constitutione cognitionem eius iuste urget.

Latina lingua est nostra officialis lingua in Ecclesia. Sed parum dixi: est enim nostra materna lingua in Sancta Matre Ecclesia. Non possumus sat sufficienter grates Deo optimo rependere: haec lingua quam faciles et dulces facit nostras congregationes in ipsa s. Synodo. F. m. Ioannes XXIII statuit linguam latinam habendam esse officialem in s. Synodo, quam sententiam immutatam firmiter tenet eius successor in cathedra S. Petri, S. S. D. Paulus VI et verbis et exemplo.

Sequelae tristes sunt, si sacerdotes non callent linguam eucharisticam. Quomodo orant Officium Divinum? Est quidem iam expediens in Constitutione de s. Liturgia. Sed in genere hoc expediens minus iuvat, nam Breviarium quot in linguis est translatum in linguam vernaculam? Non in multis. Parvae nationes possibilitatem transferendi et edendi in lingua nationali haud habent. Hic favor legis tangit magnas nationes, sed non parvas, et praesertim in Africa, Asia. Sacerdos ignarus linguae latinae non libenter orat Breviarium tota vita; decidit in peccata, quia liber liturgicus, qua usus orare debet, est latina lingua exaratus. Quo animo litatur Missae Sacrificium? Quot peccata oriuntur exinde, ex perfunctorie litatis Sacris ob nescientiam linguae latinae.

Nostro aevo nationalismus exaggerat fere pagana in adoratione linguam nationalem. Immoderatus cultus linguae propriae in nationalismo extollitur, qui est carcinoma huius aevi et fuit fons tot infelicitatis, maestitiae et doloris. Quae aegritudo spiritualis aliquam medicinam habet, si lingua latina urgetur apud iuniorem clerum, futuros altaris Domini servos.

Decadentia linguae latinae deprehenditur ob nimium cultum linguarum nationalium in nostris theologicis facultatibus, seminariis, in literatura theologica, in administratione ecclesiastica.

Acsi mortua esset lingua latina? Et non est mortua, sed dixerim eam magis vivam, quam alias linguas vivas parvarum gentium terrae: nam hac lingua utuntur plures numerice homines, non solum ecclesiastici ritus latini. Sic literatura medicorum est testis, in quo gradu sit ab eis aestimata lingua latina. Neolatinitatis nomine venit ista tendentia modernorum doctorum, qui favent linguae latinae. Periodici libelli « Latinitas » Romae eduntur; medici in Gallia menstruos habent libellos latinos. Et alia exempla possunt afferri.

Non possumus expectare cultum linguae latinae a scholis moderni aevi arti technicae dedicati. In disciplinis scholaribus hic et nunc non obligatoria, tantum facultativa est lingua latina. Causae huius studiorum rationis non sunt hic elucubrandae.

Lingua latina est non tantum magnum bonum classicitatis humanae culturae, sed magnam affert utilitatem Ecclesiae in tota terra, ita ut necessitatem cognoscendi latinam linguam exacte urgeat ipsa Ecclesia. Non esperanto, non

volapuque, non aliae linguae artificiosae, sed nostra latina lingua est magis aestimanda.

Cuius aestimationis signum erit haec monitio praefata in emendatione commendata: « in primis eam linguae latinae excultam et exactam cognitionem, ut sacrorum alumni ea lingua saltem aliqualiter conversari sciant... ».

69

EXC.MUS P. D. ERNESTUS PRIMEAU
Episcopus Manchesteriensis

1. The Council should not attempt to produce a detailed program in this matter; it should rather lay down broad principles and clear directives whereby a post-Conciliar Commission chosen from among the bishops of the world could orientate its discussions and decisions.

2. The Council should grant the National Conferences of Bishops a definite freedom of action in the formation of seminarians, so that as priests they can face up to precise local conditions.

3. The schema must have a truly pastoral and apostolic orientation with insistence on experimental formation.

4. Contained therein must be a clear cut doctrinal explanation of what constitutes a sacerdotal vocation and by what signs it may be recognized.

5. We must give more study to the natural formation of our seminarians: What is the actual condition or state of our modern youth? How long a time must we allow for maturity? The part played by the natural virtues in the development of their characters. Their attitudes to the laity—Catholic and non-Catholic.

6. In discussing the intellectual formation of seminarians we must find the means of harmonizing their formal education with the intellectual milieu in which they will work.

7. The apostolic nature of the priesthood must be emphasized. Here, too, we must rethink and reshape the formation of our seminary directors and professors. They must develop a more realistic concept—one that is proper to the adult world of today—of the sacerdotal virtues of prudence, obedience, chastity and poverty. The modern context in which these virtues is now practiced is so changed that we need a reformation of the teaching of these traditional virtues.

70

EXC.MUS P. D. IOANNES B. PRZYKLENK
Episcopus Januariensis

Lamentor, quod schema in se bonum et solidum (licet non adeo necessarium, cum nihil novi afferat, sed potius compilationem visionemque unitariam praebeat eorum quae saeculorum post Tridentinum experientia et praesertim ultimi Romani Pontifices hac de re docuerint), textibus, ut dictum, pontificiis quam maxime inspiratum, ne unam quidem habet notam ad huiusmodi documenta facientem.

Quod sane post Concilium omnibus ad Constitutionem explicandam adstrictis adiumento esset.

In constitutione definitiva, si eam expedire iuvet ac libeat, aliqua saltem documenta eaque principaliora tamquam fontes quorundam textuum concretorum indicare non dedecet.

Ad n. 9, linn. 23 ss., pag. 8. Ut etiam rector episcopi auctoritati in contextu obnoxius appareat, textum emendarem. « Omnes vero moderatores et magistri, sub rectoris ductu, in quo, episcopi auctoritate huic et illis praeeunte, regiminis unitas innititur... ».

71

REV.MUS P. D. EDUARDUS GABRIEL QUINT

Praefectus apostolicus Veihaiveiensis

On a fait grand écho dans les journaux aux critiques de la Curie proposés dans les Congrégations générales. Pourtant, quand on voyage et on entend des échos, soit par des laics, soit par des prêtres, concernant la mentalité de prêtres, on est douloureusement affecté et on se demande comment on en est venu là. Quelques exemples: Deux vicaires disent à leur Curé: pourquoi Rome nous impose-t-elle le célibat et nous enlève notre liberté? Quand le Curé tâche de les rasonner et de donner les preuves du pourquoi du célibat et son bien fondé dans l'Eglise ils lui répondent: Vous êtes trop vieux, vous n'y comprenez rien. Un autre prêtre ose lancer dans le public dans une Revue l'assertion suivante: le fait que 1000 prêtres n'observent pas les engagements du célibat, suffit pour abroger le célibat. Un autre de dire: Si Rome et le Concile ne donne pas suite à ce que nous demandons comme réforme dans la liturgie, il y aura un schisme. Tel Supérieur de Séminaire donne sa démission, car il ne peut plus les mâter, ils sont effrontés à son égard.

Il y a le fait, que depuis tant d'années, il n'y avait plus de manuels de théologie et de moral dans les séminaires. Le Professeur donnait ses cours. Tel Professeur me dit: il n'y a plus de différence entre les livres d'exégèse protestants et catholiques.

A la vue d'un tel état de chose, je me demande comment on en est arrivé là? Pour être moderne, à la page, est-il nécessaire pour autant de balancer tout ce qu'il y a de solide, de fondamental, la vie intérieure profonde?

Que doit sortir d'un tel clergé? Que peuvent apprendre les laïcs, surtout les militants, de tels prêtres? Ne faut-il pas commencer la réforme de l'Eglise avant tout dans le rang du clergé et des Religieux? Certes, on fait beaucoup de réunions, nationales et internationales. On parle de la psychologie, des tests, de milieu social etc. mais la vie chrétienne, vécue avec joie en fils de Dieu, dans le moment tout concret de la vie, chacun dans son état, l'a-t-on saisie? La fidélité par amour aux prescriptions d'un règlement dans une maison d'éducation, ose-t-on encore le leur dire ou bien croit-on que c'est démodé? Les responsables dans les Congrégations Romaines, et leurs aides, se déplacent-ils assez à l'étranger pour voir sur place et tâter pour ainsi dire le pouls de la vie de l'Eglise dans le monde? Indigne et humblement, j'ose pousser ce cri de mon cœur au spectacle de ce que nous constatons. Je prie pour que le Concile voie et agisse.

72

EXC.MUS P. D. PETRUS RAIMONDI
Episcopus Crotonensis

In prooemio schematis constitutionis *de sacrorum alumnis formandis,* pag. 5, lin. 5, non videtur posse affirmare « homines voluit sui sacerdotii participes qui triplex illud munus adimplerent »: sacerdotes etenim non habent munera prophetae et Regis.

73

EXC.MUS P. D. MAURITIUS RASPINI
Episcopus Oppidensis

Schema generaliter placet: quaedam tantum animadversiones exponere licebit, quae sunt:

1. Ad pag. 7, lin. 2, adiungatur « adhibito etiam testimonio periti medici de postulantis eiusque parentum valetudine psychophysica » et physica.
2. Ad pag. 8, lin. 11 illud « ... suprema lex est habenda » substituatur cum verbis: « tutior lex est habenda »; eo quod supremum iudicium spectat tantum ad Ordinarium dioecesanum.
3. Ad pag. 8, lin. 24, ante adverbium « fideliter » adiungatur aliud adverbium « semper ».
4. Ad pag. 12, lin. 7, post verbum « Instituta », adiungatur: « tantum ab auctoritate Ecclesiae adprobata » vel melius « de consensu loci Ordinarii ».
5. Ad pag. 16, post verba « pias consociationes », adiungatur: « ab Ordinario loci adprobatas ».

74

EXC.MUS P. D. LEONARDUS IOSEPH RAYMOND
Episcopus Allahabadensis

Per plus quam 100 annos adlaborabant missionarii cum omnibus viribus ad extendendum regnum Christi in India: eorum sacrificium et heroismus meruerunt admirationem totius mundi catholici. Sed quisnam est exitus totius istius laboris in India? Fere nihil. Certe quidam ingressi sunt ecclesiam, fere omnes aut ex gentibus incultis aut ex castis inferioribus. Ideoque in oculis classium cultarum in India, Ecclesia est obiectum contemptus, institutio despicabilis, apta ad congregandum gentes infimos, non vero strata superiora societatis Indianae. Nihilominus apud Hinduistas existit maxima reverentia pro Christo, pro sua persona, pro suo charactere, pro sua compassione et morali perfectione — Ecclesia autem, non ut creatio Christi accipitur sed ut creatio occidentalium, qui voluerunt in saeculis elapsis imponere eorum iugum in Oriente simulque eorum culturam.

Omnes Christiani in India igitur considerantur ut viri culturae occidentalis, imbuti spiritu alieno traditionibus indianis, etsi nati sint ex sanguine Indiano. Dicere christianum est pro Hinduistis dicere traditorem, quia nemo qui amat patriam suam Indianam, potest reiicere sapientiam et traditiones indianas. Iam-

vero praecise hanc sapientiam et has traditiones ignorant sacerdotes indiani; nedum ignorant nec volunt cognoscere illas, nam in cursu philosophiae et theologiae sicut habetur in nostris seminariis, seminaristae debent sequi rationem studiorum a Congregatione pro Seminariis institutam, ideoque imbuuntur spiritu contemptus pro omnibus quae sunt extra ambitum istius rationis studiorum. Conferentia Nationalis Episcoporum Indiae saepe urget necessitatem horum studiorum in nostris seminariis, sed rigida studiorum ratio non permittit realisationem huius mandati. Hinc hae disciplinae in schola non tractantur ut pars constitutiva formationis. Consequenter structura mentis sacerdotum indianorum, per 7 annos in seminario, transformatur in structuram occidentalem, scholasticam, omnino alienam mentalitati indianae. Propter hanc transformationem deest sacerdoti indiano lingua communis cum suis concivibus, in qua doctrina christiana potest intelligibiliter exprimi. Cultura indiana despicitur, religio indiana excluditur, sacerdos indianus quasi separatur a concivibus suis paganis, quorum mentalitatem, ideas religiosas, vitam quotidianam ignorat et despicit.

Quae cum ita sint, nihil mirum si Ecclesia facit nullum aut vix ullum progressum. Impraesentis, christiani numerantur vix 2% gentis in India. Revera, in istis 10 annis praeteritis, proportio catholicorum in tota India diminuta est. Ecclesia igitur non progreditur, sed de facto recessum facit. In missionibus ubi prima cura est extensio regni Christi, veritas haec non potest abscondi: in India Septemtrionali, ubi tota populatio attingit 200 milliones, catholici non numerantur 1 millio. Habent pagani appreciationem scholarum catholicarum; sunt quaedam millia alumnorum paganorum in scholis catholicis Indiae Septentrionalis; sed apud maximam partem populi indiani, Ecclesia aut ignoratur aut est obiectum contemptus.

Pro occidentalibus imbutis vero spiritu missionario, omnino naturale est assimilare Indiam hodiernam Europae saeculorum antiquiorum christianitatis. In his saeculis exierunt missionarii in magnam partem Europae ad convertendum gentes paganos cum insigni successu. Quare idem non accidit in India hodierna? Sed in Europa tribus erant plerumque barbari; certe cum aliquibus legibus et sociali organizatione, sed non cum systematibus philosophicis evolutis, religione evoluta, traditionibus intellectualibus quibus erant superbi, uti in India habetur. Ecclesia duravit per 2 millennaria: religio indiana per 4 millennaria. Nonobstantibus invasionibus, persecutionibus, proselytismo violentissimo per tot saecula, religio et traditiones in India vix mutantur. Contra talem apparatum, praedicatio Evangelii sicut in Europa primitiva habebatur, nihil valet; valet unice pro quibusdam pauperibus, propter beneficia materialia quae Ecclesia supplet; sed praecise propter haec beneficia, maxima pars populationis contemnit Ecclesiam, quae talibus methodis utitur ad augmentandum suum numerum.

Ideoque, in sacrorum alumnis in India formandis, alia methodus est omnino necessaria, si Ecclesia non in frustra deberet laborare. Studium philosophiae et theologiae traditionalis in Ecclesia est certe necessarium, sed hae disciplinae debent tractari in relatione ad systema philosophicum et religionem indianam. Requiritur etiam aliqua cognitio linguae sanskriticae. Sicut lingua latina est basis culturae in Europa, in India basis est lingua sanskritica. Sine admiratione et cognitione culturae indianae sacerdos indianus viam ad cor indianum non inveniet. Doctrina christiana debet praesentari non in terminis scholasticis quae ad mentalitatem indianam sunt repugnantes, sed in terminis qui recognoscunt conceptus indianos

philosophicos et qui olent habitus mentis Orientalis. Revera requiritur in India alius Thomas Aquinas ad excogitandum novam praesentationem doctrinae christianae ad captum populationis indianae.

Omnino necessaria est reorganisatio rationis studiorum pro alumnis in India formandis, ita ut possent sacerdotes indiani praedicare doctrinam catholicam modo acceptabili in India et allicere gentes excultos et membra castarum superiorum ad veritatem Christi.

Ad hunc scopum attingendum necessarium videtur quod episcopis detur potestas adaptandi formationem clericorum iuxta exigentias populorum, ad quos evengelizandos a Christo mittuntur.

75

Exc.mus P. D. IOANNES RIZZI

Archiepiscopus Rossanensis

Le significo che ho attentamente esaminato, anche insieme ad altri due degni ecclesiastici, i due schemi del Concilio elaborati dalla Commissione dei Seminari e degli studi e della Educazione Cattolica e a me pare che non ci siano osservazioni da fare nel complesso. Solo mi permetterei di fare notare due cose:

1) Che si ponga maggiore impegno a costituire e sviluppare e potenziare i *Seminari Diocesani,* come opera inerente e vitale per la diocesi, o, al più, — qualora ciò non sia possibile in modo assoluto — creare i *Seminari Interdiocesani,* tra le diocesi viciniori, evitando i seminari regionali, che non danno i frutti attesi nella formazione, nell'amore e nella dedizione dei sacerdoti al proprio vescovo e alla diocesi: sono di avviso che le diocesi devono essere aiutate ad avere i seminari al completo (non soltanto i minori).

2) Penso che potrà essere un benefico incentivo ad apprezzare il sacerdozio e a diffondere l'attrazione alla vocazione sacerdotale il benefico uso di tenere le sacre ordinazioni — di tutti gli ordini — nelle parrocchie degli stessi alunni del seminario ...

76

Exc.mus P. D. IOSEPH RUOTOLO

Episcopus Uxentinus - S. Mariae Leucadensis

De vocationibus tardioribus. Vox Domini moerore affecta: « Messis multa operarii autem pauci » nunc fere ubique, praesertim in locis missionum, diffunditur.

In nonnullis regionibus nunc est hora apta ad conversionem ethnicorum, sed desunt sacerdotes. Populi, qui nuper independentiam receperunt, libertatem concedunt religionis diffusioni, sed timent missionarios advenas et praeferunt sacerdotes indigenas, qui desunt vel sunt pauci et impares apostolatui in dies augenti.

Causae defectus vocationum sunt plures: *a*) maxima paupertas familiarum et ipsarum auctoritatum, quae ludus discendi etiam inferioris gradus non habent; *b*) difficultates vocationis curandae, quia raro familiae ad christianam religionem conversae visitantur ob dissita loca et viarum asperitates; *c*) corruptela morum, qua etiam iuvenes vitiantur et sanctitatis sacerdotalis consecutionem difficilem vel fere impossibilem putant.

Non desunt tamen qui in provectiore aetate ministerium sacerdotale pluris aestimant. Nam meditatio Evangelii, contactus frequentiores cum missionariis, vanitas voluptatum, timor Domini iudicii, vocationem sacerdotalem sub diversa et meliore specie repraesentant.

In nonnullis locis iam extant seminaria pro vocationibus tardioribus. Tamen ipsorum maxima pars sacerdotium non petunt vel ob difficultates studiorum vel potius ob vinculum matrimoniale ad quod saepe astringuntur.

Difficultates studiorum possunt vinci ipsum programma coercendo et disciplinae vigorem minuendo.

Difficultas matrimonii gravior extat et hodie impedimentum insuperabile constituit. Castitas perfecta Ecclesiae ministrorum certo fovet Dei et proximi amorem, aptiorem sacerdotem reddit ad conversationem cum Deo et ad regnum Christi in mundum diffundendum. Exemplum missionarii catholici, qui consilia evangelica sectatur, validum exemplum virtutum affert, vitae integritate praelucet in societate hodierna, quae plurimum rebus mundanis indulget ob speciosa argumenta.

Historia Ecclesiae catholicae gloriosa apparet ob plura exempla castitatis perfectae, strenue defensae usque ad effusionem sanguinis.

Tamen nonnullae exceptiones in casibus particularibus nullum detrimentum afferent et potius regulam confirmabunt. De cetero poterunt facultates restringi pro vocationibus tardioribus, valido coniugio permanente. Similes sacerdotes nullum officium in Ecclesiae gubernio haberent, sed tantum in Sacramentorum administratione et in verbi Dei praedicatione.

Hoc poterit verificari praesertim in locis missionum, ubi maior extat sacerdotum deficiens numerus.

Probabiliter neophytae, qui his exceptionibus gaudebunt, summo studio ad apostolatum vires et ipsam vitam dabunt post tot mala cognita in ethnicorum regionibus, magni existimabunt Ecclesiae catholicae maternam indulgentiam et exempla primorum Iesu Christi sectatorum sequentur in virtutum exercitio et in susceptis muneribus explendis.

Demum probabiliter hic modus novus agendi Ecclesiae Catholicae Oecumenismo favebit, auferendo fundamentum opinioni praeiudicatae nimii rigoris disciplinae ecclesiasticae.

Haec omnia humiliter Commissionibus expono, Beatam Virginem et Sanctum Ioseph adprecando pro felici Concilii Oecumenici Vaticani II exitu ad maiorem Dei gloriam et ad animarum bonum.

77

Exc.mus P. D. INNOCENTIUS ALFREDUS RUSSO

Episcopus tit. Pegaeus

Lo schema di questa costituzione è una chiara e completa sintesi di quanto potrà svolgersi in più ampi e particolareggiati direttori; e di quanto potranno trattare coloro che vorranno scrivere dell'argomento, così ricco di temi e di istanze.

Quanto alto, e santo e confortante, il principio evocato, che occuparsi con zelo, delle vocazioni ecclesiastiche, « Divinae Providentiae actioni respondet »!

E ciò, perché è proprio il Signore, che chiama: « aliquot homines ad Christi Sacerdotium participandum eligit » (I, n. 2).

E quanto autorevole, e augusta — a proposito dei motivi che debbono ispirare le esortazioni per il fiorire delle vocazioni sacerdotali: « inter peculiares vocationes eminet sacerdotalis vocatio, quae tum matrimonio christiano tum laicorum apostolatui singulariter praestat » (I, n. 4).

Segnalo, come interessante, la raccomandazione che nei seminari minori, gli alunni « vitam ducant quae cum communi omnium adolescentium vita quantum potest, congruat » (I, n. 6, pag. 7, lin. 10). E ciò, s'intende, mentre « virtutibus rectisque moribus solide pro eorum aetate instituantur » (*ibid.,* lin. 11).

Dettata da sapienti esperti, non poteva, questa costituzione, omettere il grande monito, che cioè, più che dalle leggi, la formazione degli alunni dipende dagli educatori; e perciò i moderatori e i maestri non solo debbono essere scelti fra i migliori, ma che siano « numero sufficientes, ab alienis officiis liberi, naturae et potissimum gratiae donis praediti » (II, 9).

Assicurata la scelta degli alunni chiamati al santuario, quale sarà il metodo da scegliere nella loro formazione? Il presente solenne documento illumina la via in modo deciso e autorevole. Non si orienti la nostra educazione ai sistemi di recenti speciosi errori, che minano ogni disciplina; « et rectae disciplinae doctrina inculcetur ». Quale sia questa aurea dottrina, è bene specificato. Non posso astenermi dal citare: « Firma vero disciplinae principia iuxta diversam alumnorum condicionem et aetatem apte et prudenter applicanda sunt ita ut alumni gradatim sibimetipsis moderari ac libertate sapienter uti addiscunt, crescat in eis actionum officiorumque suorum conscientia, opera ultro sponteque incipiendi congrua eis concedatur facultas » (II, 11).

Il cap. III, *De institutione spirituali,* è tutto da conservare, per il fervore, la prudenza, il metodo suggerito di progressiva intensità, i mezzi soprannaturali, fino alla esortazione di acquistare e fare acquistare quelle doti che giovano tanto per la efficace presenza del sacerdote nel secolo: « vitae integritas animique sinceritas ... in agendo urbanitas, in conversando comitas cum modestia et caritate etc. » (Passim e spec. n. 16).

Per gli studi, al C. IV, noto, con piacere, la proposta di una *Ratio studiorum* per le diverse nazioni, da approvarsi dalla Santa Sede (n. 18); e la raccomandazione che gli alunni, prima di avviarsi agli studi propriamente ecclesiastici, abbiano già completato il corso degli studi umanistici, per le esigenze stesse dell'apostolato (n. 19).

Anche nell'insegnamento della filosofia perenne, « secundum S. Thomae rationem, doctrinam et principia », è data una norma ampia, ricca di esperienza e di equilibrio (n. 21).

Così nell'insegnamento della S. Teologia, il cui studio attinge alla Sacra Scrittura, che « universae theologiae prope anima esse debet » (n. 22).

Buona la esortazione perché gli alunni conoscano bene e le comunità cristiane separate, e le altre religioni più diffuse nelle varie regioni, per lavorare meglio ad ottenere l'unità e a diffondere il Vangelo fra quanto non lo conoscono (n. 22, pag. 14, linn. 16-24). Cioè — tutto questo significa — gli studi ecclesiastici hanno una loro particolare indole pastorale (n. 23).

Opportuni i suggerimenti per il perfezionamento della formazione ecclesiastica dopo il seminario (C. V. nn. 25-27).

78

Exc.mus P. D. CAROLUS EDUARDUS SABOIA BANDEIRA DE MELLO
Episcopus Palmensis

Ad I, n. 3, post « ... vocationes foveant et tueantur » fortasse iuvat adiungere: « Tempore feriarum domi sollerter eos invigilent, ad suam domum advocent, cum eis conversationes nutriant; ad servitia varia in ecclesia et in domo paroeciali appellent, pericula contra vocationem eis patefaciant et vigilanter ab eis removeant, omniaque alia curent, quae vocationem eorum firmet ».

Ad III, n. 15. Pessimas insufflationes recipiunt seminaristae a sacerdotibus, qui criticas contra suos episcopos ante eos vel inter se pandunt, proprium episcopum et alios deridendo, praescripta Ecclesiae vel curiae parvipendendo, episcopo malas intentiones, sectarismum, superbiam, vanam gloriam, reactionismum attribuendo, narratus iocosos et offensivos (piada, Witz, badinage, pigolio) de eis loquendo; cum econtra coram episcopo praesente se humillimos et subiectissimos verbotenus declarare satagant. Intra qualitates magistrorum in seminariis omnino requirendum est, ut vero spiritu ecclesiastico erga suos episcopos imbuti sint. *Quapropter censeo* in aliquo loco schematis haec exigenda de habitudine rectorum, magistrorum, instructorum inserenda esse.

Ad IV, n. 19. Valde desiderandum, ut statuatur studiorum humaniorum curriculum uniforme in unaquaque regione vel natione. Stabilienda: horaria scholarum, elenchus materiarum docendarum, distributio horarum pro unaquaque materia, libri manuales qui adhibendi. Attamen cum elasticitate pro peculiaribus et locorum et dioecesium condicionibus.

79

Beat.mus P. D. MAXIMUS IV SAIGH
Patriarcha Antiochenus Melchitarum

1. N. 5, pag. 6, lin. 33: Après « singularum dioecesium atque nationum », ajouter: « ac rituum ». En effet, les mêmes raisons avancées valent aussi pour les rites au sein de l'Eglise universelle.

2. N. 19, pag. 12, lin. 28: « Imprimis eam latinae linguae... ». On propose de corriger comme suit: « Imprimis, in Ecclesia occidentali, eam latinae linguae... » et d'ajouter à la fin du numéro: « Praeterea optandum est ut ubique terrarum non negligetur studium linguae graecae quae est lingua Novi Testamenti et monumentorum antiquioris Traditionis Ecclesiae ».

Le grec reste la langue source non seulement des byzantins, mais aussi de tous les Orientaux et, pour la période primitive, de l'Eglise Occidentale elle-même. En outre, nous proposons d'ajouter: « Dans les Séminaires des rites orientaux, une place de choix sera réservée à l'étude de la langue liturgique propre, tant pour une meilleure célébration des offices liturgiques que pour une mise en valeur plus grande, au profit de l'Eglise universelle, du patrimoine laissé par les Pères et Ecrivains ecclésiastiques dans cette langue ».

3. N. 20, pag. 12, lin. 35: Supprimer: « cum vero philosophicus cursus theologico sit propaedeuticus ».

La philosophie n'est pas, dans tous les sens et uniquement, « ancilla theologiae ». La formule a trop fait tort à la valeur de la pensée philosophique pure dans l'Eglise, et à la formation philosophique dans les séminaires et universités catholiques: « Philosophie adaptée à la Théologie », dit-on.

4. N. 21, pag. 13, linn. 14-27: Pourquoi tenir toujours, surtout dans un document conciliaire, à cette distinction, sinon à cette opposition entre « philosophia perennis » et « philosophia moderna »? La philosophie, comme toute science, est *une.* A partir de données fondamentales, elle évolue, elle ne cesse de s'enrichir par des apports nouveaux, mettant davantage en lumière tel ou tel aspect de l'être. Pourquoi accorder à la pensée philosophique thomiste toute cette place dans l'Eglise? Elle fut un stade dans l'évolution de la pensée philosophique. C'est pourquoi, on propose une rédaction qui serait dans ce sens: « Une formulation philosophique, aussi solide que vaste, est nécessaire tant pour la culture, que pour une formation plus profonde à l'ensemble des disciplines ecclésiastiques, ainsi qu'à l'apologétique et à l'apostolat sacerdotal dans le monde moderne ».

5. N. 22, pag. 14, linn. 10-11: Supprimer: « S. Thoma magistro sicut de philosophia dictum est ». Dans l'Eglise il existe de droit et de fait plusieurs courants théologiques, sans préjudice de l'identité foncière du dogme; plusieurs manières d'exprimer humainement le même donné révélé. On ne peut lier la révélation divine, de soi universelle, à une pensée humaine, quels que soient son mérite et sa richesse, parce que solidaire elle-même d'une civilisation particulière.

6. N. 22, pag. 14, linn. 16-23: L'association dans un même paragraphe entre « Frères séparés » et « autres religions » est injurieuse pour les premiers.

On propose un paragraphe spécial pour les « Frères séparés », ainsi rédigé: « Une connaissance plus grande, dans la charité du Christ, de nos frères qui ne sont pas en communion avec le Siège de Rome, outre qu'elle nous enrichit des valeurs chrétiennes authentiques qu'ils portent, est à la base de toute estime et de toute action en vue de notre rencontre dans le Christ ».

Notes: 1. Dans ce Schéma devrait figurer un paragraphe sur la *formation du clergé marié,* encore en vigueur dans les rites orientaux. Quoique, depuis l'introduction de certaines réformes disciplinaires en Occident, surtout depuis le Concile de Trente, il répugne aux théologiens latins de parler de « clergé marié », l'institution traditionnelle de ce clergé en Orient est cependant une réalité canonique vivante, fort utile et que l'Orient dans son ensemble n'est pas disposé à abandonner. C'est pourquoi, un paragraphe sur la formation de ce clergé marié devrait figurer dans ce Schéma. Nous proposons qu'il soit ainsi rédigé: « En proclamant la supériorité du conseil évangélique de la chasteté parfaite et la pratique du célibat ecclésiastique, le Concile respecte la tradition des Eglises d'Orient relativement à la promotion aux Ordres sacrés d'hommes liés par le sacrement de mariage. Il ordonne en outre, que le plus grand soin soit apporté à leur recrutement et à leur formation sacerdotale, tant durant leur séjour dans les séminaires appropriés à leur condition, qu'après leur ordination, conformément aux Saints Canons en vigueur dans les dites Eglises ».

2. Nous pensons que le Schéma devrait davantage viser à faire donner une formation *virile* aux futurs prêtres. Dans l'Eglise, on a trop tendance à considérer les clercs comme d'éternels *mineurs,* comme de grands enfants qui ne peuvent prendre leurs responsabilités. Dans ce système, il y a évidemment des cas qui réussissent, mais dans beaucoup d'autres cas les résultats sont médiocres.

80

Rev.mus P. D. ALFONSUS SALVINI

Abbas generalis Congr. Vallis Umbrosae O.S.B.

In schemate *de sacrorum alumnis formandis* quaedam magis enucleanda videntur, cum ad normas in iure communi tum ad particulares instructiones facilius et apertius deducendas.

1. (Pag. 6, n. 35). Ad vocationes sacerdotales fovendas optimo iure commendatur parentum, magistrorum et parochorum cura; cum vero religiosae familiae sive virorum, sive mulierum non unam nanciscantur occasionem ad opus tam necessarium, peropportunum videtur aperte edicere et ipsis inesse grave officium optimas vocationes ecclesiasticas oratione et opere indefesse procurandi, praesertim pro illis dioecesibus, ubi sacerdotes instantius desiderantur. Si parochis et aliis cuiusque dioeceseos sacerdotibus opus est praestandum ad vocationes religiosas fovendas, pari iure et religiosi optimas vocationes sacerdotales pro dioecesi, cuius bonum omnibus mediis promovere debent, impense foveant, praesertim cum iam *ab initio vocationis indicia potius sacerdotalem tantum quam sacerdotalem simul et religiosam indolem futuram demonstrant.*

Etsi enim religiosa Instituta et numero et merito florescentia quam maxime ad Ecclesiam universam roborandam et decorandam conferant, attamen eorum progressus nullo modo seiungi potest ab incremento vocationum sacerdotalium pro dioecesibus.

2. (Pag. 7, n. 10). Dum laudatur Ecclesiae consuetudo instituendi secundum proprias leges in seminariis minoribus vel peculiaribus collegiis adulescentes qui spem vocationis afferunt, aperte dicitur: « Alumni in seminariis minoribus vitam ducant quae cum communi omnium adolescentium vita, quantum potest, congruat ».

Certe certius esset omnino damnosum formationem iuvenibus maturioris aetatis propriam et adolescentibus iam a primo in seminarium ingressu indiscriminatim tradere; attamen plene distinguendum est seminarium, ubi efformantur qui saltem spem vocationis sacerdotalis prae se ferunt, et collegium ubi tantum humana et christiana traditur formatio. Collegia recte ordinata bonis vocationibus favent; seminarium vero vocationis germina apte custodit et opportune perficit. Quapropter seminaria aliquid proprium habent, quod accurate servandum est. Si et in collegiis sedulo invigilandum est ne perniciosum naturalismum christianam formationem impediat, in seminariis non tantum naturalismum, sed et laicismum vitandum est, ita ut humana et christiana alumnorum efformatio iam aliquo modo contineat quae in pleniori formatione sacerdotali postea perficienda tradi solent. Haec germina formationis sacerdotalis aliquid peculiare secum ferunt in religiosa

disciplina, in ipsa spirituali institutione et in studiorum curriculo: ita sane ut in seminariis in ipsa humana et christiana formatione plus exigendum sit quam in collegiis.

3. (Pag. 8, n. 25). Cum agitur de seminariorum moderatoribus et magistris optime enumerantur qualitates quibus praediti esse debent, et quam opportune requiritur eorum in alumnis instituendis sedula et concors opera, sub episcopi auctoritate et rectoris ductu.

Quo efficacius huic concordi omnium operae consulatur, videtur esse decernendum, cuilibet personae reverentia posthabita, melius esse aliquem a tantae responsabilitatis officio exonerare, quam alumnorum plenam et solidam formationem impedire; nam, experientia teste, nihil tam contrarium optimae sacrorum alumnorum formationi quam moderatorum et magistrorum dissentiones, eo perniciosiores quo sub fucatae scientiae et virtutis nomine acrius defenduntur. In formatione scientifica, praesertim quibusdam in quaestionibus, liberae disceptationi nonnulla relinquenda sunt; at in spirituali institutione quam maxima requiritur concordia, qua alumni ita roborantur ut non solum in seminario, sed etiam in decursu vitae sacerdotalis coniunctos se sentiant « unum cor et unum spiritum habentes ». Si vero iam in seminario dissentionibus in vita spirituali et disciplinari quodammodo assueti fuerint, postea, multiplicatis divisionis argumentis et occasionibus, tacita conscientia quaslibet dissentiones legitimas habebunt.

4. (Pag. 8, n. 30). Cum enumerantur qualitates positivae sacrorum alumnorum, quibus eorum vocatio discernitur et comprobatur, dicitur esse inquirendum et de « congrua valetudine physica et psychica ». Etsi intime coniunctae, praesertim de valetudine psychica inquirendum est. Ex hac enim maxime pendet apta alumni formatio, et cum ista intime connectitur ipsa sacerdotalis vita spiritualis et in pastoralibus muniis aptitudo. Officiis sacerdotalibus non semper obstat infirmior valetudo physica; sed deficiente optima valetudine psychica, omnia, etsi recta intentione, pessumdantur.

5. (Pag. 10, n. 15). In delineanda alumnorum spirituali institutione optime indicatur totius vitae supernaturalis fons, nempe Eucharisticum Sacrificium, ex quo uti universi cultus sacri centro, tam pro seipsis, quam pro omni populo, aliquando sacerdotes vitam hauriant. At peropportune dicendum est cetera omnia pietatis officia, quoad quantitatem, qualitatem et ipsum horarium ita esse disponenda ut omnia ad Eucharisticum Sacrificium coordinentur, quod in seminariis revera habeatur et appareat ut centrum totius vitae. Praeterea pietatis exercitia alumni congrua methodo perficiant quam facilius, ut et sacerdotio aucti sequi valeant. Nimis damnosa evaderet methodus quae in munere pastorali difficulter continuari posset.

Quoad Officium Divinum non est superfluum notare alumnos plus discere ab exemplo sacerdotum quam ex optima schola institutionis spiritualis; quamobrem moderatores et seminariorum magistri factis eos edoceant Divinum Officium esse revera precationem horariam nomine Ecclesiae peragendam. Ideoque et ipsi communiter digne ac devote id aliquando persolvant, quo exemplo et ad arctiorem vitam communem alumnos allicient.

Quae vita communis, dum commendatur inter clericos iam sacro ministerio addictos, nequidem verbo indicatur quomodo amanda et fovenda in seminariis. Inibi ita omnia disponenda et perficienda sunt, ut communis vitae consuetudo

utilis et grata agnoscatur et sentiatur; quam proinde alumni tam aestiment et cupiant quasi ad illam parati iam ab initio vitae sacerdotalis, parentum et cognatorum consuetudinem minus aestimantes, ultro ac libenter inter se consocientur et vivant.

81

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS SATOSHI NAGAE

Episcopus Urawaensis

De structura et stylo schematis. 1. Natura et finis sacerdotii non mutantur, sed forma sub qua et modus quo ministerium sacerdotale exercetur, ad exigentias temporum locorumque accommodari possunt et debent. Ideo etiam institutio sacerdotalis in seminario necessitatibus apostolatus aptari debet. Ob mutatas vero circumstantias sociales, hodie in seminario iam non unice formandi sunt *ministri cultus* (qui, cum in societate christiana instituti fuerint, quodammodo hanc supponunt et plerumque tendunt ad christifideles firmandos et conservandos) sed maxime formandi sunt *apostoli,* qui « euntes in mundum » coram et inter homines hodiernos fidem praedicent et testificentur. Iamvero sacerdotes apostolatum navantes quandoque compelluntur ad adoptandas alias formas aliosque modos vivendi atque agendi, diversos ab illis hucusque inter ministros cultus usitatis. Proinde magna habetur necessitas alumnos instituendi per formationem spiritualem his exigentiis apostolatus aptatam. De cetero etiam ea quae in schematibus conciliariis *de Ecclesia, de Oecumenismo, de apostolatu laicorum* hinc inde affirmantur uti e. g. dialogus cum mundo, tolerantia, propinquitas et intima cooperatio cum laicis et alia similia, sunt totidem elementa quae magnum influxum in spiritualitatem sacerdotalem exercere possunt et vice versa. Quapropter necesse est ut alumni exerceantur et instituantur in formatione spirituali et etiam humana, quae apte respondeat his exigentiis. Moderatores seminariorum iure meritoque normas practicas hac de re exspectare videntur. Schema autem nostrum omnino silet de hac re.

2. In constitutione *de sacra Liturgia* et in schemate *de Ecclesia* vera et pulchra dicuntur de sacerdotibus tanquam cooperatoribus episcopi. Exinde patet quod sollicitudo vivendi et semper abundantius vivendi in unitate caritatis cum episcopo et cum confratribus in sacerdotio, totam sacerdotum vitam spiritualem pervadere et animare debet.

Vita sacerdotum communis, orationes communiter faciendae, studia et cursus communes, concelebrationes et similia quae, si possibile est praeside episcopo, cum confratribus simul unitis peragenda magnopere commendantur, hanc *spiritualitatem ecclesialem et communitariam* supponunt, significant et augent. Tota igitur formatio spiritualis in seminario danda ad hanc spiritualitatem moderari et dirigi oportet. In schemate autem nostro institutio spiritualis sub aspectu tantummodo individualistico praesentari videtur.

3. Vox « pastoralis » in schemate nostro frequentissime adhibita (pag. 7, 14, 15), a nonnullis theologiae cultoribus adhibetur ad significandam « curam animarum christianarum », in oppositione ad vocem « apostolatus » qua significari solet activitas acquirendi non-christianos. Ipsi textus schematis vocem « pastoralem » in dicto sensu strictiore adhibere videntur. Etenim:

a) ad naturam et munus boni pastoralis illustrandam, citantur inter verba Domini solum ea quae referuntur ad *oves proprias,* omissis quidem verbis quae ad *alias oves* referuntur (pag. 7, linn. 8-9);

b) fideles pastorali zelo ducendos esse dicitur (pag. 7, lin. 26).

(Hoc verissimum est; hic allegatur tantum ad ostendendam significationem voci « pastorali » in textu schematis attributam).

Si vero vox « pastoralis » tam saepe in schemate adhibita ita in sensu strictiore intelligenda sit, tunc periculum habetur quod tota formatio sive spiritualis sive intellectualis dirigatur principaliter ad formandos *pastores christianorum* et negligatur aspectus ministerii apostolicus et missionalis.

Quod si ita fiet, non respondet conditionibus Ecclesiae hodiernis neque naturae Ecclesiae missionali de qua tam saepe sermo factus est in aula Concilii circa schema *de Ecclesia.*

Aliunde mirum est schema nostrum ab initio tantummodo loqui de necessitatibus populi christiani (pag. 5, linn. 13-14), et prae oculis non habere necessitas populorum non-christianorum.

4. *Conclusio*: Quae cum ita sint, sequentia proponenda esse censeo. *a*) N. II - De formationis fine et seminariorum ordinatione; N. III - De institutione spirituali (pag. 7-9): ex integro recognoscendi sunt.

b) Si hoc non potest fieri saltem sequentia inserantur in pag. 11, in lin. 33, post verba « ... efficaciter curare debet ». « Cum exercitatio virtutum, qua praesertim formatio spiritualis instituitur, particularibus gentium, locorum temporumque adiunctis apto modo accommodari atque formatio spiritualis ipsa exigentiis apostolatus respondere debeat, opportunum est ut competens auctoritas ecclesiastica territorialis normas directivas pro adaptatione statuat ».

Rationes: Quoad adaptationem ad exigentias apostolatus iam supra dictum est. Quoad adaptationem virtutum sequentia notantur: virtutes quae in schemate afferuntur ut ab alumnis exercendae, ubique et omnibus sacerdotibus communes sunt. Attamen mensura necessitudinis et modus exercitationis virtutum differunt secundum generalem dispositionem populi illius et circumstantias sociales illius nationis ad quam alumni pertinent. Ita e. g. necessitas et exercitatio virtutis fidei diversa est pro alumnis recenter conversis de familia atque populo non-christiano et pro alumnis ortis de familia atque societate traditione christiana; exercitatio paupertatis differt secundum diversitatem modi vivendi populorum; virtutes naturales, inclinatio, debilitas animi etc. differunt secundum populos.

Observationes minores. a) In pag. 5, lin. 14, post verbum « populi » inseratur vox: « et Apostolatus Missionis ».

b) In pag. 6, linn. 21 et 22, omittantur « tum matrimonio christiano tum ». *Rationes*: 1) Quia locutio ambigua est: Etenim etsi verum sit vocationem sacerdotalem matrimonio christiano praeesse, attamen in contextu nostro ubi sermo habetur de peculiaribus vocationibus, huiusmodi affirmatio tanquam insinuare videtur primum per se excludere secundum (quod non est verum). 2) Cavendum etiam ne offendantur fratres Orientales apud quos sacerdotes in vita matrimoniali viventes legitime habentur.

c) Mirum est quod in toto schemate ulla habetur adnotatio.

82

EXC.MUS P. D. IOSEPH ASAJIRO SATOWAKI
Episcopus Kagoshimaensis

1. In Iaponia, quamvis seminarium maius fuerit evectum a Sancta Sede in pontificale, non magni habetur coram populo, nisi fuerit erectum iuxta normas a Gubernio statutas pro erectione Universitatis vel collegii. Consequenter, sacerdotes qui egrediuntur ex hoc seminario, ab initio habent difficultatem in activitate pastorali.

Praestat igitur statuere in fine n. 8 quod Ordinarii locorum vel superiores religiosi curent ut seminarium maius regionale vel interdioecesanum a Gubernio recognoscatur ut Universitas vel saltem collegium.

2. In terra missionis diversae congregationes religiosae erigunt proprium seminarium maius: melius eis esset mittere suos seminaristas in seminarium commune et suos professores in campum pastoralis.

83

EXC.MUS P. D. PAULUS LEO SEITZ
Episcopus Kontumensis

P. 5. Prooemium: on attendait une définition du Sacerdoce...

Lin. 4: « voluit » est insuffisant, dire: « instituit ».

Titre I: « de vocationibus ecclesiasticis » — pourquoi ce pluriel? (une fois de plus) — de plus: la vocation de tout chrétien est une vocation « ecclésiastique »; si on n'entend parler ici que de « vocation sacerdotale » qu'on le dise donc, sans continuer de traîner cette confusion « clérical-ecclésiastique ».

On attend une définition de la « vocation », appel de Dieu par la voix de l'Eglise et réponse de l'homme.

P. 6, § 5: d'une faiblesse navrante et d'un chosisme incorrigible. Le manque de prêtres n'est pas un motif; on pourrait chercher plus haut!

§ 6: le petit séminaire n'est pas une panacée; il serait peut-être temps d'avoir des vues moins conformistes. La vocation peut être entendue — et l'est de fait! — par des étudiants laïcs, par des hommes mûrs; insister ici sur le rôle des Aumôniers et la formation du laïcat.

§ 7 sqq.: ce qui est dit là risque de n'être que verbiage si l'on s'abstient de parler du Sacerdoce, et d'abord de la plénitude du sacerdoce en l'Evêque.

On énumère des éléments de formation des clercs en faisant totalement abstraction de la Grâce; cette tendance pélagienne est déroutante.

Il n'y a dans ces paragraphes rien que de conforme à l'état actuel des choses, qui demande cependant une réforme profonde.

P. 9, lin. 28: seule allusion, me semble-t-il, à l'Ordination.

Lin. 30: vivit vero in me Christus: c'est vrai de tout baptisé.

P. 10, lin. 36: oratio non est degustatio!

§ 15: simplicité: donc ne pas faire porter d'habit clérical avant les ordres sacrés (voire pour tout clerc, en dehors des rites sacrés).

« hédonisme »: comme s'il en était question! « chasteté »: qu'on parle donc sans fard de: pauvreté, chasteté et obéissance!

Tout ce paragraphe est faible et vague.

P. 11, lin. 21: certes il est indispensable de commencer par former l'homme (car il est vain de chercher à greffer des vertus sur des sous-hommes sans éducation), mais qu'il faille former des futurs prêtres à la loyauté et à la justice *parce que* la société estime ces vertus, voilà qui est curieux (à rapprocher du *de cura*: se cultiver *afin* de tenir conversation).

§ 17: 1er alinéa: ce n'est pas en répétant quatre fois le mot « spiritualis » en cinq lignes qu'on fondera la formation spirituelle des clercs...

2e alinéa: un espoir déçu; ce « tirocinium » est encore bien timoré; pourquoi ne pas parler clairement de Noviciat? c'est le vœu de beaucoup.

P. 12, § 19: il est bon d'exiger d'avoir accompli tout le cycle des humanités; peut-être pourrait-on souligner le sérieux avec lequel ces études doivent être menées, pas nécessairement dans les petits séminaires, et non point seulement pour que les clercs ne soient pas inférieurs aux autres, mais parce que l'Eglise s'intéresse à tout l'homme pour le rendre au Christ.

Lin. 28: en donnant le primat au latin, on ne vise, je suppose que l'occident; mais d'une part ce schéma doit être valable pour l'Eglise universelle, d'autre part, le latin n'étant plus qu'une langue morte même en occident, il est impossible de faire des études *vraies* en une langue dans laquelle on ne *pense* pas.

P. 31, § 21: à moins de se refuser définitivement au dialogue avec le monde, l'Eglise ne peut s'en tenir à la philosophie thomiste, la Hiérarchie ne peut l'imposer à personne, ni même la recommander pour tout peuple et à toute époque.

Une philosophie moyennâgeuse, appuyée sur un chef d'Ecole païen de l'antiquité grecque, ne peut qu'ignorer la pensée moderne (qui a l'avantage sur Aristote d'avoir été marquée par des siècles de Christianisme); s'en tenir à celle-là signifierait pour l'Eglise renoncer à sa mission.

P. 14, lin. 19: bonne suggestion (à développer) quant à l'étude des autres religions.

§ 23: il faudrait qu'une anthropologie chrétienne devienne une discipline de premier plan: et ne pas oublier l'Art sacré.

P. 15, lin. 31: la formation sacerdotale est à parfaire, non pendant les premières années seulement, mais surtout à l'âge mûr et durant toute la vie.

P. 16, lin. 2: une « direction » (révisée, rectifiée) est utile au séminaire, mais doit apprendre au dirigé à s'en passer. Les récollections mensuelles ne suffisent pas; la retraite annuelle a été oubliée!

Ce schéma arrive à faire le tour de la question de la formation des clercs sans parler de la Grâce sacramentelle qui les forme, sans dire un mot du Sacrement de l'Ordre conféré en sept étapes au cours de la formation. Ce nouveau pélagianisme est affligeant!

Ce schéma, bien conformiste, ne tient pas compte des faits actuels; il n'est pas dans la ligne du Concile. Le monde a besoin de prêtres formés autrement que cela.

Ce schéma reste à faire.

Il n'y a pas besoin d'un Concile nouveau pour entériner les projets de Trente. Le monde a cependant bougé depuis. Si l'on ne refuse pas de voir la situation

actuelle, on sera porté à une réforme, non pas des structures de l'Eglise, mais des conditions concrètes de réalisation de celles-ci.

Il faut avoir sous les yeux, avec lucidité et loyauté de notre part: *a*) la crise terrible que traverse le clergé dans tout le monde: la proportion de défections (interpréter les statistiques)[1]; *b*) la raréfaction des « vocations »; *c*) le désintérêt pour l'Eglise; *d*) le moyennâgisme de nos cadres traditionnels, la crainte des réformes, crainte de la science, finalement désintérêt pour le monde.

Si cela est vrai, alors il faut un autre schéma, qui y réponde.

Notes en vue d'un projet de schema.

Prooemium. La formation des clercs consiste à tout mettre en œuvre pour que les appelés à la fonction sacerdotale réalisent au mieux leur mission particulière dans l'Eglise.

De par son baptême, le fidèle est constitué dans l'état sacerdotal du Peuple de Dieu, il est prêtre (hiereus), participant au sacerdoce du Souverain Prêtre (archi-hiereus) Jésus Christ. Cet état le relie à Dieu et lui donne une mission dans le monde, l'oriente, dans sa nature même de baptisé, à servir dans l'Eglise, à la prolonger dans le mondé, à être « capax » des fonctions hiérarchiques.

La structure de l'Eglise, Peuple sacerdotal, est divinement instituée sur le fondement des Apôtres et Prophètes qui exercent la fonction du sacerdoce hiérarchique; ce sont là des ministres (diakonoi - presbytres ou episcopes), serviteurs de la Parole, dont la fonction principale est prophétique; ils sont institués pour le service de l'Eglise (sanctification des hommes et leur retour à Dieu).

Cette fonction est exercée collégialement par la grâce du sacrement qui fait entrer dans l'*Ordre* des Evêques (plénitude du sacerdoce) ou, à un degré inférieur, dans l'*Ordre* presbytéral (sacerdoce participé). L'objet de ce schema est: la formation à donner à un laïc pour l'introduire dans l'ordre presbytéral, afin que, sous la motion de la grâce, il y réalise le dessein de Dieu.

I. *Vocation.* La vocation à remplir la fonction sacerdotale dans l'Eglise n'est pas un sentiment ni une intuition venant de l'homme, mais un appel positif venant de Dieu et exprimé clairement par l'Evêque appelant à entrer dans l'Ordre sacré; le sujet n'a qu'à y apporter une réponse libre et généreuse. A priori tout baptisé doit se dire qu'il est peut-être appelé; la docilité habituelle à l'Esprit le conduira là où il doit aller; il n'aura de certitude qu'en entendant l'appel ecclésial de l'Evêque, sacrement de la Voix de Dieu, d'où, pour l'Evêque, la gravité de l'acte d'appel aux ordres.

La continuation de la fonction sacerdotale est une exigence de la nature même de l'Eglise. Le don de soi pour le plus haut service dans l'Eglise est *une exigence de l'amour,* épanouissement normal dans la ligne de tout baptisé.

Du côté du Dieu qui appelle, les vocations ne feront jamais défaut à l'Eglise; mais il est des hommes qui n'entendent pas et d'autres qui s'y refusent. La formation théologique complète des laïcs (par le ministre exerçant sa fonction prophétique) est le meilleur moyen de leur faire entendre toute Parole de Dieu;

---

[1] Prêtres ordonnés trop jeunes, sans formation suffisante, manquant des valeurs humaines de base, ignorant la nature et les exigences du sacerdoce, ne sachant pas à quoi ils allaient. Il n'y a pas que les défroqués, il y a tous ceux qui regrettent de s'être engagés sans savoir (« si c'était à recommencer ... »).

l'exemple de la vie des ministres doit être assez attirant pour que l'appelé ne refuse pas de servir.

II. *Séminaire.* On appelle séminaire le milieu providentiel où la semence de Parole (vocation) germe dans le sujet jusqu'à éclosion (ordination); toute la vie sacerdotale est un séminaire au sens large, croissance et maturation du germe de Parole, jusqu'à la mort et reproduction en d'autres.

Le séminaire est le milieu où le fidèle laïc évolue et se transforme en ministre sacré, par l'effet de la grâce sacramentelle de l'Ordre conféré en sept étapes (ou plutôt de l'Ordre dans lequel on entre par sept élévations, consécrations aux diaconies traditionnelles de l'Eglise).

C'est cette grâce qui constitue essentiellement la formation du ministre; tout l'effort des hommes est sur le plan existentiel: s'ouvrir à cette grâce et prendre conscience de son contenu (vie spirituelle et études)!

La conception routinière des séminaires nous empêche peut-être d'en saisir le caractère profond, que la comparaison avec le catéchuménat (lui, en pleine restauration) peut révéler sous un jour nouveau:

le catéchuménat est le milieu providentiel de conversion entre un état de vie paienne et un état de vie chrétienne; cette conversion est le fruit de la grâce baptismale donnée en sept degrés à la mesure de la progression du sujet (dès la première étape, c'est la grâce du baptême, qui produit efficacement la conversion). La formation du catéchumène ne consiste pas seulement en une instruction, mais en une rénovation de tout l'homme qu'on amène à prendre des habitudes, une conversion de tout l'être, réelle, durable, parce qu'aux racines mêmes, jusqu'au subconscient, afin que le catéchumène ne vienne pas à lâcher ce à quoi il a été fidèle pendant le catéchuménat, une fois en situation après son baptême; c'est alors qu'il faut lui faire réaliser son baptême tous les jours de sa vie, en le suivant, et la communauté des baptisés l'épaulant.

Avec cette différence que le Séminaire prépare à une fonction non à un état, on peut en dire exactement autant de la formation au ministère hiérarchique; qu'on relise le paragraphe en changeant les termes et on verra comme il s'applique clairement au Séminaire.

On peut ajouter qu'au précatéchuménat (des « audientes ») correspond la probation de la vocation (ces probandistes sont bien des audientes d'un appel possible) avant l'admission au Séminaire, probation nécessaire et longue, sorte d'orientation professionnelle, pour juger non seulement de la vocation à la vie laïque ou cléricale, mais encore, en celle-ci, de la vie séculière ou régulière, voire encore un début déjà de spécialisation. Il convient que cette probation ait pour cadre le monde laïc, plutôt qu'un milieu de ministère pastoral, ou bien celu-ci ne venant qu'après celui-là.

Le Séminaire reçoit des candidats munis du diplôme de fin d'études secondaires (équivalent du baccalauréat français); il est difficile de fixer une limite minime d'âge en raison de la diversité des sujets; on s'en tiendra au principe qu'il faut être mur pour entrer dans l'Ordre des presbuteroi (la société civile nous donne un exemple du sérieux avec lequel sont menées les études, v. g. médecins, ingénieurs ...). On peut s'en tenir à la traditionnelle durée de formation de six ans, compte non tenu des diverses probations et d'un temps de noviciat.

Outre la probation avant l'entrée, dont il a été question plus haut, une seconde probation aura lieu (avant la dernière année de séminaire), non plus pour

juger de la vocation sacerdotale ou laïque, mais pour juger des aptitudes du clerc (diacre?) et prévoir une orientation de son ministère futur; cette seconde probation se fera en milieu de ministère, auprès d'un Ancien éprouvé.

Le Séminaire n'est ni un monastère, ni une Faculté laïque; il ne doit pas produire de faux religieux, des moines dégradés, mais des hommes complets, vivant réellement dans le monde et capables d'unifier leur vie (à ce sujet la traditionnelle distinction de for externe et for interne est-elle propre à favoriser l'unité et la simplicité de vie recherchées?).

Quelles que soient les modalités concrètes de réalisation, la structure du Séminaire doit être pensée en termes de dialectique car elle ne peut échapper à une tension multiforme:

le Séminaire forme à rechercher Dieu et à s'ouvrir sur le monde (connaître tout ce qui est de l'homme, savoir au moins une langue, s'ouvrir à tous les peuples et à toutes les religions ...)

le Séminaire forme à une vie séculière dans le monde, au service de nos frères humains, mais par une fonction de prophète constamment présent à Dieu

le Séminaire doit former des personnalités, développer des facultés et des dons personnels, mais il le fait en vue d'introduire dans l'Ordre des prêtres, de constituer un corps sacerdotal (le presbyterium de l'Evêque)

l'Eglise étant à la fois institution et communauté d'hommes, le Séminaire forme des gardiens des institutions, chefs de chrétientés, mais surtout des personnalités créatrices, authentiquement apostoliques pour communiquer une vérité intériorisée

le Séminaire donne une formation intellectuelle et spirituelle en profondeur (donc avec une inévitable systématique, comme en toute discipline scientifique), mais en vue de la vie réelle du prêtre, en vue de l'action (en plein monde et non en ghetto).

Cette formation s'acquerra et se mûrira, principalement et inévitablement, dans le bâtiment même du Séminaire, mais encore en dehors (temps de vacance, de probation, sorties, visites ...).

Le Séminaire doit former le prêtre à l'image du Souverain Prêtre, Dieu en qui il n'est ni division ni distinction; il importe donc d'éviter la dispersion des exercices et de centrer la formation spirituelle et intellectuelle.

A notre époque, les hommes compétents se spécialisent, afin d'être plus capables et efficients. Certes le prêtre doit être bon à tout-faire, à remplir tous les services nécessaires au diocèse, mais il n'est pas interdit à l'Eglise (à moins de tomber dans le fidéisme ou le quiétisme) de prendre les moyens d'assurer le sérieux de ses différents ministères; l'improvisation et l'à-peu-près dans ce domaine ne feraient pas estimer l'Eglise dans le monde, et c'est le monde qui aurait raison. (Dans le cas d'une spécialité profane, il faudrait orienter le candidat vers la vie laïque ou religieuse: la recherche scientifique, par exemple, est compatible avec l'état de baptisé ou de religieux, tandis que le sacerdoce séculier est une fonction qui ne peut que bien difficilement être menée de front avec d'autres fonctions).

Le Séminaire a pour fin l'entrée de ses sujets dans le presbyterium de l'Evêque, au sein duquel ils rempliront un ministère diocésain. Il importe donc que l'Evêque soit présent à son Séminaire, y soit entendu professer et vu célébrer. Les séminaristes doivent être intéressés et initiés aux problèmes du diocèse (situation sociale, démographique, religieuse ... pastorale d'ensemble ...).

Le corps enseignant du Séminaire doit vivre lui-même la tension signalée ci-dessus; il doit connaître et la théologie et les besoins du monde, et la science et la façon de la communiquer. Il convient notamment qu'il reçoive une solide formation psychologique et un sens éclairé de l'histoire.

Des professeurs de grande compétence étant rares, il conviendra souvent de regrouper les efforts en séminaires interdiocésains plutôt que de multiplier des incompétences locales. A notre époque de planétisation cette formule est particulièrement heureuse: il est nécessaire de pouvoir déborder des cadres trop étroits d'un diocèse: des prêtres plus spécialisés peuvent être utilisés à l'échelon d'une région; les besoins missionnaires de l'Eglise demandent d'assouplir les cadres et de mieux répartir le clergé; il faut promouvoir tout ce qui développe le souci de l'Eglise universelle chez ceux qui font partie de l'Ordre presbytéral, collaborateur du Collège épiscopal apostolique.

III. *Esprit*. La montée progressive des aspirants selon les ordinations sacramentelles jusqu'à l'incorporation au Presbytérium fournit le cadre de la formation spirituelle au Séminaire; la grâce de ce sacrement, grâce d'assimilation au Christ Souverain Prêtre dans la collaboration au ministère apostolique de l'Evêque, est le tout de la vie spirituelle du Séminaire. Directeurs et séminaristes coopèrent à cette grâce pour qu'elle produise tous ses effets, non seulement pendant le Séminaire, mais tout le temps de la vie sacerdotale.

La première chose à faire est de mettre l'appelé en face de lui-même et de Dieu; qu'il cherche Dieu et s'ouvre à la grâce avant toute étude théorique — c'est la condition pour que celle-ci se tourne en contemplation. Le Séminaire commence par un temps de noviciat, dont la durée reste à fixer. Désert du Sinai, désert de Judée, noviciat prophétique, noviciat missionnaire; Jésus, les Apôtres et les Prophètes en ont donné l'exemple.

Le désert une fois traversé, la vie spirituelle s'organise. Le Séminaire donne des habitudes pour toute la durée de l'existence: apprend à prier (méditation sur l'Ecriture, adoration de louange, écoute de la Parole, contemplation passive pure); donne le goût de prier (exemple de l'Evêque et des prêtres chargés de cette formation; visite de monastères ...); forme la volonté, pour qu'en toute situation et surtout dans le plus profond dégoût, le prêtre, habitué à prier comme à respirer, s'adresse à Dieu comme Elie découragé, comme Jésus à l'agonie, comme Simon-Pierre restant à portée du regard du Maître.

La sainteté d'un prêtre ne diffère pas de celle d'un moine ou de tout baptisé: devenir le Christ; elle est le fruit de la Grâce. Mais la sainteté se réalise différemment selon les sujets et selon les fonctions; la grâce du sacerdoce est une grâce d'apostolat et de prophétie animant l'existence des ministres de l'Evangile, les adaptant à leur fonction dans l'Eglise.

Le prêtre séculier n'a pas à prendre un habit et un bréviaire de moine, mais doit tendre à réaliser (dans et par sa fonction) ce que le religieux a choisi comme situation: la perfection évangélique.

La pauvreté du prêtre ne doit pas résulter d'une disposition canonique négative interdisant négoce et esprit de lucre; sa chasteté ne peut consister en un célibat purement *disciplinaire* (pour l'Eglise latine); son obéissance doit être autre chose que la formule du « promitto ». Ayant gardé ou non la propriété de ses biens, de son corps et de sa liberté, il doit tendre à réaliser *dans sa vie* le Mystère de Jésus, à ce qu'en son être même il devienne pauvre, chaste et soumis.

Le Séminaire prépare à la Pauvreté: le prêtre mendie la grâce de Dieu et l'acceptation du monde; il a toujours besoin d'études, de conseils, de frères; il ne considère rien comme à lui (la messe n'est pas SA messe, les fidèles ne sont pas SES fidèles, SA mission même est la mission de l'Eglise).

Le Séminaire prépare à la Chasteté: le prêtre est sacrement du Christ, son ministère doit être une épiphanie du Royaume; il sait que la fécondité spirituelle est liée à la virginité; il doit être capable de porter sur tout un regard simple et lucide.

Le Séminaire prépare à l'obéissance: à l'image de Jésus, sauveur parce qu'obéissant jusqu'à la mort de la croix, le prêtre apprend à se dominer, se plier à son propre règlement, aux exigences de sa fonction; il est docile aux appels de l'Esprit, passionné pour un service réfléchi de l'Eglise, ainsi il prévient même intentions et désirs de l'Evêque.

La vertu évangélique est la résultante de la grâce et du labeur humain; elle ne saurait s'épanouir dans un climat d'oisiveté, en un sujet naturellement paresseux. Pas de tension vers un idéal de sainteté chez qui n'a pas une tendance naturelle au travail. Le Séminaire donnera des habitudes de travail courageux et *équilibré* (donc manuel aussi).

Dans la vie de ministère il est précieux de cultiver un art gratuit (menuiserie, peinture, ...); on veillera au Séminaire à déceler et développer les dispositions de chacun.

IV. *Etudes.* La fonction sacerdotale est principalement une fonction prophétique: fonction de parler pour Dieu aux hommes (et à Dieu pour les hommes). Elle requiert la connaissance et de Dieu et des hommes. Les études au Séminaire doivent avoir cet effet en vue d'une prédication réelle à des hommes réels; il est nécessaire qu'elles soient menées avec désintéressement et esprit scientifique, mais elles doivent aboutir à penser les réalités (celles de Dieu et celles du monde) les problèmes d'adaptation étant surtout l'affaire des laïcs.

Pour dialoguer avec les hommes d'aujourd'hui (le prêtre n'est pas envoyé à une société moyennâgeuse) il faut penser leurs problèmes et parler leur langue — ce que l'usage du latin rend impossible. De plus les problèmes des sages anciens, grecs ou arabes, ne sont pas ceux que se pose le monde actuel et que des philosophes, marqués par des siècles de christianisme, ont tenté d'exprimer; en thomistes spirituels on y trouvera des germes de vérité à faire éclore et une formulation en termes existentiels propre à enrichir la dogmatique trop abstraite des siècles passés. L'Eglise se défend mieux contre des excès progressistes qu'intégristes, elle est toujours menacée de confondre sécurité et vérité; elle fera confiance à la Providence qui mène l'histoire en faisant confiance aux hommes et en assumant leurs philosophies.

L'enseignement de la théologie est à revoir en profondeur, pour en mieux structurer les éléments, mettre fin au divorce entre le dogme et la morale, entre la fondamentale et la pastorale, repenser et exprimer en termes de vie parce que le prêtre doit en vivre et en faire vivre — sur le modèle de la Révélation divine — ce qu'un langage abstrait isolait des préoccupations humaines (v. g. on dira « Dieu se révèle » au lieu de disserter sur « la Révélation ») — ce faisant on se rapprochera des Orientaux, dont la pensée sera étudiée partout (il conviendrait même de lui reconnaître une importance plus grande qu'au thomisme).

L'Ecriture sainte, la Patristique et l'Histoire ont été dévalorisées quand on

a montré un goût excessif pour l'abstrait; mais ce sont là des disciplines pour aujourd'hui, qu'il faut revaloriser.

L'Ecriture sera expliquée par elle-même et dans la Tradition; l'hébreu étant plus facile que le latin, on n'en privera pas les séminaristes. C'est la nourriture normale de la contemplation et de la prédication.

La Patristique se gardera de la tentation de latiniser en occident ou d'helléniser en orient; elle reconnaîtra à chaque Père l'importance qu'il a dans le courant de la Tradition.

L'histoire des chrétiens orientaux et réformés (et de leurs missions) n'est pas étrangère à l'histoire de l'Eglise; on leur rendra la place qui leur revient. On ne s'étendra pas sur des hérésies locales sans portée, mais on analysera les hérésies actuelles: quantité de chrétiens ayant une conception réellement hétérodoxe des mystères de la religion (v. g. nature de Dieu, salut en le Christ, fins dernières, ...), ce faisant on sanifiera la prédication à venir.

L'initiation à la Liturgie et à l'Art sacré trouvera naturellement sa place dans la vie quotidienne du Séminaire.

On ne peut éviter une certaine spécialisation, soit à l'intérieur d'un même Séminaire, soit propre à tel Séminaire (v. g. Mission de France, Mission des Jeunes Eglises); selon le ministère particulier vers lequel ils s'orientent, les séminaristes seront initiés à la théologie de la Réforme, aux religions non chrétiennes, etc. (Cf. § 8, pp. 16-17 schema de oecumenismo).

Les études du Séminaire seront sanctionnées selon le projet de réforme du schema de Scholis (Appendice II): baccalauréat de théologie, licence d'enseignement, doctorat de recherche, selon l'orientation propre à chacun, dans le respect des vocations personnelles.

V. *Perfectionnement*. Tout sacrement inscrit le chrétien dans le Mystère du Christ, mystère supratemporel, de réalisation commencée (pour l'Eglise) dans la vie historique de Jésus, commencée pour chaque chrétien quand le sacrement est donné, mais à réaliser peu à peu tout le long de sa vie. Ainsi du baptême, du Mariage, de l'Ordre ... Le Sacrement de l'Ordre, progressivement reçu selon sept degrés au cours de la formation du Séminaire et réalisé en toute une existence sacerdotale, est la source de vie, animant et rendant efficaces toutes les diaconies que le ministre sacré sera appelé à remplir. Cela situe sa vie sacerdotale dans la ligne de sa formation et le portera à se perfectionner, de progrès en progrès sans jamais être satisfait.

Des temps privilégiés l'aideront à se resituer par rapport à Dieu et aux hommes: heure quotidienne d'adoration - révision de vie hebdomadaire - recollection mensuelle - retraite annuelle - séjour au « désert ».

Le prêtre participe au sacerdoce plénier de l'Evêque. C'est l'Evêque, Père spirituel de ses prêtres, qui, avant tout autre ministère diocésain, doit veiller à la sanctification de ses coopérateurs; il en porte la responsabilité. L'Eglise n'est pas qu'institution, un supérieur « ecclésiastique » ne peut pas ne pas être père; l'Evêque doit s'enquérir de la situation spirituelle de son clergé, lui assurer les moyens de progresser, avec priorité sur toute autre urgence.

Dès le Séminaire l'Evêque s'est montré à son futur clergé comme Père, Maître, Exemple; il s'est intéressé à chacun et les a intéressés au diocèse. Une fois dans le ministère, il n'y a pas de coupure, c'est l'Evêque qui fait la liaison; il est toujurs là, Père aimant, au cœur des siens.

Le prêtre est celui qui est entré dans l'Ordre sacerdotal, le presbyterium diocésain; porté par le corps de ses frères, il n'est jamais seul. Dans un climat de sainte émulation et de simplicité fraternelle, les prêtres, avant tout autre ministère, doivent porter leurs soucis réciproques, se comprendre, se faire signe à temps. Le développement de la vie commune est une direction providentielle à suivre avec confiance.

Quand tout prêtre aura un Père, une équipe de frères, un règlement de vie et des comptes à rendre à un responsable, le tout dans une tension commune vers les vertus évangéliques, il n'aura plus besoin de le chercher ailleurs (v. g. dans les Instituts séculiers qui, en attendant, ont été et sont encore à vivement recommander, et, dans la suite, pourront grouper des clercs et des laïcs).

Epanoui par sa vie de ministère, le prêtre cherchera à se reproduire spirituellement en conduisant à son tour des laïcs sur la voie du Service de l'Eglise.

84

Exc.mus P. D. ERNESTUS SENA DE OLIVEIRA
Episcopus Conimbricensis

1. Quoad primum *Appendicem,* in pag. 17, « De natura vocationis sacerdotalis eiusque signis », hoc mihi videtur adnotandum: vocatio signis obiectivis cognoscitur: *a*) idoneitate et recta intentione; *b*) quia ab episcopo vocatur.

Non datur directa experientia vocationis a parte Dei, saltem in casibus ordinariis. Ideoque haec videntur elidenda in iureiurando fidelitatis a S. Congr. de Sacramentis anno 1930 praescripto: « *Cum experiar ac sentiam a Deo me esse revera vocatum* ».

2. Quoad cap. II, « De seminariorum speciebus et ordinatione », n. 1: « De seminariis *minoribus* et de eorum peculiari ordinatione », hoc mihi videtur adnotandum. In textu constitutionis (pag. 7, n. 6, linn. 10, 11), legitur: « Alumni vero in seminariis minoribus vitam ducant quae cum communi omnium adolescentium vita, quantum potest, congruat ».

Ex iis dictis deduci posset seminaria minora non esse distinguenda quoad organizationem internam a Collegiis catholicis, v. g., in vita pietatis, in religiosa instructione, in orientatione versus sacerdotium.

Non deceret inculcare specificum characterem seminariorum, quae non sunt collegia simpliciter, sed praesertim ad instar agrorum, in quibus vocationes coluntur?!

Num alumni seminariorum tantum formationem sacerdotalem incipient, cum in seminaria maiora ingrediantur? Non videtur.

3. Quoad n. 3 illius capitis, haec observabo. Nonne hic enixe inculcanda esset necessitas creationis seminariorum theologiae quae pluribus dioecesibus inservirent ut ita devitaretur existentia seminariorum theologiae in quibusdam dioecesibus ubi desunt opes vel facultates sufficientes vel ubi non adest numerus sufficiens alumnorum vel tandem si desunt magistri vere conspicui.

Nonne oporteret indicare saltem minimum quod exigendum esset ut seminarium theologicum esse posset, ut fit, v. g., pro Facultatibus theologicis?

Ideoque, e. g., exigendum esset minimum 30 alumnorum et 3 magistrorum Licentiatorum (speciatim in Iure Canonico, in Sacra Scriptura, in Theologia), cubicula individualia vel saltem pro tribus alumnis Theologiae et nunquam aulae communes studii et dormitoria communia.

Directorium non manere debet in eadem linea generalitatis textus conciliaris (pag. 8, linn. 10 et 12). In dubio aut in impossibilitate Sedes Apostolica consulenda est.

In textu constitutionis (pag. 8, linn. 34 et 38), legitur: « eos vero qui idonei non sint, superiores tempestive dimittant, nullo habitu humano respectu, neque... ».

Nonne expediret addere quodlibet de modo caritativo demissionis alumnorum quibus non sit vocatio?

Illud « nullo habito humano respectu » severe sonat nisi attenuetur.

4. Quoad cap. III, « De sacrorum alumnorum in seminariis institutione », n. 7: Illud quod legitur in textu constitutionis (pag. 12, linn. 25 et 28) « ... sacrorum alumni inferiores non sint ceteris iuvenibus qui in propria natione ad studia academica accedunt », mihi videtur ita explicandum: alumnis seminarii non exigeatur illa cultura cursus Licaei in omnibus rebus humanisticis et scientificis.

Animadversiones generales.

1. *De structura schematis.* Mea humili sententia, optima est schematis structura, nam in ipso fere omnia exponuntur clare, synthetice et logice. Hoc in genere saltem, nam speciatim quasdam exiguas emendationes proponam tum circa titulum et primum subtitulum tum quoad certas alterationes, et inversionem intra eundem subtitulum aut ab uno subtitulo in alium.

2. *De materia schematis.* Apparet omnia, de quibus in schemate agitur, semper respicere ad thema fundamentale, etsi videtur expedire ut alia amplius addantur aut, saltem, quaedam, de quibus iam actum est, enucleentur, nam periculum est ne in umbra maneant aut aliquantulum tecta. Indeque necessaria videtur inclusio aut ampliatio quorumdam inspirationis recentioris, sed omnino sana et orthodoxa.

3. *De stylo indoleque schematis.* Latinitas mihi videtur optima, stylus in genere, elegans, sobrius, clarus et constitutioni adaequatus. Sunt autem quaedam: *a*) quae, ut dixi, oportet redigere stylo viviore, in quo res ita dicantur stylo accommodato nostris temporibus, ut ita inculcetur luculentius momentum rerum de quibus ibidem agitur; *b*) aliquando stylus videtur magis proprius Encyclicae quam constitutioni conciliari; *c*) quaedam modo exhortativo dicuntur, quod minus videtur constitutioni conciliari expedire.

Quae concrete proponam. Liceat mihi concretius proponere ea, quae supra per transennam, indicavi. Et sic: in priore columna (i. e. in parte sinistra) schema constitutionis ut nunc est, ponam; in altera columna (i. e., in parte dextra) praebebo eumdem textum cum quibusdam transpositionibus, additionibus et alterationibus, quae mihi videntur convenire.

Additiones et Alterationes indicantur in columna dextra et cum agatur de rebus maioris momenti, in typo maiore inscribentur.

Notae numeris arabicis indicatae in columna dextera uniuscuiusque paginae in fine opportune ponuntur.

PROOEMIUM

1. Summi Sacerdotis *Prophetae* ac *Regis* munera in Se Ipso coniungens Christus Dominus cum potestatem suae Ecclesiae contulit eique mandatum dedit redemptionis opus ad saeculorum usque occasum perpetuandi, homines *voluit,* sui Sacerdotii participes qui triplex illud munus adimplerent, eo ministrandi spiritu animati, quem Ipse verbo et exemplo docuit.

Quare Ecclesia, cuius vita a sacerdotio tantopere pendet, nihil antiquius habet quam ut homines ad tam necessarium et sublime officium a Deo *electi,* debitam recipiant institutionem ac propria munera rite exerceant « ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi » (*Eph.* 4, 12).

I - DE VOCATIONIBUS ECCLESIASTICIS.

2. Cum vero Sacerdotum numerus magis in dies christiani populi necessitatibus impar evadat, haec Sancta Synodus ecclesiasticas vocationes imprimis fovere cupit, quod quidem Divinae Providentiae actioni respondet, quae aliquot homines ad Christi Sacerdotium participandum eligit, eis congruas tribuit dotes simulque Ecclesiae committit ut, vocationis signis agnitis, candidatos qui tantum munus recta

1. Summi Sacerdotis, DOCTORIS AC PASTORIS, in Se Ipso coniungens Christus Dominus cum potestatem [2] suae Ecclesiae contulit eique mandatum dedit redemptionis opus ad saeculorum usque occasum perpetuandi, homines *voluit AC VOCAVIT* sui Sacerdotii participes qui triplex illud munus adimplerent, eo ministrandi spiritu animati, quem Ipse verbo et exemplo docuit.[3]

Quare Ecclesia, cuius vita a sacerdotio tantopere pendet, nihil antiquius habet quam ut homines ad tam necessarium et sublime officium a Deo *electi AC VOCATI,* debitam recipiant institutionem ac propria munera rite exerceant « ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi » (*Eph.* 4, 12).

DOCTRINA HUIUS CONSTITUTIONIS, IN EO QUOD EST ESSENTIALE, ATTINGIT OMNES RITUS TOTIUS ECCLESIAE CATHOLICAE (ORIENTALIS ET OCCIDENTALIS) CUM DEBITIS ACCOMODATIONIBUS AD QUASDAM CIRCUMSTANTIAS PECULIARES.[4]

DE VOCATIONIBUS *SACERDOTALIBUS SELIGENDIS* ET *INSTITUENDIS INDE AB INITIO.*

2. Ex pluribus Sacrae Scripturae locis PATET VOCATIONEM AD SACERDOTIUM ESSE VERE DIVINAM, ID EST, A DEO PROCEDERE.

SUFFICIT HAEC PAUCA VERBA CHRISTI PRAE OCULIS HABERE: « non vos me elegistis, sed ego elegi vos ut eatis et fructum faciatis et fructus vester maneat.

INDUBIUM EST NON DARI IN

intentione et libere petierint, admittat eosque Sancti Spiritus sigillo in aeternum consecret.

3. Quare eadem Sancta Synodus, omnium in tanto opere impensam cooperationem exoptans, Ecclesiae Pastores atque omnes sacerdotes monet, cuicumque ministerio addictos, praesertim vero parochos et animarum moderatores, ut vitae exemplo atque apostolico zelo, nullis parcentes curis atque laboribus, ecclesiasticas vocationes foveant atque tueantur. Magistri pariter atque omnes qui puerorum iuvenumque institutionem quovis modo curant, discipulos sibi concreditos ita erudire studeant ut vocationem divinam percipere et sequi valeant. Familiae quoque christianae apprime sentiant quantum in se ipsas recidat vocationum adiumentum vel impedimentum, ac sacerdotalem vocationem tanquam eximiam ipsi familiae caelestem gratiam collatam aestimantes, prompto atque hilari animo filios Deo offerre parati sint, eorum tamen libertate religiose servata. Praesertim vero dilecti

CANDIDATO AD SACERDOTIUM, SALTEM IN CASIBUS ORDINARIIS, COGNITIONEM SENSIBILEM ET MULTO MINUS EXPERIENTIAM VOCATIONIS SACERDOTALIS, TANQUAM DIRECTE VENIENTIS EX PARTE DEI. SED ETIAM CERTUM EST TALEM VOCATIONEM INDIRECTE COGNOSCI POSSE PER QUAEDAM SIGNA OBIECTIVA, SCILICET:

a) PER CANDIDATI *IDONEITATEM* (PHYSICAM, INTELLECTUALEM, MORALEM) ET PER *RECTAM* IPSIUS *INTENTIONEM* SUFFICIENTER COMPROBATAM;

b) PER *VOCATIONEM* CANDIDATI *AB EPISCOPO* QUI, NOMINE ECCLESIAE, IPSUM VOCAT AD SACERDOTIUM ASCENDENDUM, POST LONGAS, ACCURATAS ET SOLIDE FUNDATAS INVESTIGATIONES (Cf. *A.A.S.,* 1913, p. 485).[5]

3. Cum vero Sacerdotum numerus magis in dies christiani populi necessitatibus impar evadat, haec Sancta Synodus ecclesiasticas vocationes imprimis fovere cupit, quod quidem Divinae Providentiae actioni respondet, quae aliquot homines ad Christi Sacerdotium participandum eligit, ac vocat, eis congruas tribuit dotes simulque Ecclesiae committit ut, vocationis signis agnitis, candidatos, qui tantum munus recta intentione et libere petierint, admittat eosque Sancti Spiritus sigillo in aeternum consecret.

IN PRIMIS QUAM MAXIME OPORTET AD *FAMILIAM ATTENDERE* QUO FACILIUS ET SECURIUS VOCATIONES *SELIGANTUR* ET *FORMENTUR.*

CERTO CERTIUS FAMILIA EST VELUT INTIMUS SINUS UBI FILII SOLENT INDE AB INITIO, PRIMAS ET PRAECIPUAS IMPULSIONES RECIPERE QUIBUS

iuvenes, qui supernum vocationis donum acceperunt et in quibus spem futuri aevi collocat Ecclesia, instanter monentur ut vocem Dei libere ac magno sequantur animo, sibi persuasum habentes rem Deo gratissimam ac proprio totiusque Ecclesiae bono utilissimam se facturos esse.

IPSI, EAS SEQUENTES, FACILIUS OPTIMOS FINES CONSEQUUNTUR QUOS COMMUNITER, ETIAM IN ORDINE NATURALI, OMNES HOMINES APPETUNT.

FAMILIAE VERO CHRISTIANAE, QUAE QUIPPE PER SACRAMENTUM MATRIMONII CONSTITUUNTUR ET SANCTIFICANTUR, SUNT GENERATIM QUASI PRAESEMINARIUM UBI NON SOLUM FILII VITAM NATURALEM ET SUPERNATURALEM RECIPIUNT, SED ETIAM, UBI ALIQUI, INTER IPSOS, SUB DUCTU DIVINAE PROVIDENTIAE ELECTI, ORIUNTUR IN QUIBUS IPSE DEUS QUASI INSEMINAT VOCATIONEM SACERDOTALEM.

TALIUM ENIM vocationum sacerdotalium promotio id postulat, ut adhibeatur assidua earum cura, statim ac prima IPSARUM apparuerint germina, a parentibus imprimis intra naturalem familiae ambitum (pag. 6, n. 6, linn. 37-38 et 1-2).

Familiae AUTEM christianae apprime sentiant quantum in se ipsas recidat vocationum adiumentum vel impedimentum, ac sacerdotalem vocationem tanquam eximiam ipsi familiae caelestem gratiam collatam aestimantes, prompto atque hilari animo filios Deo offerre parati sint, eorum tamen libertate religiose servata.

Praesertim vero dilecti iuvenes, qui supernum vocationis donum acceperunt et in quibus spem futuri aevi collocat Ecclesia, instanter monentur ut vocem Dei libere ac magno sequantur animo, sibi persuasum habentes rem Deo gratissimam ac proprio totiusque Ecclesiae bono utilissimam se facturos esse (pag. 6, n. 3, linn. 1-11), IMMO TOTIUS HUMANITATIS ETIAM QUOAD TEMPORALIA BONA NAM, UT AIT CHRISTUS D. NOSTER, « quaerite primum Re-

4. Inter praecipua communis cooperationis subsidia Sancta Synodus imprimis orationem commendat ad vocationes a Deo impetrandas iuxta praeceptum Domini: « Rogate Dominum messis ut mittat operarios in messem suam » (*Mt.* 9, 38), necnon congruam christifidelium institutionem sive praedicatione et catechesi, sive etiam periodicis commentariis impertiendam, qua quidem necessitas, natura et praestantia vocationis aperte declarentur. Etenim praeter generalem vocationem qua homines per baptisma ad vitam christianam vocantur, inter peculiares vocationes eminet sacerdotalis vocatio, quae tum matrimonio christiano tum laicorum apostolatui singulariter praestat.

5. Haec aliaque vocationum subsidia eo pleniorem assequentur efficaciam quo arctior erit inter parochos,

gnum Dei et alia omnia adiicientur vobis ».

SED ACCURATA SELECTIO AC FORMATIO VOCATIONUM SACERDOTALIUM ETIAM INCUMBIT Magistris pariterque omnibus qui puerorum iuvenumque institutionem quovis modo curant. Discipulos sibi concreditos ita erudire studeant ut vocationem divinam percipere et sequi valeant (pag. 5, n. 3, linn. 26-28).

Quare eadem Sancta Synodus, omnium in tanto opere impensam cooperationem exoptans, OMNES, SED PRAE OMNIBUS, Ecclesiae Pastores atque omnes sacerdotes monet, cuicumque ministerio addictos, praesertim vero parochos et animarum moderatores, ut vitae exemplo atque apostolico zelo, nullis parcentes curis atque laboribus, ecclesiasticas vocationes foveant atque tueantur (pag. 5, n. 3, linn. 21-26).

4. Inter praecipua communis cooperationis subsidia Sancta Synodus imprimis orationem UNA CUM SACRIFICIIS commendat ad vocationes a Deo impetrandas iuxta praeceptum Domini: « Rogate Dominum messis ut mittat operarios in messem suam » (*Mt.* 9, 38), necnon congruam christifidelium institutionem sive praedicatione et catechesi, sive etiam periodicis commentariis impertiendam, qua quidem necessitas, natura et praestantia vocationis aperte declarentur. Etenim praeter generalem vocationem qua homines per baptisma ad vitam christianam vocantur, inter peculiares vocationes eminet sacerdotalis vocatio, quae tum matrimonio christiano tum laicorum apostolatui singulariter praestat (pag. 6, n. 4).

5. Haec aliaque vocationum subsidia eo pleniorem assequentur efficaciam quo arctior erit inter parochos,

parentes, magistros et consociationes, episcopo patre et duce, virium laborumque coniunctio; ideoque singulis dioecesibus vel regionibus « Opus Vocationum Sacerdotalium » erigere atque fovere iuvabit, eiusque promotores causas quoque sacerdotum penuriae accurate inquirere ne praetermittant, eo quidem consilio ducti ut aptius huic inopiae mederi et efficaciora ad vocationes augendas subsidia comparare queant.

Quae actuosa ad vocationes fovendas conspiratio, singularum dioecesium atque nationum fines dilatato corde transcendat oportet atque ad universalis Ecclesiae necessitates respiciat, ita quidem ut illis regionibus auxilium afferri possit, ubi Domini vinea instantius advocat operarios.

6. Vocationum sacerdotalium promotio id quoque postulat, ut adhibeatur assidua earum cura, statim ac prima apparuerint germina, a parentibus imprimis intra naturalem familiae ambitum atque a parochis et ab animarum moderatoribus.

Praeterea, ut iuxta venerandas Ecclesiae consuetudines iam adolescentes ad sacerdotalis vitae virtutes comparandas institui possint, seminaria minora, secundum proprias ordinata leges, sedulo foveantur, itemque peculiaria illa Collegia, quae pro locorum adiunctis eidem fini inserviunt, necnon specialia quaedam Instituta pro iis qui maturiore aetate divinam sequuntur vocationem.

Alumni vero in seminariis minoribus vitam ducant quae cum communi adolescentium vita, quantum potest, congruat; simul vero virtutibus rectisque moribus solide pro eorum aetate instituantur, ac religionis studio et humanioribus litteris dent operam ceterisque disciplinis, quae praerequiruntur ut ipsi seminaria maiora ingredi ac for-

parentes, magistros et consociationes, Episcopo patre et duce, virium laborumque coniunctio; ideoque singulis dioecesibus vel regionibus « Opus Vocationum Sacerdotalium » erigere atque fovere iuvabit, eiusque promotores causas quoque sacerdotum penuriae accurate inquirere ne praetermittant, eo quidem consilio ducti ut aptius huic inopiae mederi et efficaciora ad vocationes augendas subsidia comparare queant.

Quae actuosa ad vocationes fovendas conspiratio, singularum dioecesium atque nationum fines dilatato corde transcendat oportet atque ad universalis Ecclesiae necessitates respiciat, ita quidem ut illis regionibus auxilium afferri possit, ubi Domini vinea instantius advocat operarios (ex Const. pag. 6, n. 5).

6. Iuvenes selecti, i. e., in quibus sufficienter patent signa illa obiectiva de quibus iam supra actum est circa VOCATIONEM AD SACERDOTIUM, GENERATIM, INGREDI DEBENT PRAESERTIM CURA PARENTUM, IN UNO EX ILLIS INSTITUTIS PROVIDENTIALITER A CONCILIO TRIDENTINO CREATIS, QUAE SEMINARIA NUNCUPANTUR.

CERTUM EST QUOSDAM IUVENES VOLUNTATEM DEI CIRCA VOCATIONEM IPSORUM AD SACERDOTIUM PRIUS COGNOSCERE CUM IAM STUDIA PROFANA FACIUNT, MEDIA VEL SUPERIORA, IN COLLEGIIS, IN LYCAEIS ET IN UNIVERSITATIBUS.

QUIDQUID SIT DE MEDIIS QUIBUS DEUS IPSOS VOCET AD SACERDOTIUM, SIVE PER LIBRUM, SIVE PER AMICUM SIVE PER IPSORUM SUGGESTIONEM, SIVE PER PROFESSOREM, SIVE PRAESERTIM PER CONFESSARIUM, TALIBUS VOCATIONIBUS,

mationem proprie sacerdotalem inchoare valeant.

SUFFICIENTER PROBATIS, PORTAE SEMINARII SEMPER LATAE PATEBUNT UT EAS, MAGNO CUM GAUDIO, ACCIPIANT, NAM GENERATIM OPTIMAE SUNT VOCATIONES.

FAXIT DEUS UT IN DIES HUIUSMODI VOCATIONES PLURIMAE SURGANT NAM CELERITER AD SACERDOTIUM ASCENDERE POSSUNT ET DEO MAGNAM GLORIAM FERE SEMPER AFFERUNT.

ALII PLUS MINUSVE SUNT ADOLESCENTES QUI, ETSI PARVA CUM CULTURA, TARDIORE TAMEN VOCATIONE PRESSI (CUIUS ORIGO MULTIPLEX ESSE POTEST) DIFFICULTER IN SEMINARIIS COMMUNIBUS STUDIA PROSEQUI POSSENT.

PARTICULARIBUS RECENTIORIS AETATIS CONDITIONIBUS CONSULENS HAEC S. SYNODUS ORDINARIOS HORTATUR UT TARDIORIBUS QUOQUE VOCATIONIBUS, CURRICULUM STUDIORUM MEDIORUM QUOD ATTINET, PECULIARIBUS INSTITUTIS DIOECESANIS VEL REGIONALIBUS PROVIDEANT, APTIS IBIDEM ADHIBITIS METHODIS, NULLA AUTEM CIRCA IDONEITATIS NORMAS EXCEPTIONE FACTA.

Ut iuxta venerandas Ecclesiae consuetudines iam adolescentes ad sacerdotalis vitae virtutes comparandas institui possint seminaria minora secundum proprias ordinata leges sedulo foveantur itemque peculiaria illa Collegia quae pro locorum adiunctis, eidem fini inserviunt, necnon specialia quaedam Instituta pro iis qui maturiore aetate divina sequuntur vocatione (ex Const. pag. 7, linn. 3-9).

Alumni vero in seminariis minoribus vitam ducant quae cum communi

adolescentium vita, quantum potest, congruat; simul vero virtutibus rectisque moribus solide pro eorum aetate instituantur, ac religionis studio et humanioribus litteris dent operam ceterisque, quae praerequiruntur ut ipsi seminaria maiora ingredi ac formationem proprie sacerdotalem IN IPSIS IN DIES AUGERE valeant (ex Const. pag. 7, linn. 10-16).

IDEO INDE A SEMINARIIS MINORIBUS, ALUMNI, PRAETER SPECIALEM ILLAM INSTRUCTIONEM IN RELIGIONE AC PIETATE, DEBENT MODO QUAM MAXIME PRACTICO, ADDISCERE QUOD SANCTITAS, TAM PRO IPSIS QUAM PRO ALIIS LAICIS, NON POTEST OBTINERI SOLUMMODO PER CARITATEM SED ET PER FIDEM ET SPEM, QUOD ITEM SUNT VERAE ET MAGNAE VIRTUTES NON TANTUM CASTITAS, PAUPERTAS ET OBOEDIENTIA SED ETIAM ET IMPRIMIS IUSTITIA, PRUDENTIA, FORTITUDO, TEMPERANTIA, ET ALIAE MULTAE VIRTUTES MORALES SICUT FIDELITAS, HUMILITAS, MANSUETUDO et MISERICORDIA.

AD HAEC OMNIA SALTEM FACILIUS ACQUIRENDA, PRAETER MEDIA SUPERNATURALIA, MULTA ETIAM NATURALIA MAXIME ADIUVARE POSSUNT.

INDE MOMENTUM EDUCATIONIS PHYSICAE QUAE DIRECTE SIBI PROPONIT ADOLESCENTIS ORGANISMUM PERFICERE CORPORISQUE DEFECTUS CORRIGERE: AD QUEM FINEM ADIPISCENDUM PRAETER ARTEM GYMNASTICAM, NIHIL SUPEREST NISI LUDI ET CORPORALES EXERCITATIONES QUAE LINGUAM ANGLICAM « SPORTS » NUNCUPANTUR.

PRAETER EMOLUMENTUM

PHYSICUM, LUDI, PROCUL DUBIO, INFLUXUM EXERCENT IN MORES. NAM SOLUM VIAM PERCLUDUNT COLLOQUIIS MINIS HONESTIS, DETRACTIONIBUS ET SUPERIORUM CENSURIS QUAE BONUM SPIRITUM SUFFOCANT, SED FERE NON INTERRUPTAM VIRTUTEM COLENDI OCCASIONEM PRAEBENT.

CIRCA HAEC OMNIA ET ALIA SIMILIA ET CIRCA BALNEA, RECREATIONES, REFECTIONES (QUOAD QUANTITATEM, QUALITATEM ET MODUM IPSARUM PRAEPARATIONUM), DEBENT SUPERIORES SEMINARII QUAM MAXIME ACCURATE ET PRUDENTER. INVIGILARE ITA UT SEMPER ET FACILE VITENTUR ABUSUS ET PERFECTE ATTINGANTUR FINES QUAE PER TALIA MEDIA OBTINERE DESIDERANTUR.

Firma vero disciplinae principia iuxta diversam alumnorum conditionem et aetatem apte et prudenter PLURIMIS MODIS applicanda sunt (ex Const. pag. 9, linn. 16-17).

ITA, VERBI GRATIA, VALDE OPPORTUNUM, IMMO NECESSARIUM EST UT, PER « INITIATIVAM » IPSORUM ALUMNORUM, SUPERIORIBUS PROBANTIBUS, ET ATTENTE VIGILANTIBUS (POTIUS UT ASSISTENTES ECCLESIASTICI QUAM UT SUPERIORES DISCIPLINARES), CREARE QUASDAM CONSOCIATIONES, QUIBUS PRAEFICIANT QUIDAM ALUMNI AB ALIIS ELECTI, v. g., CONSOCIATIONEM DICTAM SCUTISMUM, QUAE « INTEGRAM » EDUCATIONEM IPSORUM CONSOCIATORUM IPSA PROPONIT, VEL EAS QUAE INCREMENTUM MISSIONUM QUAERUNT, VEL ETIAM EAS ASSOCIATIONES QUAE CULTURAM GENERALEM

VEL PARTICULAREM OBTINERE CURANT, VEL OFFICINAS AB IPSIS ALUMNIS FUNDATAS ET DIRECTAS UBI, CUM VELINT, ADDISCERE POSSINT ARTEM VEL ARTES QUAE IPSIS MAGIS PLACEANT, etc.

HOC MODO alumni gradatim sibimetipsis moderari ac libertate sapienter uti addiscere possent. Et ita in eis concedatur facultas ut in eis crescat actionem officiorumque conscientia opera ultro sponteque incipiendi. Moderatores igitur, memores amorem plus valere quam timorem, et persuasi plus quam coactionem, fiduciam et caritatem ita inspirare curent ut tota seminarii familia Rectori sicut patri ALIISQUE PRAEPOSITIS, QUI DIRECTIONEM SEMINARII CUM IPSO COMPARTICIPENT, aequo animo oboediant et curent ut inter se fraterna concordia coniungantur (ex Const., pag. 9, linn. 16-20).

II - DE FORMATIONIS FINE ET SEMINARIORUM ORDINATIONE

7. Sacrorum alumnorum formatio nullum aliud ... etc. ...

7. Sed ante omnia et super omnia etc., sicut in schemate constitutionis.

8. Ad hanc sacrorum alumnis, etc.

8. Ad hanc sacrorum alumnis, etc., sicut in schemate constitutionis.

9. Cum vero alumnorum, etc. ...

9. Cum vero alumnorum, etc. ...

10. Apta alumnorum institutio, etc. ...

10. Apta alumnorum institutio, etc., usque ad: « ... et propter supernaturales rationes suscipitur (ex Const. pag. 9, lin. 15).

85

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS SIMONS

Episcopus Indorensis

De schematibus in genere. Valde desideratur ut quotiescumque in quaestionibus maioris momenti quinta pars membrorum alicuius commissionis ab aliis dissentit, eorum opinio, additis rationibus, in schematis notis vel appendicibus imprimatur (« minority report »).

I, n. 6, pag. 7, linn. 3-15. Potius quam seminaria minora dentur convictus (anglice "hostels") ubi pueri et adolescentes, qui sacerdotes fieri intendunt, communiter degant et a quo scholas ordinarias frequentent. Hi praeterea per vacationum tempus domi morantes communem prorsus vitam ducant. Ne habitu quidem ab aliis adulescentibus distinguantur. Ita ut si mutato consilio ad saeculum redire voluerint, iis aditus omnino pateat. Hoc agendo ii tantum ad ordines promovebuntur, qui magno animo et voluntarie ad sacerdotium accedunt, et non ii qui quasi nolentes in coetum clericorum compulsi sint.

Ne timeatur diminutio totalis vocationum. Nam ita agendo habebitur qualitas sacerdotum tam praeclaris, quae pluriores adulescentes ad sacerdotium attrahet.

III, n. 17, pag. 11, linn. 34-39. Formatio spiritualis congrua in seminario consulatur per patrem spiritualem vere idoneum. Ad formationem spiritualem roborandam melius videtur periodum duorum triumve mensium impensioris tirocinii spiritualis *neosacerdotibus post triennium* praestare.

IV, n. 19, pag. 12: *Ad formationem intellectualem.* 1. Capacitas humana acquirendi scientiam, proh dolor, limitata est! Inde irrationale videtur varios tractatus scientiae quasi in infinitum cumulare. Inde necessarium erit « modernizare » totum curriculum seminaristicum, extirpando quaequae obsoleta et minoris momenti pro vita hodierna sunt sive in linguis (hebraica, graeca, latina), sive in campo philosophiae (systemata antiquata) sive etiam in campo theologiae.

Studia profundiora atque specialia relinquantur peritis in unaquaque dioecesi vel, ubi viget paucitas sacerdotum, in unaquaque natione habitis, ad quos recursus haberi poterit.

2. Non alumnis tantum sed et professoribus pluribus tam in discendo quam in docendo lingua latina magnum obstaculum esse videtur. Et conatus maximi qui necessarii sunt ad linguam latinam discendam poterunt melius ad scientias et ad linguas modernas plus necessarias adipiscendas adhiberi. Ita lingua latina fit obstaculum addiscendi linguam vivam necessariam et obstaculum in faciendis studiis ecclesiasticis quae modo multo faciliore et solidiore per linguam vernaculam vel saltem modernam ipsis necessariam addiscere possunt.

In locis missionum lingua latina, non sicut in terris linguae « latinae », totaliter diversa est ac materna. Inde seminaristae non sine magna difficultate eam discere possunt. Insuper in India septemtrionali plures seminaristae iam duas linguas alienas ita addiscere debent, ut in iis adhibendis vere periti fiant. Tempus adhibitum in discendo et adhibendo linguam latinam ratio est cur linguam quam in apostolatu maxime necessariam habent, non modo experto discere possint.

De cetero, experientia patet perpaucos sacerdotes legere libros lingua latina exaratos postquam cursum seminaristicum persolverunt. Extra seminaria et universitates hi libri generatim praesto non sunt. Legunt potius libros in lingua vernacula.

86

EXC.MUS P. D. GREGORIUS HENRICUS SPELTZ
Episcopus tit. Claniensis, aux. Vinonaensis

With the hope that the lips of the priest may keep knowledge and that divinity students may not be found inferior to students in the other academic branches (*Schema,* paragraph 18), I wish to submit a few suggestions with regard to the education of priests, a work in which I was engaged prior to my appointment as bishop. My observations will bear principally upon the *Ratio Studiorum* for philosophy and the last two years of classical studies. I am moved to do so because I find among not a few priests of my acquaintance little esteem for philosophy.

The following observations are respectfully submitted:

1. That the *Schema* would recognize the possibility, existing in some countries, that seminary education associate itself more closely with the entire system of Catholic higher education. In the U.S.A. this would, in certain instances, be greatly facilitated by a change from the traditional minor-major seminary divisions to the so-called four-four-four plan corresponding to our highschool, college and university divisions. Philosophy would then be taught within the fouryear liberal arts college. Such a structuring of seminary training would have many advantages; it would allow a more homogeneous age grouping than is now possible in the minor seminary; it would facilitate accreditation of our seminaries and teacher preparation. Also it would be mutually advantageous both to philosophy, and to the humanities and science. The intellectual atmosphere resulting from the association of faculty members and students of these academic branches would furnish the developing philosopher with needed intellectual stimulation and subject matter for philosophizing. In this setting the impact and errors of modern systems of philosophy will more readily be understood (*Schema,* Paragraph 21). By the same token, the student of the humanities will be matured by his association with the philosophy faculty and students. The traditional stress of the propaedeutic relation of philosophy to theology in the seminary curriculum too little takes into account the close relation of philosophy to the liberal arts. As a consequence we have not realized in our seminaries the formative value of this subject. Properly taught, philosophy can be a decisive influence in the liberal formation of the priest in Christian Humanism who will be qualified by reason of his human and intellectual attainments to know men and the times and to win the respect of all.

2. Finally, the *Schema* should recognize the limitations of the Latin manuals in the teaching of philosophy and urge that they be greatly supplemented by readings from the sources, whether in Latin of in the vernacular. Too often, in the U.S.A., and possibly elsewhere, excessive dependence upon Latin manuals has absorbed all the student's time to the virtual exclusion of collateral reading

in philosophy and cognate branches, with the result that he has acquired only a verbal knowledge of philosophical definitions, principles and technical expressions. This method of presenting philosophy has been a factor in causing it to be little esteemed by many priests; and it has dulled their scholarly interests.

In summary, seminary education, particularly during the four college years considered in this recommendation, has much to gain and to give from a closer association with the mainstream of Catholic higher education.

I hope that these recommendations may be found helpful and worthy of the Commission's consideration.

87

EXC.MUS P. D. AMBROSIUS RAYAPPAN

Archiepiscopus Pondicheriensis et Cuddalorensis

N. 6. Omitti potest prima alinea, « Vocationum sacerdotalium ... moderatoribus » siquidem haec eadem materia iam ample in n. 3 memorata sit.

Id. n., pag. 7, lin. 12. Sic emendetur: « simul vero rectis moribus *et virtutibus tum naturalibus tum supernaturalibus, praesertim castitatis et obedientiae,* solida ... etc. ». Quoniam seminaria minora eriguntur ut adolescentes ad seminaria maiora ingrediendum sese praeparent, emendatio proposita vult concinne et comprehensive indicare quod formatio alumnorum in sacerdotalis vitae virtutibus debet iam in seminariis minoribus praecurrere illam ampliorem formationem in seminariis maioribus, de qua sermo est in nn. 11, 15 et 16.

N. 7, lin. 36. Dicatur: « fideles Dei ministri *in formam Christi* effingantur, per quos Ipse Christus homines ... etc. ». Etenim nisi Christus perprius et profundius in ipsis alumnis formetur, isti postea, ut pastores animarum, Christum in fidelibus efformare nequibunt.

N. 9, lin. 16. Post verba « numero sufficientes » addantur haec: « saltem aliquanta praevia experientia pastorali ornati ». Si enim ad sacerdotalia et pastoralia ministeria obeunda alumni praecipue formandi sunt (cf. n. 7, linn. 21-22); si pastoralis aspectus et ratio, quasi vitalis halitus in disciplinis sacris tradendis a magistris diffundatur oportet (cf. n. 23, linn. 27-28), quid tunc possunt in hoc tanti momenti negotio facere magistri qui nullam omnino habuerint experientiam practicam in campo pastorali?

N. 10, lin. 34. Post clausulam « qui idonei non sint », addatur et haec alia: « vel de quibus serio dubitatur an idonei sint ». Ratio est: in casu talis dubii de eorum idoneitate, dubium cedere debet in favorem Ecclesiae. Nempe, oportet multo magis consulere bono Ecclesiae alumnos ambigue idoneos dimittendo, quam periculum affligendi Ecclesiam adire tales alumnos ad sacerdotium promovendo.

N. 14. Sive post « Quare » in linea 16 sive alibi in hac paragrapho, peropportunum esset addere clausulam: « sicut decretum est in constitutione di S. Liturgia » (vel aliquid simile), ita ut in memoriam reduceretur quod de hac re iam a Sacrosancto Concilio latum est (cf. Const. *de S. Liturgia,* n. 17).

N. 17, linn. 34-39. Valde optabile est ut breviter adumbretur, illustrationis causa, in quonam consistat hoc « impensius tyrocinium spirituale » et quibusnam mediis practicis possit istud exercitari.

N. 18, lin. 12. Post verbum « pastoralibus » addatur « missionalibusque ». Qua additione exprimitur et character essentialis missionarius Ecclesiae univer-

salis, et simul prospectu necessario missionalis sacerdotum in terris missionum formandorum.

N. 23, lin. 24. Dicatur: « Studiorum ecclesiasticorum indoles pastoralis et liturgica peculiari cura etc. ». Expressa mentio posterioris indolis hic necessaria esse videtur ut redactio huius schematis apprime consonet cum constitutione de S. Liturgia, quae decrevit disciplinam de Sacra Liturgia in seminariis inter disciplinas necessarias et potiores esse habendam (cf. Const. *de S. Liturgia,* n. 16).

88

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS IOSEPH SHEHAN
Archiepiscopus Baltimorensis

Hoc schema mihi placet. Nostris temporibus optime accommodata iudico ea quae in schemate dicuntur de necessitate disciplinae.

89

EXC.MUS P. D. EMMANUEL TALAMÁS CAMANDARI
Episcopus Civitatis Juarezensis

Mihi visum est, qua par est modestia, haec venerabili commissioni communicare: Cum inde a Concilio Tridentino usque ad nostra tempora plurima iam exstent documenta tum Romanorum Pontificum tum Sacrae Congregationis de Seminariis et studiorum Universitatibus, quae praecepta normasque varias statuunt quae ad sacrorum alumnos efformandos spectant, dicendum videtur a Concilio Oecumenico Vaticano Secundo hoc solum sperari hac in re quod Seminaria nostra omnino efficiat idonea ad talem formationem alumnis impertiendam, prout necessitas temporis praesentis necnon proxime futuri exigit.

In schemate, ergo, respective non videtur agendum de necessitate efformandi sacrorum alumnos in solida pietate, in optima disciplina, eosque ditandos esse amplissima cultura tam in humanis scientiis quam praesertim in sacris disciplinis: haec omnia multifarie multisque modis iam clare statuta sunt et omnes totius orbis Episcopi serio volumus.

Difficultas nostra vere incipit quando volumus statuere media practica quae revera apta sint ad talem finem assequendum in nostro tempore. Nostrum enim tempus supponit specialem mentalitatem specialesque dispositiones et indispositiones in iis qui altare conscendere cupiunt. Insuper, medium seu ambiens sociale in quo futuri sacerdotes laborare debebunt videtur exigere praeter multas traditionales etiam aliquas novissimas et speciales normas pro hodierno tempore formationis. Ideo humiliter peto venerabili commissioni quod schema conciliare « De sacrorum alumnis formandis » unice agat de mediis practicis paedagogicis, psychologicis, disciplinaribus, scientificis, oeconomicis, etc., quae apta videantur ad hoc ut nostro tempore, ex iuvenibus hodiernae mentalitatis obtineantur idonei sacerdotes vere spiritu Christi imbuti, qui mundum ad Christum vere trahere possint.

Discussio talium normarum in congregationibus Concilii Oecumenici perutilis omnino erit, ex qua sperari licet decretum conciliare vere maturum.

90

EXC.MUS P. D. DOMINICUS VALERII

Episcopus Marsorum

Meo humili iudicio, aliqua inchoatio formationis sacerdotalis etiam in seminariis minoribus non potest deesse. Quare, in pag. 7, lin. 16, mihi videtur aptius dicere: « ... *perficere* valeant ».

91

EXC.MUS P. D. TARCISIUS VAN VALENBERG

Episcopus tit. Combensis

In tractanda constitutione *de sacrorum alumnis formandis* concedatur mihi licentia quaedam verba scribendi circa Constitutionem Apostolicam *Veterum Sapientia,* quae tractat « de Latinitatis studio provehendo » in clericorum formatione.

Haec autem verba scribam nomine multorum aliorum episcoporum missionariorum, qui textum hunc perlegerunt atque approbaverunt.

Ante omnia explicitis verbis declarare peropto, si adhuc opus esset, nos missionarios nihil antiquius habere quam in omnibus nostris laboribus arctissimam unionem conservare cum Summo Pontifice atque Romana Ecclesia. Quapropter ex animo approbamus finem quem Const. Apost. *Veterum Sapientia* persequi intendit, cum et nobis omnino persuasum sit linguam latinam optimum ac efficax esse medium hanc unionem tuendi atque promovendi in illa parte Ecclesiae quae ritu Latino utitur.

Nihilominus, nos missionarii, unice solliciti de vero bono Ecclesiae, haud dissimulare possumus ad plenam Constitutionis Apostolicae *Veterum Sapientia* eiusque ordinationum exsecutionem gravissimas quasdam difficultates obstare. Hae autem difficultates, quas cum debita reverentia Commissioni Vestrae perpendendas submittimus, sunt sequentes:

1. Postulata scientifica, quae in hac Constitutione ab omnibus alumnis promiscue exiguntur, tam alta sunt ut vires intellectuales illorum iuvenum, qui culturae latinae omnino sunt alieni, excedere reputari debeant. Et ideo, si integra et universalis huius Constitutionis eiusque ordinationum exsecutio ubique est urgenda, plures, forsan multi ex istis alumnis, licet probi ac bonae indolis et magno animarum zelo praediti, a proposito suo desistere cogerentur. Ceterum, in ipso schemate const. *de sacrorum alumnis formandis* praescribitur, et rectissime quidem, « ut sacerdotalis institutio pastoralibus exigentiis respondeat *illarum regionum in quibus ministerium exercendum sit* » (n. 12, pag. 18).

Nemo non videt quantopere talis rerum conditio commovere debeat animum eorum, qui in terris missionum, ipsa suprema auctoritate ecclesiastica recte omnino impellente, omnibus viribus ad hoc laborant ut Ecclesia ibidem clerum autochtonum obtineat.

Vis autem istius rationis adhuc melius perspicietur si quis perpenset quam gravissimum onus imponeretur clericis Latinis, si addiscere deberent linguam sinensem, et quidem eodem modo ac nunc clerici sinenses linguam latinam sibi assimi-

lare obligantur iuxta ordinationes Const. Apost. *Veterum Sapientia*. Et tamen obliviscendum non est regionem Sinarum occupare quartam partem mundi!

Hic etiam remitti liceat ad sapientissima verba quae de hoc gravi problemate profert in suo libro « Ultime foglie » dicto em. card. Celso Costantini, f. r., rerum missionalium, praesertim Sinensium, ex triginta annorum experientia quam peritissimus (cf. *Ultime foglie*, Roma 1953, v. g. pp. 209-210, 228-230, 341, 376-380).

2. Plena ac fidelis constitutionis *Veterum Sapientia* exsecutio ipsam quoque rationem studiorum tali modo aggravare censetur, ut parvum temporis spatium relinquatur ad addiscendum plures alias disciplinas etiam sacerdoti necessarias. De hisce disciplinis quoque agitur in hoc schemate, ubi candidatis ad sacerdotium instructio impertienda esse imponitur « eorum quae homines culti scire debent, cum magis in dies urgeat necessitas ut sacrorum alumni inferiores non sint ceteris iuvenibus qui in propria natione ad studia academica accedunt » (pag. 12, n. 19).

Quapropter multi episcopi missionarii censent exigentias, ab ordinationibus Const. Apost. *Veterum Sapientia* requisitas, clericis alius culturae ac latinae tam graves evadere ut integra huius constitutionis exsecutio cum ratione studiorum pro eorum seminariis redacta vix componi posse dicenda sit, etiamsi adhibeantur « normae transitoriae » in eadem constitutione suggestae.

Praetermittere hic non possum plures alios episcopos, operi missionali non addictos, mihi communicasse easdem rationes etiam valere pro suis regionibus.

Conclusio. Ob rationes supra expositas proponitur: 1) Concilium Vaticanum II quaestionem circa *modum* et *mensuram*, quibus haec Constitutio Apostolica *Veterum Sapientia* eiusque ordinationes in praxim reduci debeant, conferentiis episcopalibus relinquat determinandam.

2) Quaeritur ut huius *notae* mentio fiat in Actibus Concilii.

92

Exc.mus P. D. BERNARDUS PATRICIUS WALL

Episcopus Brentvoodensis

I regret that in the present scheme the *virtue* of obedience is not more insisted upon. I say, the *virtue* of obedience, for though in paragraph 15, p. 8, obedience is mentioned, it is as a counsel (the title of the paragraph) or as a spirit or attitude. This, it is true, denotes the perfection of obedience, but in view of modern errors it is the virtue itself, its substance that should be insisted upon.

It must be remembered that a constitution such as the present is to be read not only by bishops and priests (and seminary professors), but also by the students themselves. Statements should therefore be clear-cut and matter-of-fact. Moreover, granted that it is better to present doctrine in a positive manner rather than by a condemnation of errors, nevertheless, where necessary, such errors should be envisaged by a greater insistence on the true doctrine.

Now obedience is the greatest of the moral virtues (*St. Thomas Aq.*, 2, 2, q. 104, a. 3). It is the first expression of charity, making of that charity something more than a mere lip-service.

Moreover—and this is of the utmost importance—obedience is necessary for the very structure of the Church, essentially *hierarchical.* In this the obedience of the priest as such, of the *pastoral* priest at least, differs from the obedience of the religious in his vow. Whether the promise made to the Bishop by a priest at his ordination is of the same rigorous character as the vow of the religious may be a matter of discussion. In fact they belong to two quite different orders. The vow taken by the religious is primarily for his own personal perfection; the promise made by the priest is of the apostolic and pastoral order, for without submission to the Bishop there can be no dedication to the service of the apostolate.

Here, then, is an added reason why the necessity of obedience to be inculcated in the student should be presented not as a counsel of perfection (or not only so), but as a virtue rigorously demanded for the very existence of the Church, not merely for its « bene esse ».

Again, the counsels are in this paragraph 15 presented in an ascending order, which means however that it does come last, whereas it is first, both as a virtue, as mentioned above, and also as a counsel, since the good involved is the will, the whole self, and not a partial good as with chastity and poverty.

In my view, some statement on the necessity of the *virtue* of obedience should find a place immediately after the statement concerning charity, of which it is the effective expression, and on the lines mentioned above.

The key-text in this matter of priestly obedience is that applied by St. Paul to the Eternal High Priest: « Tunc dixi: ecce venio; in capite libri scriptum est de me ut *faciam,* Deus, voluntatem tuam » (*Hebr.* 10, 7).

93

EXC.MUS P. D. IOANNES IULIANUS WEBER

Archiepiscopus-episcopus Argentoratensis

Hoc schema mihi, qui per 25 annos in seminario Sancti Sulpitii parisiensi adlaboravi, optimum videtur. Aliqua corrigenda aut forsan addenda hic proponere audeo:

Prooemium. Pag. 5. 1. Forsan legatur in lin. 1: « ac Pastoris », melius quam « ac Regis ».

2. Quamquam notio vocationis sacerdotalis praevisa sit in Appendice I, forsan ad lin. 20 aliquid addi possit de hac magna quaestione. Submitto sequentem redactionem, et adiungo articulum a me exaratum de hoc problemate: « Necessarium namque est eos qui huic tam sublimi servitio sese consecrare volunt, vera vocatione divina vocatos esse, sicut scriptum est: " Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron; sic et Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret " (*Hebr.* 3, 4-5).

Haec autem vocatio sub duplici aspectu considerari potest, ex parte Dei, scil., et ex parte Ecclesiae, sicut ex verbi Pii XII elucet: " ... Totius vitae religiosae, sive sacerdotalis et apostolicae, fundamentum, quod divina vocatio vocatur, duplici veluti essentiali elemento constitui neminem ignorare volumus, divino scilicet altero, altero autem ecclesiastico. Ad primum vero quod attinet, Dei vocatio

ad statum sive religiosum sive sacerdotalem ineundum tum necessaria dicenda est, ut si deficiat, ipsum fundamentum, quo totum nitatur aedificium, deficere debeat ".

Haec autem vocatio divina comportat in subiecto voluntatem firmam, rectam et libenter datam (seu verum desiderium) Deo et animis serviendi, coniuncta cum dotibus tam naturalibus quam supernaturalibus quae spem praebent hominem aliquem munus sacerdotale fideliter et utiliter obeundum (cf. declarationem Coetus Cardinalium a S. Pio X approbatam: *A.A.S.* 1913, p. 485). Ambo enim probant Deum revera ad sacerdotium aliquem vocavisse.

Ex altera parte, " divina ... ad religiosum et clericalem statum vocatio, utpote quo quis in Ecclesia, societate scilicet visibili atque hierarchica, ad vitam sanctificationis publice ducendam et ad ministerium hierarchicum destinetur, a moderatoribus quoque hierarchicis, quibus Ecclesiae regimen divinitus commissum est, ex auctoritate comprobari, admitti atque regi debet " (*A.A.S.,* 1956, p. 357) ».

III. *De institutione spirituali.* Pag. 11: in lin. 21, versus finem, legatur: « cuiusmodi sunt *immensa bonitas,* vitae integritas... ».

IV. *De studiorum ratione.* Pag. 15: ad finem lin. 17 addatur: « Ad hoc rector seminarii sacerdotes in ministerio laborantes et etiam laicos diversarum professionum admittat aut invitet, ut alumnis aliquid suae experientiae tradant, eosque problematibus diversis nostri temporis instruant ».

94

Exc.mus P. D. MATTHIAS WEHR *

Episcopus Trevirensis

Schema propositum in genere non placet. Magis enim stylum litterarum encyclicarum exhibet quam constitutionis conciliaris. Abundat quidem verbis, sed desideratur perspicuitas cogitationum et claritas consectariorum, quae ex tractatu profluunt. Optandum est, ut pauca tantum principia generalia in constitutione a Concilio pronuntientur, ceteris omnibus remissis iis, quibus Decreta Concilii exsequenda erunt.

In specie ad singulos numeros animadvertenda videntur quae sequuntur:

N. 4, pag. 6, lin. 20: deletis verbis « baptisma... christianam » ponatur: « per *baptismi characterem ad participationem sacerdotii Christi* vocantur ». *Ratio*: clarius aliquid dicendum videtur de veritate et dignitate sacerdotii generalis fidelium, quod fundamentum et condicio est ad sacerdotium speciale consequendum.

Pag. 6, linn. 21-22: Deletis verbis « quae... praestat », dicatur « *quia sacerdoti speciale ministerium circa mysteria* divina committitur ». *Ratio*: comparatio tum cum sacramento matrimonii tum cum apostolatu laicorum inconcinna est.

N. 6, pag. 7, lin. 2: inter linn. 2 et 3 inseratur: « Curent Ordinarii, ut in quibusvis scholis publicis, praesertim superioribus, spiritus fidei, pietatis, castitatis in iuvenibus per sacerdotes idoneos colatur atque in dies augeatur, ita ut

* Cf. pag. 810: *Animadversiones ad supra dictum schema.*

germen vocationis sacerdotalis, ubicumque inveniatur, sancte servetur et foveatur ». *Ratio*: necesse videtur, ut in hoc numero aliquid dicatur de vocatione spirituali tutanda et nutrienda in iis, qui, in sua familia manentes, scholas publicas frequentant, cum experientia constet permultos iuvenes hac via ad sacerdotium pervenire.

Pag. 7, linn. 3-6: deleantur verba « ut iuxta... institui possint ». *Ratio*: textus schematis ansam praebere posset, falsae opinioni in aliis scholis ac in seminariis minoribus vel peculiaribus collegiis adolescentes ad sacerdotalis vitae virtutes comparandas rite institui non posse. Quod evitetur.

Pag. 7, lin. 16: addatur post lin. 16: « Studia ita instituantur necesse est, ut discipuli e seminario immature exeuntes ad scholas publicas transire sine difficultate vel damno valeant. Item curari oportet, ut testimonia de studiis in seminario peractis a civili potestate agnoscantur iisdemque iuribus augeantur, quibus diplomata scholarum publicarum fruuntur, ita ut qui in seminarium maius ingredi noluerint, ad alia studia academica libere accedere possint ». *Ratio*: libertas eligendi statum clericalem plene servetur, et eiusdem status dignitas augeatur.

N. 7, pag. 7, linn. 20-21: deleantur verba « et munera Christi describuntur et... ». *Ratio*: dubium est textu *Io.* 10, 3 et 11 munera Christi describi.

Pag. 7, linn. 23-25: deletis verbis « ut divina... fideles » ponatur: « ... ut in sacra Liturgia Evangelium Christi ministerio verbi proclametur et mysteria Christi celebrentur ac hominibus communicentur, ut fideles... ». *Ratio*: male sonat « divina veritas », quia non veritates abstractae seu systema quoddam proclamatur, sed ille nuntius bonus de redemptione nostra, quem genuina traditio « evangelium » appellat. Item distinctio inter proclamationem verbi et celebrationem liturgicam non valet nisi pro proclamatione missionaria; normale ministerium verbi, de quo hic sermo est, primarie a sacerdote intra Liturgiam exercetur, ubi praedicatio tamquam pars integralis celebrationis liturgicae consideranda est (cf. cap. I const. *de sacra Liturgia*). Porro in lin. 25 minus accurate dicitur vitam Christi hominibus tribui.

N. 12, pag. 9, linn. 27-31: deletis verbis « etsi... Christus (*Gal.* 2, 20) » dicatur: « Etsi omnis institutio in sacra doctrina et in arte pastorali eo tendere debet, ut sacrorum alumnus dignus fiat dispensator mysteriorum Christi, peculiaris... ». *Ratio*: 1. Character Sacramenti qui est participatio sacerdotii Christi non efficit, ut charactere insignitus « alter Christus » sit.

2. Nec textus *Gal.* 2, 20 hunc sensum habet, quo schema eo utitur.

N. 13, pag. 9, lin. 36 - pag. 10, lin. 12: Non placet. *Ratio*: fides tantummodo intellegi videtur tamquam assensus rationis non vero etiam tamquam adhaesio cordis.

Item capita 13-17 Evangelii Ioannei vix tamquam codex vitae haberi queunt.

N. 15, pag. 11, lin. 9: deleantur verba « vere... ineunt ». *Ratio*: omnibus fidelibus est spirituale cum Verbo connubium.

N. 17, pag. 11, linn. 36, 38-39: deletis (linn. 38-39) verbis « sive immediate... perficiendam » inseratur in lin. 36 inter verba « spiritualis, sive » « sive ante ingressum in seminarium maius... ». *Ratio*: probatio vocationis immediate ante s. ordinationem conferendam nimis sera videtur, bene autem locum habet ante ingressum in seminarium maius vel ante cursum theologicum instituendum.

N. 21, pag. 13, lin. 14: ante verba « secundum S. Thomae... » inseratur

« imprimis ». *Ratio*: secus timendum est, ne aut profectus doctrinae impediatur aut doctrina S. Thomae extenuetur.

Pag. 13, lin. 16: post « omnibus » addatur « propter fidei doctrinam servandam ». *Ratio*: ne praetermittatur ratio tenendi determinatas doctrinas philosophicas.

N. 22, pag. 14, lin. 8: ad verbum « historiam » addatur: « Insuper studium historiae ecclesiasticae foveatur. Nam haec ipsa historia Ecclesiae, tum interna tum externa, multum iuvat ad notitiam Ecclesiae augendam et ad pietatem erga ipsam fovendam ». *Ratio*: Historia ecclesiastica studii theologici pars est.

Pag. 14, lin. 9: deleantur verba « sicut de philosophia dictum est ». *Ratio*: cf. *supra* ad n. 21 (pag. 13, lin. 14).

N. 23, pag. 15, lin. 16: loco verbi « sacerdotale » dicatur « pastorale ». *Ratio*: agitur de auxilio pastorali praestando.

Appendices. Non placet, ut Instructiones edantur auctoritate Concilii, quin Patribus in Concilio coadunatis propositae et ab iis approbatae fuerint. Quae enim conciliariter discussa et statuta non fuerint, nec nomine Concilii nec iussu vel auctoritate eius edi possunt, licet singulis episcopis facultas fuerit mentem aperiendi.

Ad singula vix aliquid dicere potest, quia solummodo tituli referuntur. Attamen annotandum est in Appendicibus quasdam res inveniri, quae Concilio, non obstante optata brevitate schematis, decernendae subiciantur oportebit, quia principia altiora continent. Instructiones autem vel Directoria, si quae Patribus conciliaribus edi placeant, nihil nisi mere applicationes et exsecutiones eorum contineant, quae a Concilio statuta sunt.

95

Exc.mus P. D. PAULUS YOSHIGORO TAGUCHI
Episcopus Osakensis

1. Ad n. 6, pag. 7 (cf. Append. I, Sec. 2, n. 1). Post lineam 16 sequens mentio facienda videtur: « In seminario minori specialis cura habeatur ut alumni quodammodo consuescant ad directionem spiritualem suscipiendam antequam in seminarium maius promoveantur. Ante curriculum quoque philosophicum opportunitas praebeatur ut alumni de sua vocatione clarius perpendant ».

2. Ad n. 23. *A*) In pag. 14, post lin. 39, addendum esse videtur (cf. Append. I, Sec. 3, n. 8): « Quapropter, post quartum annum expletum cursus theologici, alumni novensiles per integrum annum in seminario vel domo idonea maneant, sabbatis atque diebus dominicis et festis exceptis, ut in dioeceseos paroeciis coadiuvent in Sacro Ministerio, ad sensim assequendam theoreticam et practicam peritiam pastoralem. Hoc anno pastorali alumni a sacerdotibus expertis sedulo instruantur de gubernatione spirituali et administratione oeconomica paroeciarum, atque rationes theoreticas et practicas suas faciant moris sacerdotalis gerendi in vita quotidiana et quidem in hodierna societate ».

B) In pag. 15, lin. 6, sequentia addenda esse videntur (cf. Append. I, Sec. 2, n. 8): « Quo alumni melius ad christianum sensum socialem informentur, vaca-

tionis tempore per aliquot hebdomadas in institutis socialibus et aliis caritatis operibus assistentium munere fungantur ut sedulo realitatem cognoscant hodiernae societatis, in qua variis apostolatus formis fungituri sunt, simulque suae vocationis firmitatem probent atque confirment ».

3. Quoad vocationem, in seminariis aliquot alumni se vocatos sentiunt ad perfectiorem statum, religiosum vel praesertim missionarium. In hoc schemate nihil dicitur de vexata quaestione num episcopi tales iuvenes impedire possint quominus seminarium relinquant ad perfectiorem statum et quidem, ut nonnumquam accidit, illos tamquam seminario expulsos habeant si, contra ipsorum negatum adsensum, perfectiorem statum petant. Quaeritur:

A) Quo titulo iuvenes qui se vocatos sentiunt ad vitam religiosam et missionariam impediri possunt ab episcopo vel a superiore seminarii? Quamvis dioecesis sacerdotum indiget, nonne servanda est omnino libera voluntas alterorum qui ad statum laicalem redeunt et alterorum qui perfectiorem statum eligunt? Nonne Deus, qui certe familias adiuvat qui Ei meliores donant filios, certissime adiuvabit et episcopos qui Ei donant iuvenes forte omnium dilectissimos?

B) Quamvis vocatio sacerdotalis missionaria essentialiter non distinguatur a vocatione sacerdotali communi, num idem dici potest de vocatione religiosa quam plerumque amplectuntur iuvenes qui ad vitam missionariam se vocatos sentiunt? Quomodo ergo a quovis vocatio essentialiter distincta a vocatione sacerdotali communi reprimi potest?

* * *

Generalia. Fusius sit sermo de « selectione vocationum ». Non omnes seminaristae ad sacerdotium vocationem habent, quare non potest dici iuvenes seminario egredientes vocationem perdidisse vel vocationi suae infideles esse. Ne dicatur quidem, seminaristas egredi ob culpam moderatorum seminarii. Huiusmodi accusatio fere semper est sine fundamento. Iuvenes sub ductu directoris spiritus et aliorum moderatorum in seminario serio investigent oportet utrum veram vocationem habeant an non.

Specialia. Ad n. 5. In aliquibus dioecesibus non omnes iuvenes qui vocationis signa ostendunt in seminaria admittuntur quia media non habentur ad eos sustentandos et ad novas paroecias erigendas pro neo-sacerdotibus. « Opus vocationum sacerdotalium » magni momenti est sed omnes sacerdotes, praesertim parochi, etiam pecunia sua, si quam habeant, seminaristas pro viribus iuvare debent. Insuper Divinae Providentiae fidant mediis necessariis acquirendis. Candidati ad sacerdotium, de quibus dicitur, offerri possunt aliis dioecesibus quae penuria sacerdotum carent.

Ad n. 10, lin. 35. Dicitur: « Superiores tempestive dimittant ». Addendum esse videtur: « Cum caritate quidem et pro viribus eos adiuvent sive ad alia studia facienda sive ad aptam occupationem inveniendam, ita ut Ecclesiae serviant ut boni laici ».

Ad n. 13, pag. 10, linn. 6 ss. Non sufficit ut doctrina de caritate theoretice tradatur, sed moderatores exempla caritatis dent oportet ut alumni ad imitationem trahantur.

Ad n. 15, pag. 10. Spiritus paupertatis sincere coli et apte exerceri debet, v. g., visitatione et levamento pauperum etiam pecunia sua, usu frugali bonorum

temporalium, laboribus manualibus. Dolendum est non paucos neo-sacerdotes pauperibus familiis praeponere vestimenta sacerdotalia pretiosa et rerum magni pretii, saepe superfluarum, emptionem in suum commodum.

Ad n. 23, pag. 15, lin. 3. Inter disciplinas subsidiarias adnumerandae videntur: scientia et ars practica de administratione spirituali et materiali paroeciae, scientia de iure civili quoad administrationem bonorum Ecclesiae ...

96

Exc.mus P. D. FRANCISCUS ZAYEK

Epscopus tit. Callinicensis Maronitarum

Il nous faut lamenter dans ce Schéma l'absence totale des notes, et donc de références à des textes Pontificaux, décrets des Congrégations, écrits divers. De ce point de vue donc le Schéma est très pauvre.

Quant au texte lui même je dirai que tous les points importants ont été touchés, mais on désirerait encore des précisions sur quelques uns d'entre eux et tout d'abord:

A) *Dans le Proemium:* Quoique en simples traits: 1) qu'on nous présente la beauté du Sacerdoce, sa Grandeur, sa Fonction dans la vie moderne et sociale des peuples et des Nations, et ceci contre l'esprit rationaliste et matérialiste qui règne et qui dit que le prêtre est un parasite! 2) qu'on dise que le Christ est Prêtre oui, mais aussi qu'il est Victime, Agneau, Hostie; que ce Prophète est par son exemple et sa parole (coepit facere et docere) Maître; que ce Roi de Grandeur est Pasteur qui court derrière la Brebis perdue; et ceci afin que les Séminaristes et les Prêtres aient une vision totale de leur Prototype, le Christ Jésus.

B) De Vocationibus *ecclesiasticis;* ce serait peut-être mieux dire de voc. « sacerdotalibus », car la vocation religieuse est aussi ecclésiastique. A la ligne 16, en parlant du Sacerdoce, qu'on dise « ministerialis », car on a fait dejà sermon au Concile du Sacerdoce laique ou des laiques baptisés. Ligne 18: qu'on nous dise un peu quels sont les signes de la vraie vocation du Seigneur pour qu'on évite les extrêmes. Ligne 24, on a bien fait de parler de l'exemple à donner par les prêtres, par leur vie spirituelle, leur zèle, mais qu'on n'oublie pas que souvent l'état de pauvreté extrême, et d'abandon, surtout dans leurs derniers jours, où se trouvent les prêtres, n'est pas du tout fait pour encourager les vocations! Que dire, parfois des prêtres meurent désespérés! Ligne 26, qu'on souligne davantage l'importance des professeurs dans l'éclosion des vocations (car les germes sont en général à rechercher dans les familles). J'ai été touché de voir qu'en Irlande dans beaucoup d'écoles, où la majorité sont des prêtres à enseigner, un très bon pourcentage d'élèves, finies leurs études préparatoires, au lieu de passer aux diverses branches des Universités, choisissent la vie sacerdotale et entrent au Séminaire ou dans des Ordres Religieux. Dans ces milieux bien conservés et éduqués on se passe donc des petits Séminaires!

Pag. 6, ligne 1: Nous avons dit que les familles doivent voir que les prêtres ne vivent pas une vie de misère: il faut qu'ils sachent aussi que leurs fils en se faisant prêtres ne renoncent pas à ses devoirs de fils, droits naturels renforcés à jamais par le 4ème Commandement. Il semblerait inutile de le dire et pourtant on

trouve, surtout dans les Ordres Religieux, certaines restrictions à ce point de vue qui n'ont certes rien d'humain, et je crois, par le fait même, rien de divin, et qu'on cherche à camoufler sous une fausse spiritualité!; quand la présence des enfants au chevet de leurs parents malades et moribonds serait non seulement un devoir impérieux de charité, mais aussi un devoir de stricte justice!

Ligne 10: nous avons dit qu'il faut parler un peu des bienfaits du Sacerdoce pour la Société moderne matérialiste!

Pag. 7, ligne 1: Oui, avant de choisir une vocation, il faut voir où cette vocation a pris racine; les ronces ne donnent pas des raisins! L'exemple donné par les parents a certes une répercussion sur toute la vie des enfants! Dans le choix des Séminaristes on pourrait faire un peu ce qui se fait depuis l'année dernière à notre Séminaire Maronite de Ghazir. Pendant les Grandes Vacances, les Evêques envoient quelques enfants au Séminaire: ils y resteront un mois sous la vigilance des Supérieurs et des Professeurs, qui donneront, chacun par écrit, leurs observations sur chaque enfant. Toutes ces observations seront présentées aux Evêques respectifs et l'Evêque avec le Supérieur décidéront qui est celui qui sera admis au Séminaire: au petit Séminaire.

Les bonnes vocations se recrutent dans les milieux Scouts, Légion de Marie, Action Catholique active...

Les Préséminaires et les Séminaires seront d'autant plus nécessaires là où, dans les écoles, il n'y a pas beaucoup de prêtres comme professeurs, et les enfants restent exposés à mille dangers. Les Ecoles dirigées par les prêtres et qui ne donnent pas de vocations, ou presque pas, doivent être jugées comme des écoles « mauvaises »! et sans formation!

Art. II: *De formatione finis*: ... On parle là des Supérieurs du Séminaire. Un Evêque qui a travaillé longuement dans les Séminaires me disait récemment: « Excellence, si ce Concile ne faisait que résoudre la question des Supérieurs, il serait aussi grand et important que le Concile de Trente qui a créé les Séminaires ». Il faudrait autant que possible que l'équipe des Supérieurs et des Professeurs du Séminaire soit préalablement préparée: on ne saurait vraiment pas les improviser! Que de déficiences et d'incompréhensions dans les Séminaires, à cause précisément des Supérieurs! Certains Supérieurs incompétents, au lieu d'éduquer les séminaristes, les habituent à l'hypocrisie! ou bien ils tuent en eux (dans les séminaristes) tout élan et toute personnalité; et ainsi une fois prêtres, ils resteront toujours « petits », ne sachant quoi faire, sans l'avis de ces Supérieurs qu'ils devront toujours consulter, à la grande satisfaction de ces derniers! Que de complexes se créent au Séminaire, si les Supérieurs ne sont pas préparés.

Il faut que les Supérieurs vivent une vie commune et pleine de charité entre eux, sinon ils seront de mauvais exemple aux Séminaristes qui épient en général les moindres mouvements des Supérieurs. Et surtout pas de préférences au Séminaire!

Il faut, pour autant qu'il est possible, que les Supérieurs et les Professeurs des Séminaires n'aient pas d'autre occupation que celle qui leur a été assignée au Séminaire. Que les Supérieurs et les Professeurs soient bien rétribués, pour qu'ils ne se plaignent pas devant les Séminaristes et ne négligent pas leurs devoirs au Séminaire. Qu'on ne demande donc pas aux prêtres de demain, ce qu'ils n'auront pas reçu au Séminaire!

Qu'en général les Professeurs du Séminaire soient des prêtres, mais pour certaines matières qu'on n'hésite pas à faire venir des laïques de bonne réputation et approuvés par l'Ordinaire, comme par exemple pour les Mathématiques, l'Economie, la Sociologie, Psychologie, Médecine Pastorale etc.

Que ce ne soit pas le Supérieur tout seul à juger de l'idonéité ou moins d'un Séminariste, et ceci tant pour l'acceptation d'un candidat aux ordres, que pour le renvoi du Séminaire.

Que la Congrégation des Séminaires fasse « des Visites » chaque 5 ou 6 ans aux Séminaires, pour voir si tout est en règle!

Il ne faut pas que les Séminaristes soient trop nombreux dans un même Séminaire, car la formation et la discipline en souffrent: les Supérieurs n'arrivent pas à s'occuper en conscience de leurs séminaristes trop nombreux, et alors les Séminaristes marchent un peu comme les moutons de Panurge! Un nombre bon serait de 60 ou 70 au maximum.

Au grand Séminaire, la liberté doit être plus grande (mais en ceci aussi, il faudrait éviter les exagérations: laisser sortir les Séminaristes périodiquement après souper, comme cela se fait quelque part, je ne crois pas que ce soit si formateur, car la vocation aussi a besoin d'être protégée!). La liberté au grand séminaire est plus nécessaire pour laisser une place à l'autoformation (ceci suppose pourtant qu'on aie reçu déjà les bases!). Si dans un Séminaire tout se fait au son de la cloche (qui est la voix de Dieu!) une fois que cette « voix de Dieu » ne se fera plus entendre, le Séminariste et le futur prêtre laisseront tomber petit à petit leurs pratiques religieuses, les plus essentielles à leur vie spirituelle: ils ne se sont pas autoformés! La « voix de Dieu » devrait être pas la cloche, mais leur conscience sacerdotale et religieuse qui devrà les accompagner jusqu'au dernier soupir et sans se taire jamais!

Les vacances sont nécessaires donc pour tous, mais si elles sont trop longues, elles deviennent dangereuses pour les petits. Pourtant, elles sont fortement utiles pour les grandes séminaristes, chez qui on doit supposer déjà une certaine formation. Mais même pendant les vacances, les séminaristes ne devront pas être tout seuls. Ils seront confiés autant que possible au curé du lieu, ou à un autre prêtre, et ils seront suivis de loin par leurs Supérieurs. Qu'ils profitent des vacances pour faire des camps de scoutisme, pour s'habituer *à la vie dure,* surtout là où ils ne devront pas faire le service militaire, qu'ils apprennent à se servir soi-mêmes et à servir les autres; qu'ils commencent leur apostolat dirigés par le curé.

Art. III. *De institutione spirituali.* Qu'on dise au début de ce chapitre que le Séminariste, dès son entrée au Séminaire, doit vivre plus intensément son Baptême, sa Confirmation, son Sacerdoce laïque dans l'Eglise pour mieux se préparer au Sacerdoce ministériel, vers lequel il avancera étape par étape.

Qu'on ne cache pas aux Séminaristes les difficultés qu'ils vont rencontrer dans leur vie, les persécutions pour le Christ; ils devront subir la haine du Monde, comme disciples de Jésus Christ; qu'ils sont des vrais soldats, et qu'ils devront continuellement vivre dans le champ de bataille... *mais que le Christ est avec eux.* Qu'on prépare les séminaristes, en les envoyant les dimanches travailler sous l'égard des curés et des prêtres zélés. Ceci devra, ou pourra être fait deux fois le mois, en anticipant la Messe conventuelle. Qu'on leur explique clairement en quoi consiste la chasteté, *la sainteté du mariage,* mais aussi la beauté supé-

rieure du don total de soi à Dieu et aux Hommes: qu'ils aient donc un Directeur bien éclairé, pour qu'il ne crée pas en eux des complexes nuisibles et dangereux.

Que le Père Spirituel soit donc un vrai père, qui aime et comprend ses fils, et pas un fonctionnaire qui se limite à donner des conseils stéréotypés et aussi inéfficaces donc que sa mentalité.

Oui, Jésus Eucharistie et Marie, au Centre de toute la Spiritualité du Séminaire!

Qu'on insiste davantage sur la *simplicité et l'humilité.* Comme ils sont antipathiques les prêtres et les prélats et les Evêques orgueilleux, et comme ils sont nombreux, hélas! Ils éloignent de plus en plus le peuple de l'Eglise et de Dieu. Qu'on rappelle que le prêtre est pour servir et pas pour être servi: qu'ils aient l'exemple du Maître qui lave les pieds. Qu'ils doivent servir l'Eglise, et non pas se servir de l'Eglise pour leurs vanités, ou être servis par l'Eglise; et que ce soit une norme pour toute leur vie!

A l'art. 16 on parle des vertus naturelles: hélas, combien on fait peu de cas de telles vertus, et elles doivent pourtant être à la base non pas du séminariste et du prêtre, mais de tout homme qui se respecte. Il faut que ces vertus qu'on aurait dû acquérir en famille, soient profondément cultivées au Séminaire: elles doivent, du reste, émaner aussi des vertus surnaturelles, car en grande partie elles sont la fleur ou les fleurs de la charité chrétienne: il ne faut pas admettre le candidat au sacerdoce s'il n'a pas un ensemble harmonieux de ces vertus humaines: qu'on ne dise donc pas « sacerdoti valde decent » sed *necessariae* sunt... ad apostolatum!

Chap. 4: *Etudes.* Tout d'abord les études secondaires préparatoires à l'Université doivent autant que possible être complètes. J'ai connu des prêtres qui ne les avaient presque pas faites, et puis sont venus à Rome, faire un peu de latin et commencer la Philo et la Théologie: et bien, rien de leurs études à Rome est resté; car ils avaient construit sur le sable!

Quant aux études de Philo et de Théologie, je crois qu'une *réforme générale* est nécessaire à ce propos. Ces études doivent être beaucoup plus pratiques et plus nourrissantes pour la piété du séminariste. Beaucoup de considérations spéculatives, et plutôt de spécialisations, devraient être enlevées. Certaines matières de Sociologie, d'économie, d'administration, de psychologie, de pédagogie, deviennent aujourd'hui de plus en plus nécessaires et importantes, et le prêtre ne saurait en être dépourvu. Qu'on ne s'attarde pas trop sur les thèses de la philosophie scholastique avec ses phrases stéréotypées, mais que cette philosophie soit vivante.

Qu'on donne aux séminaristes les principes philosophes sains et qu'on l'aide à résoudre, avec ces mêmes principes, les courants de la philosophie contemporaine; car la philosophie est vie et tout ce qui est vie s'évolue. Que le cours de philosophie ne se réduise donc pas à l'acquisition de quelques notions utiles à la compréhension de la théologie!

Je suis d'accord qu'on enseigne *St. Thomas,* mais qu'on n'oublie pas les grands Pères de l'Eglise, par exemple Augustin; qu'on n'oublie pas les divers courants philosophiques et théologiques; qu'on n'oublie pas que depuis St. Thomas nous avons fait huit siècles, pleins de penseurs, de théologiens, de saints; qu'on n'oublie pas que nous progressons dans la compréhension des dogmes, dans l'exposition de la vérité, qui aujourd'hui veut être autrement revêtue, plus pastorale et plus œcuménique!!!

Il faudrait revoir certains livres de morale, et les délivrer un peu de ces méandres interminables, créés par une casuistique d'autant plus incombrante qu'abondante. Le Nouveau Droit devrait nous donner un Code avec des lois plus claires et plus concises. « De delictis et poenis » devrait être totalement remanié et en grande partie aboli. Il faudrait que la théologie en général devienne de plus en plus biblique. Combien sont les séminaristes qui, arrivés au Sacerdoce, ont lu au moins une fois l'Ancien et le Nouveau Testament? Et beaucoup de protestants laïques connaissent la Bible par cœur, ou au moins en partie!

A la page 14 il faut confesser qu'il y a en général une ignorance « crasse » pour ce qui concerne les églises d'Orient! Le texte parle de connaître et d'enseigner quelles sont les églises de nos frères séparés: et *on ne parle pas de connaître* tout d'abord les membres de la maison: les Eglises Catholiques d'Orient, leurs liturgies, leurs histoires. Pour beaucoup de prêtres et même des Evêques latins, « oriental » veut dire schismatique, et donc anathema sit! Ou bien tout les Orientaux sont compris sous le nom de Grecs, comme on faisait à Rome, même encore à la fin du siècle dernier, et pour ne donner qu'un exemple, le Séminaire Maronite existait à Rome déjà depuis 3 siècles! Cela dans notre monde actuel n'est plus du tout permis! Et en ceci réformer les études aussi.

On a créé récemment une 5ème année de Théologie pour la Pastorale: mais ce sont toutes les années de Théologie, et la Théologie elle même qui doit être pastorale! Les nouveaux prêtres sortis du Séminaire, ne savent pas baptiser un gosse, ou faire les démarches nécessaires pour la bénédiction du mariage, ou répondre à beaucoup de difficultés au confessional: on leur a bourré la tête de théories, et ils ne savent plus comment se comporter! Du reste nous avons dit, les séminaristes devraient se rendre pendant les vacances et les dimanches de l'année dans les paroisses pour aider le prêtre et assister autant que possible, surtout les deux dernières années, à l'administration des divers sacrements, pour apprendre un peu et ne pas rester à jeun; le curé pourra aussi leur confier le catéchisme, la direction des scouts, de la Légion, de l'Action Catholique, naturellement toujours sous la prudente vigilance des Supérieurs et du curé!

Il n'y a pas de doute qu'il faudrait créer aussi dans chaque pays un Séminaire pour les Vocations tardives, avec un « curriculum » spécial d'études et une discipline propre, et où les « futurs diacres » pourraient suivre des cours aussi! En Orient nous avons les Séminaires pour les mariés qui désirent se préparer au sacerdoce: certaines conditions sont requises avant de les recevoir au Séminaire. En Orient où le mariage est permis aux prêtres, ou mieux, où les mariés peuvent recevoir les ordres, les monastères sont pleins des religieux, et 2/3 de nos prêtres diocésains sont célibataires!

97

EXC.MUS P. D. PETRUS ZUCCARINO

Episcopus Bobiensis

Omni nixu laborandum est ut vocationes sacerdotales in horto divinae misericordiae ad vitam educantur et suam quaeque componat dioecesis formam et modum quo melius atque fecundius sanctitatis fructus perducantur in Ecclesia sancta Dei.

98

CONFERENTIA EPISCOPORUM ARGENTINAE

N. 2. Se propone agregar: « Las vocaciones deben fomentarse en niños y jóvenes en los que sea manifieste el equilibrio de las cualidades humanas, de acuerdo a la psicología infantil y juvenil actuales. Talvez esta propuesta cuadre mejor en el Apéndice I, parágrafo II, n. 6. De este modo: « De perito medico audiendo qui iudicium ferat de aequilibrio facultatum humanarum iuxta principia hodiernae psychologiae. De usu methodi quae vocatur test ».

N. 4. Orar por las vocaciones. Se propone agregar en la oración el ejemplo de santidad de los sacerdotes. « Inter praecipua communis cooperationis subsidia ... in messem suam », agregar: Atque exempla sanctitatis sacerdotalis, nam exemplum animas allicit et trahit. No parece propio de este lugar hablar de la importancia de la misión del sacerdote en la comunidad y la oración de las familias por el sacerdote; porque se trata aqui de los seminaristas. Y porque al proponer los temas para la difusión por los medios de propaganda, se imponen en amplia síntesis los temas acerca de « la necesidad, la naturaleza y la prestancia de la vocación. Todo ello implica la misión sacerdotal porque de ahi derivan la necesidad, la naturaleza y la prestancia.

N. 6. No parece necesario agregar: « a criterio de cada Obispo de las Conferencias Episcopales », porque esto se sobreentiende.

N. 8. Se trata de los diversos tipos de Seminarios Mayores. Se propone el agregado para los seminaristas que estén fuera, que vuelvan a sus Diócesis en vacaciones, etc. Como esto es ya de carácter reglamentario, pienso que debe agregarse como sugestión a la comisión correspondiente.

En la instrucciones, parágrafo II, n. 8, se lee el título: « De vacatione sacrorum alumnorum ». Se podría proponer: « Opportunum erit ut alumni extraneae dioecesis qui degunt in Seminariis Interdioecesanis, Regionalibus, Nationalibus aut Internationalibus, vacationum tempore redeant in propriam dioecesim ».

N. 9. Se trata de la preparación de superiores y profesores. Se propone que tengan también experiencia de la vida parroquial. Quedaría asi: « Hi omnes virtute et scientia, prudentia et experientia de vita paroeciali ».

N. 11. Trata de la formación que se debe dar a los seminaristas mayores, lo que se concreta asi en dicho lugar: « ... ad virilem efficiendum animum eorum ... ». Se propone agregar que es necesario desarrollar la personalidad del seminarista ubicándolo en la vida comunitaria, en particular insistiendo en lo que respecta a la delicadeza autentica de la conciencia y la responsabilidad.

Se puede ello agregar al párrafo primero en esta forma: « Sicut etiam ad ipsorum personalitatem evolvendam, ad eos sensu communitario imbuendos et ad rectam et timoratam conscientiam et responsabilitatem in eis efformandam ».

N. 15. Trata de la perfección que deben alcanzar los seminaristas. Se propone agregar que los superiores cuiden de evitar a toda costa al formar a los jóvenes en la obediencia, el que puedan caer en la hipocresía o en la destrucción de la propria personalidad. Se puede agregar al fin esta idea de este modo: « Sedulo vigilantes ne obedientia in hypocrisim vertatur vel in propriae personalitatis deformationem ».

N. 17. Se pide agregar que el Director Espiritual viva en el Seminario dedicado exclusivamente a su cargo. Cabe agregar en el texto: « In Seminario degens et ad omnia alia clera liber ».

N. 18. Trata de la preparación científica de los profesores. Se propone agregar al final que en cada Diócesis haya, en lo posible, un sacerdote que se especialice en las ciencias biológicas y físico-químicas para estar al tanto permanentemente de los nuevos adelantos, tan vertiginosos en nuestos tiempos. Podría proponerse: « Etiam opportunum erit ut in omni Dioecesi saltem unus sit sacerdos in scientiis biologicis et physico-chimicis sufficienter versatus et de novissimis inventionibus edoctus, cum de istis scientiis cognitio nostris diebus tam rapido cursu evolvatur ».

N. 23. Se propone agregar: « Por lo tanto los formadores de los seminaristas del Seminario Mayor deben tener verdadera experiencia pastoral, así como sólida formación en la doctrina social de la Iglesia ». Por mi parte opino que el agregado sería una redundancia.

99

CONFERENTIA EPISCOPORUM BRAZILIAE

I - *Praeliminaria.* 1. Loco tituli « De sacrorum alumnis formandis » ita mutetur: « De sacrorum *ministris* formandis ».

2. Cum schema non attendat ad aetatis nostrae mutationes permagnas quae nova exigunt remedia quaerenda aptaque intextui rerum recentium, commissio eum non putat particulatim disceptandum.

3. Ideo maluit principia quaedam afferre in quibus fundetur schematis alius elaboratio.

II - *Ad novum instituendum schema.* 1. Conceptum theologicum sacerdotii ministerialis qui organice se refert tum ad episcopatum cum ad sacerdotium fidelium universale, praestet schemati fundamentum.

2. Convenientiam ad Ecclesiam hierarchicam novae structurationis vitalitatisque urget examinari, in ordine ad munus pastorale Ecclesiae sive universalis, sive dioecesanae et paroecialis. Item sedulo scrutetur num subdiaconatus convenienter servetur in gradu ordinis maioris. Diaconatus ut gradus Ordinis stabilis restauretur. Presbyteratus ne conferatur nisi intermisso experimento ministerii diaconalis, post curriculum theologicum expletum, emisso temporaliter voto caelibatus.

3. Ad servitium animarum in Ecclesia tot vocationes erunt quot munera pastoralia et liturgica: et ideo ne *vocatio* sonet exclusive de vocatione sacerdotali. Nisus pastoralis temporum nostrorum apprime exigit ne promoveatur tantum Opus Vocationum Sacerdotalium (cura in conscribendis et seligendis necnon educandis qui desiderant presbyteratum) sed proponatur etiam vita christiana tanquam vocatio generica quae specificatur secundum multiplices status vitae christianorum qui se destinant sive ad perfectionem consiliorum evangelicorum quaerendam, sive ad matrimonium, sive ad caelibatum laicalem et debent se cooptare ad actionem in linea apostolatus aut promotionis humanae temporalis. Sensus missionarius familiarum, paroeciarum collegiosorumque libenter fovebit vocationes iuxta necessitates Ecclesiae.

4. Sacra Congregatio Seminariorum Conferentiis sic dictis episcoporum auctoritatem tradat deliberandi circa Seminariorum Minorum convenientiam et aptam ordinationem.

5. Relate ad seminarios maiores:

a) Imo sensu pastorali animentur omnia quae pertinent ad vitam eorum scilicet ratio studiorum, structura disciplinaris, vita communis, vita liturgica, moderatio spiritus aliaeque multiplices activitates et media formationis.

b) Ratio studiorum iuxta exigentias curae pastoralis accommodetur.

c) Institutio seminaristarum intime connectatur cum intextu rerum et personarum in quorum medio munera apostolica exercebunt.

d) Vita communis et liturgica vigeat germana.

e) Progressuum temporis nostri fructibus fruantur seminaristae, ut, v. g., *revisio vitae* quae efficacissime utitur in coetibus Actionis Catholicae, participatio quaedam activa in ordinatione vitae seminarii et alia huiusmodi.

f) Tanquam finis in se nunquam ponatur virtus oboedientiae. Sensus biblicus oboedientiae ut servitium praestitum voluntati Dei quae praecepta Ecclesiae et episcopi exprimitur, rite conculcetur.

g) Excessus sedule vitentur in efformatione ad castitatem. Per signa nimius mathematica aut quantitativa ne iudicetur ad caelibatum habilitas.

6. Sacerdotibus iam in ministerio addictis, maximae concedantur opportunitates sese renovandi, iuxta progressus temporis et doctrinae.

7. Conveniens fortasse erit Instructio Concilii Oecumenici de Seminariis dummodo vitentur excessus centralizationis.

8. Appendix II in ordine ad novum Codicem I. C. ne discrepet a schemate huius materiae ordinando secundum additiones praesentatas.

* * *

Ad adnotationes ab episcopis Brasiliensibus propositas in clariorem lucem ponendas, infrascripti haec addenda curavimus:

Ad II, 1. Una cum titulis messianicis (Sacerdos, Propheta, Rex) ne obliviscatur sacerdotem esse insuper *Agnus Dei* (*Is.* 16, 1; 55, 7; *Ier.* 11, 19; *Io.* 1, 29; 1, 36; *Apoc.* 5, 6; 5, 12), *Hostia* (*Hebr.* 10, 5), *Bonus Pastor* (*Io.* 10, 10) et *Servus* (*Mt.* 20, 28; *Phil.* 2, 7). Quae omnia magni momenti videntur pro paedagogia et ascesi in seminariis, siquidem sic non tantum sacerdotis uberior participatio in muneribus Christi ostenditur, sed etiam *specialis sensus* huius participationis. Hoc modo etiam omnis « triumphalismus » vitatur et magis realistica efficitur conformatio sacerdotum Christo, quavis clericalismi specie relicta.

Ad II, 2, 3. *a*) Attendenda sunt ea omnia quae in schematibus *de Ecclesia* et *de apostolatu laicorum* exponuntur circa veram et genuinam notionem sacerdotii totius populi Dei. Omnes enim in Christo baptizati de munere sacerdotali Christi etiam participant, quamvis diversimode, cum non omnes ad sacerdotium hierarchicum pertineant.

b) Insistendum est in accurata selectione candidatorum ad sacerdotalem dignitatem evehendorum, non tantum ante ingressum in seminariis, sed etiam mediante aliqua specie « noviciati » ipsius exercitii vitae sacerdotalis, post egressum e seminario, sed ante presbyteralem ordinationem.

Ad II, 4, 5. *a*) De relatione instituenda inter formationem et educationem sacerdotalem, ex una parte, et Ecclesiam, mysticum Christi Corpus, ex alia, immo et omnes homines, ita res exponatur ut clare appareat aspectus communitarius et pastoralis sacerdotii atque sacerdotalis praeparationis. Aliis verbis, curandum est ne quaestio ponatur in mera dimensione et directione verticali inter ipsum candidatum et Deum, quasi individualistice sacerdotium consideraretur. Omnino importat quod seminaria in alumnorum animis firmum et profundum amorem ad Ecclesiam et ad omnes homines suscitent, ita ut, directione horizontali stabilita, sacerdos qui « vir Dei » est, se quoque sentiat ut « vir Ecclesiae » liberum eligendum, Spiritu Sancto inspirante. Etenim sacerdotium est per se ipsum sanctificans ab intrinseco, et in ipsa sacerdotali vita omnia media inveniuntur ad sacerdotes sanctificandos.

b) Constitutio Apostolica *Veterum Sapientia* de usu linguae latinae in seminariis reformanda est si verum « dialogum » Ecclesiae hierarchicae cum christifidelibus aliisque instaurandum est.

Ad II, 6. Schema *de sacrorum alumnis formandis* et schema *de clericis* in unum reducantur: propositum autem schema *de clericis* hic examini subiicere nobis non vacat.

[*Subscripserunt*] Helder Camara, Candidus Padin, aux. Rio de Janeiro

100

CONFERENTIA EPISCOPORUM COLUMBIAE

I. *Síntesis del Esquema y característica de la Constitución.* Es cierto por una parte lo que observa el señor Arzobispo de Cartagena cuando afferma que en el Esquema « no se halla nada distinto de la doctrina y la práctica tradicionales de la Iglesia en la formación de los ministros del altar; se trata de sistematizar y vivificar con la autoridad del Concilio, lo que ya se ha venido procurando poner en práctica desde hace algún tiempo más o menos largo ... ».

Pero también es verdadero, y se ha encargado de manifestarlo el Excmo. Obispo de Socorro y San Gil, lo siguiente: « es súmamente satisfactorio comprobar que a través de toda la Constitución hay una marcada insistencia en que la formación del Seminario sea eminentemente pastoral, entendiendo esto en su recto sentido. Esto satisface plenamente: la formación pastoral ... es constitutivo fundamental de toda la formación ... En la relación a los mismos estudios, es de alabar de una parte una exigencia de seriedad y solidez en los estudios eclesiásticos, y de otra una exigencia igualmente urgente de un sentido pastoral en éllos, que sirva de alimento además a la propia vida espiritual del Pastor ... ».

II. a) *en relación al primer punto, o sea, sobre las vocaciones eclesiásticas en general.* Que se trate en este punto el problema de la escasez de las vocaciones y de la muy reducida perseverancia de alumnos en los Seminarios (señor Obispo de Sonsón).

Agregar al n. 5 del Esquema las actividades « institutionis laicorum quae nominantur Serra Internacional, cuius praecipuum munus est fovere vocationes sacerdotales, iuvare iuvenes in seminariis ». Esta institución sería de gran utilidad para la « Obra de las Vocaciones Sacerdotales » y el Concilio debería exhortar la

creación de esa Institución en todas las diócesis (señor Obispo de santa Rosa de Osos).

Al n. 6 del Esquema: se debería exhortar a que se funden en las parroquias « parvulorum circuli » para agrupar los niños que sienten nacer la vocación sacerdotal (señor Obispo de Pereira).

Al n. 6 del Esquema, en el cual se pide la fundación de Seminarios o Institutos de Vocaciones adultas (tardías), el mismo señor Obispo de Pereira manifiesta si sería del caso que el Concilio exhortara a la fundación de estos Seminarios en cada Provincia Eclesiástica, o más bien que ponga en la Constitución una claúsula general aludiendo a la conveniencia de su creación « secundum Episcoporum experientiam in singulis regionibus ».

b) en *relación al 2º punto, o sea: del fin de la formación y del gobierno y administración de los Seminarios.* N. 8, líneas 7-9 del Esquema: se dice en el Esquema « ubi vero congruus deest alumnorum numerus ... erigantur ac foveantur Seminaria interdioecesana ». Parece, observa el señor Obispo de Pasto, que debería añadirse la cláusula siguiente a este principio: « pro locorum adiunctis » o « prudenti Episcopi iudicio », para que en esa forma se tengan en cuenta los problemas propios de cada región; a veces, a pesar del reducido número de seminaristas, no es conveniente pasarlos a un seminario interdiocesano.

N. 8, líneas 23-25: que se deje clara y explícita la función y atribuciones de los Ordinarios en relación con la dirección del Seminario sobretodo de los Seminarios Regionales (señor Obispo de Facatativá).

N. 10, línea 33 del Esquema: Al referirse el Esquema al estudio de las cualidades del seminarista, observa el señor Obispo de Pereira lo siguiente: « permultum parentum physica, oeconomica, religiosa ac socialis cognitio interest, cum proles in ordine morali parentum qualitatum vitiorumque onus et patiuntur ». Por consiguiente, debería añadirse esa alusión sobre las características de los padres del seminarista.

En relación a la administración económica de los Seminarios, observa el señor arzobispo de Medellin lo siguiente: « ... destacar la importante colaboración de los laicos capaces en la complicada y delicada gestión económica, financiación, administración, inversión, etc. Siendo este aspecto de carácter meramente temporal entra totalmente dentro de la misión que corresponde a los laicos, con grandes ventajas para la Iglesia y con grande acogida por parte de éllos que comparten la responsabilidad y aportan sus capacidades en un campo que les es muy propio.

Como se insinúa en el esquema de la Instrucción (apéndice I, II parte, n. 8) aunque no en el de la Constitución, los señores Obispos de Cartagena y Valledupar desean algunos puntos normativos sobre vacaciones en general « de vacationibus sacrorum alumnorum » y su contacto con el mundo.

Finalmente el señor Obispo de Facatativá advierte que debería estudiarse el caso de los seminaristas fracasados, con el fin de que la formación recibida en el Seminario sea de utilidad en el campo del apostolado.

c) *en relación al tercer punto, o sea de la formación espiritual.* Nada especial se ha observado, a no ser el peligro que podría presentarse si en los Seminarios hay más de un Padre espiritual. Dice el texto del esquema: « sive unus est in Seminario, sive plures adsunt, servata semper spiritualis directionis unitate ». Parece que ello dá motivo o asidero para volver al sistema del director plural, es decir,

que todos los Padres del Seminario pueden ser directores espirituales (arzobispo de Medellin).

d) *en relación al Pensum o Plan de estudios.* N. 23, líneas 25-30: « sería muy conveniente para la formación de los seminaristas que la Santa Sede nombrara una comisión de expertos para la edición de textos para las diversas materias del pénsum de los seminarios, que no solamente expusieran las tesis dogmáticas, sino que descendieran a normas pastorales prácticas para la vida ministerial y de futuros párrocos » (señor Obispo de Tunja).

N. 24: sobre la práctica pastoral de los seminaristas, observa el señor Obispo de Pereira: « expleto curriculo philosophico, iuvenes per annum ad aliquod apostolatum sub prudentis sacerdotis tutela destinentur, praesertim tam in seminariis minoribus quam aliis in institutis magisterio incumbant. Sacro diaconato recepto, ut parochi prudentis cooperatores per annum deputentur alumni vel in loco ab Ordinario electo magisterio vacent ».

101

ALIQUI EXC.MI PP. DD. EPISCOPI MEXICI

In genere: Optamus ut omnia schemata habeant brevem commentarium ut apparet v. g. in schemate *de Clericis* nota 1 pag. 10 atque in schemate *de Ecclesia* pag. 20 parte I et pag. 44 eiusdem partis I. Etiam in pag. 16 partis II necnon in pag. 29 « Commentarius ».

App. I, III, post n. 7. Desideratur ut sermo fiat de anno magisterii post finitum studium philosophiae in seminariis dioecesanis. Etiam cupimus ut agatur de convenientia conferendi Primam Tonsuram post expletum curriculum philosophicum.. De hoc postremo agat ut opus novum codex iuris canonici proferendo haec vel similia verba: « Nemo ... ad Primam Tonsuram promoveatur nisi finito curriculo philosophico ».

App. II: n. 3: in fine: Sit penes episcopum Ordinarium loci competentia iudicium ferendi in hac admissione.

[*Adhaeserunt*] A. Sanchez, ep. Papantlensis; A. Szymanski, ep. tit. Cerasuntinus; E. López, arch. Jalapensis; E. Talamás, ep. Civitatis Juarezensis; M. García, ep. Maztlanensis; A. Ayala, ep. Tehuacanensis; J. a Guad. Padilla, ep. Veraecrucis; E. Corripio, ep. Tampicensis; F. Cortés, ep. Chilapensis; A. Munive, ep. Tlaxcalensis; I. Lehonor, ep. Tuxpaniensis; J. a I. Martínez, ep. tit. Arcae in Armenia.

* * *

I. Para las Vocaciónes —problema fundamental— contar con los medios: *a*) familias profundamente cristianas; *b*) ejemplo de sacerdotes en generosa entrega de servicio; *c*) oración y sacrificio, para esta gracia.

II. El « Opus Vocationum » integre también a los Religiosos y funcione según las normas del Prelado en cada diócesis.

III. Base firme para la formación humana y sacerdotal: una cuidadosa selección de candidatos. Exíjase normalidad física y psíquica. Recomendables los institutos previos para escoger y observar: los Preseminarios.

IV. Criterio y medios prácticos para aplicar el principio: « Vitam ducant quae cum communi omnium adolescentium vita, quantum potest, congruit »; por una parte: útil la vida familiar —lo más natural— y contacto del ambiente; útil también el internado con su valor ascético y social; por otra parte: muy difícil evitar graves peligros en el medio mundano y la vida de internado no favorece mucho el equilibrio emocional y madurez psíquica.

V. Claras y positivas muestras de vocación den los candidatos. La educación de la castidad sea viril, sin reticencias o exageraciones, positiva, como una ofrenda a Dios; así el trato también con mujeres será prudente y con naturalidad.

VI. A pesar de las fallas de naturaleza, organización y realización de los Seminarios Menores, se han de mantener por lo menos donde hasta ahora se han comprobado sus ventajas; no se ha de dejar lo seguro por aventuras e inciertas aclimataciones de otras partes.

VII. En los Seminarios Menores deben introducirse cuantas reformas de estructura y organización convengan de provecho y prógreso; se impone un ordenamiento más adaptado a los tiempos y la condición de los jóvenes. La formación del Menor tenga en cuenta que muchos no llegarán al sacerdocio y deben salir provistos sin embargo para la vida ordinaria.

VIII. El sistema educativo del Seminario, con el supuesto de las virtudes humanas, debe asegurar la integración plena de la personalidad del futuro sacerdote, utilizando, para la responsabilidad de realizar su vocación, todos los recursos naturales y sobranaturales. Debe evitarse la nimia reglamentación, el pasivismo, el autoritarismo, la excesiva vigilancia, la desatención y la mediocridad del personal formativo.

IX. Aunque se han de tener en cuenta en la formación las conclusiones probadas y seguras de la Psicología y Psiquiatría, se ha de evitar en la admisión y dimisión de alumnos el abuso de métodos de « test », desvalorizando el factor sobrenatural en la vocación. No se pase por alto la educación física e Higiene para la salud y alegría.

X. Convendría un año de propedeútica, a manera de noviciado, con intensa vida espiritual antes de la Teología; o una prudente prueba fuera del Seminario ejerciendo magisterio o servicios parroquiales, para madurar la personalidad y con cierta experiencia estimular la decisión al sacerdocio.

XI. Utilísimo sistema ejercitar las habilidades humanas, el espíritu cívico y social y ciertas formas de trabajo manual; poner en contacto con prudencia a los educandos cada vez más con las realidades del mundo de hoy, empleando también los medios modernos de comunicación social.

XII. Indispensable la selección de los formadores capaces y pedagógicamente preparados. Para seguridad de su actuación deberían fundarse instituciones nacionales, para (que) cuanto mira al gobierno, a la educación y a la enseñanza. En las diócesis haya reuniones anuales de estudio para superiores y profesores; los veteranos, aunque tal vez ameritados, si ya no son tan eficaces, deben removerse.

XIII. En la formación intelectual: la Escritura Sagrada al meollo de la Teología, luego los Padres, la Escolástica en seguida y el pensamiento moderno; más importancia a las ciencias sociales, a la Liturgia y Pastoral; reléguense las cuestiones antiguas e inútiles; más a fondo los problemas teológicos modernos; los métodos de asimilar y trasmitir, en que todos los alumnos se han de ejercitar, sean

activos. Las bibliotecas provéanse también de obras recientes, al día. Legalícense los estudios, siguiendo, a ser posible, los programas respectivos, aúnde enseñanzas técnicas. Concrétese lo obligatorio y efectivo de la « Veterum sapientia ».

XIV. El sacerdocio exige una formación plenamente sobrenatural: fe profunda, caridad ardiente, sólida piedad, desprendimiento y pobreza, pues ha de llegar a ser viva imagen de Cristo; la disciplina, si bien motivada, ha de ser austera; los edificios modestos, nada suntuosos.

XV. Urge un año, al menos, de postseminario, para ensayos de ministeria, bien en una parroquia tipo, bajo un párroco celoso y ejemplar, o en varias; allí los neosacerdotes, o minoristas aprenderán prácticamente el trabajo ministerial; si son minoristas podrán así confirmar su decisión de abrazar con toda deliberación y con experiencia el sacerdocio.

XVI. Los estudios del Seminario requieren una cierta especialización; las ciencias de cultura general han de darse en sus conclusiones generales; en cambio las majores energías y tiempo se han de emplear en lo que los hombres esperan del sacerdote, como mensajero de salvación; portanto Sagrada Escritura, Moral, Catequesis, Ascética, Oratoria, Pedagogía, Liturgia cultívense al máximo. Todos capacítense en una iniciación pastoral.

XVIII. El Seminario debe estar convenientemente dotado para su altísima misión; así que ha de disfrutar de cuanto sea necesario o conveniente en cuanto a medios de cultura y educación.

XIX. Después de algún tiempo de ministerio, por ej. cinco años, vuelvan los sacerdotes al Seminario, o a otra institución especial, para reavivar la vida espiritual, rapasar las materias pastorales, informarse de iniciativas y experiencias útiles de apostolado, en orden a un mayor rendimiento y capacitación.

XX. Las Diócesis que no puedan satisfacer las exigencias de formación en cuanto a personal idóneo, edificios y recursos de mantenimiento, deben unirse para constituir Seminarios Regionales, con lo que se resolvaría este gravísimo problema, pues mejor es que así se formen completos y no que, con penurias y deficiencias, se expongan a salir con graves y lamentables fallas difícilmente remediables.

Observaciones de algunos sres. Obispos.

1. Alguno desea se cambie algo el Proemio, pues, aunque teológicamente pudiera explicarse el triple oficio del « sacerdote, profeta y rey », pastoralmente, o para la inteligencia del pueblo me parece —dice— inexplicable y por consiguiente se presta a muchas malas interpretaciones.

2. Otro dice: mi pensamiento es que el Esquema se reduzca a una serie de normas redactadas casi con precisión canónica, que determine las nuevas orientaciones que se deban tomar en cuenta para la organización de los seminarios en los varios aspectos de la formación seminarística.

Los lugares más importantes que llenarían esos requisitos serían: pág. 7, líneas 10-12; pág. 9, n. 11; pág. 10, líns. 13-25 y 33 a 36. Pág. 10, lín. 37 a pág 11, lín. 5; pág. 11, líns. 18-26 y 34-39; pág. 12, líns. 6-13; pág. 12, n. 20, princip. líns. 34 a 4 de la pág. 13; pág. 13, núms. 21-26 inclusive.

102

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI VENETIOLANI

N. 2. Non placet prout iacet. Praecipua vocationes fovendi ratio, non in sacerdotum penuria, ut in schemate, sed in ipsa natura Ecclesiae, cui opus est sacros habere ministros ad suam in mundo implendam missionem, ponenda est.

N. 3, lin. 26. Post verba « Magistri », addatur « praesertim religiosi in catholicis scholis ». De facto enim ex scholis et collegiis religiosorum perpauci alumni ad clerum saecularem augendum, saltem apud nos, egressi sunt.

N. 4. Orationem tum privatam tum communitariam expresse commendare omnino decet.

N. 5. Vividior et urgentior « Operis vocationum sacerdotalium » commendatio desideraretur.

N. 6, pag. 7, lin. 2. Post verba « a parochis », addatur « a religiosis magistris », ob rationem supra allatam.

N. 7. Cum zelus et prudentia sine caritate nihil sint, haec virtus, de qua nullum hic habetur verbum, in sacrorum alumnorum institutione quam maxime inculcari oportet.

N. 9. Aptioribus verbis episcopi auctoritas in seminario suo, ad normam can. 1357, hoc loco extollatur. Non semper episcopus hoc iure uti et officio satisfacere potest sine difficultatibus et querelis.

N. 8, linn. 7-8. Post verba « Ubi congruus deest alumnorum numerus », addatur « aut magistrorum vere in sacris scientiis peritorum copia ». Ratio patet.

N. 11, lin. 7. Convenientissimum videtur in specie determinare illos « recentiores speciosi errores », de quibus hic sermo est. Ita enim norma clara daretur et non pauca dubia tollerentur.

N. 27. Verba quibus dignitas et momentum muneris sacerdotum in seminariis laborantium commendantur, pauperrima videntur. Optandum sane est ut laudes pro difficili et magni ponderis opere eis a Sacra Synodo tribuatur.

103

CONFERENTIA EPISCOPORUM CANADENSIUM

General remarks. 1. We find that this schema has many things in common with the schema *de clericis*; however the theological inspiration and the general spirit of the schema are much better.

In particular there is a concern for adapting to our own times; there is a happy insistence on freedom in the commitment to a vocation and freedom in every choice that this commitment presents; we propose education toward freedom. The schema is much more positive than the *de clericis* with regards to the development of priestly virtues: a privileged place is given to the theological virtues (n. 14); chastity is presented in a positive way (n. 15, par. 2). Attention is paid to the renewal of pastoral work and the liturgy: the liturgical life is proposed as source of the spiritual life: there is a proposal for making use of certain secular sciences such as psychology.

The vocation to the priesthood is presented not under a competitive aspect but in an ecclesiastical light as complementary to the other particular vocations, as part of the common vocation to the christian life (n. 4).

2. We find that there are certain things in the schema that should be changed or eliminated in order that a more oecumenical atmosphere should be established. Further, a clearer distinction might be made between the general formation to be given in the Major Seminaries and the more scientific and specialized training of ecclesiastical faculties. However, this is indicated up to a point in n. 18 par. 3.

While it is certainly indicated, there is not set forth strongly enough the need for forming a clergy which is in touch with the actual world and capable of coming into contact with the men of his time whatever their culture or creed. Indeed, we notice that the seminarians and young priests are more at home with children than with adults, a fact which would seem to come from an inability to adapt to adults seriously engaged in different temporal fields (culture, science, technology, labour etc.). On the whole, the schema has an individualist approach: it does not favour the development of a spirit of service and the sense of an apostolate of one's milieu. The pastoral work which it wishes to inculcate would be that of the individual both for the pastor as for his flock. The schema has not questioned the fact of the seminary's existence: it is accepted as a fact. The Council could ask itself this important question: Can we be satisfied with reforming the seminaries or should they be replaced by some other institution, another organization better adapted to the needs of our time and of our various milieux? It has been stressed that the Major Seminary produced a loss of contact with the world: could not the life of the seminary be organized in such a way as to avoid this drawback, or should we turn to a different formula for the training of priests which would not pose this problem? Would a session in the world such as the one made necessary in certain countries by military service, be a sufficient answer?

3. The appendices destroy the schema itself and strike one as being more in the spirit of a first draught. For example, in n. 18 of the schema, lines 6 to 13 there is a proposal for asking the episcopal assemblies to take over the organization of training of priests according to the pastoral and cultural needs of the milieu; why should a directive from the Sacred Congregation of Seminaries and Universities look after the same thing?

In n. 2 of appendix 1, par. 7, there is once more an insistence on errors to be avoided: this does not correspond to the spirit of the schema whose tone is, on the whole, positive.

Special remarks. N. 1, Preamble: We find here an apt reference to the three roles of the priestly ministry for which there is preparation in the training of clerics.

Line 9: Suggested correction: « ad tam necessarium et sublime officium a Deo electi (e populo christiano) » in order to show that recruiting of the leaders is carried on amongst the christian people.

First title: We suggest « de vocationibus sacerdotalibus » in order that the word ecclesiastic may retain its full sense. Cf. Homo ecclesiasticus d'Origene.

N. 2, beginning of the paragraph: We suggest that the opening of the paragraph « Cum vero sacerdotum numerus magis in dies populi christiani

necessitatis impar evadat » should be omitted in order to avoid an atmosphere of panic hardly propitious for the fostering of vocations. Rather, in order to show the need for fostering vocations in a positive way, we suggest: « ad hanc aedificationem corporis Christi peragendam » which refers back to the end of the preceding paragraph.

N. 3. There should be an insistence on the role of the family: it is in the christian society, consequently within the families, that God sends vocations to the priesthood: the family environment is the normal soil in which vocations will grow: priests, teachers, etc. are its aids. While enumerating the different agents for vocations, the first place should then be given, not to the pastor but to the family and to the parents.

N. 4. The expression « communis cooperationis » is a good one: it shows very well that the work of fostering vocations is one belonging to the whole christian community. At the end of the paragraph, the vocation to the priesthood is well established in its ecclesiastical context.

N. 5. The same remark as for n. 3: the enumeration is not organic enough; the preponderant role of the family and the parents should be made to stand out, by wording the text as follows: « inter parentes, magistros et consociationes (sub impulsu parochi). Episcopo patre et duce... ». The second paragraph shows very well the universal point of view which should be adopted in dealing with vocations.

N. 6. Here the role of family and parents is well indicated. Amongst the institutions where future priests are formed, we notice the colleges which fulfil the same end as the minor seminaries.

The third paragraph asks that the seminarians should receive an education identical to that of other young men.

N. 7. A very good paragraph. Notice the expression: « sacerdotalis et pastoralis pietas », which shows that the piety of the priest must not be a private one outside of his function within the church.

Here one should add and emphasize the formation for serving others, for the commitment to the community, for a team spirit in order to understand that the collegiate nature of the presbytery is a fundamenal necessity for the life of a priest.

N. 8. Note the recommendation for amalgamating the seminaries in order to obtain a better organization.

N. 9. In the seminaries we must have chosen men who are well prepared and there must be a sufficient number of them.

N. 10. There is here a list of things that are known. Notice the requirements for mental health.

N. 11. Eliminate « ad naturae infirmitatem humanae et peccati originalis sequelas medendas »: there is nothing of particular application to seminarians on this point.

Second paragraph: eliminate the reference to « speciosi errores » since this is not in accord with the general spirit of the Council; begin with « Rectae disciplinae doctrina »... line 9.

Third paragraph: Here one could stress that type of obedience which consists in abandoning one's private views in order to collaborate with the group and to act as a team.

N. 13. The importance of the theological life is pointed out very well.

N. 14. They have done well to propose community participation in the life of the liturgy as principal source of the spiritual life.

N. 15. On apprenticeship for evangelical poverty. To be eliminated, p. 11, lines 3 to 5: « reprobata crescente in dies propensione methodos sequendi quae hedonismum sapiunt »: this passage is negative, displays an attitude which is not universal but particular to specific milieux.

Paragraph 2: a good positive presentation of chastity: « integra animi et corporis deditione Domino inserviunt ». A word might be added to line 13: « quo arctius per oboedientiam Ei (libere) coniungitur... » in order to emphasize that obedience is a free act. One could perhaps connect the imitation of Christ's obedience with participation in His mission, show the ecclesiastical value of obedience as well as its ascetic value as imitation of Christ. The quotation from *Phil.* 2, 8, which is out of context, could be eliminated.

Here one could add a paragraph to show how studies should nourish the interior life, especially the study of Theology as founded on its biblical sources (cf. n. 22, par. 2). The great aim of the whole of Sacred Science is to know God in order to make Him known. In n. 23 the pastoral nature which should belong to the studies of seminarians is pointed out: Sacred Science should aim at giving them a « pastoralis pietas » (n. 7).

N. 18, 2nd paragraph. The universal laws governing the programme of studies in seminaries can only be very general. It is up to the authorities of the various regions to determine the programmes adapted to the milieu, to the general organization of the studies of the country and of the region. Directives from the Congregation of Seminaries and Universities which are too precise run the risk of provoking avoidable conflicts with the programmes of local faculties and universities.

2nd paragraph. There is a time for the general training in the major seminaries and time for specialization. Here one might further stress the difference between the aims pursued by the seminaries and the ecclesiastical faculties (cf. General Remarks).

N. 19. The obligation of studying Latin depends on the jurisdiction of a dicastery looking after the affairs of the Western Church and can have nothing to do with the Eastern Church. Besides Latin is not the only language to suggest itself because of the value of its tradition.

N. 20. « Cum vero philosophicus cursus theologico sit propaedeuticus ». Philosophy is not simply a training ground for theology, rather it should be seen as a means to a general culture, so that seminarians should not be inferior to others (cf. par. praec., lines 25 sq).

N. 21. The « Philosophia perennis secundum S. Thomae rationem » can neither be imposed nor recommended by a Council of the universal church; moreover it would be in a more ecumenic spirit not to mention it in such a solemn document.

N. 22. The second sentence of the first paragraph presents a concrete and living idea of Theology known as the mystery of salvation contained in the Word of God, celebrated in the liturgy and lived in the spiritual life.

Second paragraph: lin. 9, on Thomist theology same remarks as for philosophy.

104

CONFERENTIA EPISCOPORUM APRUTIORUM

Gli ecc.mi vescovi, in riferimento al n. 8, auspicano che dove esistono seminari interdiocesani, Regionali e Nazionali tutto il funzionamento di essi si svolga « sub ductu et cura Episcoporum », e che i rapporti fra la S. Sede e la vita di detti seminari siano tutti ordinariamente esplicati tramite i vescovi del territorio interessato.

105

CONFERENTIA EPISCOPORUM APULIAE

Schema plene laudatur; sed sicut in schemate « de scholis catholicis », desiderantur fontes in notis indicandae.

106

CONFERENTIA EPISCOPORUM PAEDEMONTANORUM

Pag. 8, lin. 34: Locutio « Superiores tempestive dimittant ... » sic corrigatur: « Superiores, audito parocho alumni et confirmante Episcopo, tempestive dimittant ... ».

Fieri potest quod superiores, antipathia ducti contra alumnum, quemdam dimittant qui probabiliter vocatione ecclesiastica gaudet.

Pag. 11, lin. 5: Verbis « hedonismum sapiunt ... » sequentia utiliter addenda videntur, nempe: « Ac proinde seminaria necessaria et utilia, praesertim quoad munditiem, habeant sed omnes luxus et mollities ab eis arceantur ».

Pag. 14, linn. 15-16: Post locutionem pag. 14, lin. 15, seu post verba « applicare noscant » alia addatur ex novo, nempe: « Alumni, sive cursus philosophici sive cursus theologici, vehementer hortantur ut quotidie lectioni et studio Sacrarum Scripturarum incumbant, a magistris recte ducti, ita ut, sacerdotium assecuti, fere omnes sacros libros saltem una vice legerint ».

107

CONFERENTIA EPISCOPORUM SARDINIAE

1. Nel proemio, dove si parla della sollecitudine della Chiesa per la formazione dei chierici, conviene ricordare il decreto del Concilio Tridentino, con cui furono istituiti i seminari (Spanedda, Carta).

2. Ci sia un accenno alla vocazione missionaria per l'apostolato svolto nella diocesi, perché questo non sia disprezzato dai chierici (Tedde).

3. Si dica espressamente che i chierici devono essere educati alla venerazione del vescovo (Tedde, Cogoni, Basoli), per cui è necessario che i vescovi non siano estraniati dai seminari regionali, anche diretti da religiosi, per quanto riguarda studio, disciplina (Fraghì, Carta, Basoli, Cogoni).

4. Ci siano corsi, non scuole regolari, per la preparazione dei superiori, rettori, economi, direttori spirituali (Botto, Melas).

5. Quando si parla della cura delle vocazioni (n. 6) si accenni alla formazione spirituale dei bambini nelle associazioni specializzate (Azione Cattolica, Pueri Cantores, Piccolo Clero) (Spanedda) e si dica qualcosa dei pre-seminari (Carta, Spanedda).

6. Si dia ai seminaristi una cultura viva, aderente alla realtà di oggi, sfrondandola da impalcature vecchie, non necessarie (Fraghì, Melas, Basoli, Carta). Si insista sullo spirito liturgico (Botto, Ciuchini).

7. Definire nel C.I.C. cui competit iuridica repraesentatio seminarii (Spanedda).

108

CONFERENTIA EPISCOPORUM UMBRIAE

Schema placet saltem nobis Italis. Videtur tamen maior inrepere cura mentibus quam animis informandis.

Cap. I: Par. 3. Non ad solos Ecclesiarum Pastores, ad sacerdotes, ad docentes et ad familias spectat curam de vocationibus gerere. Aliquid enim pertinet ad omnes fideles qui, ut membra Ecclesiae, in bonum ipsius pro suo cuiusque modo adlaborent oportet.

Par. 6, lin. 10 seqq. Magis de prae-seminariis quam de seminariis sermo fieri videtur.

Cap. II. Pagina sonat ingenti molimine gravis (italice « farraginosa »). Par. 8. Vix mentio fit de erigendis seminariis dioecesanis maioribus, quae tamen maximi momenti sunt ad vitam dioecesis quod attinet. Id quam maxime necessitatem innuit finium regundorum ita ut in posterum eiusmodi habeantur dioeceses quae suum quaeque seminarium maius et facile erigere et prospere perducere valeant. Etenim:

a) In suo seminario maiore directe adlaborat episcopus ipse effingendis iuvenum moribus, eos noscit ita ut securius de vocatione iudicium ferre possit, ab iisque dignoscitur et ita ea fusio animorum efformatur quae et cleri disciplinam et omnium collaborationem tantopere iuvat.

b) Facilius ad optatam metam vocationes pertingent, sublato transitu e dioecesano seminario (quod familiae speciem praesefert) ad maius seminarium regionale (ubi res et personas novas et veluti extraneas inveniunt idque saepe fit non sine magna turbatione animorum).

c) Clerus populusque maiore cura prosequi solent vitam seminarii dioecesani quod magis suum sentiunt quam seminarii regionalis quod alienum putant.

d) Seminarium maius in dioecesi id apprime consequitur ut doctrinam cleri promoveat quippe qui et teneatur praestare docentes indeque vicissim beneficum influxum percipiat. Haec omnia satis dicunt momentum seminarii maioris in singulis dioecesibus.

Cap. III. Etsi sermo fusior, res placet. Italice auspicato dixerimus: « farà testo ».

Par. 16: de formatione quam « humanam » vocant ita dicatur: « in civili *quoque* societate magni aestimatur ».

Cap. IV. Placet. Non videtur unum lycaeum classicum ad sacerdotium apte disponere. In historia ecclesiastica docenda, curentur quae ad regionem spectant. In pag. 17, par. II, n. 3, sermo fiat et de seminariis dioecesanis maioribus.

109

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI PROVINCIARUM AQUENSIS AVENIONENSIS ET DIOECESIS MASSILIENSIS

I - *Generatim advertenda.* In universum, huic schemati annuunt illius apostolicae regionis episcopi, quibus tamen in votis foret de his quae sequuntur ratio habenda esse.

1) *De vocationibus ecclesiasticis.* De hoc capite, iudicia permulta protulerunt episcopi, quoddam vividius exoptantes argumentum, quod vocationem relate ad salutis opus ponat; quod deinde non tantummodo ad pueros pertinere videatur (multi enim hoc tempore adulescentes de Domini vocatione nisi circa vicesimum annum conscii sunt); quodque tandem breviter manifestam faciat gravissimam episcopis, sacerdotibus et parentibus coetibusque christianis, de his omnibus quos Deus vocare possit, rationem reddendam.

2) *De formationis fine et seminariorum ordinatione.* Optandum esset ut verba Ioannis X, usque ad extremam prolata essent partem « alias oves habeo ... », nam prospectus missionarius nunquam, sicut his temporibus, ad Ecclesiae vitam magis necessarius, ab illa « ordinatione » videtur alienus.

3) *De institutione spirituali.* Spiritualis vitae *ad rem pastoralem* moderatio, necnon *personalis* in sacerdotalibus virtutibus formatio proficerent si magis elucescerent: vivendum est enim Christus Salvator in suis sacerdotibus.

4) *De studiorum ratione.* Hoc caput maxime conspicuum est. Illius regionis episcopi cum magna voluptate notant partes episcopalibus conferentiis suscipiendas ad rationem studiorum cuiusque patriae necessitatibus accommodandam et, praeterquam quod in 3° dictum fuit, etiam horum studiorum ad rem pastoralem moderationem distincte affirmatam.

5) *De formatione post seminarium perficienda.* Illud breve caput, instinctibus refertum, omnia quoque obtinuit suffragia.

II - *Peculiariter.* Pag. 5, linn. 18-20: Satisne est contendere Ecclesiam « recipere » et « consecrare »? Nam Ecclesia ipsa etiam, in nomine Domini, « vocat ».

Pag. 6, lin. 1: « Vocationem percipere et sequi ». Sed qui ordinandi sunt sacerdotes debent etiam suam vocationem cogitatione comprehendere magnique facere, necnon paulatim quid exigat percipere (nam Domini vocatio fit pedetentim).

Pag. 8, lin. 16: « Ab alienis officiis liberi » melius videretur: « *satis liberi* ».

Pag. 8, lin. 33: Loco tantum « physica et psychica »: « et *speciatim psychica* ».

Pag. 10, linn. 11-12 et lin. 30: Verba haec habentur exigua: commorari oporteret in communicatione mysterii Christi Redemptoris, in caritate parata ad omnia perficienda ut salventur homines Paterque glorificetur.

Pag. 10, n. 14: Scriptura Sacra includenda esset in « fontibus » spiritualis clerici vitae, nam tantum in cap. IV ut doctrinae materia commemoratur.

Pag. 11, linn. 6-11: Magis commorari oporteret, nam aetate nostra virtus castitatis tantas affert sacerdoti difficultates!

Certe necessarium est de gravi omnique modo spirituali castitatis causa commonere. Vocabulum autem « spirituale cum Christo connubium » ambiguum habetur.

Pag. 12, linn. 20-32: Vocabula « studiorum humaniorum *curriculum* », « ad studia *academica* accedunt » non sunt idonea. Expostulationes de quibus lin. 27 et seq., omnino legitimae habentur. Nonnulli autem adulescentes, studii liberalium doctrinarum temporis spatio non confecto et insuper inhabiles studiis apte « academicis », facultatem habent « studiorum ecclesiasticum curriculum » adeundi, post praeparationis brevius tempus, dummodo sollertes sint confecerintque studia scientifica vel etiam « technica », in quibus satisfecerint.

Pag. 13, n. 22: Conveniret utique praeterea theologiae, liturgiae et spiritualitatis iuridicaeque traditionis orientalium ecclesiarum disciplinam primam tradere.

Pag. 14, lin. 19: Post « expostulatam » alius incipiendus esset versus, ut ecclesiae christianae non-unitae a non christianis religionibus distinctissime seiunctae sint.

Pag. 14, n. 23: Recte mentio fit de novis disciplinis. Deploratur autem in hoc toto capite de historia Ecclesiae codiceque Iuris canonici nullam mentionem factam esse.

Pag. 15, linn. 21-22: Loco « moderate quidem » visum est « tali quidem modo » melius convenire.

110

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI PROVINCIAE SABAUDIAE

Episcopi provinciae Sabaudiae, scil. RR. DD. de Bazelaire, arch. Camberiensis, RR. DD. Bontems, ep. Maurianensis et dioecesis Tarantasiensis administrator apostolicus, RR. DD. Sauvage, ep. Anneciensis, cum diebus 11 et 12 iunii 1963, ad communiter de schemate *de Sacrorum alumnis formandis* considerandum et disputandum, prope Annecium convenissent, totam praedicti schematis summam, in universum sumptam, et singulos articulos, approbare statuerunt: attamen, ad quasdam correctiones, emendationes mutationesque proponendas consenserunt, quarum elenchus infra exponitur.

I. Ad art. 2. Quo melius et lucidius quaestio de vocationibus instituatur, et quo clarius appareat quaenam media ad vocationes fovendas magis apta sint, necesse visum est ecclesiasticae vocationis naturam distinctius definire, prae oculis habitis quae tam in Codice Iuris Canonici quam in Encyclicis Romanorum Pontificum litteris hac de re inveniuntur: et ideo proponunt Episcopi Sabaudiae ut articulus secundus schematis sic conscribatur: « Cum vero sacerdotum numerus magis in dies christiani populi necessitatibus impar evadat, haec sancta Synodus ecclesiasticas vocationes imprimis fovere cupit; opportunum igitur censet naturam vocationis in mentem revocare. Etenim sacerdotalis vocatio est actus Divinae Providentiae, quae aliquot viros ad Christi sacerdotium participandum eligit, eis congruas tribuens dotes aliaque media ad hoc officium recta intentione et libere asse-

quendum necessaria, simulque Ecclesiae committit ut, vocationis signis agnitis, candidatos admittat eosque Sancti Spiritus sigillo in aeternum consecret ».

II. Ad art. 5. Ut ostendatur quam intime coniungi debeat cura pastoralis de vocationibus fovendis cum studio pastorali universali (gallice « pastorale d'ensemble »), quod quidem esse maximi momenti neminem latet, quattuor priores huius articuli lineae sic scribantur: « Haec aliaque vocationum subsidia eo pleniorem assequentur efficaciam, quo arctior erit, Episcopo patre et duce, sacerdotum, religiosorum atque laicorum participatio ad apostolatum totius Ecclesiae dioecesanae. Virium laborumque specialis in favorem vocationum coniunctio melius apparebit ut campus privilegiatus actionis pastoralis generalis et ideo, in singulis dioecesibus etc. ».

Ad sequentes articulos (§§ III-XI) nonnulla verba addenda proponuntur, quae in textu lineola nigra infra perducta insignita sunt:

III. Ad art. 6, lin. 14: « ceterisque disciplinis, *praesertim scientificis,* quae praerequiruntur ... ».

IV. Ad art. 9, lin. 16: « ab alienis officiis liberi, *nec tamen ab actione pastorali extranei* ... ».

Ad art. 9, lin. 18: vox « convenit » magis adapta videtur quam « oportet ».

Ad art. 9, lin. 27 in fine, post « dent operam », addatur: *hodierni apostolatus exigentiis rite perpensis.*

V. Ad art. 10, lin. 32: « de congrua valetudine physica et psychica, *tam personali quam hereditaria* ».

VI. Ad art. 11, lin. 3: « necessaria apparet, *non solum* ad naturae infirmitatem humanae et peccati originali sequelas medendas, *sed etiam ad bonum commune efficacius promovendum,* et ad virilem etc. ».

VII. Ad art. 12, lin. 34: « et mortis *ac Resurrectionis* Dominicae ... ».

VIII. Ad art. 14, lin. 34: « amare discant, *lectioni divinae assuescant et institutione* ... ».

Ad art. 14, lin. 36, post « degustanda », addatur: *et de rebus spiritualibus ad fraternum commercium libenter instituendum manuducantur* ».

IX. Ad art. 15, lin. 13: « ei coniungitur, *qui omnimode ministrare venit ea quae Patris sunt,* et factus est ... ».

X. Ad art. 18, lin. 16: « opportuno tempore, *diligenter perpensis spiritus et ingenii dotibus,* ad studiorum ... ».

XI. Ad art. 22, lin. 36: « et in Ecclesia semper in actu *per mysterium paschale* clara in luce ponant ».

XII. Ad art. 23. Minus opportunum videtur ea omnia quae Commissio praeconciliaris late fusiusque evolverat de formatione clericorum ad pastorale ministerium hisce duobus brevibus articulis esse coarctata, ita ut multa silentio transirent quae eadem Commissio suadere intenderat. Magis insuper rectae rerum dispositioni consentaneum videtur futurum fuisse, si ea quae ad pastoralem formationem pertinent in peculiari capitulo exposita essent, vel saltem capitulo de institutione spirituali annexa essent; nunc autem capiti « de studiorum ratione » inserta sunt, quod minus conveniens videtur.

Lin. 35, addatur: « quoad paenitentiae sacramentum et animarum directionem, *attentis iis quae de studio et scientia pastorali in Decreto " de Clericis " proponuntur* ».

XIII. Ad art. 24, lin. 19: « sed etiam practice addiscant, *tam durante studiorum curriculo quam feriarum tempore* »; lin. 24: *sed methodice fiant, habita, sub peritorum magistrorum ductu, de apostolicis inceptis discussione.*

111

CONFERENTIA EPISCOPORUM GALLIAE

1. *Desideria circa textum schematis propositi.* Desiderantur in textu:

a) *Intentio pastoralis,* qualis a Papa Ioanne XXIII et Paulo VI expresse requiritur. Urget necessitas in tramite annorum formationis *experimenta* praevidere et instituere, qualia ad usum discipulorum suorum instituerunt illi qui praescripta Concilii Tridentini perfectius et fructuosius adhibuerunt, nempe Patres Societatis Iesu.

b) *Vocatio* insufficienter definitur. Requiruntur determinationes circa praeparationes vocationis, conditiones in subiecto et signa. Expositio doctrinalis necessaria est ut character « ecclesiale » vocationis in meliorem lucem veniat.

c) *Formatio humana* clericorum non considerat conditionem in praesenti iuventutis: tempus requiritur longius ad maturitatem animarum; oportet concedere moras ut vocatio firmetur, quod saepe saepius hodie a clericis requiritur.

d) *Formatio intellectualis* non inspicit requisita hodierna, scilicet ut educatio mentis clericorum adaequare valeat statum communem culturae hominum in mundo hodierno.

e) *Formatio evangelica* altius protendatur: speciatim educatio prudentiae, oboedientiae, castitatis et fortitudinis, quae hodie postulant, in novitate mundi, modos paedagogicos novos, ex profundiore recursu ad traditionem evangelicam inventos.

2. *Conclusiones et postulationes.* Episcopi Galliae postulant ex conscientia:

1) Ut Concilium ipsum non textum conficiat, sed quaedam tantum *altiora et firma principia auctoritative proponat* quae instrumenta parare permittant ad verum progressum.

2) Ideo concredatur applicatio principiorum *Commissioni cuidam Episcopali* universali, a Concilio electae.

3) Ut ad mentem n. 18 schematis, confirmetur *spatium amplum Conferentiis Episcopalibus* concessum, ut conditionibus diversis in mundo ratio fiat.

4) Alta principia, quae Commissionis post-Conciliaris opus regitura sunt, talia sint quae *requisita antea proposita impleri valeant.*

1. *Région Centre-est.* En ce qui concerne la note sur les Séminaires:

1) Le futur schema doit *éviter de répéter* ce qui déjà a été suffisamment explicité dans les documents antérieurs (Code de Droit Canonique - Encycliques, etc.).

2) Le *schéma doit se borner aux grandes orientations* et ne pas entrer dans tous les détails, qui risquent d'être dépassés et d'ailleurs sont déjà dépassés.

3) La *formation pastorale doit être donnée* d'une manière plus approfondie que ne laisse entendre le schéma actuel, et cela, par un enseignement proprement dit comme par la pratique.

4) Il faudrait prévoir un *étalement plus considérable du temps* consacré aux études et aux ordinations, afin que les clercs puissent se décider en toute liberté et avec les précautions requises.

2. *Région Ouest. Préambule.* La mission du prêtre ne doit pas être définie seulement par rapport au Christ, mais encore par rapport *au monde d'aujourd'hui,* auquel le prêtre appartient par son origine et auquel il est envoyé. Prêtre, homme de Dieu pour ce monde à sauver.

Sur les Vocations. Qu'on ne commence pas par gémir sur le nombre insuffisant des prêtres! Nous désirons que les vocations sacerdotales soient situées au milieu de tous les appels de Dieu dans l'Ecriture et dans l'Eglise (Dieu est un Dieu vivant qui appelle), et qu'ainsi l'aspect spécifique de la vocation au sacerdoce ministériel apparaisse mieux.

Il faut en outre montrer que l'appel divin se manifeste progressivement dans la vie même du sujet et à travers des médiations humaines. Dans la pédagogie de la vocation, l'éducateur doit se montrer très attentif à la formation de la personnalité du sujet et aux étapes de son accession à la maturité humaine et spirituelle.

A propos de l'art. 6, nous soulignons la nécessité d'une éducation suivie et progressive, avec des étapes de formation encore plus diversifiées dans le temps, même en ce qui concerne la période du Grand Séminaire.

Sur l'Orientation et l'Organisation des Séminaires. Art. 7. La formation sacerdotale est bien rattachée à son but: former des pasteurs, avec toutefois une précision qu'il serait désirable de voir introduite: former des pasteurs *pour une époque donnée.*

Art. 9. Nous demandons que soit promue une politique à longue échéance pour la préparation des éducateurs.

Art. 11. La justification de la discipline est trop négative. Il faudrait partir des valeurs humaines et surnaturelles que les séminaristes portent en eux, pour une éducation progressive et active d'une véritable discipline de vie, assumée personnellement par chacun. Dans la perspective d'un acheminement vers un sacerdoce vécu et exercé collégialement, il faudrait faire découvrir les lois élémentaires de la vie communautaire et du travail apostolique concerté.

Sur la formation spirituelle. L'art. 13 présente à juste titre une éducation sacerdotale centrée sur le Christ-Prêtre et la vie théologale. Mais il ne souligne pas assez qu'il s'agit d'une foi à transmettre par le témoignage et l'enseignement.

Sur la formation intellectuelle. Art. 22. On s'étonne de ne pas trouver d'allusion explicite au Droit canonique, à la musique et à l'art sacré.

112

CONFERENTIA EPISCOPORUM HISPANIAE

[*Cf. pag. 883-887*].

113

CONFERENTIA EPISCOPORUM JUGOSLAVIAE

I. *In genere.* 1. Schema deberet esse brevius; continet varias exhortationes etc., quae omitti possent. 2. Unus ex episcopis advertit: schema omnia momenta ad statum clericalem vocatorum fere idyllice exhibet quod cum *Mt.* 10, quasi « magna charta vocatorum », drammatico realismo redolente, discrepare videtur.

II. *In specie.* N. 1, pag. 5, lin. 1 loco « Regis » dicatur « Pastoris ». Paulo enim postea dicitur Christum triplex munus sacerdotibus demandasse; sacerdotes vero non sunt reges, sed pastores. Vox « regis » hodie non bene sonat.

N. 2, pag. 5, linn. 13-14 dicatur « in multis regionibus », nam adsunt regiones ubi vocationes abundant, v. g. Hispania.

N. 3, pag. 5, linn. 13-16 quoad parochos forsan fortius exprimi posset curam circa vocationes inter munera principaliora pertinere.

N. 4, pag. 6, linn. 13 s. quoad orationem pro vocationibus forsan aliquid concrete decerni posset, v. g. ut Missa ad vocationes petendas vel servandas aliquibus privilegiis donetur, et certis diebus in seminario praescribatur, v. g. initio anni scholastici vel occasione « Diei pro vocationibus ». In « oratione fidelium » dicenda ante Offertorium (iuxta const. *de s. Liturgia*) inseratur invocatio pro vocationibus. Sed haec omnia forsan potius ad Instructionem edendam pertinent, quam ad ipsam constitutionem.

In ultima parte eiusdem n. 4 forsan omitti posset allusio ad matrimonium, respectu ad Orientales apud quos dari potest vocatio sacerdotalis cum matrimonio.

N. 6, pag. 7, lin. 5 quoad seminaria minora forsan addi posset « saltem pro classibus superioribus », i. e. quod in Italia vocatur ginnasio-liceo. Non omnes dioeceses habent media materialia et sufficientes professores pro seminario minori « pleno ». In aliquibus nationibus, v. g. in Jugoslavia leges civiles prohibent ingressum in seminarium minus ante 15 annos completos. Hoc modo etiam minus expenditur, minor numerus professorum sufficit, minor est numerus alumnorum qui seminarium deserunt.

N. 6, pag. 7, linn. 10-11 forsan clarius exprimi debet quod hoc sibi velit « vitam ducant quae cum communi omnium adolescentium vita... congruat ».

N. 8, pag. 8, lin. 9 quoad seminaria interdioecesana, est qui putet quandoque sufficere ut episcopi qui ob exiguum numerum alumnorum vel defectum requisitorum necessariorum non possunt aperire proprium seminarium, mittant suos candidatos in aliud seminarium, quin sit formaliter interdioecesanum.

N. 9, pag. 8, linn. 15-16 quoad magistros seu professores, praesertim in seminariis minoribus, non est insistendum ut omnes sint viri ecclesiastici, i. e. clerici. Optime hoc munere fungi possunt etiam boni laici (pro mathesi, litteratura, etc.). Concilium ipsum insistit in opera laicorum catholicorum. Praesertim in regionibus quae penuria sacerdotum laborant, nonne melius est ut sacerdotes curae animarum sese devoveant?

In fine eiusdem n. 9 addatur obligatio superiorum (non utique moderatoris spiritus) ut episcopo de rebus maioris momenti et de alumnis saepius referant. Item ut episcopus seminarium saepius visitet.

N. 11, pag. 9, lin. 6 addatur: « In educatione melius est praevenire quam punire transgressiones ».

Lin. 26 addatur: « Moderatores non tantum exhortationes pro omnibus alumnis habeant, se colloquia cum singulis instituant. Frequenter inter se collationes moderatores sub ductu rectoris habeant ».

N. 15, pag. 10, lin. 37 initio ponatur: « Cum ipse status sacerdotalis maiorem sanctitatem requirat, ideo sacrorum alumni, ad evangelicam perfectionem contendentes... ».

Pag. 11, post lin. 17 addatur sacrorum alumnis talem ascesim necessariam esse quae illos ad verum heroismum praeparet. Nam talem exigit vita in castitate perfecta per totam vitam. Praeterea paratus esse debet vitam suam dare pro Magistro et pro ovibus.

N. 16, pag. 11, in fine addatur quaestiones politicas e seminario exulare debere.

N. 17, pag. 11, lin. 33 addatur: « Non se limitet ad exhortationem generalem alumnis habendas, ad libros praebendos, sed specialem contactum pluries cum singulis habeat. Fiduciam sibi alumnorum comparet et limites moderatorum disciplinae ne transgrediantur, et vicissim ipsi fines fori interni ».

Momentosum esset etiam aliquid innuere de necessitate uniformitatis quoad modum agendi in rebus maioris momenti moderatorum spiritus variorum seminariorum unius nationis, item quoad disciplinam generalem. Ad hoc assequendum necessariae sunt collationes moderatorum spiritus et superiorum seminariorum.

N. 17, pag. 11, linn. 34-39 de tirocinio spirituali. Tale tironicium, ad modum alicuius novitiatus, congruum locum haberet post expletum cursum philosophicum. Tamen *unus* ex episcopis vellet ut sensu proprio praecipiatur ut omnes episcopi tale tirocinium instaurent, ad modum novitiatus religiosorum (quo tempore nulla materia scholastica doceatur) saltem per 9 menses, i. e. unum annum scholasticum, et quidem post studia theologica finita: 3 menses ante subdiaconatum, item ante diaconatum et presbyteratum, incluso — si possibile — integro mense exercitiorum spiritualium.

In fine n. 17, pag. 11 unus ex episcopis vult ut addatur: « Loci Ordinarius per se vel per delegatum seminario assidue advigilet et quotannis visitationem canonicam peragat ut notitiam sibi comparare possit de pietatis spiritu, de disciplina ac studiis necnon de modo quo moderatores et magistri sua munera absolvant ».

Alius addere vult: « Domus rusticationis comparandae sunt, ubi alumni saltem per tertiam partem vacationum bene occupati degant. Vacationes aestivae non parvum damnum spirituale alumnis afferre possunt. Ideo enixe parocho alumni commendandi sunt. Ipse ut pater eos foveat, ab occasione mali avertat ».

N. 18, pag. 12, linn. 6 s. ponendum esset principium generale ne in ratione studiorum disciplinae principales ob multitudinem disciplinarum auxiliarium et specialium damnum patiantur.

N. 23, pag. 15, post lin. 10 unus ex episcopis ut addatur: « De musica sacra instructio, organi vel harmonii pulsatio necnon technica institutio pastorali vitae utilis toto tempore vitae in seminario doceatur ».

Alius proponit ut candidati in seminario aliquid de oeconomia domestica addiscant, cum tales notitiae perutiles esse possint.

114

CONFERENTIA EPISCOPORUM LUSITANIAE

Hoc schema in genere placet. Quamvis nimis longum videatur et sit, tamen talem doctrinae densitatem habet quae sine detrimento coarctari non facile possit.

Ad singula quaedam. Pag. 5, n. 2, lin. 13: Ratio de vocationibus ecclesiasticis fovendis non ponatur tantum, modo negativo, scilicet quod sacerdotum numerus magis in dies christiani populi necessitatibus impar evadat ... Vocatio sacerdotalis est aliquid maxime positivum in se, signum amoris praedilectionis Dei qui ex hominibus assumit quos participes sacerdotii Filii Sui pro hominibus constituit ... (cf. *Hebr.* 5, 1). Haec positiva ratio ad iuvenum voluntates movendas non descipienda videtur.

Pag. 5, n. 3, lin. 26: Magistri pariter ... Anteponatur huic periodo illa: Familiae quoque christianae ... (pag. 6, lin. 1 ss.).

Pag. 5, n. 3, linn. 27 et 28: ... quovis modo curant, *praesertim in scholis catholicis* discipulos, etc.

Pag. 5, n. 4, lin. 20: ... inter peculiares vocationes eminet sacerdotalis vocatio. Addatur: sive religiosa sive dioecesana.

115

CONFERENTIA EPISCOPORUM NEERLANDIAE

Cum ea quae in hoc schemate dicantur sint effata generalissima ab omnibus manualibus iam proclamata, notaque ab omnibus, non videtur esse opus Concilii ut haec omnia rursus edantur. Insuper problemata de seminariis maxime differunt secundum condicionem provinciarum ecclesiasticarum. De problemate intricato vocationis sub respectu theologico et sub respectu psychologico et sociologico hoc schema fere nihil substantiale prae se fert.

116

CONFERENTIA EPISCOPORUM AFRICAE MERIDIONALIS

In genere. Perspicit conferentia hoc schema, in tota eius indole et in toto eius modo loquendi, nullatenus spiritum redolere iuventutis, spei, et hilaris fiduciae Ecclesiae erga iuventutem clericalem qui exspectandus esset si thema Concilii centrale et impulsivum, refrigerii scilicet, iuvenescentiae et renovationis sufficienter in eo elaborando consideratum esset.

Materia reapse in schemate prouti nunc stat temporum necessitatibus quidem congruit; modus tamen quo haec materia praesentatur non sufficit ut spiritus quo Ecclesia hodie animatur in eam infundatur. Enixe ergo expostulat Conferentia ut totum hoc schema in lumine huiusmodi considerationum funditus recognoscatur, maxime autem quod attinet ad Sectionem III, « De institutione spirituali », et IV, « De studiorum ratione », ubi multa pretiosa sub expositione arida fere sepeliuntur.

In particulari. Commendat conferentia ut integra vocatio christiana, in se et in variis eius determinationibus, ut est vocatio ad vitam laicalem, ad matrimonium, ad sacerdotium, vel ad vitam consiliorum evangelicorum, in schemate de Ecclesia complexive tractetur; sectione tamen De Vocationibus, ob suum speciale momentum, in praesenti schemate retenta.

117

QUIDAM EXC.MI PP. CONCILIARES AFRICAE CENTRO-ORIENTALIS

Notae generales. 1. Schema diligentissime exaratum placet, et S. Synodo discutiendum et approbandum proponi potest. Non solum principia traditionalia repetit, sed omnino fundamenta ponit pro formatione alumnorum praesentibus necessitatibus adaptanda.

2. Fortasse inter fines educationis sacerdotalis magis efferri posset spiritus responsabilitatis pro universa Ecclesia omniumque animarum salute fovendus, ita ut non tantum necessitates dioecesanae et regionales ob oculis sint, sed revera orbis catholicus.

3. Agnovimus imprimis principium n. 8, pag. 8 allatum de seminariis et collegiis componendis ad augendam et promovendam qualitatem studiorum ecclesiasticorum.

[*Subsignaverunt*] A. Kozlowiecki, arch. de Lusaka; F. Mazzieri, ep. de Ndola; M. Daubechies, ep. de Kasama; F. Courtemanche, ep. de Fort Jameson; C. Chitsulo, ep. de Dedza; A. Fürstenberg, ep. de Abercorn; R. Pailloux, ep. de Fort Rosebery; J. Jobidan, ep. de Mzuzu; J. Corboy, ep. de Monze; N. Agnozzi, ep. tit. Adramittio; R. Hillerich, praef. ap. de Solwezi.

118

QUIDAM EXC.MI PP. CONCILIARES AFRICAE ORIENTALIS

Schema disceptationi in aula proponatur.

[*Subsignarerunt*] Edgar Maranta, arch. de Dar es Salaam; Marcus Mihayo, arch. de Tabora; Guido Del Mestri, arch. tit. Tuscamiensis; James Holmes-Siedle, ep. de Kigoma; Victor Haelg, ep. tit. de Baia; Herman van Elswijk, ep. de Morogoro; Eberhard Spiess, ep. tit. Cemerinianensis; Edward McGurkin, ep. de Shinyanga; Eugene Arthurs, ep. de Tanga; Elias Mchonde, ep. tit. Adraenus; Renatus Butibubage, ep. tit. de Casi; Gervase Nkalanga, ep. tit. de Balbura; James Komba, ep. tit. Thignicensis; Vincent McCauley, ep. de Fort Portal; John Ogez, ep. de Mbarara.

119

CONFERENTIA EPISCOPORUM IN KENYA

I. *In genere:* 1) Schema tamquam basis disceptationis in Aula Conciliari proponatur dummodo ad mentem Summi Pontificis (cf. Alloc. d. d. 4-XII-1963) opportune abbrevietur.

2) Quae passim de veneranda Ecclesiae traditione dicuntur vel innuuntur, rectam non tantum locorum (v. g. in territoriis missionum) sed etiam temporum adaptationem explicite admittant.

3) Quae de institutione spirituali dicuntur (cf. nn. 12-17), non satis specificam cleri *saecularis* spiritualitatem respicere videntur. Ideo opportunae cautiones introducendae, eo vel magis quia haec spiritualis institutio persaepe religiosis commissa est. Insuper spiritualis directionis *unitas* (cf. pag. 11, lin. 32) ne coarctet, sed potius foveat libertatem internam et « virilem animum » (cf. pag. 9, lin. 5) qui non tantum ad apostolatum sed etiam ad propriam clerici sanctificationem magni facienda sunt.

II. *Ad singula*: 1) Ad n. 1 (Prooemium, linn. 1-5): evitanda videtur, ex parte Concilii, confirmatio doctrinae de *triplici* munere (i. e. sacerdotalis, prophetici et regalis) Christi. Nam doctrina quae haec munera fundamentaliter ad *duo* reducit, i. e. ad regendum et sanctificandum populum Dei, aequo iure sustineri posse videtur.

2) Ad n. 6: Quamvis praesertim in variis Africae ditionibus valor, immo et necessitas seminariorum minorum agnoscenda sint, in constitutione conciliari evitanda videtur norma universalis circa seminaria minora simpliciter. Experientia etenim teste, saltem in quibusdam orbis catholici regionibus vocationes sacerdotales solidiores et maturiores non semper ex seminariis minoribus proveniunt. Proponitur ergo sequens textus emendatio (pag. 7, linn. 3-12): « Ut autem iuxta *probatas* consuetudines *simulque hodiernas temporum locorumque exigentias iuvenes ad sacerdotii munus apte praeparentur, condantur et foveantur* sive seminaria minora, secundum proprias ordinata leges, sive peculiaria collegia eidem fini *aliquomodo prospicientia,* necnon specialia quaedam instituta pro iis qui maturiore aetate ... » etc. « In seminariis vero minoribus alumni vitam ducant quae cum *sana et christiana* aliorum adulescentium vita congruat *substantialiter*; simulque ... » etc.

Optandum est ut quaedam fusius heic dicantur de institutis vocationum provectioris aetatis.

3) Ad n. 8 (« ... quae iam salubriter statuta sunt de seminariis maioribus ... Sancta Synodus ... confirmat ... »): Peropportunum videtur huic textui notam in calce addere quaenam ex principalioribus documentis ecclesiasticis Sancta Synodus heic *confirmare* intendat.

Post lin. 12 quaedam enucleatius dicantur de seminariis interdioecesanis (de facto vel de iure), regionalibus, internationalibus, ipsis notionibus clarius distinctis.

4) Ad n. 9, lin. 17: « et potissimum gratiae donis praediti *et formatione speciali praeparati* ... » etc.

5) Ad n. 10, linn. 34-35: « eos vero qui idonei non sint, superiores dimittant, *salva autem iustitia et caritate erga alumnos eorumque parentes,* nullo habito ... » etc.

6) Ad n. 11, lin. 7: nominatim enumerentur saltem principales recentiores errores, quos Sacra Synodus heic in mente habet.

Lin. 18: « ut alumni gradatim oboedientia supernaturali ducti ... » etc.

7) Ad n. 14: opportune abbrevietur inserendo, loco linn. 13-25, summam saltem eorum quae de seminaristarum institutione liturgica dicuntur in *Constitutione de Sacra Liturgia.*

8) Ad n. 15 (pag. 11) linn. 8-11: sententia concludatur post « inserviunt », et alia omittantur inclusive « exercendam ».

9) Ad n. 15 (pag. 11) lin. 16: « sancte servandam *illam* oboedientiam ... ».

10) Ad n. 18: omittatur sententia « Cum scientia ... curandum est », i. e. linn. 1-5.

Lin. 6: « Cum in tanta ... » etc., i. e. omittatur « vero ».

11) Ad n. 19, lin. 28: ut haec paragraphus acceptabilis sit orientalibus omittatur « latinae » in lin. 28.

12) Ad n. 21 (pag. 13, linn. 14-19) de studiis philosophicis: Nimium quid requiri heic videtur, praesertim pro territoriis missionum; textus forsitan ut sequitur temperari poterit: « In cursu philosophico elementa tradantur *sanae* philosophiae *christianae,* rationem, doctrinam, principia *praesertim* S. Thomae sectando, accurate distinctis iis quae ..., *ita ut* alumni synthesim *in quantum fieri possit* completam cohaerentemque acquirant, *quae ipsis solidam ad studia sacra basim praestet;* omissis ... etc. ».

13) Ad n. 22, lin. 39: omittatur « prope ».

14) Ad n. 14: *a*) Cursus theologicus sicut in par. 22 enumeratur, nimio pondere oneratur. Melius videtur ut clare in schemate statuatur saltem principia harum scientiarum in cursu theologico docenda esse.

b) Pag. 14, lin. 3: concludatur sententia post « perspiciant », omittendo verba « et ea quae ... investigent ».

15) Ad n. 27 (pag. 16): paragraphus 27 in toto omitti possit et eius loco iniungendum est quod dicitur pag. 18, lin. 28 sc.: « De institutione post seminarium perficienda consilia varia ab Episcoporum coetibus pro diversarum regionum adiunctis perpendenda: diaconatus per annum, convictus sacerdotales, periodici conventus, mensis sacerdotalis etc. ».

120

CONFERENTIA EPISCOPORUM MADAGASCAR

In genere schema placet etiam in eo quod plura particularia remittit ad Instructionem de sacrorum alumnis formandis auctoritate Concilii Oecumenici Vaticani II conficiendam et ad Commissionem pro revisione Codicis Iuris Canonici. Aliqua maiora problemata tamen videntur inserenda in textu Constitutionis ut examini subiiciantur a sacro Concilio et ab ipso definiantur vel saltem indicet commissioni pro revisione codicis quo sensu definienda sunt.

I - *De vocationibus ecclesiasticis.* Quae n. 2, pag. 5, linn. 12-20 dicuntur nimis generalia sunt. Licet completa tractatio de natura vocationis ecclesiasticae eiusque signis ad Instructionem, de qua supra, remittenda sit, ut praevidetur in Appendice, pag. 17, lin. 1, hoc loco tamen plenius quoad essentialia describenda esset vocatio sacerdotalis loquendo de libera invitatione divina et responsione hominis, de dotibus requisitis in candidato deque iis quae ipsum impediant a statu sacerdotali, de signis vocationis divinae, denique de electione Ordinarii.

II - *De formationis fine et seminariorum ordinatione.* In n. 10, pag. 8, linn. 28-38 schema constitutionis affirmat obligationem superiorum dimittendi tempestive eos qui idonei non sunt; nihil dicit de iis quae a moderatoribus spiritus et confessariis in foro interno facienda sunt quoad hanc rem; ad Instructionem supradictam remittit tractationem et « De normis circa probandam castita-

tem recognoscendis et unico documento colligendis » (pag. 18, linn. 15-16) et « De moderatore spiritus et de eius peculiari praeparatione » atque « de confessariis et de normis ab ipsis servandis » (pag. 18, linn. 17-18).

Omnibus patet quanta sit necessitas arcendi a sacris Ordinibus indignos et ineptos ad lugenda scandala vitanda, quae in tantam perniciem animarum cedunt. Saepe Summi Pontifices hanc obligationem inculcaverunt: sufficiat referre quae D. N. Paulus Papa VI de hac re dicit in Epistula Apostolica: *Summi Dei Verbum,* die 4 mensis novembris huius anni edita, quarto recurrente anno centenario a decreto Concilii Tridentini de fundandis seminariis: « Nostra quoque aetate, cum Nobis dolendum est nonnullos Ecclesiae administros ab officiis suis defecisse — quae calamitas severiore adhibita diligentia in sacerdotii tironibus deligendis atque instituendis praecaveri forsitan potuisset — sacri Dioecesium Pastores peropportune secum gravia verba perpendent, quibus Paulus Timotheum monebat: manus cito nemici imposueris, neque communicaveris peccatis alienis (*1 Tim.* 5, 22). (L'Oss. Rom. 4-5 nov. 1963, pag. 2, col. 3).

Insufficiens videtur agere de hac obligatione tantum in Instructione: instructiones enim proponunt res secundum vim quam ex lege naturae aut Ecclesiae habent, quin de se ulteriorem obligationem addant; si autem considerentur quae castitatem requisitam ad sacros ordines spectant, plura in lege naturae et in iure vigenti Ecclesiae adhuc incerta manent, etiam quoad res gravioris momenti, aut quae aliquibus certa videntur ab aliis dubia existimantur. Ex altera parte vere gravia damna Ecclesiae et candidatis parit factum quod in dioecesibus finitimis, vel etiam in eadem dioecesi, vel in eadem domo, inveniuntur superiores et confessarii, qui candidato, cui alius superior, aut director spiritualis, aut confessarius ordinarius dixit, sub denegatione absolutionis, illum ineptum esse ad statum sacerdotalem, aut adhuc debere producere experimentum ad suam idoneitatem ad castitatem perfectam probandam antequam ad Ordines sacros accedat, dicat illum esse idoneum aut satis certum iam de sua idoneitate ut statim ad illos accedere possit. Videtur ergo necessarium ut sacrum Concilium saltem quoad aliqua graviora statuat quomodo agendum sit ad talia damna praecavenda.

Duae res videntur exigere perfectam uniformitatem agendi superiorum, directorum spiritualium et confessariorum omnium:

1) modus agendi cum iis qui iam in cursu theologico sunt et peccatum grave externum, licet non consummatum, commiserunt cum muliere aut persona eiusdem sexus, praesertim iunioris aetatis;

2) tempus minimum pro probatione castitatis normaliter requirendum.

Quoad primum videtur necessarium instituere irregularitatem ex delicto: ratio est quod delictum commissum quando plena maturitas psychica adepta est et post plures annos seminarii aut saltem praeparationis ad vitam sacerdotalem, normaliter destruit illam certitudinem moralem quam, ex lege naturae, ipse candidatus habere debet de sua idoneitate ad castitatem cum aliis servandam ut possit vitare omne scandalum vitae.

Quoniam autem ii qui tale delictum commiserunt seducti ab alio et quasi inopinate, ex dotibus animi et ex virtutibus et ex tota vita anteacta spem fundatam adhuc praebere possunt perfectae emendationis, facultas habitualis concedenda esset Ordinariis dispensandi ab hac irregularitate, si, omnibus perpensis, in aliquo casu particulari talem spem adhuc existere iudicent; imposito tamen congruo expe-

rimento. Si vero talia delicta commissa fuerunt post ordinationem ad subdiaconatum vel diaconatum res ad Sedem Apostolicam referenda esset.

Quoad tempus probationis castitatis: non desunt qui adhuc sufficere putant probationem aliquot mensium pro iis qui consuetudine peccati solitarii innodati sunt et ad sacros Ordines accedere volunt (cf. Boschi, *La chasteté chez les candidats au sacerdoce,* Vitte, Lyon-Paris, 1959, pp. 143-144). Haec sententia omnino improbabilis dicenda est nostris diebus in quibus immoralitas late diffusa est in societate et sacerdotes frequentiores relationes habere debent cum iuvenibus utriusque sexus ratione operum apostolatus laicorum; in his circumstantiis fortior omnino debet esse probatio castitatis. Ipsa S. Congregatio de Sacramentis in Instructione reservata missa ad locorum Ordinarios die 27 decembris anni 1955 in n. 12 dicit: « ... probatam castitatem experiendo ostensam, quae nempe probationem requirit circiter unius anni »; item S. C. de Religiosis in Instructione pariter reservata missa ad Moderatores die 2 febr. 1961, in n. 30, 3, dicit: « Nemo ad vota perpetua et ad sacros Ordines promoveatur nisi firmam continentiam consecutus fuerit et de probata castitate diuturnum experimentum, saltem unius circiter anni, in quolibet casu dederit ». Ceterum ex lege positiva compleri potest id quod forte deest in aliquo casu ex lege naturali.

Ad necessariam aptam selectionem secundum necessitates nostri temporis et ad necessariam uniformitatem omnium qui de idoneitate candidatorum ad sacros Ordines iudicare debent, videtur ergo necessarium constituere impedimentum ad sacros Ordines pro iis qui, consuetudine peccati solitarii innodati, experimentum unius circiter anni nondum cum successu praemiserint. Etiam quoad hoc impedimentum facultas habitualis concedenda esset Ordinariis brevius experimentum concedendi iis qui ex circumstantiis particularibus satis probati apparent.

Quod si non conveniens adhuc videretur instituere irregularitatem et impedimentum de quibus supra, saltem in Instructione grave praeceptum omnibus dandum esset, ipsis candidatis non exclusis, agendi modo supra descripto.

III - *De institutione spirituali.* In hac sectione plenius et fortius insistendum esset super necessitate unionis cum Deo pro clerico qui vult foecundum apostolatum exercere; etenim sine testimonio vitae plene Deo unitae impossibile erit animas ad Christum adducere et illas manuducere ad intimam cum ipso unionem.

IV - *De studiorum ratione.* In hac sectione desideratur ut commendetur non solum cognitio linguae latinae (n. 19, pag. 12, linn. 28-32) et philosophiae secundum S. Thomae rationem (n. 21, pag. 13, linn. 14-15), sed etiam profundior cognitio linguae et culturae nationis: haec enim, speciatim in regionibus ubi haec diversa est a cultura graeco-latina, necessaria est ad fructuosum apostolatum exercendum, praecipue apud gentes excultas.

V - *De formatione post seminarium perficienda.* Quae habentur in n. 26 (pag. 16, linn. 10-14) coordinanda sunt cum iis quae habentur in schemate decreti *de Clericis* n. 21, pagg. 14-15, praecipue de studio doctrinae pastoralis perficiendae.

121

CONFERENTIA EPISCOPORUM NIGERIAE

This schema seems to be, on the whole, well adapted to the needs of the Church at the present day and, with certain modifications, may be expected to meet with the approval of the Council.

The following changes are suggested. Pag. 6, linn. 19-23: This should be reworded in such a way as to omit the unnecessary contrast with marriage and the lay apostolate by saying, for example « ... eminet sacerdotalis vocatio qua tam plena participatio in sacerdotio Christi habetur ».

Pag. 7, lin. 3: In certain dioceses in which there are no junior seminaries numerous vocations to the priesthood are drawn from secondary schools. Hence, it should suffice to recommend Junior Seminaries without actually imposing them.

Pag. 8, par. 9: Add that, as well as having the qualities mentioned in this paragraph, seminary professors should be noted for their pastoral zeal and should engage in some form of actual pastoral work which does not interfere with the due performance of their other duties. This is necessary in order that students may be inspired by the example of their professors to love the apostolate no less than learning.

Pag. 9, lin. 7: Read « ... quare omnes eiusmodi errores... ». The words in the schema are too negative and unnecessarily critical of the present day.

Pag. 11, lin. 4: Omit « crescente in dies » for the same reasons as given above in the note on p. 9.

Pag. 15, par. 24: Students from Nigerian seminaries spend some of the holiday period each year in a mission where they engage in practical apostolic work under the guidance of an experienced missionary. Many of them also do a year's probation, after the conclusion of their philosophy course or their secondary studies, which is spent in some form of apostolic work or in teaching in a Junior Seminary.

Appendix I. Section III, par. 3 is not clear.

Section III, par. 6: A certain amount of accommodation is necessary. But we may not forget that ideas are exchanged quickly throughout the modern world with the result that differences in outlook and background are gradually dwindling. For example, Western Technology and all it implies is now an accepted fact in mission countries. Hence we must be on our guard against wasting time on elaborating a system of accommodation which may well be outmoded before it is fully complete.

Section III, par. 7: Legislation on the humanities' course must make due allowance for the differences in the educational systems of different countries. Too much rigidity will result in inobservance of the law. Similarly, the new legislation must beware of the tendency to overload the seminary course with obligatory subsidiary subjects. While admitting that the priest needs a wide general culture, we believe that an overloaded course will result in his learning less, especially of the essential subjects.

122

CONFERENTIA EPISCOPORUM AUSTRALIAE

1. *Totum schema* nimis prolixum est; minimum vero, immo nihil, novi addit. Munus res pressius determinandi per actualem principiorum generalium applicationem ipsis episcopis potius est relinquendum.

2. *De studiorum ratione*: Tota studiorum ratio integranda est, et huiusmodi necessitas praesertim relate tum ad curriculum philosophicum tum ad curriculum theologicum coniunctim considerata locum habet; simulque tota studiorum ratio ad ipsam vitam sacerdotalem referri debet. Ratio ergo studiorum ita est amplificanda ut modo ampliori amplectetur studia in Sacra Scriptura, Theologiam Scripturalem, studia in re sociali, catecheticam, eloquentiam sacram, formationem liturgicam, et theologiam pastoralem, praesertim quod ad visitationem pastoralem occasionesque tum in confessionibus excipiendis tum in consultationibus pastoralibus datas attinet. Insuper, quod ad theologiam pastoralem attinet, accedat ad alumnos sacerdos, sive magistri Facultatis sive parochus, scientia tum theoretica tum practica in re pastorali valde praeditus.

3. *De lingua latina*: Ex una parte, scientia linguae latinae plena, atque etiam scientia linguae graecae sat adaequata, ad apte tractandum tum de Patribus tum de documentis ecclesiasticis certe requiritur. Ex altera parte, haec assertio nullo modo linguam latinam optimum medium esse ad disciplinas principales tractandas vel textus lingua latina exarandos esse importat, praesertim quod ad cursum philosophicum attinet. Huiusmodi praxis, scilicet, disciplinas principales latine tradendi textusque solummodo lingua latina exaratos adhibendi, praesertim in cursu philosophico, sine dubio praeter necessitatem tempus dissipat quod ad studiorum rationem amplificandam adhiberi potest; simulque eos qui iuvenes amplius non sunt retardare, immo aliquando omnino excludere, potest.

4. *De institutione spirituali*: Relatio inter institutionem alumni spiritualem et ipsam vitam sacerdotalem nullo modo nimis commendari potest. Unus e fontibus sanctificationis sacerdotalis praecipuis, uti in Pontificali habetur, est « ad aedificandam domum, i. e. Ecclesiam Dei ».

Ad art. 1, n. 4, pag. 6. Una dies dominica pro toto orbe catholico per annum determinetur, quae « Dominica vocationibus sacerdotalibus fovendis dedicata » nuncupetur, in qua tota Ecclesia, uno conatu unaque voce, orationes, pia exercitia, conventus aliasque publicas manifestationes ad vocationes fovendas dirigat.

Ibid., pag. 7. Lin. 5 ad lin. 7, scil.: « Seminaria minora... inserviunt », sic mutentur: « *Vel* seminaria minora, secundum proprias ordinata leges, *vel apta Collegia,* quae pro locorum adiunctis eidem fini inserviunt, sedulo foveantur, necnon specialia quaedam... » etc. *Ratio* est: episcopi in variis regionibus, multis experimentis factis, optimi sunt iudices de hac quaestione. Sedulo igitur cavendum est ne constitutio conciliaris aliquid decernat quod, iudicio episcoporum in singulis regionibus contra bonum Ecclesiae in suis territoriis esset. Satis est igitur dicere « apta Collegia », episcopis relicto munere rem pressius determinandi iuxta peculiaria adiuncta. In hac re supremi momenti opus est confidere episcopis qui propria adiuncta propriumque populum optime cognoscunt.

Ad art. III, n. 17, pag. 11. Valde optandum est ut normae magis particula-

res de Moderatore Spirituali, cuius munus nunquam satis premi possit, statuantur. Haec duo, inter alia, explicite declarare oportet:

a) Nemo ad munus Directoris spiritualis nominetur quin peculiarem cursum theologiae spiritualis seu asceticae, gradu adepto, compleverit.

b) Director spiritualis officium dimittat sexagesimo quinto anno expleto.

Ad art. III in globo: quae dicuntur in schemate nimis generalia sunt. Oportet ut hoc schema eminenter practicum sit.

Ad art. IV, n. 21, pag. 13. Summe laudatur. Retineatur omnino.

Ibid., n. 22. Summe quoque laudatur.

Ibid., n. 23, pag. 14. Haec inserantur: « Oportet omnino ut alumni bene instruantur et de omnimoda necessitate et de recta methodo visitationis pastoralis, qua contactus pastoralis cum populo praeclare servatur. Oportet insuper ut bene sciant varias formas apostolatus et associationes actionis catholicae quae in dioecesi inveniuntur ».

Ibid., n. 24, pag. 15. Optime quidem; sed nonne operae pretium esset explicite indicare opera praecipua quae alumni practice exercere deberent? Ratio est quod rectores et moderatores seminariorum, nonnunquam nolunt ut alumni huiusmodi opera suscipiant. Porro, iudicio meo, haec inter alia optime indicari possint: institutio catechetica, visitatio pastoralis, conventus associationum apostolatus in paroecia, visitatio aegrotorum in nosocomiis.

Ad art. V, n. 25, pag. 16, lin. 5. Sedulo curent episcopi ut, consultis moderatoribus seminarii aliisque sacerdotibus prudentia praestantibus, neosacerdotes optimis parochis concredantur qui paterno consilio et omni conatu eos iam ab initio ad ministerium fructuose exercendum efforment.

123

CONFERENTIA EPISCOPORUM INDONESIAE

1. Haec in schemate laudem merentur, quod scilicet

a) bene attenditur ad indolem pastoralem formationis cleri futuri;

b) quod exoptatur, ut « alumni in seminariis minoribus vitam ducant quae cum communi omnium adolescentium vita, quantum potest, congruat » (art. 6, pag. 7, linn. 10 ss.);

c) ut studiis theologicis incumbentes iam manuducantur in quaestionibus oecumenicis atque in cognoscendis aliis religionibus in proprio territorio magis vulgatis (cf. art. 22, pag. 14, linn. 16 ss.);

d) ut laicorum cooperationem magni aestimare discant (art. 23, pag. 15, linn. 11 ss.).

2. De cetero autem schema ita recognoscatur, ut quae vere necesse sit statuere, dicantur modo constitutioni conciliari congruo, succincte scilicet et nervose, cavendo a verborum ambagibus. Ubi, v. g. de institutione spirituali agitur, necessarium non est longe lateque omnes enumerare virtutes, quibus sacerdotes ornati sint oportet. Item porro abbrevientur alia capita. Omittantur exhortationes, ut qualis habetur in art. 27, pag. 16, linn. 16 ss.

3. Optatur, ut episcopi — pro plena sua in christifideles sibi commissos auctoritate, necnon iuxta sanum accommodationis principium passim in schemate inculcatum — maiore quam hucusque habuerunt, gaudeant libertate adaptandi peculiaribus locorum temporumque adiunctis normas generales editas vel edendas.

4. Ad art. 20, pag. 12, linn. 33 ss.: Quia hodie multum discutitur de efficacitate structurae traditionalis curriculi studiorum superiorum, in quo cursus philosophicus theologico propaedeuticus aestimatur, quin etiam talis structura obiectionibus haud levibus est obnoxia, in constitutione conciliari imponi nequit, ut philosophiae studium per se praecedat theologiae. Sed iudicio competentis auctoritatis ecclesiasticae territorii relinquatur, quomodo pro concretis adiunctis totum curriculum ex disciplinis cum theologicis tum philosophicis constans componendum sit. Praeter solitum ordinem biennii philosophiae et quadriennii theologiae igitur aliae pateant viae ad finem studiorum quam securissime obtinendum.

5. Eidem accommodationis principio consentaneum est, quod iuxta art. 21, pag. 13, linn. 22 ss. doceantur crisique subiciantur oportet systemata philosophica praesertim moderna, quae maiorem in propria natione exercent influxum. Plus tamen ne statuatur, quam ut doceatur *sana* philosophia. Neque in hoc decreto conciliari (quippe quod ad universam dirigatur Ecclesiam in mundo hodierno praesentem) imponatur determinatum quoddam systema, ne S. Thomae quidem. Multo minus convenit ultimum hoc systema nomine « philosophiae perennis » designare, id quod est contra mentem ipsius S. Thomae.

6. Haud facile intelligitur, cur et quanam ratione in constitutione conciliari, quae Orientales quoque ecclesias respicit (cf. pag. 11, lin. 7), simpliciter praescribatur, ut sacrorum alumni acquirant « *imprimis* eam *latinae* linguae cognitionem... » (cf. art. 19, pag. 12, linn. 28 ss.), nisi apponatur restrictio « in seminariis dumtaxat ritus latini ». Neque parvi pendenda est difficultas, quam ubique experimus respectu studii philosophiae et theologiae, quod saepissime valde difficile est exprimere ideas hodiernas sermone latino.

7. Miramur insuper, quod in toto hoc decreto nusquam prorsus fit mentio constitutionis *Veterum Sapientia*. Videtur enim Concilium de ratione studiorum seminariorum agens silentio praeterire non posse, quomodo se habeat erga tale documentum.

Ordinationes, quae deinde principia in *Veterum Sapientia* contenta ad particularia usque evolvunt, nobis non placent. Nam simpliciter praesupponunt culturam occidentalem eamque valde limitatam, neque quovis modo respiciunt mundum orientalem cum propriis ipsius culturis linguisque.

Ad nostras nominatim regiones quod attinet haec inter alia proferre iuvat argumenta:

a) Mundus vel cultura graeco-romana classica seminaristis Indonesianis omnino aliena est. Tamen Ordinationes illae paululum tantum temporis concedunt lecturae aliorum auctorum praeter auctores classicos ibi enumeratos.

b) Methodus, quae istis Ordinationibus praescribitur, parum temporis relinquit seminaristis Indonesianis, ut rite addiscant tempora verborum et constructiones syntacticas, quas lingua Indonesiana reapse ignorat.

Unicus modus ergo, quo bene consuli videtur studio ipsius linguae latinae, simul ac sufficiens ratio habetur propriae regionum culturae, in eo est, quod

Conferentiae episcopales pro sua quaque regione rationem studii linguae latinae componant.

Iamvero, methodo quam hucusque in praxim deduximus, seminaristae satisfactorie addiscunt sermonem latinum, adeo ut manualia, documenta, articulosque in eo conscriptos bene intelligant.

8. Ad studia ecclesiastica secundum hodiernae vitae exigentias rite obeunda omnino necessarium nobis videtur, ut alumni praeter propriam linguam vernaculam ex praecipuis sic dictis linguis modernis (e. g. germanica, gallica, anglica) unam saltem bene noscant.

INDEX

CONGREGATIO GENERALIS CXIX

PAG.

Secretarii generalis monitum 9

Schema decreti *de Oecumenismo*:

1. Relatio generalis 11
2. Modi a Patribus propositi circa prooemium et cap. I 12
3. Emendationes admissae secundum modos a Patribus introductos . . 47

Secretarii generalis monitum 49

Moderatoris monitum 49

Patrum orationes (*de Ecclesia in mundo huius temporis*, cap. IV, n. 25):

Beat. Saigh 50
Exc. Hengsbach 52
Exc. Hannan 54
Exc. Arrieta Villalobos 56

Exitus suffragationis circa modos super cap. I schematis *de Oecumenismo* . . 59

Exc. Beck 59
Exc. Rada Senosiain 61
Exc. Hakim 64

Secretarii generalis monitum 67

Exc. Rigaud 67
Exc. Yañez Ruig Tagle 70
Exc. McGrath 71

Moderatoris monitum 75

Exc. Nguyen-Khac-Ngu 76
Ill. D. Vasquez 78
Exc. Guano 82

Secretarii generalis monitum 85

Schema propositionum *de Religiosis*:

1. Textus schematis (nn. 1-19) 85
2. Appendix. Relatio circa rationem qua schema elaboratum est . . . 89

PAG.

3. Examen circa Patrum Concilii observationes in schema *de statibus perfectionis adquirendae* anno 1963 editum 103
4. Relatio 138
5. Textus prior - Textus emendatus 143
6. Relatio de singulis propositionibus 153
7. Ordo suffragationis propositionum schematis *de Religiosis* 158
8. Exc. P. D. Ioseph McShea, ep. Alanopolitani, relatio 159

Patrum orationes:

Card. Spellman 159

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD CAP. IV SCHEMATIS DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS

Card. Ritter 165
Exc. Alba Palacios 167
Exc. Almarcha Hernández 172
Exc. Almeida Merino 173
Exc. Ancel 174
Exc. Añoveros Ataun 176
Exc. Arbulu Pineda 178
Exc. Argaya Goicoechea 179
Exc. Augustin 180
Exc. Badré 181
Exc. Baroni 184
Exc. Bednorz 187
Exc. Benavent Escuin 189
Exc. Boillon 191
Exc. Brizgys 193
Exc. Bueno Couto 193
Rev. Butler 196
Exc. Caillot 199
Exc. Cardoso Cunha 200
Exc. Carli 201
Exc. Castellano 209
Exc. Cavagna 211
Exc. Charue 211
Exc. Choquet 213
Exc. Civardi 214
Exc. Cooray 216
Exc. Costantini 218
Exc. Couderc 220
Exc. Deane 222
Exc. De Castro Mayer 223
Exc. Del Campo y De la Bárcena 226
Exc. De Provenchères 232
Exc. Descuffi 239

PAG.
Exc. De Vito 240
Exc. Dias Nogueira 245
Exc. Eugenius D'Souza 247
Exc. Dupuy 249
Exc. Elko 253
Exc. Fady 254
Exc. Fenocchio 256
Exc. Angelus Fernandes 257
Exc. Fletcher 259
Exc. Franić 260
Exc. Frattegiani 264
Exc. Gomes dos Santos 265
Exc. Gómez León 267
Exc. Gouyon 268
Exc. Graffin 270
Exc. Guerry 271
Exc. Gúrpide Beope 273
Exc. Hakim 273
Exc. Hart 275
Exc. Hengsbach 276
Exc. Henriquez Jimenez 279
Exc. Hervás y Benet 280
Exc. Himmer 286
Exc. Höffner 288
Exc. Holland 290
Exc. Jetté 292
Exc. Jubany Arnau 294
Exc. Kalwa 305
Exc. Koppmann 306
Exc. Laudadio 309
Exc. Le Couëdic 310
Exc. Maccari 313
Exc. Makarakiza 315
Exc. Manrique 317
Exc. Marling 318
Exc. Mason 320
Exc. Maziers 320
Exc. McEleney 322
Exc. McQuaid 323
Exc. Melendro 323
Exc. Muldoon 325
Exc. Muñoz Duque 326
Exc. Pearson 330
Exc. Perraudin 332
Exc. Piérard 334
Exc. Pildaín y Zapiáin 336
Exc. Pironio 337
Exc. Pluta 339

PAG.

Exc. Power 341
Exc. Quintero Arce 342
Exc. Renard 343
Exc. Roberts 347
Exc. Rosenhammer 348
Exc. Routhier 349
Exc. Rupp 351
Exc. Rusch 351
Exc. Scandar 352
Exc. Šeper 355
Exc. Simons 357
Exc. Souto Vizoso 361
Exc. Taylor 364
Exc Tomášek 367
Rev. Van Diepen 369
Exc. Van Peteghem 376
Exc. Wheeler 377
Exc. Wicisk 379
Exc. Wojtyla 380
Exc. Yoshigoro Taguchi 383
Exc. Yougbare 384
Exc. Zaffonato 386
Exc. Zazpe 388
Exc. Zoghby 389
Exc. Zoungrana 391

Quidam exc.mi Patres conciliares 393

Quidam exc.mi Patres conciliares Galliae 394

Exc.mi Patres conciliares Iugoslaviae 402

Exc.mi Patres conferentiae episcoporum Indonesiae 403

Quidam exc.mi Patres conciliares ex Madagascar 406

Congregatio Generalis CXX

Secretarii generalis monitum 411

Modi super cap. II schematis *de Oecumenismo*:

1. Relatio 412
2. Modi a Patribus propositi 413
3. Emendationes admissae 414

Secretarii generalis monitum 414

Patrum orationes (*de accommodata renovatione vitae religiosae*):

Card. de Barros Câmara 422
Card. Ruffini 426

PAG.

Card. Richaud 429
Card. Döpfner 431
Card. Landázuri Ricketts 436
Card. Suenens 439
Card. Bea 442
Exc. Charue 446
Rev. Fernandez 448

Exitus suffragationis circa expensionem modorum super cap. II schematis *de Oecumenismo* 451

Exc. Moors 452
Rev. Anastasius a SS. Rosario 453
Exc. Sol 456
Exc. Perantoni 458
Exc. Sartre 460
Exc. Lester Guilly 462
Rev. Buckley 464
Exc. Athaide 466

Secretarii generalis monitum 468

Congregatio Generalis CXXI

Subsecretarii exc.mi P. D. Ioannis Villot, arch. tit. Bosporani, monitum . . 471

Secretarii generalis monitum 472

Patrum orationes (*de accommodata renovatione vitae religiosae*):

Exc. Huyghe 472
Rev. Hoffer 475
Rev. Lalande 478
Exc. Carroll 481
Exc. Baraniak 483
Rev. Van Kerckhoven 486
Exc. Fiordelli 488
Exc. Čekada 491

Moderatoris monitum 494

Secretarii generalis monitum 494

Exc.mi P. D. Ioseph McShea relatio conclusiva 494

Secretarii generalis monitum 497

Schema propositionum *de institutione sacerdotali*:

1. Textus schematis 498
Appendix. Relatio circa rationem qua schema elaboratum est . . . 502
2. Exc.mi P. D. Ioseph Carraro, ep. Veronensis, relatio 532
3. Textus prior - Textus emendatus 538

Secretarii generalis monitum 551

PAG.

Patrum orationes:

Card. Bueno y Monreal 552

Exitus suffragationis introductoriae circa schema *de accommodata renovatione vitae religiosae* 555

Card. Meyer 556
Exc. Drzazga 559
Exc. Colombo 562

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD SCHEMA PROPOSITIONUM
DE ACCOMMODATA RENOVATIONE VITAE RELIGIOSAE

Card. De Arriba y Castro 569
Card. Gilroy 569
Card. Silva Henriquez 570
Exc. Augustin 579
Exc. Begin 580
Exc. Beitia Aldazábal 581
Exc. Blecharczyk 583
Exc. Boillon 583
Exc. Bolte 585
Rev. Carmels 586
Exc. Collin 587
Exc. Couderc 590
Exc. Dabrowski 591
Exc. D'Avack 597
Rev. Dayez 599
Exc. De Araújo Sales 604
Rev. Degrijse 606
Exc. De Roo 608
Exc. De Vito 609
Exc. De Wilde 613
Exc. Durning 615
Exc. Echeverria Ruiz 617
Exc. Fady 619
Beat. Gori 620
Rev. Grotti 621
Exc. Gufflet 622
Rev. Gut 623
Rev. Heiser 625
Exc. Kozlowiecki 628
Exc. Lorscheider 631
Exc. Lucey 632
Exc. Melendro 634
Exc. Mels 637
Exc. Mendonça 638

PAG.

Rev. Oscoz 638
Exc. Oviedo Cavada 641
Rev. Reetz 642
Exc. Reuss 645
Exc. Sauvage 645
Rev. Sépinski 648
Exc. Soares de Resende 649
Exc. Van Lierde 652
Rev. Ziggiotti 656

Conferentia episcoporum Indonesiae 656

Quidam exc.mi Patres ex Madagascar 660

Quidam rev.mi PP. Superiores generales 660

CONGREGATIO GENERALIS CXXII

Secretarii generalis monitum 667

Modi super cap. III schematis *de Oecumenismo*:

1. Relatio 669
2. Emendationes admissae 701

Secretarii generalis monitum 702

Moderatoris monitum 702

Patrum orationes (*de institutione sacerdotali*):

Card. de Barros Câmara 703
Card. Ruffini 705
Card. Léger 708

Exitus suffragationis circa expensionem modorum super cap. III schematis *de Oecumenismo* 711

Secretarii generalis monitum 711

Card. Döpfner 711

Exitus suffragationis I super schema *de accommodata renovatione vitae religiosae* 714

Card. Suenens 715

Exitus suffragationis II super schema *de accommodata renovationne vitae religiosae* 717

Exc. Staffa 718
Exc. Fernández-Conde 723
Exc. Sani 726
Exc. Gopu 729

PAG.

Patrum orationes:

Card. Bueno y Monreal 552

Exitus suffragationis introductoriae circa schema *de accommodata renovatione vitae religiosae* 555

Card. Meyer 556
Exc. Drzazga 559
Exc. Colombo 562

Animadversiones scripto exhibitae quoad schema propositionum De accommodata renovatione vitae religiosae

Card. De Arriba y Castro 569
Card. Gilroy 569
Card. Silva Henriquez 570
Exc. Augustin 579
Exc. Begin 580
Exc. Beitia Aldazábal 581
Exc. Blecharczyk 583
Exc. Boillon 583
Exc. Bolte 585
Rev. Carmels 586
Exc. Collin 587
Exc. Couderc 590
Exc. Dabrowski 591
Exc. D'Avack 597
Rev. Dayez 599
Exc. De Araújo Sales 604
Rev. Degrijse 606
Exc. De Roo 608
Exc. De Vito 609
Exc. De Wilde 613
Exc. Durning 615
Exc. Echeverria Ruiz 617
Exc. Fady 619
Beat. Gori 620
Rev. Grotti 621
Exc. Gufflet 622
Rev. Gut 623
Rev. Heiser 625
Exc. Kozlowiecki 628
Exc. Lorscheider 631
Exc. Lucey 632
Exc. Melendro 634
Exc. Mels 637
Exc. Mendonça 638

PAG.

Rev. Oscoz 638
Exc. Oviedo Cavada 641
Rev. Reetz 642
Exc. Reuss 645
Exc. Sauvage 645
Rev. Sépinski 648
Exc. Soares de Resende 649
Exc. Van Lierde 652
Rev. Ziggiotti 656

Conferentia episcoporum Indonesiae 656

Quidam exc.mi Patres ex Madagascar 660

Quidam rev.mi PP. Superiores generales 660

Congregatio Generalis CXXII

Secretarii generalis monitum 667

Modi super cap. III schematis *de Oecumenismo*:

1. Relatio 669
2. Emendationes admissae 701

Secretarii generalis monitum 702

Moderatoris monitum 702

Patrum orationes (*de institutione sacerdotali*):

Card. de Barros Câmara 703
Card. Ruffini 705
Card. Léger 708

Exitus suffragationis circa expensionem modorum super cap. III schematis *de Oecumenismo* 711

Secretarii generalis monitum 711

Card. Döpfner 711

Exitus suffragationis I super schema *de accommodata renovatione vitae religiosae* 714

Card. Suenens 715

Exitus suffragationis II super schema *de accommodata renovationne vitae religiosae* 717

Exc. Staffa 718
Exc. Fernández-Conde 723
Exc. Sani 726
Exc. Gopu 729

PAG.

Exc. Jäger 731
Exc. Botero Salazar 734
Exc. Flores Martin 739
Exc. Sauvage 743

Exitus suffragationum III-VI super schema *de accommodata renovatione vitae religiosae* 748

APPENDIX

I - Schema constitutionis *de statibus perfectionis adquirendae.* - Prooemium (nn. 1-2). - Cap. I: *De status perfectionis natura, speciebus et formis* (nn. 3-10). - Cap. II: *Criteria generalia accommodatae renovationis statuum perfectionis* (nn. 11-16). - Cap. III: *De accommodata renovatione statuum perfectionis circa eorum duplicem finem* (nn. 17-22). - Cap. IV: *De accommodata renovatione in observantia votorum* (nn. 23-29). - Cap. V: *De vita in communi ducenda* (nn. 30-32). - Cap. VI: *De habitu religioso* (nn. 33-35). - Cap. VII: *De sodalium institutione* (nn. 36-40). - Cap. VIII: *De coordinatione inter instituta* (nn. 41-48). - Cap. IX: *De vocationibus religiosis fovendis* (nn. 49-51). - Votum (n. 52) 751

II - Animadversiones scripto exhibitae quoad schema propositionum *de Religiosis*:

Card. Doi 781
Card. Richaud 781
Rev. Alberione 782
Exc. Brellinger 782
Exc. De Provenchères 782
Exc. Franić 783
Rev. Janssens 784
Rev. Lalande 785
Beat. Meouchi 785
Exc. Nuzzi 787
Rev. Salvini 787
Exc. Sauvage 788
Exc.mi PP. conciliares linguae Germanicae et Scandiae 789

III - Schema constitutionis *de sacrorum alumnis formandis.* - Prooemium (n. 1). - I: *De vocationibus ecclesiasticis* (nn. 2-6). - II: *De formationis fine et seminariorum ordinatione* (nn. 7-11). - III: *De institutione spirituali* (nn. 12-17). - IV: *De studiorum ratione* (nn. 18-24). - V: *De formatione post seminarium perficienda* (nn. 25-27). - Appendix 793

IV - Animadversiones scripto exhibitae quoad schema constitutionis *de sacrorum alumnis formandis*:

Card. Barbieri 808
Card. Döpfner 808

PAG.

Card. Micara 810
Card. Richaud 811
Card. Ritter 811
Card. Rugambwa 812
Card. Silva Henriquez 814
Card. Spellman 817
Rev. Alberione 817
Exc. Attipetty 818
Beat. Batanian 819
Exc. Baudoux 820
Exc. Bernard 824
Exc. Berry 825
Exc. Brizgys 826
Exc. Caminada 827
Exc. Canestri 827
Exc. Cardoso Cunha 827
Exc. Colombo 828
Exc. Conduru Pacheco 828
Exc. Conway 829
Exc. Couturier 829
Exc. Cunial 831
Exc. Daem 832
Exc. Dammert Bellido 832
Rev. Desperben 833
Exc. De Vito 834
Exc. Drzazga 834
Exc. Fares 839
Exc. Fernandes 843
Exc. Ferraz 844
Exc. Fiordelli 845
Exc. Fitzgerald 846
Exc. Florit 846
Exc. Fukahori 849
Exc. Geeraerts 854
Exc. Gori 855
Exc. Greco 855
Exc. Helmsing 855
Exc. Herrera 856
Exc. Höffner 857
Exc. Iacono 860
Exc. Jacq 860
Exc. Jäger 862
Rev. Janssens 862
Exc. Jež 863
Exc. Kavanagh 864
Exc. Klepacz 865
Exc. Krol 867
Exc. La Ravoire Morrow 868

PAG.

Exc. Lokuang 869
Rev. Maleddu 870
Exc. Margiotta 871
Exc. Mason 871
Exc. McQuaid 872
Exc. Márquez Tóriz 872
Exc. Melendro 874
Beat. Meouchi 875
Exc. Micci 877
Exc. Nguyen van Binh 877
Exc. Nicodemo 878
Exc. O'Boyle 878
Exc. Obviar y Aranda 880
Exc. Olaechea Loizaga 880
Exc. Pailloux 887
Exc. Parker 888
Exc. Pirelli 888
Exc. Pobožný 890
Exc. Primeau 892
Exc. Przyklenk 892
Rev. Quint 893
Exc. Raimondi 894
Exc. Raspini 894
Exc. Raymond 894
Exc. Rizzi 896
Exc. Ruotolo 896
Exc. Russo 897
Exc. Saboia Bandeira de Mello 899
Beat. Saigh 899
Rev. Salvini 901
Exc. Satoshi Nagae 903
Exc. Satowaki 905
Exc. Seitz 905
Exc. Sena de Oliveira 913
Exc. Simons 924
Exc. Speltz 925
Exc. Rayappan 926
Exc. Shehan 927
Exc. Talamás Camandari 927
Exc. Valerii 928
Exc. Van Valenberg 928
Exc. Wall 929
Exc. Weber 930
Exc. Wehr 931
Exc. Yoshigoro Taguchi 933
Exc. Zayek 935
Exc. Zuccarino 939

PAG.

Conferentia episcoporum Argentinae 940
Conferentia episcoporum Braziliae 941
Conferentia episcoporum Columbiae 943
Aliqui exc.mi PP. DD. episcopi Mexici 945
Exc.mi PP. DD. episcopi Venetiolani 948
Conferentia episcoporum Canadensium 948
Conferentia episcoporum Aprutiorum 952
Conferentia episcoporum Apuliae 952
Conferentia episcoporum Paedemontanorum 952
Conferentia episcoporum Sardiniae 952
Conferentia episcoporum Umbriae 953
Exc.mi PP. DD. episcopi Provinciarum Aquensis, Avenionensis et dioecesis Massiliensis 954
Exc.mi PP. DD. episcopi Provinciae Sabaudiae 955
Conferentia episcoporum Galliae 957
Conferentia episcoporum Hispaniae 958
Conferentia episcoporum Iugoslaviae 959
Conferentia episcoporum Lusitaniae 961
Conferentia episcoporum Neerlandiae 961
Conferentia episcoporum Africae Meridionalis 961
Quidam exc.mi PP. conciliares Africae Centro-Orientalis 962
Quidam exc.mi PP. conciliares Africae Orientalis 962
Conferentia episcoporum in Kenya 962
Conferentia episcoporum Madagascar 964
Conferentia episcoporum Nigeriae 967
Conferentia episcoporum Australiae 968
Conferentia episcoporum Indonesiae 969

INDEX 973